UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

urn:nbn:de:hbz:466:1-67915

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVIII

ACTA SANCTORUM

OCTOBRIS

Ex Latinis et Græcis aliarumque gentium Monumentis, servatâ primigeniâ veterum Scriptorum phrasi

COLLECTA, DIGESTA, COMMENTARIISQUE ET OBSERVATIONIBUS

ILLUSTRATA A

J. VAN DER MŒRE ET J. VAN HECKE,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS

NONNULLIS ALIIS EX EADEM SOCIETATE OPERAM CONFERENTIBUS

TOMUS SEPTIMUS

QUO DIES DECIMUS QUINTUS ET DECIMUS SEXTUS CONTINENTUR

PARS POSTERIOR



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ BIBLIOPOLAM

1869

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

06
10.
10M
1040-55,24
P 10 16 a 4
GESAMTHOCHSCHULBIBLIOTHEK PADERBORN
76:1999

SYNOPSIS

PARTIS POSTERIORIS TOMI SEPTIMI

DE ACTIS SANCTORUM

OCTOBRIS.

Hæc pars posterior tomi septimi Octobris diem sextum decimum hujus mensis complectens, Sanctos *triginta septem* nominatim cum Sanctis Martyribus *sexcentis triginta septem* anonymis recenset. De his quatuor in classes, quarum tres priores quidem ecclesiastici, monastici et sæcularis status viros; quarta vero cujuscumque conditionis fœminas continet, divisis, his pauca pro more Majorum nostrorum secundum ordinem, quo in hac parte tomi Octobris septimi dantur, præmittimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Classem hanc aperit *Eliphius*, qui paulo post medium quartum sæculum martyrium subiit. De *Colmanno*, sæculo sexto Killruadhensi in Hibernia episcopo, paucula, eaque suis impedita difficultatibus, statuere nobis licuit. *Magnobodus*, Andegavensis episcopus, circa annum DCLXX defunctus, binos biographos nactus est, Anonymum coævum, quem edimus, et Marbodum episcopum Rhedonensem, qui priorem Vitam tersiori et contractiori stylo, fere ad amussim, expressit. Anno probabilius DCLXXXIII *Mummolinus* seu *Mummolenus*, S. Eligii in cathedra Noviomensi et Tornacensi successor, obiit: hujus Sancti Acta, hactenus inedita et Commentario prævio adornata, damus ex veteri Ms. codice Noviomensi. Ad sæculum octavum pertinet *Ambrosius* Cadurcensis episcopus circa annum DCLXX vita functus, cujus Acta ab auctore subæquali scripta, damus ex antiquo satis codice, collato cum Ms. Reginæ Sueciæ. Proximum sibi locum vindicat *Lullus*, Moguntinus archiepiscopus et S. Bonifacii Martyris discipulus ac successor. Obiit Sanctus anno DCCLXXXV, ejusque Acta satis vetusta Commentario prævio illustravimus. Gloriosum agmen claudit vir sanctitate insignis, *Bertrandus*, Convenarum episcopus, cujus Vitam coævam, jam pridem editam, sed ad optimum exemplar collatam, recudimus, præmisso Commentario prævio, in quo variæ quæstiones ad chronologiam et topographiam spectantes elucidantur.

EX STATU MONASTICO.

De *Malo* seu *Maleo*, quem græca Kalendaria Eremitam, Patrem et Thaumaturgum appellant, pauca supersunt, incertumque est sæculum, quo floruit; sed documentorm parcitas aliquousque monstrat illum ad antiquiora tempora pertinere. In persecutione Vandalica mortem pro fide catholica appetiere anno CCCCLVIII aut sequenti, *Martinianus*, *Saturianus* eorumque fratres duo: hi e servitute elapsi, suadente Maxima Virgine, eorum conserva, in monasterium Tabracense confugerunt; unde vi abrepti plurima tormenta sustinuerunt, ut late describit Victor Vitensis. In Commentario prævio ad Vitam *Juniani*, retractata sunt illa quæ Majores nostri ad diem XXV Junii de *Amando* Juniani magistro, dixerant; dein utriusque Sancti ab homonymis distinctio late indicata fuit. In annum circiter DCXXVII incidit obitus *Galli* discipuli S. Columbani, licet plerique recentiores tempus emortuale usque ad annum quadragesimum quintum sæculi septimi prorogare contendant: in Commentario prævio variæ quæstiones attinguntur, quæ Acta S. Columbani et initia celebris monasterii S. Galli illustrant. Vitam S. Galli octavo sæculo exaratam e Monumentis Germaniæ historicis Cl. Georgii Henrici Pertz edimus. E Flodoardi Historia ecclesiæ Remensis damus Acta *Balderici* Falcomontensis atque hac occasione puncta quædam ad antiquitates Remenses spectantia examinantur. *Baldericum* in hac classe excipit *Bercharius*, Martyr, fundator monasteriorum in Altovillari et Dervo, cujus Acta ex antiquioribus documentis scripsit sæculo X Adso, Dervensis abbas. Qui sequitur *Vitalis*, in Ratiatensi pago eremita, distinguitur imprimis ab aliis ejusdem nominis Confessoribus; ac dein inquiritur in ejus ætatem satis dubiam, quæ tamen ante medium sæculum nonum effluxisse videtur: quibus omnibus subnectitur Sancti Vita ex duplici Breviario Ms. Trenorchiensi extracta, et suppleta ex Ms. Gallico ecclesiæ S. Vitalis. Eodem circiter tempore vixit *Gurdanius* sive *Gurdinellus* Duaci cultus; sunt

non pauci eruditi, qui duplicem hic sibi fingunt Sanctum, sed probabilibus monstramus argumentis unum eumdemque, immutato licet aliquantisper nomine, designari. Paucula nobis servavit antiquitas de *Germano* eremita et Martyre, in Arvernia; incertum quoque vitæ tempus quod tamen medium sæculum undecimum antecessit. *Anastasius*, monachus et eremita in Gallia, circa annum MLXXXV defunctus, biographum nactus est coævum, Galterium, cui tamen non plane assentimus, quando refert Sanctum fuisse missum in Hispaniam ad prædicandum Sarracenis; probabilior enim nobis est scopus missioni præfixus abolitio liturgiæ Hispanæ et rituum Romanorum inductio. Exeunte sæculo duodecimo floruit Ebuli, in diœcesi Salernitana regni Neapolitani, *Bernerius*, eremita, cujus Vita, centum fere annis post mortem scripta et adhuc anecdota, editur : atque hac occasione Bienerum quemdam Uxamensem, qui numquam exstitit, e catalogo Sanctorum expunximus.

EX STATU SÆCULARI.

Qui primi in hac classe occurrunt, Martyres sunt, primis Ecclesiæ sæculis glorioso certamine perfuncti : *Bassianus; Saturninus* cum *Nereo*, *Mireo*, *Aufido* et sociis CCLXV ; *Leontius* cum sociis *Domitio*, *Terentio* et *Domnino*. Vandalis in Galliam irrumpentibus, circa annum CCCVI martyrium subiisse videtur *Silvanus* : colebatur olim in Agedunensi cœnobio agri Lemovicensis, qua occasione ejusdem monasterii origines discutiuntur. *Salvium* Autisiodorensem, eumdem statuinus cum Nivernensi, sed diversum ab Albigensi. *Gaudericus*, qui vixit ante sæculum decimum, fertur coluisse pietatem dictam Angelus, unde nascitur et discutitur quæstio de origine hujus devotionis, simulque inquiritur in varias accessiones factas Angelicæ salutationi, prout reperitur in sacris libris.

EX STATU FŒMINEO.

Cæcram ex Hieronymianis nobis notam, licet Asiæ deputet Rabanus, ad Africam potius propter unanimem aliorum martyrologorum auctoritatem pertinere cum sociis CCLXX censemus. Tempore probabiliter Juliani apostatæ passa est. *Bolonia*, quæ in agro Bassiniacensi diœceseos Lingonensis colitur : fertur caput amputatum propriis manibus gestasse, ac ostenditur id genus miraculi frequenter Sanctis in Gallia Martyribus affingi. Martiniani et sociorum consors fuit *Maxima*, Virgo, quæ liberata a jugo Vandalico, multarum virginum mater postea exstitit. De *Kiara*, Virgine, pleraque nos latuerunt; constare tamen videtur illi deberi originem monasterii Kilchreæ in provincia Momoniæ, in Hibernia. Arvernia tandem nobis offert pro coronide *Bonitam*, Virginem Brivate cultam, cujus res gestas plerasque delevit oblivio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
ALPHABETICUS
SANCTORUM
AD PARTEM POSTERIOREM TOMI VII OCTOBRIS.

A

Amandus cum Juniano. (*Vide* Junianus.)

Ambrosius, Cadurcensis episcopus et confessor. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. Memoria Sancti in Fastis sacris et ejus cultus 1031. § 2. S. Ambrosii episcopatus et res in eo gestæ 1033. § 3. Discutitur opinio Casimiri Oudini, qui S. Ambrosium Cadurcensem auctorem facit Librorum de Mysteriis et de Sacramentis, S. Ambrosio Mediolanensi vulgo tributorum 1037. § 4. S. Ambrosius cœlesti indicio detectus, Romam proficiscitur et in reditu obit 1042. — VITA, auctore anonymo. *Ex Ms. Andreæ du Chesne ; collato obiter cum Ms. Nicolai Belfortii, accuratius cum Ms. Reginæ Sueciæ* 1046

Anastasius, monachus eremita, in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. De Sancti cultu, biographo, ejusque in Normannia gestis 1125. § 2. S. Anastasius Cluniacum petit ; quæritur quo anno et cur a S. Gregorio Papa VII in Hispaniam missus sit ; an ad prædicandum Sarracenis ? Mors et Reliquiæ S. Anastasii 1131. — VITA, auctore Galterio. *Ex editione Mabillonii.* PROLOGUS 1136. CAPUT UNICUM. Sancti patria, monachatus in monte S. Michaëlis, vita eremitica, secessus Cluniacum et in Hispaniam, reditus Cluniacum, repetita eremus, mors in pristina diœcesi Rivensi 1136.

Aufidus cum Saturnino. (*Vide* Saturninus.)

B

Baldericus, confessor, in Montefalconis in agro Remensi. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. Fasti Sacri ; monumenta historica, quæ de S. Balderico supersunt 909. § 2. Synopsis vitæ ; quo tempore monasterium S. Petri Remense a S. Balderico conditum sit, tempus notalæ S. Balderici ; est hic sanctus, non secus ac aliquot alii, filius Sigiberti Regis 911. § 3. S. Baldericus exstruit Remis sorori suæ S. Bovæ monasterium ad quod pertinebat templum S. Mariæ extra muros urbis ; condit Falcomontanum monasterium, ubi discipulum habet S. Wandregisilum, uti excussis hujus Sancti Actis, probatur ; nova chronotaxis gestorum SS. Balderici et Bovæ texitur ; moritur S. Baldericus 914. § 4. Elucidantur aliquot puncta historica ad cœnobium Montisfalconis spectantia 918. § 5. Amissio omnium fere S. Balderici Reliquarum ; cultus in diœcesi Coloniensi et in Montefalconis, cum exstaret capitulum et postquam destructum 920. — VITA, MIRACULA *et* TRANSLATIONES sancti Balderici. *Ex Historia ecclesiæ Remensis Flodoardi, lib.* IV, *cap.* XXXVIII *et sequentibus, edita in Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensi secundum recensionem Colvenerii.* CAPUT I. S. Baldericus Remis exstruit cœnobium puellarum, et in Montefalconis monasterium virorum 923. CAPUT II. Miracula et Translationes usque ad finem fere sæculi IX 924. CAPUT III. Reliqua miracula et Translationes S. Balderici usque ad medium fere sæculum X 927

Bassianus, Martyr, Syracusis in Sicilia. SYLLOGE. De ejus cultu et passionis tempore 796

Bercharius, Martyr abbas et fundator monasteriorum Altumvillaris et Dervi. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. Memoria Sancti in sacris Fastis, cultus et Acta 986. § 2. S. Bercharii patria, tempus natale, et monachatus Luxovii 990. § 3. Fundata a S. Berchario monasteria Altumvillare, Puellare et Dervense 993. § 4. S. Bercharius variis Sanctorum Reliquiis monasterium Dervense ditat ; institutæ propterea peregrinationes Hierosolymitana et Romanæ 1000. § 5. Variæ Reliquiarum S. Bercharii translationes 1006. — VITA, auctore Adsone abbate Dervensi. *Ex editione Nicolai Camuzati in Promptuario ecclesiæ Tricassinæ et Joannis Mabillonii in Actis SS. Ordinis S. Benedicti ; collata cum codice Ms. Aquicinctino.* PROLOGUS 1010. LIBER PRIMUS. CAPUT I. S. Bercharii ortus, prima institutio apud parentes et S. Nivardum ; monachatus Luxovii 1010. CAPUT II. Luxovio redux fundat cum S. Nivardo monasterium Altivillariense 1013. CAPUT III Defuncto S. Nivardo, perfectoque monasterio Altivillariensi, S. Bercharius Dervum fundat, et injuste occiditur 1016. LIBER SECUNDUS, de diversis casibus Dervensis cœnobii et miraculis S. Bercharii. Auctore anonymo. *Ex editione Surii Vitæ SS. collata cum Promptuario Nicolai Camuzati et codice Ms. Aquicinctino.* CAPUT I. Casus monasterii Dervensis sub Carolovingis 1019. CAPUT II. Instauratio cœnobii Dervensis et abbatum series 1021. CAPUT III. Miracula S. Bercharii 1024. CAPUT IV. Continuatur narratio

miraculorum

miraculorum S. Bercharii 1025. CAPUT V. Alia miracula S. Bercharii 1028

Bernerius, eremita, Ebuli in diœcesi Salernitana, in regno Neopolitano. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Quo die S. Bernerius colatur; ejus biographi; quid gesserit; an templum Ebulitanum construxerit; an cum alio confundendus sit; quo sæculo obierit; ejus cultus ecclesiasticus 1184. — VITA. *Ex codice Ms. Oratorii forte Romani* 1187

Bertrandus, archidiaconus Tolosanus et episcopus Convenensis, in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS § 1. S. Bertrandi festum die XVI Octobris proprie celebrandum; ejus biographiæ earumque fontes; de initiis monasterii Scalæ-Dei 1140. § 2. De S. Bertrandi parentibus, fratribus aliisque consanguineis. Trium Gulielmorum, Ausciensium archiepiscoporum chronologia illustratur 1144. § 3. Pueritia et militia S. Bertrandi; quæritur an vere canonicus regularis fuerit in ecclesia S. Stephani Tolosæ; investigantur ejus episcopatus initia 1149. § 4. An hodiernæ Convenæ a S. Bertrando ædificatæ, locum occupent veterum Convenarum; item, sit ne præsens ecclesia ab hoc Sancto exstructa. De institutione canonicorum regularium Convenensium 1153. § 5. Diplomata quibus subscripsit S. Bertrandus; Concilia, quibus interfuit; consecratio cœmeterii Ausciensis et ecclesiæ parthenonis S. Orientii. Mors S. Bertrandi 1157. § 6. Sepultura, canonizatio, Reliquiarum elevatio S. Bertrandi 1160. § 7. Inquiritur in indulgentias Clementi V summo Pontificii attributas, potissimum in indulgentiam ad instar Jubilæi; de tribus festivitatibus S. Bertrandi 1163. § 8. De capsis reliquiariis et mausoleo S. Bertrandi Convenis, et de Reliquiis alibi asservatis 1167. § 9. Cultus ecclesiasticus S. Bertrando exhibitus 1170. — VITA, autore Vitali sacro sanctæ Sedis Apostolicæ protonotario. *Ex Ms. P. Possini collato cum editione Martenii et apographo P. Gisseji.* CAPUT I. S. Bertrandi nobilis ortus, educatio, militia, vita canonica Tolosæ, episcopatus Convenensis, mors, et virtutes 1173. CAPUT II. Miracula S. Bertrandi, dum in terris viveret 1176. CAPUT III. Miracula S. Bertrandi, post mortem 1180

Bolonia, Virgo Martyr, in agro Bassiniacensi in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. S. Boloniæ cultus, biographi, juventus, martyrii tempus et locus, incertum miraculum et Reliquiarum conditio 816. — PASSIO. *E recentioribus sacris Lectionibus Calvomontanis* 820

Bonita, virgo, Brivate in Arvernia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Cultus, ætas et synopsis vitæ ex hymno 1120. — VITA. *Ex Breviario Canonicorum Brivatensium* 1122

C

Cecra et CCLXX Martyres, in Africa. NOTITIA ex variis Martyrologiis 797

Colmannus, episcopus Killruadhensis, in Hibernia. SYLLOGE HISTORICA. Sancti adolescentia, disciplina, ætas 851

D

Domitius cum Leontio. (*Vide* Leontius.)
Domninus cum Leontio. (*Vide* Leontius.)

E

Eliphius, Martyr, prope Tullum Leucorum, in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. De S. Eliphii nomine, memoria in Martyrologiis et biographis 799. § 2. S. Eliphius non videtur mortis damnatus a Juliano apostata, neque a Sallustio præfecto, sed ab ignoto Juliani gratiam ancupante 801. § 3. De cultu S. Eliphii in Gallia 804. § 4. De translatione corporis S. Eliphii, cujus omnia fere ossa Colonienses acceperunt 807. § 5. De cultu collato S. Eliphio in monasterio et templo S. Martini Coloniensi, itemque olim Ultrajecti 809. — PASSIO. *Ex codice Ms. Coloniensi, nunc Bruxellensi, collato cum Ms. Gladbacensi et Trevirensi necnon plurimis impressis* 811

G

Gallus, confessor, Arbonæ in Alemannia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. Hujus Sancti memoria in sacris Fastis; cultus in variis regionibus 856. § 2. Acta S. Galli discutiuntur 859. § 3. S. Galli patria; tempus nativitatis, qua occasione inquiritur in epocham fundati monasterii Benchorensis 861. § 4. S. Galli educatio et monachatus in Benchorensi monasterio; sacerdotium 864. § 5. Tempus adventus S. Columbani in Gallias 866. § 6. Iter Alemannicum 869. § 7. S. Galli rex gestæ in Alemannia 871. § 8. S. Gallus eremum incolit, sanat Gunzonis ducis filiam Fridiburgam, episcopatum Constantiensem recusat 874. § 9. Post S. Eustasii mortem, recusat S. Gallus regimen cœnobii Luxoviensis; moritur 879. § 10. S. Galli sepultura, ejus corporis violatio, Reliquiæ 881. — VITA, auctore anonymo, monacho Sangallensi sæculi VIII. *Ex monumentis Germaniæ historicis Georgii Henrici Pertz, tom. II, part.* 3. LIBER PRIMUS. CAPUT I. S. Galli ortus, monachatus in cœnobio Benchorensi, adventus in Gallias et Alemanniam 884. CAPUT II. In Alemanniam relictus desertum Arbonense incolit, Fridiburgam Gunzonis ducis filiam a dæmonio liberat 888. CAPUT III. Recusat episcopatum Constantiensem; cellam ædificat; moritur 892. LIBER SECUNDUS. CAPUT I. De S. Galli sepultura, Reliquiarum violatione, et aliquot miraculis 895. CAPUT II. Miracula a S. Gallo patrata ad conservationem eremi, quam vivens incoluerat 899. CAPUT III. Continuantur miracula S. Galli 903. CAPUT IV. Alia ejusdem miracula 906

Gaudericus, Gualdericus *seu* Galdericus, confessor agricola Occitanus, in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § 1. De nomine, homonymis et biographis S. Gauderici; ejusdem vitæ synopsis 1106. § 2. Quæritur an S. Gaudericus pietatem dictam *Angelus*, coluerit 1108. § 3.

De

De translatione Reliquiarum et miraculis S. Gauderici 1113. — Acta, conscripta a Tamayo, *ex Domenec, Poc et aliis scriptoribus* 1119
Germanus, eremita et martyr, in Arvernia. Sylloge 1123
Gurdanius *seu* Gurdinellus, eremita Duaci et Aquicinctii, in diœcesi Cameracensi. Sylloge. S. Gurdanius idemne sit ac S. Gurdinellus; origines Aquicinctienses; S. Gurdanii variæ translationes et cultus 1101

J

Junianus, anachoreta et ejus magister S. Amandus, in agro Lemovicensi in Gallia. Commentarius prævius. § 1. Cur de S. Amando Commodoliacensi hic agatur; distinguitur a S. Amando Genuliacensi; illius patria, ortus et tempus mortis 835. § 2. Biographi S. Amandi Commodoliacensis; ejus gestorum compendium e Bernardo Guidonis; Reliquiarum inventio a S. Hugone Cluniacensi facta earumque cultus 839. § 3. De S. Juniani cultu; num confundendus cum S. Juniano Nobiliacensi et altero Remensi; de sepulchro et de ecclesia sub ejus vocabulo Deo sacra 841. — Officium S. Amandi complectens ejus Vitam et Reliquiarum translationem. *Ex traditionibus Mss. ecclesiæ S. Juniani Commodoliacensis* 845. — Vita S. Juniani. *Ex Ms. codice Cluniacensi.* Prologus 848. Caput unicum 848

K

Kiara, virgo, in Momonia in Hibernia. Commentarius prævius. S. Kiaræ cultus certus; incerta ejus gesta; constare tamen videtur conditum ab ea fuisse monasterium Killchreæ 950. — Vita, auctore Colgano 952

L

Leontius, Domitius, Terentius et Domninus, Martyres culti a Græcis. Sylloge 798
Lullus, archiepiscopus confessor, Moguntiæ in Germania. Commentarius prævius. § 1. Cultus S. Lulli vindicatus; ejus Acta discussa 1050. § 2. S. Lulli patria et vita monastica in Anglia exacta 1052. § 3. Gesta S. Lulli in Germania ante episcopatum 1055. § 4. Agente S. Bonifacio, creatur S. Lullus archiepiscopus Moguntinus 1058. § 5. S. Lullus corpus S. Bonifacii martyris ad Fuldense monasterium transfert 1061. § 6. De controversia exorta inter SS. Lullum et Sturmium circa cœnobium Fuldense 1063. § 7. Fundationes S. Lulli 1067. § 8. Dedicationes ecclesiarum 1069. § 9. De pallii honore tardius delato et de conciliis, quibus S. Lullus interfuit 1071. § 10. De epistolis a S. Lullo scriptis et de munusculis inter Germanos et Anglos ultro citroque missis 1073. § 11. De anno et die obitus S. Lulli 1078. § 12. De S. Lulli Reliquiis earumque translationibus 1081. — Vita, auctore anonymo, ut videtur, monacho Hersfeldensi. *Ex Ms. Erlangensi collato cum Legenda Sanctorum edita Lovanio anno* MCDLXXXV *per Joannem de Westphalia.* Caput i. S. Lulli natales; profectio in Germaniam et promotio ad archiepiscopatum Moguntinum 1083. Caput ii. S. Bonifacii corpus Trajecto Fuldam transfert S. Lullus et honorifice condit 1085. Caput iii. Controversia cum S. Sturmio de monasterio Fuldensi; fundatio Hersfeldensis cœnobii; pius obitus et sepultura 1087

M

Magnobodus, episcopus et confessor, Andegavi in Gallia. Commentarius prævius. § 1. S. Magnobodi memoria; cultus 928. § 2. Tempus et locus nativitatis S. Magnobodi; promotio ad sacros Ordines; præfectura cœnobii Colonetensis 931. § 3. Sancti legatio Romana; episcopatus 935. § 4. Gesta in episcopatu; obitus; Reliquiæ 937. — Vita, auctore anonymo cœvo. *E Ms. veteri fide digno a P. Sirmondo summisso et collato cum eadem Vita edita ab Edmundo Beaugendre inter opera S. Hildeberti Cenomanensis.* Caput i. Sancti natales, institutio clericalis; Romana peregrinatio, episcopatus 940. Caput ii. S. Magnobodus varia miracula operatur 943. Caput iii. Continuatur narratio de miraculis 945. Caput iv. Referuntur alia miracula; Sancti obitus et sepultura 947
Malus *seu* Maleus, eremita. Sylloge *e Menæis Græcorum aliisque Fastis* 799
Martinianus, Saturianus, eorumque duo fratres martyres, et S. Maxima, virgo, in Africa. Commentarius prævius. § 1. De variis Martyrologiis, quæ de Sanctis Martyribus agunt, et de tempore passionis 825. § 2. De SS. Martiniani et Maximæ conjugio, et de disciplina Ecclesiæ circa impedimentum e voto castitatis proveniens 827. § 3. De monachatu SS. Martiniani sociorum et Maximæ 829. § 4. Sanctorum Martyrum relegatio in desertum, illorum mirabilis prædicatio et mors. De S. Maxima 831. — Passio, auctore Victore Vitensi. *Ex historia persecutionis Vandalicæ lib.* i, *cap.* 10, *secundum Ruinartii editionem* 833
Maxima cum Martiniano. (*Vide* Martinianus.)
Mireus cum Saturnino. (*Vide* Saturninus.)
Mummolinus *seu* Mommolenus, episcopus Noviomensis et Tornacensis. Commentarius prævius. § 1. S. Mummolini sacra memoria, biographi et gestorum synopsis 953. § 2. S. Mummolini ortus; vita monastica acta Luxovii; prædicatio in Gallia et in aula Clotarii II; condit Vetus et Sithivense monasteria, quibus præficitur 957. § 3. Quo anno S. Eligius episcopus Noviomensis et Tornacensis mortuus sit, eique successerit S. Mummolinus; de linguarum latinæ et teutonicæ peritia, qua ornatus hic Sanctus fuit 963. § 4. Expenditur duplex in S. Mummolinum accusatio; exponitur translatio S. Eligii, promotio S. Ebertramni, pactum cum S. Bertino et plures subscriptiones 968. § 5. De morte, sepultura, elevatione et translatione Reliquiarum S. Mummolini; de Reliquiis monasterio S. Bertini concessis 972. § 6. Quæ fata Reliquiæ S. Mummolini expertæ sint Noviomi annis MCCXCIII et MCCXCV, invocatio ejus publica et privata 975. — Vita, auctore anonymo. *Ex vetere Ms. codice Noviomensi*

viomensi. CAPUT UNICUM. Sancti patria; tirocinium vitæ religiosæ Luxoviense; prædicatio et commoratio in aula Clotarii II, digressus ad S. Audomarum; condit Vetus et Sithivense monasterium; fit Tornacensis et Noviomensis episcopus; moritur 980

N

Nereus cum Saturnino, *etc.* Martyres in Africa. (*Vide* Saturninus.)

S

Salvius, monachus, in agro Autisiodorensi in Gallia. SYLLOGE. S. Salvius Autisiodorensis, memoratus in Martyrologiis, diversus est a S. Salvio Albigensi, sed idem est ac Nivernensis. Fata ædiculæ ei sacræ 853

Saturianus cum Martiniano. (*Vide* Martinianus.)

Saturninus, Nereus, Mireus, Aufidus et socii CCCLXV Martyres, in Africa. NOTITIA *ex Martyrologiis* 798

Silvanus, Martyr, Agedusi in agro Lemovicensi, SYLLOGE HISTORICA. Memoria in Fastis sacris; cultus in monasterio Agedunensi, cujus referuntur origines; Acta alterius martyris S. Silvano afficta; martyrium sub Wandalis 822

T

Terentius cum Leontio, Domitio, etc. (*Vide* Leontius.)

V

Vitalis, eremita, in pago Ratiatensi diœceseos Nannetensis, in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Homonymi, biographiæ, ætas, vitæ ratio, Reliquiarum translationes, et cultus 1091. — VITA et MIRACULA. *Ex duplici Ms. Breviario Trenorchiensi collato cum editione Chiffletii S. J. et suppleto ex Ms. gallico ecclesiæ S. Vitalis* 1096

INDEX CHRONOLOGICUS SANCTORUM

AD PARTEM POSTERIOREM TOMI VII OCTOBRIS.

SÆCULO IV

Anno probabiliter CCCLXII S. Eliphius martyrium subiit 804 b

Eodem probabiliter anno S. Bolonia pro fide occisa 816 c *et* 818 e

SÆCULO V

Circa initium ejus sæculi S. Silvanus martyrium subiit 822 a *et* 824 d

Anno CCCCLVIII *vel* CCCCLIX SS. Martinianus ejusque socii martyrium passi fuere 825 c *et* 826 e f

SÆCULO VI

Circa annum D S. Amandus obiit 835 *et* 838 e f.

Circa annum DXXXV S. Junianus S. Amandi discipulus obiit 841 a *et* 842 d e

Circa annum DL S. Gallus confessor in Hibernia natus est 861 f, 862 a, 863 b *et* 881 c

Circa medium sæculi VI S. Colmannus Killruadhensis episcopus obiit 815 c *et* 853 d

Circa annum DLIX S. Gallus puer oblatus fuit in monasterio Benchorensi 863 b *et* 881 c

Inter annos DLX et DLXVI S. Baldericus natus videtur 914 b

Circa annum DLXXIV S. Magnobodus episcopus natus videtur 931 e f *et* 932 a b

Circa annum DLXXXV S. Gallus cum S. Columbano in Gallias appulit 866 a *et* seqq., 881 c

Circa finem sæculi VI S. Mummolinus episcopus natus est 957 a

Ante sæculum VII S. Salvius monachus Autisiodorensis obiit 853 c e f

IN PARTEM POSTERIOREM TOMI SEPTIMI OCTOBRIS.

SÆCULO VII

Anno circiter DCXIV S. Mummolinus ingressus est Luxovium 957 b
Anno DCXV S. Gallus interfuit concilio Constantiensi, in quo Joannes ejus discipulus electus fuit episcopus 878 e f, 879 a *et* 881 c
Anno DCXXV S. Magnobodus testamento S. Lonegisili subscripsit 938 e f
Circa annum DCXXV S. Magnobodus interfuit concilio Remensi 933 b c
Circa eumdem annum S. Bercharius martyr natus videtur 990 f *et* 991 a-d
Circa annum DCXXVII, *die* XVI *Octobris* S. Gallus confessor obiit 856 b, 880 b-f *et* 881 a b c
Circa annum DCXL S. Mummolinus ad S. Audomarum venit 957 d
Eodem anno Idem Sanctus præfectus fuit Veteri monasterio 959 b
Ante medium sæculi VII S. Baldericus confessor obiit 909 b *et* 917 e
Circa annum DCL Constructum fuit Sithivense monasterium, eique præpositus S. Mummolinus 960 b c *et* 962 e
Circa initium anni DCLVIII S. Mummolinus episcopus factus est 967 b
Circa annum DCLX S. Magnobodus episcopus obiisse videtur 940 b c
Anno DCLXII S. Bercharius monasterium Altivillariense fundavit 994 b-d
Anno DCLXXII Dervensi monasterio initium a S. Bercharo datum fuit 997 f, 998 *et* 999
Forsan anno DCLXXX S. Kiara Hibernica virgo obiit 950 b, 951 c *et* 952 f
Probabiliter anno DCLXXXIII S. Mummolinus episcopus obiit 953 a *et* 972 a b
Anno DCLXXXV, *die* XXVI *Martii* S. Bercharius occisus est 986 a, 1002 e f, 1003 *et* 1004

SÆCULO VIII

Anno probabiliter DCCXXV S. Lullus in Galliam appulit 1055 f *et* 1056 a-d
Circa annum DCCXLIV S. Ambrosius Cadurcensem cathedram conscendisse videtur 1034 a-d
Anno DCCLIV S. Lullus ordinatus fuit Moguntinus episcopus 1060 c-f *et* 1061 a-e
Anno DCCLXVI S. Lullus monasterium Hersfeldense fundavit 1068 a
Anno DCCLXIX, *die* XII *Aprilis* S. Lullus interfuit concilio Romano sub Stephano III 1072 e f
Circa annum DCCLXX S. Ambrosius Cadurcensis obiisse videtur 1031 b *et* 1044 a-e
Anno DCCLXXVII S. Lullus Laureshamensem ecclesiam consecravit 1070 a b
Anno probabiliter DCCLXXX Sanctus idem S. Goaris basilicam consecravit 1070 f *et* 1071 a
Anno DCCLXXXVI, *die* XVI *Octobris* S. Lullus Moguntinus episcopus obiit 1050 b *et* 1078 e f

SÆCULO IX

Anno DCCCL *aut* DCCCLII, *in Cœna Domini* S. Lulli corpus translatum fuit 1051 c *et* 1081 e
Ante sæculi IX *finem* S. Gurdanius obiit 1104 c d
Inter sæcula IX *et* XI S. Bonita floruit 1121 c d

SÆCULO X

Sub initio hujus sæculi Normanni Reliquias S. Silvani dissiparunt 824 d
Anno probabiliter CMXXIII S. Bercharii abbatis et martyris corpus in Burgundiæ ducatum translatum fuit 1007 c *et* 1008 b
Anno probabilissime CMLXIV S. Eliphii Reliquiæ Coloniam Agrippinam translatæ fuerunt 809 c-e
Circa annum CMXC S. Juniani Reliquiæ retectæ fuerunt 843 b

SÆCULO XI

Anno MXL Secundo translatæ fuerunt S. Lulli Reliquiæ 1051 c *et* 1081 f
Ante medium sæculi XI S. Bertrandus Convenensis natus est 1144 b
Anno probabiliter MLXXV S. Hugo Cluniacensis detexit corpus S. Amandi 840 c d
Circa annum MLXXXIII S. Bertrandus factus est Convenarum episcopus 1150 d-f *et* 1151 a-c
Circa annum MLXXXV S. Anastasius monachus obiisse videtur 1125 a *et* 1135 b c
Sæculo XI Jam carebat ecclesia Montisfalconis corpore S. Balderici 921 c

SÆCULO XII

Anno MC S. Bertrandus episcopus interfuit Pictavensi concilio 1157 d-f *et* 1158 a-d
Anno MCII, *die* XXI *Octobris* Secundo translatum fuit S. Juniani corpus 843 b-d
Anno MCXIX S. Bertrandus benedictioni cœmeterii Ausciensis adfuit 1159 b e
Anno circiter MCXXV, *die* XVI *Octobris* S. Bertrandus obiit 1140 c *et* 1160 a-c
Circa finem sæculi XII S. Bernerius obiit 1184 c

SÆCULO XIV

Anno MCCCVIII, *die* XVI *Januarii* Clemens Papa V S. Bertrandi corpus elevavit 1162 c-f
Anno MCCCLIV S. Galli confessionis caput, brachium et costæ Pragam ab imperatore Carolo IV delata fuerunt 884 d

SÆCULO XV.

Anno MCDXVII, *die* XVII *Julii* Reliquiæ S. Boloniæ elevatæ fuerunt 817 a, 819 f *et* 820 b
Anno MCDLXIII, *die* XXII *Junii* Advecta in Sithivense monasterium pars cranii S. Mummolini episcopi 974 c e
Anno MCDLXXXV, *die* XXIV *Junii* S. Eliphii sepulchrum aperuit Hermanus Coloniensis archiepiscopus 808

SÆCULO XVI.

Anno MDXXIX, *die* XXIV *Februarii* S. Galli corpus destructum fuit a Zwinglianis 884 d
Anno MDLIV Reliquiæ sancti Bernerii inventæ fuerunt 1185 e *et* 1189 d
Anno probabiliter MDLXXV Reliquiæ S. Anastasii direptæ fuerunt 1136 b

SÆCULO

SÆCULO XVII.

Anno MDCIII, *die* XII *Decembris* S. Lulli archiepiscopi caput donatum fuit Patribus Societatis Jesu Moguntiæ 1082 e f *et* 1083 a

Anno MDCXXXIII Sueci argenteis ornamentis S. Eliphii lipsanothecam spoliaverunt 805 f

Circa annum MDCLIII Reliquiæ S. Bonitæ recognitæ fuerunt 1122 e

Anno MDCLXII, *die* XXXI *Maii* S. Bercharii Reliquiæ novis thecis impositæ fuerunt 1008 e f

Anno MDCLXXXVIII Reliquias S. Eliphii recognovit R. D. Thiard de Bissy designatus Tullensis episcopus 805 f

SÆCULO XVIII.

Anno MDCCXXXIII, *die* VI *Septembris* Reliquiarum S. Bertrandi pars in Insulam Jordanis translata fuit 1168 f

Anno MDCCLXIII Extracta fuit ex arca Reliquiarum S. Eliphii pedis sinistri fibula 806 a

Anno MDCCLXXX Reliquiæ S. Balderici confessoris ad novam ecclesiam Montisfalconis translatæ fuerunt 922 f *et* 923 a

Anno MDCCXCIII S. Magnobodi Reliquiæ flammis traditæ sunt, earumque cineres in ventum dispersi fuere 940 d

Eodem anno S. Balderici Reliquiæ in Montisfalconis projectæ fuerunt 922 e

Eodem anno, initio mensis Novembris Reliquiæ S. Mummolini episcopi extractæ sunt e theca et humatæ 975 f

Anno MDCCXCV, *die* XXIII *Augusti* Reliquiæ S. Mummolini recognitæ fuerunt 975 *et* seqq.

SÆCULO XIX.

Anno MDCCCX Reliquiæ S. Germani Martyris approbatæ fuerunt 1124 a

Anno MDCCCXIII, *die* XXVII *Februarii*, Benedictus Costaz episcopus Nanceensis designatus S. Eliphium coli ritu solemnissimo in parochia sant-Eliphiensi concessit 806 d

Anno MDCCCXXIX, *die* XXIII *Octobris*, Gilbertus Paulus Aragonès d'Orcet Lingonensis episcopus Reliquias S. Bercharii abbatis martyris approbavit 1009 d-f *et* 1010 a b

Anno MDCCCXXXVIII, *die* XXI *Maii* Petrus Ludovicus Parisis, Lingonensis episcopus factam Reliquiarum ejusdem S. Bercharii visitationem approbavit 1010 b c

NOTITIA FIGURARUM

HANC PARTEM POSTERIOREM TOMI VII OCTOBRIS ORNANTIUM.

Præfigitur solitum Operis frontispicium.

Sigillum capituli Montisfalconis, in Gallia ..... pag. 923

Effigies S. Mummolini Noviomensis et Tornacensis episcopi 980

Novæ Convenæ et rudera claustri S. Bertrandi episcopi..... 1155

Altare, mausoleum et lipsanotheca ejusdem S. Bertrandi..... 1167

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DIES DECIMASEXTA OCTOBRIS.

SANCTI QUI COLUNTUR XVII KALENDAS NOVEMBRIS.

S. Bassianus Martyr Syracusis in Sicilia.
SS. Cecra et CCLXX Martyres anonymi in Africa.
SS. Saturninus, Nereus, Mireus, Aufidus et Socii CCLXV Martyres, ut videtur, in Africa.
SS. Leontius, Domitius, Terentius et Domninus Martyres, ut videtur, in Græcia.
S. Malus Eremita in Græcia.
S. Eliphius Martyr prope Tullum Leucorum in Gallia.
S. Bolonia Virgo Martyr in agro Bassiniacensi.
S. Silvanus Martyr Ageduni in agro Lemovicensi.
SS. Martinianus, Saturianus eorumque duo fratres Martyres et S. Maxima Virgo in Africa.
S. Junianus anachoreta et S. Amandus ejus magister in agro Lemovicensi in Gallia.
S. Colmanus episcopus Killruadhensis in Hibernia.
S. Salvius in agro Autisiodorensi.
S. Gallus Abbas in Alemannia.
S. Baldericus Confessor in Montefalconis in agro Remensi.
S. Magnobodus episcopus Confessor Andegavis.
S. Kiara Virgo in Momonia in Hibernia.
S. Mommolinus Episcopus Confessor Tornaci et Noviomi.
S. Bercharius Abbas et Martyr in Dervo monasterio.
S. Ambrosius Episcopus Confessor Cadurcis.
S. Lullus Archiepiscopus Confessor Moguntiæ.
S. Vitalis Eremita in pago Ratiatensi in Gallia.
S. Gurdanius eremita Duaci.
S. Gualdericus agricola in Occitania.
S. Bonita Virgo Brivate in Arvernia.
S. Germanus Eremita et Martyr in Arvernia.
S. Anastasius Eremita et monachus Ordinis S. Benedicti in Gallia.
S. Bertrandus episcopus Confessor Convenis in Gallia.
S. Bernerius Eremita Eboli in diœcesi Salernitana.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctorum Luciani, Maxiani *(seu Maximiani)* et Juliani, *Bellovacensium Martyrum meminerunt hodie plura Usuardi Auctaria apud Sollerium, inter quæ tamen Daverонense scribit esse memoriam* inventionis : *quod festum etiamnum celebrat Bellovacensis Ecclesia, translatum tamen, qua de causa nescio, e* XVI *ad* XXI *Octobris, ut videre est in Directorio Liturgico anni* 1841. *De his Martyribus actum est in Opere nostro ad diem* VIII *Januarii.*

Longinus centurio et Martyr, *qui latus Christi lancea aperuisse perhibetur, recolitur hodie in fastis Græcæ Ecclesiæ; occurrit apud nos et de eo actum est ad diem* XV *Martii.*

S. Ambrosius Confessor, discipulus Didymi, Alexandriæ : *memoratur apud Petrum de Natalibus, a quo dein Canisius et Ferrarius eumdem mutuati sunt. Vide, si lubet, opusculum Mingarellii, Romæ* 1764 ; *de illo actum die* XVII *Martii.*

Memoriam beati Archangeli Gabrielis superni paranymphi, *habet codex Usuardino-Bruxellensis apud Sollerium; fortassis ob cognatam apparitionem S. Michaelis in monte Tumba. De S. Gabriele actum fuit die* XXVI *Martii.*

Berthæ abbatissæ et Martyris *mentionem faciunt hodie præter Auctarium Usuardi Greveniaum, Ferrarius, Canisianum Martyrologium et Gynecæum ; ejus acta habes ad diem* I *Maii.*

S. Prisci Martyris, super fluvium Anduræ, *in agro Carnotensi nuntiatur a Greveno : socium martyrii adjungit proprium Jotrense* (Jouarre) *S. Hilarium, quin tamen aliquam ejus faciat mentionem in lectionibus historicis. De S. Prisco et sociis egimus ad diem* XXVI *Maii.*

Elisæum prophetam *memorat Hagiologium Abassinorum ; ejus Acta reperire est ad diem* XIV *Junii.*

Arnulfum episcopum *solum Auctarium Usuardinum Greveni crude ad hunc diem producit. Suspicor Grevenum, quandoque dormitantem, cum in alio codice reperisset ad* XVII *kal. Septembris seu* XVI *Augusti* S. Arnulfi *Metensis translationem, mensem Sextilem cum Octobri confudisse : atque inde præsentem memoriam ortam esse. Quod etiam confirmatur ex eo, quod solus fere Grevenus inter Usuardi amplificatores hujus translationis oblitus fuerit. Actum fuit de S. Arnulfo Metensi ad diem, quo colitur, scilicet* XVIII *Julii.*

S. Ægidium Confessorem *recenset Auctarium Usuardi Aquicinctinum : ejus Acta illustrata habes ad diem* I *Septembris.*

S. Euphemiam Virginem et Martyrem *celebrat hodie ecclesia Claromontana in Alvernia, ut docet nos directorium liturgicum ejusdem diœcesis anni* 1827 : *ignota est nobis Sancta, de qua tacent quoque Hagiologia Claromontana. Eadem forte est ac S. Euphemia Chalcedonensis, cujus Reliquiæ per varias orbis partes distractæ fuere, ut dictum est ad diem* XVI *Septembris.*

Sancti Susis *in Baiis memoriam signat hodie Hieronymianus codex vulgatus a Florentinio; cui consonat, ut idem ait, Martyrologium Corbiense, scribens :* In Bajis sancti Sussi Martyris. *Suspicatur Florentinius hunc sanctum Martyrem eumdem esse ac Sosium, diaconum Misenatem et collegam S. Januarii ; idque suadet imprimis nominis similitudo aut potius identitas, cum ad* XIX *hujus mensis apud Florentinium et in Adonis Auctariis Sosius Misenas* Sussus *scribatur : huc etiam facit, quod Baiæ Puteolis, Neapoli, Miseno, quibus civitatibus S. Sosium variis diebus codices Hieronymiani adscribunt, proximæ sint. Videatur proinde Stiltingus noster in calce tomi VI Septembris* (*a*) *Operis nostri, ad diem* XIX *Septembris.*

Repositionem S. Firmini episcopi Martyris *habet Auctarium Ambianense Usuardi, de sancto episcopo Ambianensi egimus die* XXV *Septembris.*

Apparitionem S. Michaelis in monte Tumba, *diœcesis Abrincensis habent hodie varia Auctaria Usuardina, Martyrologium Ferrarii et Canisii. De ista apparitione actum fuit ad diem* XXIX *Septembris.*

SS. Rusticus et Eleutherius, socii S. Dionysii *recoluntur hodie in Martyrologio Canonicorum Regularium : eorum Acta vide ad diem* IX *Octobris.*

S. Leobonus, erem. ita Saliniaci in agro Lemovicensi *signatur hodierna die a Saussayo; dedimus Acta ad diem* XIII *Octobris.*

Beati Antiochi episcopi *Lugdunensis mentionem facit Molanus in Auctariis Usuardinis, pertinet ad diem præcedentem* XV *Octobris.*

B. Philippinam Chaloniam, Virginem Clarissam, filiam Ludovici Arausiensis principis, *memorat hodie Arturus in Martyrologio Franciscano et Gynecæo. Venerabilem eam nuncupant Annalistæ Ordinis Minorum* (*b*) ; *et nihil reperire est, quo cultus ejus stabiliatur. Cave tamen ne hanc Philippinam confundas cum B. Philippa de Campo-Telimano, de qua ad diem* XV *Octobris.*

S. Julianum Confessorem *habet Auctarium Bedæ tom. II Martii; vitio librarii pro* S. Juniano *infra dando nomen scriptum putamus.*

Dedicatio *novæ basilicæ monasterii* Cellensis *apud Trecas recitatur hodie in Auctariis Adonianis; qua occasione confer quæ Sollerius noster habet in sua ad Usuardum Præfatione num.* 153.

Dedicationem *veteris templi Societatis Jesu Insulensis nuntiat ad præsentem diem ex Buzelino P. de Balinghem in kalendario Mariano. Facta fuit hæc consecratio anno* 1611 *ab ep. Tornacensi Michaele d'Esne, et titulus impositus Conceptio B. M. V.*

Sanctæ Heriburgis, Virginis, quæ vitæ admirabilis exemplo et puritate angelica renitens, consodales ad cœlestia erexit. *Hæc in suo Gynecæo Arturus, qui ejus locum emortualem Monasterium in Westphalia signat, quique in notis addit :* De ea Canisius in Martyrologio, Ferrarius hac die, Cratepollius lib. de Sanctis Germaniæ et Surius in Actis S. Lugderi episcopi anno 800 XXVI Martii. *Sed dum ex hujusmodi rivulis ad ipsum fontem devenimus, alium invenire non est præter Usuardi editionem, sub nomine Hermanni Greveni a Majoribus nostris citatam. Hæc simpliciter habet :* Heriburgis Virginis. *Sed talem annuntiationem nullum importare cultum ipse profitetur in præfatione :* Quia venerabilis, *inquit,* doctor Johannes Gerson..,.. di-

(*a*) Pag. 764, n° 12 et p. 784, n° 107. — (*b*) Wadding. Ad an. 1441, p. 119.

cit

A cit orationem posse dirigi peculiariter et secreta quadam devotione ad personas quarum fuerit eximia virtus et conversatio probata nobis comperta, quamvis ipsas non canonizaverit Ecclesia : ideo in hoc Martyrologio multos hujusmodi reposuimus, prætermittentes tamen pene semper beatæ aut sanctæ memoriæ, ut per hoc secernantur a canonizatis.

S. Evodii episcopi Uzalensis (*in Africa*) et Martyris a Donatistis ob fidem Catholicam occisi. *Hæc recitat Ferrarius in suo Catalogo Sanctorum qui Romano Martyrologio inscripti non sunt. Hic æqualis S. Augustini, quocum litterarum commercium habuit* (*a*), *passim inter Regulares sub regula S. Augustini militantes recensetur. Verum nihil nobis occurrit, quod cultum ejus plane suadere possit. Imo Evodii nomen in nullo martyrologio reperitur et de eodem tacent Canonicorum regularium et aliorum religiosorum sub regula S. Augustini militantium Breviaria et Kalendaria liturgica, quæ magno satis numero in bibliotheca nostra asservantur. Cum porro S. Pius V per litteras apostolicas in forma Brevis datas* XVIII *Decembris anni* 1570

B *Ord.* CXV *licentiam tribuisset Canonicis Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, ut præter festa Sanctorum enumerata*, omnium quoque aliorum dictæ Congregationis et Ordinis sanctorum festa etiam sub duplici Officio celebrare.... valerent ; *nihil omississe videntur laudati Canonici, ut quam absolutissimum Sanctorum Ordinis sui exhiberent catalogum. Cujus rei exemplum præbet* Proprium Windesemense *anno* 1690 *Bruxellis excusum, quod quadraginta Sanctorum nomina et Officia post Breve Pii V kalendario adjecit ; ast nuspiam Evodii nomen apparet, quod sane indicium est episcopum Uzalensem fastis Sanctorum numquam fuisse adscriptum. Cæterum Ferrarius eruditionem et annuntiationem suam mutuatum se dicit* ex libro qui Templum Eremitanum inscribitur : *in quo legitur (phrasim italicam latine reddo)* a Circumcellionibus tortus transivisse ab hac ad alteram vitam et obtinuisse pretiosissimam coronam conservatam illi a Deo in cœlis (*b*). *Liber iste ab Ambrosio Staibano Tarentino conscriptus in lucem prodiit anno* 1608 : *quare non est quod anxie de ejus, utpote recentioris, auctoritate disseramus, Idem judicium esto de Alphabeti Augustiniani scriptore Thoma*

C *Herrera, qui dicit Evodium* communiter ab omnibus Sancti titulo nuncupari ; *et de Alloysio Torelli* Secoli Agost. *ad annum* 424 § XL, *siquidem Sanctum vocari ab* immemorabili tempore *Evodium pronuntiet. Ii certe non sumus ut quidpiam velimus detractum meritis et gloriæ episcopi Uzalensis ; quin omnino assentimur Tillemontino dicenti* (*c*) : Meretur hic episcopus locum nancisci non solum inter confessores et Sanctos Pontifices, sed etiam inter Ecclesiæ Doctores. Aliquot Codices manuscripti eumdem Sancti titulo condecorant, quorum quidem sequi vestigia ausi non sumus, utpote quem ab aliqua Ecclesia cultum non repererimus, licet cæterum ejusmodi honoris meritissimus videatur. *Qui plura de Evodio scire cupiat, adeat laudatum Tillemontium* (*d*) *et Stephani Morcelli Africam Christianam* (*e*).

Peronæ in territorio Novidunensi (*Noyon*) Beati Anonymi Confessoris, Seraphici Patris Sancti Francisci discipuli, qui vitæ et miraculis coruscavit. *Hæc Arturus et Hueberus hodie ; quæ hausta* D *sunt e vulgari fama, ut testantur Gonzaga* (*f*) *et Waddingus* (*g*) *atque adeo non constat Anonymum cultu aliquo decoratum fuisse.*

B. Francisci Thomassini a Campo Basso Confessoris Histonii in Appulia *meminit quoque Arturus, cui consentit Hueberus, dempto tamen Beati titulo, quoniam, ut arbitramur, cultu caret.*

B. Georgius ab Erballio, *laudatus hodie ab Arturo, videtur esse absque cultu ecclesiastico.*

B. Ambrosii a Corbaria (*in insula Corsica*) Confessoris *natalis celebratur ab Arturo ; sed cum venerabilem hunc virum etiamnum sepultum dicat, non est quod de ejus cultu ulterius inquiramus.*

B. Bonaventuræ ab Agrigento (*in Sicilia*) Confessoris *memoria assignatur hodie in Martyrologio Arturi. Hujus viri reformationis auctoris præcipui cultus nobis non innotescit.*

B. Didacus dux, Confessor, Guadafiaræ in Castella, *numeratur inter Beatos seu potius Venerabiles, quos præsenti diei assignat Arturus. Diversus hic a S. Didaco Seraphici Ordinis similiter alumno, et qui* XIII *Novembris colitur. De cultu Didaci ducis nihil assecuti sumus.* E

Dedicationem ecclesiæ cathedralis Placentinæ, *seu Ambraciensis in Hispania, referunt hodie Tamayus de Salazar et Ferrarius.*

Dedicationem ecclesiæ cathedralis Mindoniensis (Mondonnedo) *olim Britoniensis in Gallecia Hispaniæ, idem Tamayus annuntiat.*

Benedictum episcopum *solus Grevenus hodie commemorat. Plurimos vero ejus nominis sanctos episcopos fuisse nemo ignorat. Cum porro Grevenus ipse ad calcem suæ editionis anni* 1515 *fateatur se* nonnullos sanctos forsitan aliis diebus posuisse, quam apud multos colantur, *Benedictum præsenti die laudatum inter Sanctos ignotos reponendum esse censuimus.*

Natalis B. M. Reineri cognomento Magni. Qui cum sex aliis ex abbatia B. V. de Parco (*ad fundandum Ninoviense monasterium*) transmissus, una omnes rara pietate, doctrina celeberrimi, odore virtutum alios ad Dei obsequium et sacram religionem attraxere. Hos inter primatum facile tenuit B. M. Reinerus, vir apostolicus et secundum etymologiam sui nominis vere in virtutibus Magnus. Otium vitiorum matrem extreme exosus, continuo sese lectione, oratione, aliisque F pietatis exercitiis occupabat ; pro acquirendis et augendis noviter fundatæ ecclesiæ bonis ad cultum Dei magis promovendum procurator sollicitus. Tandem cum sese omnibus bonorum operum præbuisset exemplum, ideam et exemplar omnis perfectionis, Christum Jesum non jam in ænigmate aut in speculo, sed in lumine gloriæ intuiturus abiit. *Prodit hoc elogium ad præsentem diem in ephemeridibus Prænonstratensibus ex decreto Circariæ Suevicæ anni* 1760 *confectis. Mirum Reinerum non memoravi in Chronico Balduini Ninoviensis* (*h*), *qui satis late describit sui cœnobii initia, ejusque primum abbatem nominat Gillebertum. Nihil novi, unde constet cultum aliquem publicum olim Reinero, sive in Parcho sive Ninoviæ impensum fuisse.*

B. M. Friderici I *Gradiciensis in Moravia ecclesiæ abbatis* XVI. *Abdicato Papiensi episcopatu, maluit abjectus esse in domo Dei. Vide reliquum*

(*a*) Epist. CLVIII et seq., t. II, oper., c. 560. Edit. Bened.— (*b*) Tempio Eremitano, p. 157. — (*c*) Mém. pour servir à l'hist. Ecclés. t. XII, p. 584. — (*d*) Ibid., p. 581 et seqq.— (*e*) T. I, p. 366, t. II, p. 322, t. III, p. 121. — (*f*) Origines Seraph. relig. part. III, prov. Franc., mon. XXXV, p. 573.— (*g*) Ad an. 1246, num. 36.— (*h*) Corp. Chron. Fland., t. II, p. 701 et seq.

ejus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *ejus encomium in appendice ephemeridum Præmonstratensium ad præsentem diem. Cæterum cum non inveniamus huic abbati anno* 1336 *vita functo cultum obtigisse, eum præterire debemus.*

Frideburga per S. Gallum abbatem liberata a dæmone et spretis nuptiis regiis facta abbatissa S. Petri Metis *citatur a Nostris die* XXIX *Martii ex Gynecæo :* Necdum, *aiunt,* legimus eam ullis Fastis adscriptam. Si alius non occurrat dies multa de ejus nuptiis dubia erunt discutienda ad Vitam S. Galli. *Hæc in hodierno commentario de S. Gallo conati sumus utcumque resolvere.*

Balduinus de Bocla, *fundator Abbatiæ Baudelonensis, redit ad hunc diem, jam inter prætermittendos repositus a Nostris die* XIII *Aprilis et* XXV *Septembris : aliquem cultum uspiam habuisse non apparet. Plura de eo reperire est apud Raissium in Auctario ad Natales SS. Belgii, et apud Sanderum in Vitis SS. Flandriæ.*

Decentium episcopum Martyrem *habent Nostri ad diem* X *Maii : insignes olim erant ejus Reliquiæ in templo Societatis Jesu Eichstadii ; sed præter nomen nihil adhuc innotuit.*

B Erembertam, abbatissam in Morinis, *memorat Gynecæum. Aliis Bertana, Irembertana et Hermemberta vocatur. Sanctam eamdem appellat Joannes Mabillon* (*a*), *utpote quam cultam hac die pronuntiet. Sed Guilielmus Cuperus noster ad diem* XX *Julii in Vita S. Wulmari* (*b*) *cupit ut, ante quam de illa agatur,* acta et manifesta cultus signa suppeditentur. *Neutrum quidem præstitum fuit ; unde inter Prætermissos reponenda fuit Eremberta, de qua plura habet Jacobus Malbrancq, De Morinis lib.* IV, *cap.* XXVIII, XLV *et* XLVI.

Dedicatio ecclesiæ S. Audoeni Rothomagi *recensetur a Saussayo et Menologio Benedictino.*

Balduinus *archiepiscopus Cantuariensis hodie annuntiatur in Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez his verbis :* In Anglia Beatus Balduinus ex monacho et abbate Fordensi episcopus Wigorniensis, et tandem archiepiscopus Cantuariensis et totius Angliæ primas electus : qui sanctis operibus, mira doctrina et omni virtutum genere ornatus, obiit in Syria magno omnium Catholicorum mœrore. *Pro more suo Menologus in subjectis notis enumerat Balduini encomiastas, et ipse ejus laudes prosequitur. Ast nihil inde, quod*

C *ejus cultum indicet, elicere potuimus. Late de eo agit quoque Angelus Manrique in Analibus Cisterciensium ab anno* 1177 *ad annum* 1190 ; *sed neque istic aliquid occurrit, quod venerabilis viri cultum adstruat : quinimo hæc tantum ad annum* 1190 *cap.* III, *num.* 8 *scribit :* Balduinum Menologio suo inseruit Chrys. Henriquez Octobris 16, nec est qui sine laude meminerit. *Quæ jejuniora sunt quam ut videatur Manrique cum laudato Menologo consentire in Beati titulo liberaliter concesso : quapropter ab eo abstinuit in suis Annalibus. Simili egit modo, qui Bibliothecam Cisterciensem adornavit et quibusdam opusculis Balduini auxit, Bertrandus Tissier. Quæ duplex virorum gravissimorum auctoritas per se, sola sufficeret ad nobis persuadendum Balduino Cantuariensi nullum umquam cultum sacrum impensum fuisse.*

S. Witburgam, fœminam clarissimam, *Romæ annuntiat Arturus in suo Gynecæo. Jam egerunt Nostri ad diem* XVII *Martii de aliqua Witburga, Derehamensi scilicet, quam diversam ab hodierna demonstrant genus, vitæ ratio et sepulturæ locus.*

D *Etenim Witburga hodierna videtur e Cantia oriunda, utpote quam Eadburga sive Bugge regis Cantii consanguinea* (*c*) *et in S. Bonifacium Germanorum Apostolum benifica, scribit* (*d*) secum adolevisse, eumdem utrique fuisse nutricum sinum et unam matrem fuisse ambabus. *Derehamensis contra ex Anglis orientalibus orta, filia erat Annæ regis* (*e*). *Hæc quoque patriam seu viva seu mortua numquam liquit, dum altera Romæ, ut dicit S. Bonifacius Eadburgæ* (*f*), quietem invenit juxta limina S. Petri, qualem longum tempus desiderando quæsivit; *atque ut videtur ibidem sancte finivit vitam* (*g*). *Quoniam tamen nullum adest testimonium cultus Witburgæ Romanæ impensi, illam inter Prætermissos collocamus.*

Dedicatio ecclesiæ Cathedralis B. Mariæ Diensis *facta anno* 1200 *notatur in Proprio ejusdem ecclesiæ. Est nunc Dia* (Die, Dep^{t} de la Drôme) *sub episcopatu Valentino et metropoli Avenionensi ; olim urbs episcopalis, sub archiepiscopatu Viennensi.*

Palmius Martyr *comparet ad hanc diem in scheda manuscripta sæculi* XVII, *in qua notantur insignes Reliquiæ, quæ in Domo Professa Societatis Jesu Panormi asservabantur, adjectis mense et die, qui-* E *bus Sanctorum festa celebrabantur. Verum in Kalendario liturgico anni* 1841 *Panormi impresso in usum universæ provinciæ Siculæ, S. Palmius neque hac neque alia die apparet. Cum vero Sanctus Martyr neque aliunde nobis cognitus sit, arbitramur ejus corpus, Panormi olim asservatum, e sacris cœmeteriis effossum fuisse.*

SS. Victuriæ et Nubilitanæ Alexandriæ *meminit hodie Martyrologium Gellonense et Richenoviense ; sed probabilius pertinent ad catervam Mauritanam, de qua agendum erit die* XVII *Octobris.*

SS. Alexander et Victorius Martyres Nicomediæ *hodie citati in Auctariis Bedæ pertinent etiam ad diem sequentem* XVII *Octobris.*

Sancti Florentini, episcopi *Trevirensis, nomen habet Martyrologium Romanum ad hunc diem.* Florentinum *hunc, sive* Florentium *Tungrenses quoque sibi episcopum vindicant* (*h*) : *etenim ejus nomen in utriusque Ecclesiæ catalogis frequenter occurrit. Diffitendum tamen non est de S. Florentino silere celeberrimos catalogos episcoporum Trevirensium, Prumiensem scilicet et Ghislenianum* (*i*). *Nihilominus ejus cultus, ut testatur Ghesquierus noster, extra dubium versatur* (*k*). *Memoriam Sancti* F *facit Ecclesia Trevirensis, etiam novissimis temporibus, (confer Proprium Trevirense Joannis Hugonis archiepiscopi), sed die, qua accuratius ejus episcopatus et res gestæ discuti poterunt* XVII *Octobris.*

Sergius dux et Margarita uxor ejus *hodie coli in ecclesia Montis Tumbæ dicuntur in Martyrologio, quod sub Canisii nomine vulgatum est. Ferrarius, cum minime verisimile æstimaret binos hos Dei servos cultu gaudere eadem die, qua solemnissime ageretur hujus ecclesiæ dedicatio, adscripsit ambos diei sequenti. Quare et nos horum conjugum sanctitatem et cultum ecclesiasticum examinabimus ad diem sequentem* XVII *Octobris.*

S. Vincentium Confessorem *refert hodie Hagiologion Franco-Galliæ ex antiquo Martyrologio excerptum, quod Philippus Labbe noster vulgavit* (*l*). *Hæc autem sunt verba :* In territorio Nivernensi sanctorum Vincentii et Salvii Confessorum. De *Sancto Salvio, quantum licuit, hac die agimus. Ille autem* Vincentius *Confessor idem est ac* S. Vincentius Confessor et presbyter, *qui in nonnullis codi-*

(*a*) Act. SS. Ord. Bened. sæc. III, part. I, p. 236. — (*b*) p. 86, not. g. — (*c*) Int. Bonif. LXXXIV, p. 243, serr. XL. — (*d*) Ib. XXXIII, p. 79, serr. CI. — (*e*) Act. SS. XVII Mart., p. 605 et seqq. — (*f*) Bonif. XXXII, p. 78, serr. XX. — (*g*) Baron. ad an. 725, §§ XXII et XLIV. — (*h*) Act. SS. Belg., t. I, p. 174. — (*i*) Ibid., p. 26 et seq. — (*k*) Ibid., p. 174. — (*l*) Nov. biblioth. Mss., t. II, p. 697.

cibus

A *cibus Usuardinis ad diem* XII *et* XIII *Martii annuntiatur, ut videre licet apud Sollerium nostrum ; et de quo in Martyrologio Autisiodorensi anni* 1751 *sub die* XIII *Martii. Eum quidem noverat decessor noster ad præfatum diem Prætermissorum catalogum texens, sed quoniam circa* S. Vincentium *ejusque cultum plus lucis affundi optaverat, de eodem agere neglexit. Quominus vero id ad præsentem diem faciamus, impedit alia quoque ratio, scilicet Sanctum illum in pluribus, iisque optimis Usuardi Auctariis apud Sollerium editis, in crastinum differi. Quapropter Nivernensium hagiophilorum operam exposcimus in sequentem diem* XVII *Octobris.*

S. Dulcidius *seu* Dulcissimus *episcopus Agennensis recurrit hodie in Martyrologio Parisiensi et Universali Claudii le Chastelain ; cum vero die sequenti colatur, ejus gesta pariter referemus ad diem sequentem* XVII *Octobris.*

S. Berarii Cenomanensis episcopi *memoriam recolunt hac die aliquot Usuardi Auctaria, sed perperam : pertinet enim ad sequentem, quo dabimus ejus acta, diem* XVII *Octobris.*

Gundisalvus de Lagos *in Alphabeto Augustiniano Thomæ Herreræ memoratur hodie, quo obiisse*
B *dicitur. Directorium liturgicum ad usum PP. Eremitarum S. Augustini, hodierno ob festum SS. Martyrum Africanorum impedito, beati viri festivitatem assignat in diem, quo ipsius Acta dabimus, scilicet* XXI *Octobris.*

Celiniam Viduam, matrem S. Remigii, *annuntiat, nescio qua de causa, recens editor Martyrologii Universalis Claudii Chastelain : etenim hæc Sancta pertinet ad diem* XXI *Octobris.*

Odam viduam Boggi Aquitaniæ ducis et S. Huberti amitam *laudatam hodie a recentiore editore Martyrologii Claudii Chastelain, signant pleraque documenta die* XXIII *Octobris.*

S. Bernardus Calvonius, Ordinis Cisterciensis, episcopus Vicensis in Catalaunia. *Hodie latum de eo texit encomium Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi : eum secutus est Tamayus in Martyrologio Hispanico, eademque vestigia relegerunt tum Kalendarium Cisterciense Romanis rubricis accommodatum, Parisiis anno* 1689 *jussu Abbatis Cisterciensis editum ; tum Claudius Chastelain, cæteroquin omnium accuratissimus. Verumtamen erronee id fieri videtur : nam in Ordine divini Of-*
C *ficii recitandi anni* 1720 *ad usum Cisterciensium Hispanorum occurrit* S. Bernardi *Calvonii festum die* XXVI *Octobris, quin tamen eo traductus ex alia die dicatur : laudatur quoque sub eodem* XXVI *Octobris Sanctus episcopus ab Hugone Menard in Martyrologio Benedictino ; et Antonius Vincentius Domenec, qui ex chartis authenticis concinnavit Vitam* (*a*), *tradit Sanctum obiisse die* XXVI *Octobris anni* 1243. *Qua in re eidem consentit laudatus Henriquez in fasciculo SS. Ordinis Cisterciensis lib.* II, *dist.* X. *Cum vero intelligamus ex scriptis Henriquez, Domenec, Tamayi et Manrique Annalistæ Ordinis, permulta de* S. Bernardo *superesse documenta tum in civitate Vicensi, tum in cœnobio SS. Crucium, instanter rogamus eos penes quos forsitan delitescunt, ut ea, saltem eorum apographa nobiscum communicare dignentur, ante diem, quo de Sancto agendum erit,* XXVI *Octobris.*

Gerardum abbatem Claravallensem VI *hodie vel alio die Sancti aut Beati titulo adornant quotquot novimus Martyrologia vel Kalendaria Cisterciensia, si tamen liturgica excipias. Ipse Claudius Chastelain, gravis et sagax rerum sacrarum indagator, eumdem Claravallensem abbatem hodie pro-*
D *ducit titulo Beati insignitum. Non dubitamus quidem Venerabilem gloria cœlesti gaudere, utpote qui pro justitia Christiana occisus feratur. Verum cum satis non sit vulgo credi aliquem superna beatitudine frui, ut secundum decretum Urbani VIII Beati vel Sancti titulo condecoretur, sed insuper legitimus ecclesiasticus cultus requiratur ; neque similiter sufficiat nude Martyrem esse, nisi simul sit Martyr vindicatus, licitum nobis non est* Gerardum, *qui utravis conditione carere videtur, Sanctis aut Beatis accensere et proin de eo extra Prætermissorum catalogum agere. Erat nobis certe in votis Acta Venerabilis viri referre ; quare nihil prætermisimus ut cultum aliquem publicum nobis ipsi probaremus. Verum quatuor, quæ invenire licuit sanctitatis vindicatæ argumenta, nimium manca sunt, quam ut votis nostris satisfaciant. Primum est Martyrologiorum et Kalendariorum auctoritas, de quibus Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum* 1177 *cap.* III, *num.* 10, *sic disserit :* Memoratur inter Sanctos illustres Ordinis ab omnibus antiquis et recentioribus, propriis et extraneis, ex
E quibus plures recensuit Henriquez in Menologio *ad* VII (*Decembris*), Hugo Menardus in suo Martyrologio (*ad eumdem diem*), qui et in notis ad compendium redegit Martyrium Sancti, Aubertus Miræus (*Orig. monast. lib.* V, *cap.* XV *et* XVII) et alii recentiores, nisi quod tamen in assignanda Decembris septima omnes Kalendarium nostrum Salmanticæ excusum sequuti sunt. *Sed horum testium auctoritatem elidit Martyrologium Cisterciense, quod ex definitione Capituli Generalis anni* 1601 *Romanis rubricis accommodatum et jussu abbatis Cisterciensis anno* 1689 *editum est. Duplex enim Sanctorum et Beatorum istic ordo prodit : prior eorum, quibus cultus ecclesiasticus competit ; alter vero, de quo in monito prævio dicitur num.* 11 : Subjecimus brevem quamdam virorum Ordinis Sanctitatis fama illustrium relationem ad ædificationem privatam eorum quibus non vacat legere operosum volumen Chrysostomi Henriquez. *Atque horum ne nomen quidem in choro recitabatur. Porro* Gerardus *noster ad* VII *Decembris in secundo ordine occurrit ; quod sane non accidisset, si abbas ille Claravallensis, Protomartyr Ordinis, cultu ec-*
F *clesiastico gavisus fuisset. Secundum argumentum sanctitatis ex inscriptione sepulchri deducitur, atque illud apud Claudium Chastelain tantum valuisse videtur, ut Gerardum Beatum dixerit* (*b*). *Uno scilicet sepulchro conduntur* Gerardus VI *et Petrus Monoculus VIII Clarævallis Abbates ; et ille quidem* Martyr egregius, *hic vero miraculis clarus obiisse scribitur* (*c*). *Verum cum hæc post annum* 1186, *quo Petrus Monoculus obiit, sculpta sint, atque tum jam obtineret declaratio pontificia Alexandri III anni* 1170, *qua cavebatur ne quisquam* pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ *haberetur* (*d*) ; *fit ut appellatio Martyris, nisi cultu longævo corroboretur, sanctitatis titulum non vindicet. Tertii argumenti loco est, quod sarcophagus a terra elevatus sit : etenim teste coævo, auctore Exordii Magni Cisterciensis* (*e*) sanctum corpus (Gerardi) ante fores Oratorii Clarævallis, in cellula quæ ob receptionem corporum sanctorum Confessorum Bernardi et Malachiæ constructa fuerat, in sarcophago super pavimentum exaltato conditum est. *Ast hanc sarcophagi elevationem annexam non habuisse qualemcumque canonizationem, inde liquet, quod S. Bernardus in eodem jacuerit usque ad an-*

(*a*) Santos y Varones ilustres del principado de Cataluña, p. 253. — (*b*) Martyrol. univ., p. 915. — (*c*) Gall. Christ., t. IV, col. 803. — (*d*) C. I de Reliq. et Ven. Sanct. (III. 45). — (*e*) Bibl. PP. Cisterc., t. I, p. 72.

num

A *num* 1174, *id est usque ad suam canonizationem* (*a*). *Quartum demum argumentum omnium validissimum, nihil tamen proficit; invocavere scilicet Clarævallenses monachi abbatem* Gerardum : *quod patet tum ex inscriptione sepulchri* (*b*), *qua de eo ac Petro Monoculo dicitur :* Hos apud Deum patronos habere mereamur; *tum ex epistola Richardi, monachi Alvertensis* (*c*), *in qua triplex miraculum eidem adscribitur. Ast hæc privatum, non vero publicum cultum arguunt. Plura de eo, si fas sit, ad diem* VII *Decembris.* D

(*a*) Act. SS. XX Augusti, p. 246.—(*b*) Gall. Christ. t. IV, col. 801.— (*c*) Apud Manriq. Annal. Cist. ad an. 1177, c. IV, n. 6.

DE S. BASSIANO, MARTYRE

SYRACUSIS IN SICILIA.

SYLLOGE.

B ANNO FORTE CCLXIX. S. Bassianus, *cultus Syracusis,*

Ferrarius, unus inter martyrologos, S. Bassiani *memoriam recolit, his ad præsentem diem in Generali suo Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, utens verbis :* Syracusis in Sicilia S. Bassiani Martyris sub Claudio imperatore, *qui ab anno* 268 *imperium tenuit. Neque dissonat Ordo recitandi divini Officii, in usum Patrum Siculorum Societatis Jesu anno* 1840 *excusus, in quo ad diem* XVI *Octobris pro diœcesi Syracusana legere est, festum* S. Bassiani *celebrandum sub ritu semiduplici. Officium vero est commune unius Martyris non Pontificis, Missa* Lætabitur, *cum Evangelio ex Missa* Sacerdotes Dei. *Atque hinc omne de cultu deque martyrio tolerato tollitur dubium. Quocirca recte hunc Sanctum distinxerunt scriptores Siculi ab alio S.* Bassiano, *cive Syracusano, atque episcopo Laudensi in Italia, cujus vitam ad diem* XIX *Januarii illustravit Bollandus, eum ex certis monumentis inter Confessores, minime inter Martyres referens. Sunt et alii Sancti, quibus* Bassianus *nomen est; quos tamen nemo, locum cultus et martyrii mente volvens, cum* S. Bassiano *Syracusano Martyre facile confundet.*

C *socios, de quibus non constat, natus,*

2 *Thomas de Angelo, e familia S. Dominici sacerdos, in suis Historico-criticis Ecclesiæ Siculæ Annalibus* (*a*) *inducit Octavium Cajetanum, qui S.* Bassiano *in Vitis Sanctorum Siculorum adjungat Sanctos Fabianum et Sabinianum; ternosque laudari affirmat a Raphaele Volaterrano in Anthropologia et a Leandro in Descriptione Siciliæ; quod quam rectum sit, indagare nequeo, cum triplices has scriptiones mihi deesse doleam : animadvertendum tamen Sanctos Fabianum et Sabinianum ipsi Cajetano aliquando tam obscuros factos fuisse, ut in Isagoge ad Historiam Siculam cap.* XXVI, *num.* 11 (*b*) *scripserit :* Post tempora Decii, Valerianique et Gallieni, novis Sicilia cladibus afflicta est, imperitante Claudio; cujus edictis plerique cruciati trucidatique, sed pene omnes in obscuro mansere : UNUS Bassianus ex oblivione vindicatus, qui constantia sua religionem, sanguine Syracusas condecoravit. *Atque hæc Cajetanus, postquam excusa jam esset ejus Historia Vitarum Sanctorum Siculorum, quam allegat Thomas de Angelo. Uterque ergo hic Sanctus in titulo non addendus visus est Martyri* Bassiano, *de cujus unius cultu certo nobis constat.* E

martyrium passus est circa annum 269.

3 *Consonant scriptores Siculi, quotquot legere licuit, in referenda* S. Bassiani *passione ad Claudii imperatoris tempora : recensuisse satis erit Rocchum Pirrum in Sicilia sacra de Syracusana ecclesia num.* IX, § IV (*c*), *Octavium Cajetanum in Isagoge, Thomam de Angelo et Ferrarium in operibus locisque citatis. Pirrus ex tabulis Syracusanis, Cajetano, Leandro et Alberto Picciolo annum* 270 *eo martyrio condecoratum fuisse statuit. Verum cum dies* XVI *Octobris* S. Bassiani *emortualis lux censenda sit, et imperator Marcus Aurelius Flavius Claudius, agnomine Gothicus, secundum communem chronotaxin quinque circiter mensibus ante Sirmii mortem oppetierit, præplacet vagum aliquantisper relinquere Martyris nostri palæstræ tempus; licet tres tantum fere annos imperium ille obtinuerit, et, ut recte annotat Thomas de Angelo, primis regni sui temporibus bello gerendo potissimum fuerit occupatus. Atque hinc neque omnino suffragari licet Thomæ, ad pontificatum S. Felicis Papæ I referenti Syracusanæ Ecclesiæ sub Claudio calamitatem; quoniam pro Papebrochii nostri in Propylæo Maii* (*d*) *catalogos Summorum Pontificum recensentis calculo, S. Felix Petri cathedram conscendit die* I *Januarii anni* 270; *neque audiendus est Ferrarius in annotatis ad Catalogum Sanctorum scribens,* S. Bassianum passum esse quo tempore Ecclesiæ Syracusanæ præerat S. Maximus. *Ast Rocchus Pirrus in citata Syracusanæ Ecclesiæ notitia non tantum huic Maximo substituit Eutychium, verum propositum a Ferrario hunc S. Maximum plane ignorat. Plura quæ de hoc Sancto certa aut verisimilia sint, assequi nequivimus.* F

(*a*) Pag. 87. (*b*) Burmanni Coll. Script. Siciliæ, tom. II, col. 117. — (*c*) Ibid. tom. II, col. 574. — (*d*) Pag. 38*.

DE

A D

DE S. CECRA ET CCLXX MARTYRIBUS

IN AFRICA.

J. V. H.

EX VARIIS MARTYROLOGIIS.

SÆCULO III VEL IV.

In omnibus Martyrologiis primariis, Beda excepto, occurrunt hodierna die Martyres CCLXX, ut dubium nullum sit horum memoriam traditioni antiquissimæ inniti. Imo, si Florentinio credimus, nec ipse Beda eorum laudes tacet, quos sequenti die recenset. Ast fallitur Florentinius, cum nihil de Martyribus nostris neque hac, neque sequenti die habeat Beda, quem consule ad initium tom. II Martii. Afros quoque esse Martyres nostros, omnes annuntiant, si Rabanum excipias, qui Asiæ illos tribuit, scribens (a) : In Asia natale Cereæ et aliorum CCLXX. *Opinatur Florentinius Rabanum quia* Ceream *vel* Cæcram, *quæ Asiana erat, conjunctam cum Martyribus repererat, in Asiam amandasse universam catervam ; eruditissimi viri conjectura optima esset, si certa constaret* Cæcræ *patria Asia, sed vel ipse conjecturam suam dubiam facit, dum in suo Martyrologio Hieronymiano ponit :* In Africa Cacræ (*Cecræ*) et aliorum pariter passio CCLXX. *Cui consonat Hieronymianum editum a Luca d'Achery* (b) : In Africa Cecræ et aliorum pariter passorum. *Romanum quoque parvum ex Bibliotheca Ottoboniana, quod in calce Adonis edidit Dominicus Georgius, Romæ anno* 1745, *habet :* In Africa natale Etcre (*Cecræ*) et aliorum Martyrum CLXX. *Ex quibus omnibus videtur incerta* Cecræ *patria, quam Notkerus distinguit a reliquis Martyribus et limpide ponit* (c) : In Asia Cereæ. In Africa CCLXX pariter coronatorum. *Cui aliquatenus consentit Notkero antiquior Wandelbertus in Martyrologio metrico, utpote qui, omissa Cecra, solum CCLXX pugiles memorat* (d).

Martyres, excepta Cecra, *Afros fuisse satis constat :*

B

ast minus certum quod Lepti passi fuerint ;

2 *Satis itaque liquet Martyres CCLXX Afros esse ; sed Maurolycus, quem secuti sunt Auctores Martyrologii Parisiensis anni* 1727 *et Antisiodorensis anni* 1751, *non solum Afros dicit, sed* Lepti *quoque passos commemorat ex vetustis codicibus, qui alios adhuc latuerunt.* Leptis *quidem duplex est* Magna *et* Parva : *illa quidem Tripolitanæ provinciæ metropolis ; hæc vero Byzacenæ civitas episcopalis, ut habet D. Ruinart in Victore Vitensi de Persecutione Vandalica. Verum siquidem Lepti passi fuerint Martyres, omnino* Leptis magna *tamquam palæstra assumenda est, cum adjungat Maurolycus* apud Leptim seu Tripolim, *quod cum Lepti magna unice quadrat. Id tamen probe cum Stephano Morcelli nostro animadvertendum, urbem* nullam tum temporis in Africa Tripolim fuisse (e); *sed Tripolitanæ provinciæ novem tres illius tractus urbes dedisse, Œam, Sabratam, Leptim magnam. E lectione Strabonis probabiliter vitiata, sunt qui censent Leptim magnam eamdem esse urbem ac Neapolitanam Provinciæ Tripolitanæ, etenim dicit :* Νεάπιλος ἡ καὶ Λεπτὶν καλοῦσι ; *sed præter vitium grammaticale, mendum obrepsisse suspicatur laudatus Morcelli, ac legendum censet :* Νεάπολις καὶ ἣν Λεπτὶν καλοῦσι (f). *Cæterum quæstionem dirimit Plinius ibidem citatus, cum diserte Leptim a Neapoli distinguat :* Ibi (*in Provincia Tripolitana*) civitas, *inquit,* Œensis. . . Oppida Neapolis, Taphra, Abrotonum, Leptis altera, quæ cognominatur Magna. *Distinctionem arguit quoque Morcelli ex eo quod Junius episcopus Neapolitanus post Œensem episcopum qui Sabratensis et Leptimagnensis vice tunc functus est, subscripsit Concilio Carthaginensi sub Cypriano anno* 256 (g). *Recte concluderet argumentum, si episcopi in dicto Concilio secundum ordinem Provinciarum subscripsissent ; sed inspicienti patet promiscue sententiam dixisse, ita ut* x *loco reperiatur Mommillus episcopus* Girbitanus, *Provinciæ Proconsularis, medius inter episcopos Numidiæ et Byzacenæ.*

C

omnium vero incertissimum tempus,

E

3 *Quo vero tempore martyrium passi sint CCLXX, longe difficilior est quæstio. Card. Baronius quidem arbitratur tempore persecutionis Vandalicæ passos, ejusque opinioni favent Romanum parvum quod Adoni in editione Georgiana præfigitur :* SS. Martyrum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et aliorum CCLXX pariter coronatorum Wandalica persecutione. *Ado quoque cujus initium ad verbum excerpsit Usuardus :* In Africa natale sanctorum Martyrum CCLXX pariter coronatorum, et sanctorum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus, *etc. Notkerum etiam patronum hujus sententiæ scribit Dominicus Georgius in annotationibus ad hunc diem ; sed nescio quo fundamento, quum in suo Martyrologio* (h) *diserte distinguat Martyres nostros a Martiniano et Saturiano eorumque sociis :* In Asia, *inquit,* Cereæ. In Africa CCLXX pariter coronatorum. Item Sanctorum Martyrum Martiani, Saturiani cum duobus fratribus, *etc. Quibus verbis, maxime interposita particula* item, *clare utramque Martyrum turmam distinguit Notkerus, quin tamen quæstionem temporis attingat.*

quod ad sæculum III, *vel* IV *restringitur.*

F

4 *Res confecta esset, nullusque dubitaret martyrium CCLXX pertinere ad persecutionem Vandalicam seu sæculum quintum, si tuto stare liceret, tacente Notkero, auctoritati horum Martyrologorum. Sed obstat imprimis ipsorum cum aliis Martyrologiis discrepantia, quum nude CCLXX ponunt, quin Martiniani ejusque sociorum mentionem faciant, ut patet ex Hieronymianis supra allatis ; dein cum Adonis et reliquorum narratio ex Victore Vitensi de persecutione Vandalica desumpta sit, solius martyrii Martiniani, Saturiani cum duobus eorum fratribus meminit Victor, non omissurus profecto triumphum CCLXX pariter coronatorum. Tandem, teste Sollerio nostro* (i), *in genuino textu Hieronymiano vix ulla est mentio Martyrum Afrorum in persecutione Vandalica, imo Florentinius ad hunc diem fatetur se hujusmodi mentionis non meminisse, unde sequitur Martyres nostros ante Constantinum passos fuisse. An vero tertio sæculo, ut in margine notant Martyrologia Parisiense et Antisiodorense supra laudata, non ausim decernere, cum nulla mihi occurrat ratio probabilis, cur eos tertio potius sæculo quam initio quarti passos fuisse asseram.*

(a) Canis. Antiq. Lect., t. II, part. II, p. 344. Edit. Basnag. — (b) Spicil., t. II. p. 20. Edit. Paris, an. 1723. — (c) Canis. Antiq. Lect., t. III, part. III, p. 180. — (d) D'Achery Spicil., t. II, p. 54. (e) Africa. Christiana, t. III, p. 320.— (f) Ibid, t. I, p. 242.— (g) Labbe, t. I, Conc. col. 786. — (h) Canis. Lect. Antiq., t. II, part. III, p. 180. — (i) Præf. Martyrol. Usuardi, p. XXXVIII.

DE

A D

DE SS. SATURNINO, NEREO, MIREO, AUFIDO ET SOCIIS CCCLXV MARTYRIBUS,

IN AFRICA.

J. V. H.

EX MARTYROLOGIIS.

SÆCULO III, VEL IV.

Florentinius luxatos suspicatur codices, qui hos martyres mira varietate referunt, ut vix reperiantur bini vel terni qui accurate inter se conveniant. Intricatam quæstionem facile solveret Tamayus in suo Martyrologio Hispanico, si tuto hunc ducem sequi liceret ; scribit enim :

Hi Martyres, perperam Hispaniæ adscripti,

Cluniæ in Hispania Citeriore Sanctorum Saturnini et Nerei cum CCCLXV sociis, qui pro Christi confessione in Diocletiani et Maximiani impia persecutione comprehensi gloriosum martyres compleverunt agonem. *Habemus palæstram martyrii Cluniam, coloniam Romanam in Hispania Citeriori, seu in Provincia Tarraconensi, ut habet P. Florez, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in suo eruditissimo opere* España Sagrada (*a*). *Habemus tempus martyrii, persecutionem Diocletiani et Maximiniani. Verum cum ipse Tamayus non alios fidejussores suæ annuntiationi præbeat quam Pseudo-Dextrum, ejusque sequaces aut commentatores, cordatus quisque ad fabulas amandandam censebit splendidam martyrii annuntiationem* (*b*).

B

ad Africam pertinent,

2 *His omissis, antiquiora et genuina Martyrologia adnotant hac die, licet cum aliqua inter se diversitate, SS. Martyres Saturninum et Nereum, quibus pleraque Hieronymiana addunt* Mireum *et* Aufidum. *Sic Martyrologium Hieronymianum Corbiense sæculi* XI *apud Lucam D'Achery* (*c*) : In Africa Cecræ et aliorum pariter passorum ducentorum septuaginta ; Merii, Aufidi. Saturnini, Nerei. *Aliud Martyrologium S. Guillelmi de Deserto seu Gellonense, quod ineunte sæculo* IX *exaratum est, apud eumdem Luc. D'Achery* (*d*) : Africa, Cecræ, Marei, Aufidi, Marianæ, Nerei. *Confusa hic duo elogia videntur : tum interpolatione* Marianæ, *quæ in Gellonensi sequenti turmæ, in aliis sequenti die cum* Nino, Victoria, Nobilitana *conjungenda esset ; tum omissione* Saturnini, *qui constanter in reliquis exemplaribus cum* Mireo *et Sociis laudatur. Cum vero Florentinius in suis codicibus Sanctos quatuor Martyres invenerit, nullus dubito* Saturnino *et* Nereo *Martyrologii Romani* Aufidum *et* Mireum *adnectere.*

C

3 *Sed quod Cardinalis Baronius adjiciat catervam CCCLXV martyrum, advertit Castellanus in suo Martyrologio universali gallice edito, Hieronymianos codices omnes tacere de hac numerosa cohorte CCCLXV. Quare et Florentinius facile inclinaret in sententiam hanc turmam eamdem esse cum Martyribus CCLXX de quibus supra jam actum est,* nisi, *ait,* Romani Martyrologii emendati auctoritas diversos hos esse suaderet, dum sejunctim ab illis et in alia classe reposuit, ex veteribus Mss., ut ibi addit Baronius. *Cæterum Martyres Afros fuisse, varia edicunt Martyrologia, tacentibus aliis, in quibus est Romanum : nisi fortassis particulam* item *pro* ibidem *interpretari luberet, quod tamen illo sensu non facile admittitur. Major est etiam obscuritas circa tempus passionis. Galesinius citans Victorem Vitensem de Persecutione Vandalica sæculo* V *martyrium illigat* ; sed hoc, *ait Baronius,* divinare est, cum nullius auctoritate probetur. *Porro cum ex Hieronymianis Apographis profluat hodierna annuntiatio, ante pacem Ecclesiæ sub Constantino Imp. redditam passos esse hos Martyres autumare licet. Propterea martyrium sæculo* III *vel* IV *accidisse opinor. Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, dicit* Saturninum *fuisse presbyterum ; sed, ut videtur, nullo nixus idoneo testimonio : unde plerique tacendo, hanc dignitatem S. Martyri abjudicant.*

eorumque passio ad sæculum III *vel* IV *referenda videtur.*

E

(*a*) T. XXIV, part. II, p. 126. — (*b*) Cfr. Nic. Antonii Censura de historias fabulosas, l. V, XII, § 6. — (*c*) Spicil., t. II, p. 20. Edit Paris 1723. — (*d*) Ibid. p 35.

F

DE SS. LEONTIO, DOMITIO, TERENTIO ET DOMNINO MARTYRIBUS, CULTIS A GRÆCIS.

SYLLOGE.

TEMPORE INCERTO.

Ecclesiæ Græcæ Martyrologium metricum, editum a Sibero, et e magnis Græcorum Menæis collectum, sacrum hodierno die exhibet manipulum, de quo alius Martyrologus, quem sciamus, nullus mentionem facit : adeo ut hic locus sit eæ Siberi assertioni, qua in præfatione sua notat Græcorum Martyrum absolutissimam memoriam in hoc Martyrologio metrico exhiberi ; adeo, ut quos omnes reliqui scriptores ignorant, his tantum atque unice reperiantur. *His autem Sanctis Græcis (e cultu scilicet Græci æstimandi sunt) hæc latina sunt nomina :* Leontius, Domitius, Terentius *et* Domninus ; *de quibus in laudato libro hos habes versiculos :*

SS. Leontius, Domitius. Terentius *et* Domnius *e solo Martyrologio metrico noti.*

Τρεῖς Λεόντιε τοὺς συναθλοῦντας ἔχων,
Λεόντιόν τι τῆς πυρᾶς ἄλλῃ μέσον.
Commilitones tres habet Leontius,
Leonis instar in rogi flammas ruens.

Atque hæc e Martyrologio metrico hausta Sanctorum Martyrum memoria, unicum nobis documentum est, quod eos a nobis oblivioni dari non sinit.

DE

A D

DE S. MALO EREMITA

SYLLOGE

E Menæis Græcorum aliisque fastis.

TEMPORE INCERTO.

In pluribus Kalendariis Græcis, quæ olim Mediolani a Papebrochio exscripta fuere, nunc autem in bibliotheca Burgundica regia Bruxellis asservantur, nuntiatur præsenti die S. Mali, *Patris, Eremitæ et Thaumaturgi memoria. Neque eam omisit Pater Sirmundus in collectione Ms. commemorationum Sanctorum, quos ab Ecclesia Græca coli nosset, quin tamen eorum nomen e vulgatis sibi innotesceret Menologiis. Inter Martyrologia impressa venit apud Latinos unum Universale Castellani Martyrologium, quod* S. Maleum eremitam, qui apud Græcos colitur, *commemoret. Apud Græcos autem disticho laudatur in Martyrologio Metrico, quod anno* 1727 *Urbanus Godofredus Siberus illustravit, Lipsiæque excudendum curavit; sonat autem id carmen in hæc verba :*

Illustratur S. Mali *memoria e Kalendariis*

B

Μαλὸς βραχεῖαν γῆς λιπὼν παροικίαν
Πόλου κατοικεῖν τὴν μακρὰν κατοικίαν.
Terræ relinquens hocce diversorium
Nunc incolit Malus poli palatium.

et magnis Menæis Græcorum.

2 *Paulo plura nobis subministrat Menologium Matthæi Raderi, ex magnis Menæis Græcorum collectum, quod olim descripsere decessores nostri, atque nunc loculo* 7883 *Bibliothecæ Burgundicæ gaudet :* Eodem die *(scilicet* XVI *Octobris)* S. Patris nostri Mali. S. Pater noster Malus, relictis opibus et cognatis in locis solis et desertis degens, jejuniis, vigiliis et omnibus aliis corporis afflictionibus gaudebat. Erat illi vultus semper lætus et gratiosus, signaque inusitata invocato Christi nomine perpetrabat, cum et elephantiasin (lepram) ab leprosis abstergeret, dæmones ab obsessis pelleret, cæcis solem reduceret. Et hæc quidem dum viveret agebat. Postquam ad Dominum emigravit, unguentum gratissimo odore fragrans ab ipso manabat, quod per gratiam Dei acceptam nullum non genus morborum, quomodocumque infestum persanavit. Nam glorificantes me, inquit Dominus, glorificabo, cui gloria et imperium in omnes omnium sæculorum æternitates. Amen. *Græce autem sic hæc sonant in Magnis Menæis :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαλοῦ. Οὗτος ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Μαλὸς, καταλιπὼν πλοῦτον καὶ εὐγένειαν, ἐν ἐρήμοις καὶ ἀοικήτοις τόποις προσεκαρτέρει, νηστείαις καὶ ἀγρυπνίαις καὶ πάσαις ἄλλαις κακοπαθείαις χαίρων. Ἡ δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἀεὶ χαροποιὸν. Θαύματα ἐξαίσια τῇ ἐπιβλήσει τοῦ Χριστοῦ ἐργαζόμενος, λεπροὺς καθαρίζων, δαίμονας ἀπολαύνων, τυφλοῖς τὸ βλέπος χαριζόμενος · καὶ ταῦτα μὲν ἐποίει ἔτι ζῶν. Ἀπελθὼν δὲ πρὸς Κύριον, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ τῇ γῇ καταλιπὼν, εὐώδε μύρον ἀπὸ τοῦ πηγάζειν, εἰς ἴασιν καὶ ἀποτροπὴν παντὸς ἐναντίου συναρτήματος καὶ νοσημάτων ἀνηκέστων ἐκ Θεοῦ χάριν εἴληφε. Τοὺς γὰρ δοξάζοντάς με, φησὶν ὁ Κύριος, δοξάσω, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος. *Plura de hoc Sancto, quæ ejus illustrent patriam, ætatem, solitariæ ejus vitæ locum et rationem, reperire non contigit : quocirca necesse nobis fuit ea in titulo omittere, quæ vulgo de Sanctis compendiose prædicantur.*

E

C

DE S. ELIPHIO MARTYRE,

F

PROPE TULLUM LEUCORUM IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De S. Eliphii nomine, memoria in Martyrologiis, et biographis.

ANNO FORTE CCCLXII.

S. Eliphius, *cujus nomen non græcum sed germanicum est,*

S Eliphius, *qui in agro Tullensi gallico idiomate* Eloph, *in diœcesi Carnotensi* Elis, *atque alibi a populo* Aloph *nuncupatur, ut Claudius Chastelain in Universali Martyrologio ejusque Supplemento idoneus testis est; in libris autem vetustisque documentis* Elifius, Elyphius, Elisius, Esitius, Alophius *scribitur, nomen suum secundum scriptores aliquot deducit e vocabulo græco* ἔλαφος, *quod cervum signat. Verum id nomen ad veteres septemtrionales gentes pertinet, ut ex multis antiquis monumentis colligere est; quorum unum, litteris exsculptum runicis, et a Perinskiold inter Monumenta Uplandica (a) relatum, satis fuerit allegasse. Inscriptus est hic cippus his verbis :* Ailifr auk Siguidur litu raisa stain iftir Vifast fadur sin; *quæ in præsenti Sueco idiomate sonant :* Elof och Sigwed lateo resa steen til æminnelse efter sin fader Wifast; *et latine :* Eliphus et Siguidus curarunt erigi lapidem post Vifastum patrem suum; *neque est quod littera* r, *veteri Suecæ,*

(a) Fol. 209.

A *præsentique Islandicæ linguæ communis, qua nomen Ailifr desinit, dubium creet ullum, quin* Ailifr *idem ac* Eliphius *sit; cum sequens qui a Peringskioldo exhibetur cippus, Vifasti filiæ nomen* Ailif *referat. Sitne vero id nomen compositum ex* ee *aut* e, *quod Wiarda in opusculo de Nominibus Germanis* (*a*) legem, jus, fas, fidem *interpretatur, qualiter in* Ewald *quod* jure potentem *indicat; an ex* aa, a, ea, ee, ei, *etc., quod* aquam *denotat; et ex* lib, liub, leof, lef, laf, *quod in nominibus juxta omnes* carum, amicum, *qualiter in* Theodleof, *et* Freotolof, *significat, judicabit ipse lector. Prius etymon faceret S. Eliphii nomen idem ac* justitiæ amicum, *alterum* aquæ amicum. *Cum* Egiluf *secundum Wiarda* (*b*) justitiæ amicum *quoque signet, videtur* Egiluf *idem esse ac* Eliphius.

diebus variis a variis nuntiatur martyrologis,

2 *Exulat porro id S.* Eliphii *nomen tum e Beda puro, tum ex Usuardo, tum ex Adone, verbo ex omnibus antiquis Martyrologiis; atque adeo ex Kalendario ecclesiæ Coloniensis sæc.* XIV, *quod Cl. Binterim edidit* (*c*), *abest* S. Eliphii *memoria. In recentioribus vero ad varios apparet dies. Imprimis ad diem* XXI *Junii ejus meminit editio Coloniensis*

B *et Lubecensis Martyrologii Usuardini, necnon Martyrologium Greveni, tertium quod Canisio tribuitur, et demum Kalendarium Coloniense confectum a Gelenio; quæ memoria orta forte est e depositione corporis in argenteo loculo, pluribus alibi explicanda. Ad diem* XI *Octobris Saussayus in Martyrologio gallicano latum de* S. Eliphio *elogium texit, nulli prorsus innixus rationi, quæ Sancti Martyris memoriam illi diei annectat. Diem autem* XVII *ejusdem mensis condecorat Sancti nostri encomio codex Usuardinus Hagenoyensis, citatus a Sollerio; neque hic abest error, quandoquidem certum est,* S. Eliphium *tum Coloniæ, tum Tulli die* XVI, *tanquam ejus in cœlis natali, coli. Nævi itaque expertes sunt Usuardini codices Ultrajectensis Leydensis, Aquicinctinus, editio Molani, aliaque Auctaria allegata a Sollerio; non secus ac codex Dervensis recentiori manu auctus, et adductus a D. Rouillart in editione Usuardi San-Germaniani, appendix Adonis, editi a Dominico Giorgi, Martyrologium Galesini, et Martyrologium germanicum, dictum Canisii; ubi* S. Eliphius *hodierna die celebratur. Surius quoque, Baillet, Albanusque Butler præsenti diei S. Martyris vitam in hagiologiis suis*

C *illigaverunt.*

in Martyrologio Romano memoriam nactus est, quam aliqui correctam vellent.

3 *Martyrologium Romanum, quod potissimum in assignando Sanctis suum quemque diem ducere nos par est, hodie item celebrat* S. Eliphii *memoriam in hæc verba :* Coloniæ sancti Elyphii Martyris sub Juliano Apostata. *Claudius Chastelain loco* Coloniæ *dicere mallet* prope Tullum, *quoniam hic cœlicam coronam meruit S. Martyr; illic vero præcipuæ tantum ejus Reliquiæ asservantur. Cæterum jam multis a sæculis ingens est in Martyrologiis varietas cum ad* S. Eliphium *devenitur; nam pleraque Auctaria Usuardi, quæ in Germania et Belgio usitata fuerunt, adstipulantur Martyrologio Romano : Gallica vero mentem sequuntur Claudii Chastelain, sanctique* Eliphii *memoriam agro Tullensi, aut Prato amæno alligant. Archiepiscopus Hydruntinus De Aste, in annotatis ad Martyrologium Romanum, potissimum expungi cupit hæc posteriora verba :* sub Juliano Apostata : *quod quo jure cupiat, videbitur inferius.*

4 *Quicumque ab ineunte sæculo* XVI *de* S. Eliphii *disseruerunt gestis, ut Baronius, Ruyrius, Gelenius, Usserius, Bailletus, Tillemontius, Calmetus aliique complures, non antiquiora præ manibus habuisse videntur Acta, quam quæ Rupertus, abbas Tuitiensis, circa annum* 1130 *conscripsit; quin immo Tillemontius in Historia Ecclesiastica* (*d*) *et Bailletus in notis ad vitam* S. Eliphii *autumasse videntur jam pridem periisse vitam, qua Rupertus in prologo apud Surium* (*e*), *se usum fuisse testatur his verbis :* Qui primus nostrisque temporibus longe anterior, martyrium scripsit preciosi Martyris Eliphii, fundamentum posuit : vos autem Fratres Carissimi, tu Pater Albane, tecumque tui spirituales filii, parvitatem meam superædificare compellitis. *At quali versarentur in errore jam pridem ostenderunt decessores nostri Constantinus Suyskenus ad vitam S. Libariæ die* VIII *Octobris* (*f*) *et Jacobus Bueus ad vitam S. Mennæ, quæ ad diem* III *Octobris* (*g*) *excusa est. Neque difficile eis erat illud negotium, cum in Musæo suo asservatum haberent geminum passionis* S. Eliphii *exemplar, alterum e Ms. vetusto codice S. Viti in Gladbach descriptum, et cum Ms. codice e cœnobio S. Magni Ordinis Canonicorum Regularium S.*

E *Augustini ad pedem pontis Ratisbonæ in Bavaria collatum. Reperimus hæc aliaque ecgrapha partim in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi, partim in abbatia Tongerloensi; atque adeo eadem typis expressa nobis exhibuerunt appendices, quæ Legendæ Aureæ, anno* 1483 *Coloniæ, et anno* 1485 *Lovanii excusæ, additæ fuerunt. Ex eodem fonte, non autem ex scriptione Ruperti, haustæ fuerunt lectiones de* S. Eliphio, *quæ Breviaria Coloniensia annis* 1481 *et* 1498 *excusa, et tertium Trajectense anno* 1518 *editum, capiunt; idemque affirmandum est de Vita* S. Eliphii, *quæ inserta est uberrimo Legendario Theotisco, anno* 1485 *Coloniæ apud Ludovicum Van Renchem impresso. Neque est quod dubitetur, quin hæc* S. Eliphii *Vita eadem sit, quam opusculi sui* fundamentum *nuncupat Rupertus : cum omnes præ se ferat characteres, quibus eam Tuitiensis abbas distinguit,* non satis jucundam *eam appellans,* neque satis idoneam propter nimiam simplicitatem : qui * rem gestam non solum suo splendore non exornat, verum etiam quasi quodam fumo aliquantisper obscurat. *Præterea cum ab eodem Ruperto* non... aliud inveniretur pertinens ad memoriam ejusdem Martyris... præter scriptum illud, *oportet omnino, ut*

F *non alia exstiterit Coloniæ, quam illa ipsa Passio, qua inter decantandum Officium utebantur, ut ex pristinis Coloniensibus Breviariis liquet. Atque hæc certum satis faciunt non periisse toties desideratam* S. Eliphii *Vitam, quæ præluxit Ruperto.*

* quod

5 *Cum autem num.* 2 *hujus Passionis* S. Menna sacra Virgo et monacha ad Porses condita *dicitur, conatus est Bueus in citato de S. Menna Commentario ætatem hujus scriptionis inquirere; hæc ejus sunt verba :* Cum itaque S. Mennæ corpus ad Portum suavem sub Brunone Tullensi episcopo ac Summo deinde Pontifice, anno supra millesimum trigesimo sexto, ut in decursu videbitur, primum translatum sit, consequens est, ut ante hunc annum scriptum suum non elucubrarit anonymus, atque adeo uno sæculo tantum Rupertum ætate superarit, licet hic illum se longe antiquiorem nominarit. Neque tamen multo post dicendus est, tum quod Rupertus, qui anno 1137, auctore Miræo, e vivis abiit, eum se longe antiquiorem nulla veri specie dicere alias potuis-

non diu post annum 1036 *scripta est.*

Vetus ejus Passio, quæ a pluribus perdita æstimata fuit,

D

(*a*) Pag. 47. — (*b*) Ibid. — (*c*) Part. I. Eccles. Colonienses. nov. et antiq., p. 353. — (*d*) T. VII, p. 353 et not. XII ad persecut. Juliani. — (*e*) T. V, p. 246. Edit. Colon. 1618. — (*f*) T. IV, Oct. p. 232. — (*g*) T. II, Oct., p. 150.

set,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A set, tum quod id suadeat codicis Ratisponensis, cui S. Eliphii Vita inserta est, vetustas, quam 700 facile annorum esse, conjecit, quisquis tandem in Ratisponensi apographo nostro locum, unde S. Eliphii Vitam accepimus, annotavit. *Neque iis Buei rationum momentis opponere fas est, Vitam illam interpolatam aut auctam aliquando fuisse; constare id ex codice S. Maximini Trevirensis, in quo reperire non est, quæ in aliis de Coloniensi* S. Eliphii *cultu asseruntur; eamque proin anteriorem esse anno* 963, *quo* S. Eliphii *corpus Coloniam translatum est. Evertuntur hæc quippe objecta ex hoc ipso Trevirensi volumine, quod non secus ac reliqua S. Mennæ translationis meminit. Ex hac itaque Mss. varietate id unum conjicere pronum est, Colonienses adjecisse* S. Eliphii *Passioni, ex agro Tullensi acceptæ, ea quæ ad civitatem suam pertinerent; atque inde centonem illum in plerosque codices admissum fuisse; Trevirenses vero Tullensi aliove usos fuisse Ms. a quo auctarium illud abesset. Cæterum quis eam* S. Eliphii *Vitam conscripserit, e nullis indiciis colligere licet: apparet id unum ex agri Tullensis accurata notitia,*

B *auctorem ad hunc pagum, minime vero ad Coloniensem civitatem pertinere. Quam sublestæ autem fidei sit integrum istud documentum, lectori deinceps satis liquebit.*

et præluxit Ruperto circa annum 1130 in adornanda comptiore Vita.

6 *Secundam Vitam, conscriptam a Ruperto, ad diem* XVI *Octobris fideliter edidit Surius, nihil eam stylo suo, ut plerumque assolet, reformans: quod quidem constat ex ejus collatione cum Ms. Coloniensi, quod nunc in bibliotheca Burgundica regia num.* 2381 *Bruxellis asservatur. Quo anno conscripta fuerit non apprime determinare licet. Initio prologi testatur se ad scribendum inductum fuisse ab Albano abbate, ejusque monachis. De hoc Albano pauca excerpam ex Catalogo abbatum S. Martini Coloniensis, quem inter multa chronica et varii generis instrumenta nobis procuravit vir de re nostra hagiographica optime meritus Antonius Binterim. Porro secundum hunc Catalogum Albanus ille anno* 1110 *ex monasterio Brawilerensi abbas postulatus fuerat. Anno* 1124 *occurrit ejus nomen in instrumento donationis, et in altero, quod ipse a Frederico Coloniensi archiepiscopo anno* 1130 *indictione* VIII, *regnante Lothario Piissimo Romanorum rege III, impetraverat. Ad hæc addit Catalogi scriptor:* Nec

C diu supervixisse videtur Albanus, hoc aut sequenti anno ad superos translatus. *Cui vero ad hæc asserendum innitatur fundamento, non indicat; quin in articulo de sequenti abbate Willelmo æstimat anno* 1136 *abbatiale pedum in nullius manu fuisse: cum nihil sit cur ab eo dissentiatur, Vitam* S. Eliphii *ante annum* 1130 *a Ruperto conscriptam fuisse cum eo statuendum videtur. Qualem vero operam præstiterit Rupertus ex ipsius prologo discere licet. Cum enim Vita, Monachis Coloniensibus et Ruperto Tuitiensi* usitata, non satis jucunda neque satis idonea æstimaretur propter nimiam simplicitatem, utpote rem gestam non suo exornans splendore, verum etiam quasi quodam fumo obscurans, firmum ac splendidum superædificare ædificium super hoc angustum ac tenue fundamentum *tentavit; quam in rem,* quatenus pulchritudinem materiæ non pauperaret penuria facundiæ, immo dignitatem rerum quasi coronando ambiret compositio, sive conveniens appositio sententiarum, *Coloniensium confidebat piis orationibus.*

7 *Hæc ille de seipso: quibus addere licet, stylum ejus revera comptiorem esse, periodis nonnumquam illigatum, et multo jucundiorem legenti. Historiæ vero ordinem atque ipsas res gestas, quantum per objectas sibi fabulas licuit, nonnihil illustravit. Pro more temporis sacra Scriptura in ornamentum vocata fuit; ipsa autem Historia Ecclesiastica tripartita, Socrates in Historia Ecclesiastica, et Vita S. Martini, commentarii materiam præbuerunt, atque ea subministraverunt facta, quibus* S. Eliphii *Vita cum universa Historia Ecclesiastica colligaretur; demum pristinum de* S. Eliphio *opusculum ita a Ruperto in usum adductum est, ut, si unum alterumve minimi momenti adjunctum excipias, Ruperti scriptio a priori scriptione non discrepet, quoad res a* S. Eliphio *gesta spectat; imo ut ipsa dicta quæ ab anonymo* S. Eliphio *tribuuntur verbotenus fere transcribat, laudabilissimo sane instituto; quoniam Martyrum verba quam maxime venerabilia sunt, ut Ruinartius in Præfatione ad Acta sincera Martyrum et Benedictus XIV lib.* I. *cap.* III *de Canonizatione Sanctorum, aliique pluribus explicuerunt. Cæterum Ruperti opus non dicendum est purius*

D *quam quæ ei præluxit Vita; licet Bailletus, qui numquam hanc Vitam viderat, id asserere non dubitavit. Quod vero magis mirum est, cum ille idem*

E *scriptor in notis suis præviis ad Vitam* S. Eliphii *declarasset Ruperti fœtum omni auctoritate carere, non alio tamen ipse utitur instrumento ad bene longam condendam Vitam; in qua quidem interdum a Ruperto discedit, at ut dubia aut mere putatitia dubiis aut falsis substituat; neque minoris proin auctoritatis est Ruperti scriptio quam scriptio Bailleti. Sunt et alii hagiologi qui Bailletum secuti sunt; sed dux cæcus in foveam deduxit sequaces.*

Rupertum, cujus sinceram operam male sprevit Bailletus, secutus est Bailletus ipsemet,

aliique, qui recensentur, biographi.

8 *Ante Bailletum nonnullæ aliæ jam conditæ fuerant* S. Eliphii *Vitæ; de his sermonem facit Calmetus in historia Lotharingiæ (a). Prima, quæ quatuordecim capita habet, Calmeto videtur scripta a Cl. Machon, cujus Ms. codicem exstare scribit in bibliotheca Cl. Seguierii; edita autem fuit ineunte sæculo XVI, et vix quidquam habet, quod alibi non occurrat. De reliquis sic loquitur idem Calmetus:* Vidi Vitam seu Encomium Historicum S. Eliphii, conscriptam a P. Adriano Capuccino, et anno 1721 Nancei excusum; decerpta hæc dicitur non tantum ex abbate Ruperto et Surio, verum etiam ex hujus Sancti Vitis, quas Cl. Vici Doctor S. Theologiæ in Facultate Parisiensi et Jacobus Trigeon Doctor in Facultate Remensi anno 1578

F Parisiensibus typis crediderant, et ex tertia quam Franciscus Henricus anno 1629 Nancei excudendam curaverat. At nihil in his reperi quam adjuncta quædam minus certa, quæ Ruperti narrationi superaddita fuerant. *Hæc Calmetus. Ad manus mihi est illa P. Adriani scriptio, et insuper alia, quam ignoravit Lotharingiæ historiographus: edita fuit Mussiponti anno* 1602, *eique auctor inscribitur M. P. M. C. D. S. E.; quibus siglis absque dubio signatur:* M. P. M. Curé de St. Elophe.

§ II. S. Eliphius non videtur mortis damnatus a Juliano, neque a Sallustio præfecto, sed ab ignoto, Juliani gratiam aucupante.

Julianus, qui S. Eliphium *mortis damnasse dicitur,*

Porro *cum ab his in Vitas seu Passiones* S. Eliphii *annotationibus stylum transferimus ad ipsa* S. Eliphii *gesta, discutiendum tantum in præsenti Commentario videtur, quis ejus martyrii auctor ex-*

(a) T. 1, col. 198 et seq.

stiterit.

A *stiterit. Sunt scilicet qui* S. Eliphium *ab ipso Juliano apostata mortis damnatum asserant, eisque omnino suffragantur vetusta Passio et reliquæ ex eo fonte haustæ ; sunt et alii qui S. Martyrem a præfecto Sallustio, Juliani apostatæ amicissimo, trucidatum statuant, sibique favere arbitrantur S. Hilarium Pictaviensem ; demum sunt et tertii qui* S. Eliphii *martyrium ad Juliani referant tempora, licet a se non assignari posse profiteantur, quis Juliani præfectus S. Martyrem trucidari jusserit ; eisque nos accenseri cupimus. Primam autem sententiam, quæ in vetusta Passione quam latissime diducta est, juvat paucioribus exponere, adhibito* S. Eliphii *elogio, quod in Auctario Usuardino Lubeco-Coloniensi ad diem* XV *Octobris ita sonat :* In prato amœno super flumen, quod Vera dicitur, inter Grandensem et Tulensem civitates, natale S. Eliphii martyris ; qui cum ferventer ea quæ sunt Christianæ fidei, Judæis et gentibus prædicasset, tandem sub Juliano apostata tentus et requisitus ut Christum negaret, respondit : Inimice veritatis et adversarie propiæ salutis, ad hæc utere consilio meo, et

B pœniteat te errasse, ut mortem æternam evadere possis. Audiens Julianus fremuit et jussit decollari, dicens : Nunc videbo, in quo Deus tuus prævaleat ; et capite truncatus, cum gloria et honore pretiose martyrium complevit. Quo facto, corpus exanime se de terra transtulit et caput amputatum ambabus manibus amplectens, et fere per miliare deportavit in montem excelsum quem antea suæ sepulturæ elegerat. Sed nunc in Colonia Agrippina, in monasterio Sancti Martini episcopi, per translationem requiescit. *Quæ ex Vita edenda contracta sunt.*

anno 361 palam Christianus adhuc erat, neque dein in agrum Tullensem venit.

10 *Verum universam hanc narrationem graviter quatit atque evertit Ammianus Marcellinus, comes Juliani et historiographus. Eo enim teste, cum Julianus anno* 360 *exeunte ab Attuariis debellatis rediisset, suisque cum copiis Viennam in Gallia convenisset, et totus in eo esset ut sibi adversus Constantium adsciscet vires ; tum ille imperii affectator* ut omnes nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, a quo jam pridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, aruspicinæ auguriisque intentus, et cæteris quæ deorum semper fecere cultores. Et

C ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit. *Hæc Ammianus de Juliano lib.* XXI *referens res gestas circa ineuntem annum* 361 ; *et Ammiano consentit Zonaras, a Tillemontio (a) citatus. Atque ex his sane testimoniis manifestum fit* S. Eliphium *a Juliano nihil fuisse passum, cum hic anno superiore in Germaniam profectus esset, ut idem Ammianus lib.* XX *tradit. At investigari potest num Julianus* S. Eliphium *capite damnarit, cum ipse, occiso Libinone, adversus Vadomarium Rheni ripas vastantem anno* 361 *profectus est. In promptu responsum est : vastabat scilicet ille barbarus Galliæ fines Rhetiam versus ; neque proin facile alicui persuasum iri confido, Julianum, qui, quantum in resistendo promptitudo valet, belle nosset, ita a rectiori via aberrasse, ut perrexerit Grandim, Tullum, aut Solimariacam, cum ei Vienna proficiscendum et Basileensis ager petendus foret.* Præterea, cum adulta jam æstate, compositis barbarorum trans Rhenum copiis, *(ut Zosimus (b) tradit)* velut ad profectionem longinquam omnem exercitum instrueret, *nondum hypocriseos larvam posuerat. Quod Ammianus lib.* XXI *nos quoque docet his verbis :* Incertus de militum fide, placata ritu SECRETIORE Bellona, classico ad concionem exercitu convocato, saxeo suggestu insistens, jamque, ut apparebat, fidentior, hæc clarius solito disserebat : jamdudum tacita, *etc. Et sequitur oratiuncula in qua bis de Deo disserit, nusquam de diis, et de paucis aliis, quæ Christianum non Idololatram sapiunt. Ab hoc tempore in Gallias non amplius reversus est Julianus, sed continuo per Alpes Illyriam petiit : unde in eum conjiciendæ non sunt capitis pœnæ a* S. Eliphio *petitæ.* D

Frustra huic sententiæ opponit Baronius Juliani litteras,

11 *Sed undique urgent adversarii : Baronius quippe animadvertit in notis Martyrologium Romanum* de Juliano, dum esset in Galliis cum exercitu, duo tempora distinguenda esse : prius cum se non tantum Christianum esse (ut scribit Ammianus Marcellinus) sacros Christianorum conventus adiens profitebatur, sed (ut scribit S. Hilarius contra Constantium) Catholicis adversus Arianos favebat ; posterius autem tempus, quando ab exercitu acclamatus imperator, exuens hypocrisim, palam deos gentilium coluit, ut ipse testatur in epistola XXXIX ad Maximum Philosophum, quam tunc scripsit cum adhuc esset in Galliis, quæ inter alia hæc habet in fine : « Deos publice et palam colimus, et totus meus exercitus pietatem amat, nos aperte boves immolamus, » *etc. Sed rite Franciscus De Aste, Archiepiscopus Hydruntinus in suis ad Romanum Martyrologium disceptationibus observat* prælaudatas litteras ad Maximum scriptas non fuisse in Galliis, sed quum ex ipsis Galliis ad Illyrios pervenisset, ut eruitur ex ipso Baronio ad annum 362 num. V, *in Annalibus*, re jam ultro citroque in apertum bellum disposita. E

Franciscus de Aste Zosimi asserta,

12 *Verum idem Hydruntinus Archiepiscopus cum auctoritate Baronii nos liberat, alio sibique proprio vinculo nos stringit, cum affirmat* Zosimum lib. III, adstruere his verbis : Julianum in Galliis publice immolasse. *At bona doctissimi viri venia objectum hoc solvere liceat. Erravit scilicet vir præclarus cum hæc non ex Zosimo, sed ex Baronio, in Annalibus minus fide Zosimi verba recitante, descripsit. Ecce enim quæ Zosimus lib.* III, *cap.* IX, *subdit, cum enarravit nuntiatum fuisse Constantio Julianum Imperatorem Augustum appellatum fuisse :* Κωνστάντιος δὲ εἰς τοσοῦτον ὀργῆς τε καὶ ἀλαζονείας ἠνέχθη, ὥστε πρὸς τοὺς πρέσβεις εἰπεῖν, ὡς προσήκει Ἰουλιανὸν τοῦ ζῆν ἀντεχόμενον ἀποθέσθαι πρὸς τῇ βασιλείᾳ καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σχῆμα, κατάστάντα δὲ ἰδιώτην ἑαυτὸν τῇ προαιρέσει τοῦ βασιλέως ἐκδοῦναι· μηδὲ γὰρ πείσεσθαι τι δεινὸν μηδὲ ἄξιον ὧν ἐτόλμησε. Ταῦτα ἀκηκοὼς Ἰουλιανὸς παρὰ τῶν πρέσβεων εἰς τὸ ἐμφανὲς ἐδείξεν ἣν εἶχε περὶ τὸ θεῖον προαίρεσιν, ἄντικρυς εἰς ἐπήκοον πάντων εἰπὼν ὡς τοῖς θεοῖς ἄμεινον ἢ τοῖς Κωνσταντίου λόγοις ἑαυτόν τε καὶ τὸν ἑαυτοῦ βίον ἐκδοῦναι. *Quæ sic latina facio :* Constantius vero ad tantam iram atque arrogantiam elatus est, ut legatis dixerit par esse ut Julianus, si vivere curaret, Cæsaris habitum una cum imperio poneret, et privatam vitam amplexus se arbitrio imperatoris traderet : neque enim quidpiam mali, vel iis quæ ausus fuerat digni perpessurum. Hæc cum audiisset Julianus ex legatis, palam suam de numine sententiam ostendit, coram, ita ut quisvis audiret, dicens se potius diis quam Constantio se suamque vitam crediturum. *Verum nihil in hoc Zosimi testimonio est, unde Julianus arguatur publice* F

(a) T. IV, p. 188, Hist. des Emp. — (b) Lib, XIII, cap. X, p. 137. Edit. Bonnensis.

in

A *in Galliis immolasse victimas ; sed id tantum inde colligitur, ei irato aut trepidanti excidisse verba, quibus apparet eum tunc temporis non sincero animo Christianum fuisse, qualis exterius et palam videretur. Cæterum cum Julianus anno* 361 *in hæc imprudentia verba solverit linguam, neque exinde Tullensem petierit agrum, non diutius iis immorandum est.*

Bueus S. Hieronymum,

13 *Sed ipsa Sanctorum acta respirandi spatium non faciunt : Bueus enim noster in vita S. Mennæ ad* III *Octobris* (*a*) *pluribus comprobare tentavit Julianum in Galliis publice idolorum cultorem exstitisse ; cujus sententiæ testem facit S. Hieronymum in Epitaphio Nepotiani hæc scribentem :* Julianus proditor animæ suæ et Christiani jugulator exercitus Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat. *Verum etiamsi S. Hieronymi auctoritas Ammiano præcellere deberet (quod cum de Juliani gestis agitur, admittere non licet) nihil tamen ex hoc S. Hieronymi testimonio confici posset; quoniam S. Hieronymus ex professo Juliani historiam hoc loco non digerebat, et potissimum quidem quoniam hæc negatio clanculo fieri potuit. At instat Bueus, publicam fuisse negationem asserens,*

B *quoniam* privatam jam ab annis duodecim *(imo decem)* fecerat, ut ipsemet scripsit ad Alexandrinos, cum nuper *(imo duobus fere annis post, ut docet Baronius ad annum* 361 § III) ad occupandum imperium e Galliis excessisset, cujus in Galliis commoratio sexennium non excessit. *Valeret apprime hæc probatio, si constaret Juliani epistolam et quæ includeret S. Hieronymo cum id scriberet perspectam fuisse, et S. Hieronymum non alludere ad verba quæ superiori numero ex Zosimo retulimus, aut ad aliquid simile quod nos lateat. Præterea quis noverit num S. Hieronymus Helvetiam Galliæ annumeret, quemadmodum Zosimus* (*b*) *Parisios oppidulum Germaniæ dicit? Quod quidem gravissime timeo, quoniam ea ejusdem phraseos pars, qua Julianus* Christum in Media sensisse *dicitur, nonnihil suspecta est : nam si Tillemontii dicta, genuinis innixa fundamentis, cum tabulis chronographicis Asiæ, a celeberrimo Klaproth confectis, conferam, potius in Assyria aut Armenia meridionali, quam in Media, Julianus Christum sensisse dicendus videtur. Atque hæc satis sunto, quoniam fiducia est neminem obscuro S. Hieronymi testimonio usurum esse, ut claram Ammiani Marcellini, ex professo Juliani historiam describentis, auctoritatem neget.*

C *et litteras Juliani ad Athenienses.*

14 *At Ammianus non audiendus est, scribit idem colendus mihi decessor, atque hujus assertionis quatuor rationum momenta adducit, quarum brevitatis causa unam tantum, sed gravissimam recensebo :* Julianus *scilicet* in epistola ad S. P. Q. Atheniensem, in vivis adhuc agente Constantio, scripta, suam a fide Catholica defectionem aperte profitetur, ut hac in re minime audiendus videatur Ammianus, dum lib. XXII, cap. V, ait Julianum tum primum pectoris sui arcana patefecisse, cum mortuo Constantio, solus universo potiretur imperio. *Accusatio non mollis, sed specie tenus tantum : Zosimus enim* (*c*) *aperte declarat litteras ad Athenienses tantum datas fuisse post egressum e Galliis : atque hæc non absona sunt ab his quæ tradit Marcellinus loco citato, ubi hæc, non alia invenio verba :* Et quanquam a rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paulatimque adolescens desiderio rei flagrabat, multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissime. Ubi vero, abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi quæ vellet advertit, sui pectoris petefecit D arcana : et planis absolutisque decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri, et reparari deorum cultum statuit. *Ubi duo advertenda sunt : prius nempe, hoc loco Marcellinum in pingendis Juliani moribus esse ; quocirca minime hæc referenda sunt ad ultima Juliani tempora, de quibus hoc libro jam sermo fit; sed ad totam Juliani quasi vitam. Alterum vero illud :* abolitis quæ verebatur, *male verti a Bueo his verbis :* Constantio mortuo ; *quoniam, dum id valeret si de alio quam de Marcellino ageretur (plurimi enim historici deducunt a Constantio Juliani timorem) minime in Marcellino admitti potest, qui, ut verbis num.* 10 *recitatis patet, Juliani timorem ex eo ortum declarat, quod plerique milites, sub ipso merentes, Christiani erant. Reliqua autem quæ opponit Bueus facile diluuntur tum ope tabulæ geographicæ, tum his quæ superioribus numeris attulimus. Atque hæc satis esse arbitror, ut deserenda videatur hæc prima sententia,* S. Eliphium *ab ipso Juliano capitis damnatum fuisse, utque maxime stylo verso digna censeantur quæ anonymus Passionis auctor de lege adversus Christianos, a Juliano in Galliis degente lata, deque* S. E Eliphii *interrogatorio conscripsit.*

Neque asseri potest Sallustium sæviisse in S. Eliphium;

15 *In Annalibus ecclesiasticis* (*d*) *celeberrimus Baronius cardinalis, primum opinandi modum a se aliquando in notis ad martyrologium Romanum propugnatum missum faciens, secundum his prodit verbis :* In Galliis ubi præfecturam gessit Sallustius, Juliano omnium carissimus, ob idque Christianorum acerbissimus hostis, passos reperimus quatuor Germanos Eliphium Tullensem virum, ejus fratrem Eucharium Episcopum, et sorores Libariam, atque Susannam, ut eorumdem martyrum acta *(Rupertiana nempe)* significant; at perperam, mea sententia, dicuntur consummasse martyrium dum Julianus adhuc cum exercitu in Galliis moraretur. *Hæc doctissimi Cardinalis opinio, quam inferius num.* 260 *confirmare tentat ex S. Hieronymo asserens S. Hilarium Episcopum Pictaviensem libello nunc deperdito exagitasse Sallustium hunc, sive Dioscorum vicem ejus gerentem. Verum audiendus est Tillemontius hanc annalistæ sententiam, quam Adrianus Bailletus et Butler secuti sunt, omnino labefactans et subruens aut saltem quam maxime incertam faciens :* Baronius, *inquit criticus Gallus,* inductus fuit ad credendum Sal- F lustium Galliarum præfectum aut Dioscorum vices ejus gerentem, Christianos insectatum fuisse testimonio S. Hieronymi, asserentis (*e*) scriptionem a S. Hilario editam fuisse adversus præfectum istum aut adversus medicum nomine Dioscorum. Debilis est hæc probatio, cum conditio medici cum vices gerentis munere nil commune habeat, unde illa in unum confundantur, et cum S. Hilario aliæ de Sallustio conquerendi causæ præter persecutionem Ecclesiæ esse potuerint : cæterum non videntur Christiani soliti fuisse scriptis lacessere magistratus gentiles, qui fidem suam abolere studerent. Præterea ubi alii in S. Hieronymi scriptis legerunt : « adversus præfectum Sallustium sive contra Dioscorum, » Miræus edidit (*f*) « ad Præfectum. » Et reapse multo pronius erat scribi : » adversus Sallustium et Dioscorum. » Versio autem græca suffragatur editioni Miræi, πρὸς Σαλούστιον, ἤτοι κατὰ Διοσκόρου, ad Sallustium seu contra Dioscorum. S. Hieronymus ejusdem Hilarii scriptionis mentionem faciens, eam adversus Dioscorum confectam ait, si-

(*a*) T. II, Oct., p. 155. — (*b*) Lib. III, cap. IX. — (*c*) Lib. III, cap. X. — (*d*) Ad annum 362, § CCLVI. — (*e*) Hier. de Vir. ill. c. 100. Ep. 84. — (*f*) Pag. 30. Conf. annotata Fabricii ad cit. S. Hieronymi locum. Edit. Hamburg. 1718, p. 188.

lens

A lens eo loci de Sallustio. *Atque hæc Tillemontius Sallustianam persecutionem diluens.*

qui tamen Juliani temporibus martyrium passus censendus est.

16 *Verum licet Julianus ipsemet* S. Eliphium *martyrum nece non affecerit, et dubium incertumque omnino sit generalem persecutionem adversus Christianos a Sallustio præfecto commotam fuisse, adhærendum tamen videtur antiquissimæ Tullensi traditioni, quam ipse Tillemontius plane non sprevit, referendumque istud martyrium ad Juliani tempora. Verisimile enim est plures fuisse inter magistratus copiarumque duces, ab imperatore illo in Galliis relictos, eove deinceps destinatos, qui ut principis gratiam sibi demererent, boni consuluerint ejus adversus Christianos odium induere, eosque ultimis afficere cruciatibus. Cui sententiæ pondus suum addunt non tantum quæcumque de* S. Eliphio *supersunt monumenta, verum etiam populares traditiones de aliis Sanctis pluribus; qualis est S. Bolonia, de qua continuo post* S. Eliphium *dicendum est. Et quidem persecutionis gladius potissimum in Campania Lotharingiaque, ad quem terræ tractum Tullensis ager pertinet, id temporis sæviisse videtur. Nuspiam enim plures reperiuntur Martyres, quorum palæstra ad Julianum referatur. Pro his itaque conjecturis statuendum est,* S. Eliphium *anno* 382 *aut sequenti martyrii coronam nactum fuisse. Dubium autem moveri potest nullum de loco, ubi Christi athleta animam pro Deo posuit; quoniam sexcenta de eo supersunt indicia, quæ immemorabilis cultus sacra fecit, ut in sequenti § satis superque manifestum fiet.*

B

§ III. De cultu S. Eliphii in Gallia.

In paræcia S. Eliphii insigne ejus nominis est templum,

In præsenti § de cultu S. Eliphii *dicturo, exordium ducendum videtur ab ipso loco, ubi* S. Eliphii *sacræ exuviæ primum conditæ fuerunt. Accepit autem is locus suum nomen ab ipso Sancto et gallice vulgo dicitur* St.-Elophe, *jacetque ad dextram Veræ* (le Vair), *ubi rivus hic secatur veteri via militari romana, novaque regia, quæ Neocastrum* (Neufchâteau) *Nanceo* (Nancy) *alligat. In præsentia complectitur hæc paræcia vicos quatuor, primum a Sancto Eliphio nuncupatum,* 125 *habentem incolas, secundum* Brancourt *civium* 400, *tertium Solimariacam* (Soulosse) 150 *frequentem, et demum* Fruse *ex* 140 *inquilinis constantem. Templum, S. Martyre nostro patrono gaudens, quod in primo vico est, olim celebratum jam fuit a Ruyrio in Sacris Antiquitatibus Vosagi* (*a*), *a P. Benedicto Tullensi Historiographo* (*b*) *et in Breviario Tullensi anni* 1748. *De præsenti autem ejus conditione non secus ac de aliis monumentis, plura didicimus ex eruditissimis litteris, quas nuperius ad nos dedit Cl. V. Augustus Digot ex Academia Stanislai Nanceensi. Imprimis in hoc Sancti* Eliphii *templo, quod in monte exstructum est, plures exstant cælaturæ, quibus Sanctus mitra redimitus exhibetur; vulgo creditur* S. Eliphius *is esse; at præplacet sententia, quæ S. Eucharium, quem* Eliphii *fratrem et Grandensem episcopum fuisse tradunt, hac forma fingi statuit. In choro sepulcrum* S. Eliphii *est, ad quod gradibus nonnullis descendere licet. Consurgit super eo, septem minoribus columnis sustentata, statua S. Martyris, veste sacerdotali seu potius dalmatica (volunt nempe eum fuisse archidiaconum) induti, suisque manibus abscisum caput gerentis; qui unus ejus effingendi modus est. Baculum brachio sinistro ad latus stringit, leonemque ad pedes jacentem habet. Inscribitur tumulo :*

C

Sepulcrhum
D. Eliphi Martyris
an. 459.

Hæc autem inscriptio duplex mihi parit dubium. Etenim loco an. 459, *ut exscriptum fuit, legendum videtur* an. 359, *quo Julianus per Tullensem agrum transiit; dein minime videtur ille lapis antiquus, quoniam illud* D., *quo* Divus *designatur ad recentiora tempora pertinet, ut colligere licet ex Benedicto XIV in opere de Canonizatione Sanctorum* (*c*) *et ex Cardinali Bellarmino in recognitione librorum suorum* (*d*). *At hæc de debili hujus monumenti auctoritate notasse satis erit. Columnis autem, quibus* S. Eliphii *effigiem fulciri diximus, insculpta sunt anaglypta, quibus exhibentur attributi* S. Eliphio *frater et sorores Eucharius, Libaria, Susanna, Menna, Oda et Gontruda. Septimus forte alter ex parentibus est. Ornatum olim erat id* S. Eliphii *templum tabulis plurimis ad murum pictis; quarum quæ una ad fontes baptismales superest, proponit* S. Eliphium, *viros permultos ab idolorum cultu ad Christi sacra traducentem. Ei apponitur hæc inscriptio :*

D

E

Julien Empereur apostat fait
camper son armée à Soulosse
où il apprend que St Elophe par
un seul de ses sermons avoit
converty à la foy de Jésus-Christ
236 payens.

Atque hæc de illo olim pulcherrimo templo, quod ab exeunte sæculo superiore nonnihil passum fuit.

sacrarium cathedræ S. Eliphii,

18 *In vicinia supersunt et alia plurima monumenta, quæ satis habeo recensuisse, quoniam ex edenda inferius Passione facile erit unicuique determinare, unde ortæ sint quæ illis annectuntur populares traditiones, et quam parum hæ ipsæ nedum tutæ, sed minime credibiles sint. In templi itaque cœmeterio jacet ingens lapis impolitus, cui insedisse adstruit P. Adrianus Capuccinus Nanceensis* (*e*) *B. nostrum Martyrem, cum caput abscissum in montem deferret, et ex quo pii peregrini frustula decerpere consueverunt. Circumdatus est ædicula, quod* Sacrarium Cathedræ S. Eliphii *dicitur. Paulo inferius rupes,* anno 361, *quem* S. Eliphii *emortualem putarunt, notata, cernitur; in qua post mortem Sanctum se abscondisse narrat Passio vetusta, quoniam, ut addunt biographi Machon citatus a Calmeto* (*f*), *parochus Sancti* Eliphii (*g*) *et P. Adrianus Capuccinus Nanceensis* (*h*), *Julianus jusserat ut sui eum sequerentur milites et igni truncatum ejus corpus traderent.*

F

fons S. Eliphii et sacellum sacræ spathæ,

19 *Medio fere montis clivo, inter* S. Eliphii *templum et Solimariacam ad collis radices jacentem, alius est locus, cui popularis quoque annectitur historiuncula, omissa in Passione vetusta, in reliquis vero biographiis explicita. Fons ille elicitus dicitur baculo* S. Eliphii, *cum abscisso capite in montem pergentis. Ei etiamnum adjacet lamina triangularis ferrea, cujus P. Adrianus Capuccinus anno* 1721 *jam meminit, quæque contegere dicitur aliquot Eliphiani sanguinis guttas. Eam circuire in more est inter peregrinantes; unde paulatim circumcirca excavatum est saxum. Ad imum montem juxta rivum Veram ædicula consurgit, quam idem P. Adrianus* Sacellum decollationis Sancti Eliphii *appellat, populus vero* Sainte Espalotte, Espaiotte, Epagnotte, Epéotte. *Credebat populus, cum biographus Ma-*

(*a*) Pag. 296. — (*b*) Hist. de Toul, p. 212. — (*c*) Lib. I, cap. 37, num. 7. — (*d*) Sub initio, t. I. — (*e*) Eloge Histor., p. 73. — (*f*) Hist. de Lorraine, t. I, col. 198. — (*g*) Vie et Martyre, etc., pag. 12. — (*h*) Elog. Historique, etc., p. 49.

chon

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A chon S. Eliphii *Passionem scriberet, ita designari famulam* S. Eliphii; *verum recte animadvertisse videtur Calmetus* (*a*) *vocabulum illud derivatum esse a* sacra spatha *(ensis); et quidem scripsit ad nos laudatus D. Digot sacellum illud istic quoque dici* la chapelle de la sainte épée. *Inscribitur huic æ-diculæ annus* 1614, *quo exstructa fuit, et continet lapideum anaglypton, duo metra (si hæc vox ferat-ur) longum et sesqui metrum porrectum in altitudi-nem. Videre in eo est exsculptum templum* S. Eliphii, *sacellum sacræ Spathæ, virginem seu angelum palmam manu tenentem (unde fors rumor de* S. Eliphii *famula manat), illudque victoriæ signum de-ferentem ad S. Martyrem;* S. Eliphium *dein ba-culo suo munitum et cum abscisso inter manus capite pergentem ad clivum, eumdem postea genibus posi-tum gladiique subeuntem ictum, et sexto demum Ju-liani imperatoris tribunal, cui adstat* S. Eliphius, *a quatuor militibus custoditus.*

necnon ma-ceries S. Eli-phii, pleræ-que piæ sta-tiones.

20 *Inde si pedem ad sinistram rivuli Veræ trans-ferimus, in Solimariacam incidimus; ubi his etiam temporibus ostenditur locus, quem* S. Eliphii *mace-riem* (Masure de S. Elophe) *populares appellant,*

B *et domum arbitrantur* S. Eliphii *parentum, quos Baccium et Lientrudem* (*b*) *nominatos fuisse volunt. Excluditur tamen is locus e stationum numero, ad quas jam anno* 1721 (*ut P. Adrianus testis est*) *preces fundere solebant pii peregrinantes, et adhuc in præ-sentia fundere auctor nobis est D. Digot. Prima scilicet statio est sacellum sanctæ spathæ; secunda, fons* S. Eliphii; *tertia, rupes qua S. Martyr absconditus est; quarta, ædicula cathedræ* S. Eliphii; *quinta fit coram sacris Patroni Reliquiis; sexta de-mum, ad ejusdem sepulcrum.*

Celebris ibi est peregri-natio,

21 *Pius mos ad* S. Eliphii *præcipuum templum peregrinandi floruit floretque ab immemorabili tem-pore inter Lotharingiæ Campaniæque incolas, qui a podagra, calculo, febri aliisque morbis divinitus liberari cupiant, ut testis est Ruyrius* (*c*) *et P. Adri-anus* (*d*); *atque olim* (*e*) *et etiam nunc quam pluri-mi profitentur cœleste se illic experiri auxilium, ut Cl. Digot ad nos rescripsit. Reperio tamen unum tantum divinæ hujus opis specimen, quod latius ex-plicetur a biographo* S. Eliphii, *quem homonymi vici parochum sæpius diximus. Testatur id se pro-dere ex commentario, qui a notario publico signa-tus in templi archivo asservabatur. Anno scilicet*

C 1463 *vir nomine Remigius Petit, alias Senot, or-tus ex vico* Gray *ad Ararim fluvium, septem annos incurabili laborarat morbo. Qui cum inaudisset plura miracula, quæ ad* S. Eliphii *sepulcrum fierent, voto se adstrinxit ad peregrinationem instituendam, atque illico melius se habere sensit, et omnino se sa-natum vidit, cum S. Martyris templum ingressus, ejus incubuisset sepulcro quod in choro est, suam-que absolvisset orationem. Ille idem cum domum es-set redux, moribundam invenit suam filiolam; quo-circa novo peregrinationis voto nuncupato, continuo validam vidit puellam.*

quam olim participa-bant Ruppen-ses.

22 *Particeps autem olim erat vicina paræcia* Ruppes *pii hujus accolarum concursus. Quotannis (quo die nescio), consentiente episcopo Tullensi, conveniebant Ruppenses supplicantium ordine ad* S. Eliphii *templum, B. Martyris conquisituri Reli-quias. Earum restituendarum vades fiebant præci-pui e Ruppensibus, in quorum præsentia recognosce-bantur sacræ exuviæ, sigillum renovabatur et gesto-rum scribebatur commentarius. Deferebatur dein pium pignus in Ruppense templum, ubi integrum octiduum populorum pietati exponebatur; eo exple-to, reportabatur a supplicantium agmine feretrum, et denuo multa solemnitate recognoscebatur. Hæc non amplius fieri scripsit ad nos sæpe laudatus Cl. V. Digot, et peregrinorum cohortes, quas vulgo processiones dicimus, nunc ad unum* S. Eliphii *templum pergere; quod maxime obtinere locum, cum calamitas aliqua in vicinam regionem ingruit.*

D

Sacræ S. Eli-phii reliquiæ minuuntur, bis violantur ab hæreticis et sæpius

23 *Sacræ autem Reliquiæ, quæ in* S. Eliphii *templo asservantur. constant ex aliquot tantum mi-noribus ossibus, quæ istic relicta sunt, cum circa annum* 963, *ut inferius manifestum faciemus, S. Geraldus Tullensis episcopus totum fere S. Marty-ris corpus S. Brunoni, Coloniensi antistiti, et ma-gni Ottonis germano, concessit; quæ concessio quan-tum desiderium crearit universis Tullensibus testa-bitur inferius scriptor indigena, qui circa annum* 978 *miracula S. Apri collegit. Quæ autem superer-ant ossicula inclusa fuerant pyxidi, quam hæretici e Germania in Lotharingiam irrumpentes prius an-no* 1587 *fregerunt, argenteisque ornamentis spolia-runt, ut in Historia Tullensi tradidit P. Benedi-ctus. In templo tamen ab iis relicti sunt sacri pul-veres, quos nova dein theca clauserunt. Hæc aliaque*

E *valuerunt, ut Sancti* Eliphii *templi accolæ nihil deinceps prætermiserint, ut integrum sibi servarent sacrum thesaurum. Quocirca* cum anno 1612, *sic scribit Ruyrius* (*f*), Tullensis episcopus Joannes Porcelet de Maillan, vir multis meritis præcla-rus, diœcesim suam obiret, et rescire vellet quid reliquiaria contineret capsa, plebecula indiscreto zelo excita (verebatur scilicet ne quid de sacris exuviis auferretur) magnum in templo suscitavit tumultum; adeo ut præsul in sacro suggestu la-titare coactus fuerit, ne vesano horum hominum furori obnoxius esset; quæ inverecunda Sant-Eliphiensium audacia interdicto punita est. *Hæc sibi asseveranter ita narrata fuisse subdit Ruyrius. Adjuncta quædam alia in Ruyrii narratu omissa, quæ incolarum timorem furoremque explicant, sub-ministravit nobis Cl. V. Digot. Dum scilicet in templo esset episcopus, venit forte ad* S. Eliphii *sup-plicantium Neocastrensium agmen; quos particulas S. Martyris Reliquiarum conquisituros arbitrati, Sant-Eliphiani et Brancurtenses, lapidibus eos adorti sunt et in fugam verterunt.*

juridice visi-tantur.

F 24 *Iidem tamen patroni sui zelatores propellere nequiverunt injuriam, aliquot annis post ejus Reli-quiis illatam. Sueci quippe anno* 1633, *ut P. Be-nedictus in Historia Tullensi refert, dum in Lotha-ringia versarentur, denuo argento spoliarunt sacram lipsanothecam, quin tamen S. Martyris ossa de-struxerint. Pium thesaurum anno* 1688 *recognovit episcopus designatus Tullensis Thiard de Bissy, jussitque ut ossicula pyxidi stanneæ, panno serico rubro vestitæ, insererentur; in qua ad hodiernum usque diem recondita jacent. Sæpius dein recognita fuere; sed de una recognitione satis erit dixisse. Die nempe* XIV *Novembris anni* 1690 *pium pignus im-ponendum erat ditissimo feretro, quod Simon Sal-let, Dominus de Lifou et Vilouxel, thesaurarius generalis Lotharingiæ, dono dederat; quocirca jus-serunt Vicarii generales capitulares Tullenses de l'Aigle et Menget, ut S. Martyris exuviæ exami-narentur denuo. Nondum quippe designatus episco-pus Thiard de Bissy institutionem canonicam a Pontifice supremo acceperat propter notissimas, quæ tunc inter sedem Romanam et Ludovicum XIV ar-debant lites: unde perplexam illam administratio-*

(*a*) Hist. de Lorraine, t. I, col. 198. — (*b*) Ruyr, Antiq. des Vosges, p. 295. — (*c*) Op. cit., p. 296. — (*d*) Ibid. p. 60. — (*e*) Ibid. p. 59. — (*f*) Antiq. des Vosges, p. 296 et seq.

nem

A

nem patiebatur Tullensis diœcesis. Hæc de monumentis S. Martyris, quæ in ipso passionis loco supersunt.

Neocastri et Tulli servabantur olim sacri aliquot S. Eliphii *pulveres;*

25 *Teste P. Benedicto* (*a*) eminebat *olim* oppidum Neocastrum (Neufchâteau) sua in S. Eliphium pietate; quem in publicis necessitatibus potissimum invocabat. *Verisimillime promota fuit plurimum hæc religio, quando superiori sæculo, ut scripsit Cl. Digot, ad nobilem fœminam, consanguineam unius ex ultimis archiepiscopis electoribus Coloniensibus, et nomine, ut videtur, Dessolles missæ fuerunt aliquot sacræ particulæ, quæ dein paræciæ Sancti Nicolai Neocastrensi donatæ fuerunt. Quæ anno* 1763 *gesta fuisse videntur, cum in Breviario Coloniensi anni* 1780 (*Coloniam scilicet pleraque* S. Eliphii *ossa olim transvecta fuisse videbimus inferius*) *legatur :* Arca... sæculi decimi octavi anno sexagesimo tertio denuo aperta, et extracta fibula pedis sinistri in Lotharingiam deferenda... *Nunc vero, ut rescripsit Cl. V. Digot, Neocastrensis ille cultus fere nullus est. In pristino templo cathedrali Tullensi ab anno circiter* 963 *asservabantur ante tumultus Gallicos, teste P. Benedicto* (*b*), *particulæ*

B

aliquot e corpore S. Eliphii; *at nunc, ut ex litteris parochi archipresbyteri hujus templi intelligo, nihil de iis illic amplius superest, nequidem prisca de iis instrumenta. Sed alibi plura de* S. Eliphii *sacris exuviis.*

et plura templa ejus patrocinio,

26 *Præter paræciam* S. Eliphii *sunt et alia plura templa, quæ* S. Eliphio *patrono gaudent. Vetus Index beneficiorum ecclesiasticorum et munerum civilium diœcesis Tullensis* (*c*) *Grafiniacum* (Grafigny), *Claretum in decanatu Santonensi* (Clerey) *et Punerotum* (Punerot); *quibus nunc addenda Cl. V. Digot auctor est* Graux, Viviers-le-gras *et* Fécocourt. *Extra pristinam Tullensem diœcesim erant quoque aliquot templa, eisdem usa auspiciis. Die* XIV *Octobris anni* 1685 *scripsit Claudius Chastelain ad Papebrochium nostrum in hæc verba :* Rampilone (*Rampillon*) in pago Brigensi (*Brie*) admiratus sum magnificum, gothico ordine extructum, templum, quod S. Eliphio martyri Tullensi sacrum est, atque nunc parochialis, olim autem Templariorum ecclesia erat. Sunt præterea in Pertico pago aliæ duæ ecclesiæ huic Sancto consecratæ. *Hæc ille : quibus addere licet ex Indice beneficiorum diœcesis Carnotensis sæculo XII, a*

C

Cl. V. Guerard cartulario S. Petri Carnotensis inserto, in diœcesi Carnotensi olim exstitisse paræciam nomine Vallem-Pillonis (Vaupillon) *cui* S. Eliphius *patronus erat. Addit in nota editor in hodierno Indice beneficiorum hunc locum apparere tamquam ecclesiam annexam paræciæ* S. Eliphii (*d*).

loca vero et familiæ ejus nomine gaudebant.

27 *Neque intra templa tantum continuit se* S. Eliphii *cultus. Auctor enim citati Indicis Beneficiorum Tullensium* (*e*), *qui multus quoque est in laudanda vetustate et pulchritudine* S. Eliphii *templi populique venerabundi ad id concursu, asserit quosdam illic olim parocho assignatos fuisse reditus, qui a* S. Eliphio *nomen mutuati,* S. Eliphii *dicebantur* campus. *Quod nomen gentilitium quoque factum fuit, ut liquet ex instrumento in Annalibus Præmonstratensibus* (*f*), *excuso, ubi* Theodoricus *quidam* de Sancto Elepho *signatur; præterea in tomo XIII* (*g*) *Galliæ Christianæ novæ, mentio fit* terræ *et* domini de Sancto Eliphio. *Hucusque de templis, ædiculis, aliisque rebus, quibus* S. Eliphii *cultus aut nomen potissimum adhæret; priusquam tamen pedem extra Galliam feramus, superest ut de ejus ecclesiastico Officio fiat sermo.*

D

Divinum de eo Officium celebratur in locis ad pristinam pertinentibus Tullensem diœcesim.

28 *Dubium non est quin omnium antiquissime id Officium celebratum sit in paræcia, quæ Sancti nomine et sepulcro fruitur. Nescio an aliquando mos iste post gallicæ reipublicæ tumultus cessaverit; quidquid id est, celebratur nunc solemnissimo ritu ex concessione Benedicti Costaz, episcopi designati Nanceensis; qui die* XXVII *Februarii anni* 1813 *hanc facultatem fecit deservitori seu parocho* S. Eliphii; *quæ paræcia id temporis diœcesi Nanceensi claudebatur, utpote pertinens ad tractum, quem vulgo* Département des Vosges *nuncupamus, et ex quo in præsentia diœcesis San-Deodatensis constat. E paræcia* S. Eliphii *transivit hujus Martyris cultus ad totam priscam diœcesim Tullensem, de qua pauca præfanda sunt. Ante annum nempe* 1777 *quam latissime patebat spiritalis episcopi Tullensis ditio, complexa Ducatum Lotharingiæ et Barri partes Australes una cum tractu qui inter eas atque inter Mosam et Mosellam medius jacet, quemadmodum Limpenus noster in suo ad S. Mansueti Acta Commentario, sub die* III *Septembris annotat. Verum*

E

Ludovicus XV Franciæ Rex operæ pretium esse, duos in Ducatu Lotharingiæ episcopatus, unum in urbe Nanceo, alterum in S. Deodati constituere, censuit. Propositum avi sui comprobavit Ludovicus XVI die XII *mensis Martii* 1775; *summusque Pontifex Pius VI erectionis bullam dedit* XIII *kalendas Decembris* 1777. *Unde diœcesis Tullensis maximam passa est imminutionem, quippe quod ex ea una duorum episcopatuum territoria distracta fuerunt. Verum anno* 1801, *cum concordatus cum Republica Gallica sancitus est, sedes Tullensis suppressa fuit et unita Nanceensi. Porro in pristina diœcesi Tullensi quam antiquissime Sanctum nostrum fuisse cultum liquet e Ms. ac vetustissimo* (*utpote quod nec S. Ludovici Galliæ Regis, nec Patriarcharum Dominici et Francisci meminit*) *Tullensi Breviario, quod hæc in præfixo kalendario habet :* XVII kal. Novembris S. Eliphii IX Lect.; *cui consonat Breviarium anni* 1535, *hæc in Kalendario statuens :* XVII Kal. Eliphii Martyris. *Utrumque vero Breviarium cum de Sancto nostro officium non habeat, e communi Martyris officium fuisse dictum æstimandum est. In Breviario autem anni*

F

1626, *ut ad nos perscripsit R. D. Marchal, parochus in* Heillecourt, *tertia lectio propria est, et e Rupertiana* S. Eliphii *Passione desumpta. In Breviariis annorum* 1684 *et* 1695 *officium exstat novem lectionum, quarum quarta et quinta item ex S. Martyris Passione depromptæ fuerunt; quas, siquidem nihil habent quod rem historicam aut liturgicam illustrare queat, missas facimus. Ut ex eodem R. D. Marchal rescivimus, præscribitur ad* S. Eliphii *festum Missa de Communi unius Martyris in Missalibus Tullensibus annorum* 1508, 1537 *et* 1551; *propria vero sed nequaquam insignis proponitur, in Missali anni* 1686; *in recentiora autem reducta fuit Missa de Communi. In diœcesibus, quas ex veteri Tullensi distractas diximus,* S. Eliphii *cultus perseverasse videtur. Saltem in Kalendario liturgico San-Deodatensi anni* 1830 *præscribitur festivitas S. Martyris sub ritu semiduplici. Cultus* S. Eliphii *in diœcesi Coloniensi et alibi locorum superest explicandus.*

(*a*) Hist. de Toul, p. 212. — (*b*) Ibid. p. 212 et 318. — (*c*) Pouillé ecclésiastique et civil, t. I. — (*d*) Cartul. de S. Père de Chartres, p. CCCXV. — (*e*) p. 424. — (*f*) T. I, col. 552. — (*g*) col. 1027 et col. 1134.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

§ IV. De translatione corporis S. Eliphii, cujus omnia fere sacra ossa Colonienses acceperunt.

Colonienses contendunt integrum fere S. Eliphii corpus ad se fuisse delatum,

Breviarium Coloniense, anno 1780 *typis excusum, paucis exhibet quæ ad* S. Eliphii *Reliquias in Monasterio S. Martini Coloniensi servatas pertinent. Cum autem in præsenti* § *de iis disputatio instituenda sit, universa lectio* IV, *quæ una de* S. Eliphio *est, hic loci inserenda videtur, ut lector uno intuitu noverit quæ spectent ad sacra hæc pignora. Sonat auteminhæc verba :* Eliphius Tullensis sub Juliano Apostata pro Christi fide interemptus martyrii palmam consecutus est. Sæculo decimo Bruno primus, Archiepiscopus Coloniensis, sacrum corpus Coloniam transtulit : quod in Ecclesia Monasterii Sancti Martini religiose conditum fuit. Sæculo decimo quinto Hermannus ab Hassia, archiepiscopus, arcam, cui sacræ Reliquiæ sub sigillo Archiepiscopi Warini sæculo decimo inclusæ fuerant, cum sigillum illæsum reperisset, magna cum reverentia et solemnitate aperuit ; invenitque sacri corporis ossa, et caput integrum dempta parte mandibuli. Arca autem ejusdem Hermanni Archiepiscopi sigillo clausa, sæculi decimi octavi anno sexagesimo tertio denuo aperta, et extracta fibula pedis sinistri in Lotharingiam transferenda, iterum Archiepiscopali sigillo occlusa et munita fuit. Eidem Ecclesiæ Sancti Martini sæculo undecimo Sanctus Anno in honorem Eliphii Martyris geminas turres adjecit. Sacri corporis thesaurus ibidem usque in hodiernum diem magna fidelium devotione honoratur.

B

scriptores Tullenses vero partem tantum corporis Coloniam deductam fuisse.

30 *Ex hac itaque de* S. Eliphio *lectione patet, Coloniensibus esse sententiam,* sacri corporis ossa et caput integrum dempta mandibuli parte, *ad se olim delata fuisse et in templo S. Martini asservari ; atque in ea opinione versantur omnes ecclesiastici Colonienses scriptores ; Tullenses vero alium omnino ineunt sentiendi modum. P. Benedictus (a) tradit S. Geraldum, Tullensem præsulem, motum miraculis ad* S. Eliphii *sepulcrum fieri solitis, B. Martyris Reliquias in tres distribuisse partes, quarum una cederet templo cathedrali Tullensi, altera* S. Eliphii *templo, tertia seu caput S. Brunoni Coloniensi. (b) Ruyrius præiverat P. Benedicto in assignando Coloniensibus solo* S. Eliphii *capite ; sed reliquum corpus totum inclusum esse scripserat in pulchra capsa, quæ in* S. Eliphii *templo et vico custodiretur. Calmetus quidem* (c) *id negotium pluribus obscurat tenebris, adeo ut difficile sit ejus assequi mentem. Scribit enim :* Abbas Rupertus sat manifeste declarat suis temporibus creditum fuisse S. Eliphii Reliquias Coloniæ in abbatia S. Martini servari, ejusque festum illic actum fuisse, ut in abbatia Tuitiensi agebatur. *(Non ait Rupertus, cui innititur Calmetus, festum* S. Eliphii *a suis monachis actum, sed* usitatam *ejus fuisse Passionem).* Temporibus Adsonis, scilicet sæculo X, persuasum erat hominibus *(nil tale in Adsonis scriptis reperire potui)* corpus S. Eliphii, celatum dum barbari in has incursarent regiones, in oblivione sepultum mansisse. Vidricus in vita S. Geraldi affirmat hunc Sanctum, anno 963 ad infulas Tullenses evectum, sacras exuvias e loco in quo jacebant levasse, et majora ossa S. Brunoni Coloniensi dedisse. *Inferius vero addit :* Anno 1485 Hermannus archiepiscopus Coloniensis Reliquiarum visitationem instituit, et corpus reperit integrum præter mandibulam inferiorem, quæ in diœcesi Tullensi remansisse videtur. *Breviarium demum Tullense anno* 1748 *prelo excusum ita rem exponit :* Ex religiosa in Beatum Martyrem devotione sanctus Geraldus Tullensis episcopus sacras ipsius Reliquias transtulit, quarum partem non minimam, majora scilicet ossa, Brunoni Coloniensi episcopo, magni Ottonis germano concessit ; quæ digna cum veneratione Coloniam advecta sunt, ubi celebris est Sancti Eliphii memoria.

C

D

Rectam autem esse Coloniensium sententiam probant antiqui scriptores,

31 *Movetur itaque quæstio an recte Colonienses æstiment integrum fere* S. Eliphii *corpus in sua civitate asservari. Vetustissima æque ac recentiora excutienda sunt documenta ; quorum omnium antiquissimum S. Brunonis testamentum (d), conditum anno* 965 *paulo post acceptum sacrum pignus. Legitur in eo S. Bruno dare* Beato Eliphio Martyri ; Sancto Martino confessori *(patrono Coloniensis Monasterii)* tantumdem *(libras triginta, pallia quatuor, totidem vasa, candelabra duo, fratribus libras sex) ;* prædium præterea Solagon per precariam nostræ *(suæ)* ecclesiæ acquisitum. *Mitto testimonium (e) Rotgeri S. Brunonis biographi æqualis aut fere æqualis. Atque hinc certum fit anno* 965 S. Eliphii *reliquias Coloniæ jam fuisse servatas. Eodem vero ferme tempore scriptor Tullensis iisdem populares suos destitutos affirmat. Collector scilicet Miraculorum S. Apri quæ ad diem* XV *Septembris (f) Stiltingus noster ex Martennio et Calmeto recudenda curavit, queritur hac de re his verbis :* Neque enim illa nos corporis *(S. Apri anno* 918 *facta)* abductio illius tunc ævi hominibus, sed nobis aliisque post futuris profuit, atque ne tanto privaretur Patrono, immo omni regioni. Nam fere omnibus notum est, qualiter destituti sumus corpore Eliphii, martyris pretiosi, pignoribusque Sanctorum aliis ; quod B. Aper providens (nam illi quem nihil latet, semper assistit) gregem suum ut jugiter tueatur, juvet ac regat, hac occasione præsentia sui corporis destituere noluit ; *quo anno* 978 *a S. Geraldo Tullensi episcopo repertum fuisse tradit auctor synchronus in historia episcoporum Tullensium cap.* XXX *apud Calmetum. Unde cum recte eruat Stiltingus num.* 7 *citati Commentarii ad Vitam S. Apri, horum miraculorum scriptorem opusculum suum non ante annum* 978, *sed neque multo post hunc annum, condidisse, statuat lector, an ex his Adsonis verbis Lotharingiæ historiographus, recte deduxerit Adsonis tempore* S. Eliphii *Reliquias ob metum barbarorum occultatas fuisse, an potius viginti circiter annis, postquam Coloniam translatæ fuissent, communis etiam apud Tullenses persuasio exstaret, vix quidpiam sibi de* S. Eliphii *Reliquiis remansisse.*

E

F

instrumentum Reliquiarum visitationis

32 *Sæculum* X *excedendum non est, ut reperiatur instrumentum in scrinio ligneo, quod sigillum episcopale muniebat, et quod in Coloniensis Monasterii archivo quatuor sæcula servatum fuerat. Surius primus illud luci tradidit, ad diem* XVI *Octobris Vitæ* S. Eliphii *illud subdens. Hujus quippe apographum exstat in litteris ab Hermanno archiepiscopo Coloniensi ad* S. Eliphii *Reliquias probandas anno* 1485 *confectis. Recitabo illas litteras ex exemplari quod nobis transmisit Cl. Binterim, postquam tamen cum*

(a) Hist. de Toul, p. 212 et 318. — (b) Antiq. des Vosges p. 296 et seq. — (c) Hist. de Lorraine, t. I, col. 199. — (d) Act. SS. XI Oct., p. 788 et seq. — (e) Ibid., p. 777. — (f) T. V Sept., p. 75, num. 28.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Suriano ecgrapho illud contulero* : LITTERÆ APERTIONIS TUMBÆ ET APPROBATIONIS CORPORIS S. ELIPHII MARTYRIS. Hermannus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Westphaliæ et Angariæ Dux, Legatusque natus, etc. ; Universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint, salutem in Domino. Gloriosus Deus in Sanctis suis, et in majestate mirabilis, atque in omnibus suis Sanctis et Electis laudabilis ; in Sancti vero et magnifici Martyris Eliphii meritis gloriosis non immerito gloriosus prædicatur : vere mirabilis Deus Martyrem ipsum sibi charum magnifice glorificavit, et eum ubique omnibus mirabilem fecit, qui in ejusdem Electi sui ostendere dignatus est passione, quanti eum in regno suo prædestinaverit meriti et gloriæ. Omnes enim infirmi, qui diversis, erant languoribus gravati, ad locum ipsius venientes Martyrii, redditi sunt plenariæ sanitati, cujusque corpus se per virtutem Christi erexit, et ambabus suum amputatum caput amplectens manibus

B per unum milliare comitantibus Angelis et Christum laudantibus portavit, donec ad sui nominis montem sine ulla offensione perveniret ; ibique lapidem album inveniens atque planum, sedit super eum, cujus grandis duritia Martyris ipsius cessit, sanctitati, et proprium aperiens gremium in sinu suo amplexatus est Sanctum. Christi fideles namque suis meritis adjuti, infidelibus Christo donante victis, victoriam gloriose sunt adepti.

anno 1485 *factæ* 33 Ad vestram igitur omnium supradictorum notitiam deducimus, et deduci volumus per præsentes, quod nos devotissimis ac humillimis precibus venerabilis et religiosi devote nobis dilecti Adæ abbatis insignis monasterii S. Martini Coloniensis Ordinis S. Benedicti super apertione Tumbæ Reliquiarum ipsius præclari Martyris, quibus bonæ memoriæ quondam D. Bruno archipræsul Coloniensis prædecessor noster dudum decoravit monasterium antefatum ; crebrius interpellati affectuose, ex eo quod ferebatur corpus seu ossa ipsius Sanctissimi Martyris non forte integre translata ad dictum monasterium, sed caput ejusdem in majori ecclesia Trajectensi constitutum. Nosque pia devotione ad ipsum

C eximium Christi Martyrem affecti, ac piis desideriis dicti Adæ abbatis et confratrum ejus annuentes, die Dominica, quæ fuit vigilia S. Jacobi Apostoli de mane hora primarum constituti in monasterio S. Martini prælibato, una cum dicto Adam S. Martini et conventu suo, venerabilibus quoque et religiosis nobis sincere dilectis Antonio S. Ludgeri Werdinensis nostræ Coloniensis diœcesis atque Melchiore de Schonaw Trevirensis diœcesis dicti Ordinis abbatibus, necnon abbate monasterii in Steinfeldt dictæ nostræ diœcesis Præmonstratensis Ordinis, honorabilibus quoque Joanne Glappe et Joanne N. capellanis nostris, canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Cassii Bonnensis ibidem præsentibus, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam S. Eliphii aperiri fecimus. * Qua aperta manibus nostris extraximus exinde scrinium ligneum longitudinem quasi dictæ tumbæ habens, cum ferramentis convenienter aptatis, et sigillo piæ recordationis D. Warini, quondam etiam prædecessoris nostri clausum ; quod nos sanum et integrum invenientes manibus nostris abscidimus, ac scrinium prædictum reve-

* *supple* tumbam

D renter in Dei nomine aperuimus, inibique cum ingenti gaudio et cordium tripudio, sicut audivimus, sic vidimus ipsius præclarissimi Martyris reconditum corpus, venerandum caput, dempta parte mandibuli, cum cæteris venustissimis membris ; reperiebatur scedula superposita de littera satis antiqua in hæc verba : PRÆTIOSUS CHRISTI MARTYR ELIPHIUS.

ab Archiepiscopo Coloniensi, 34 O quam gloriosum, quamque dulce et delectabile erat videre elegantia hujus pretiosi sanctissimique Christi Martyris membra ! O quanta devotio religiosorum fratrum ipsius monasterii S. Martini divinæ gratiæ congratulantium de tanti Patroni cœlestis civis et domestici Dei læto aspectu æternæ beatitudinis gloriosi possessoris ! Solemniter igitur his peractis, scrinium ligneum prædictum in tumba, ut præfertur, repertum, Reliquiis hujusmodi integraliter, et scedula prædicta superpositis clausum, et nostro secreto manu nostra propria signatum tumbæ majori juxta positæ imponi fecimus : et iidem fratres dicti monasterii ad decantationem Missæ solemnis ad laudem divini nominis, et in honorem

E ipsius pretiosi Martyris procedentes in monasterio supradicto Regi gloriæ et gratiarum largitori, qui eorum monasterium tam pretioso decorare et dotare dignatus est thesauro, referentes quas potuerunt gratiarum actiones. Præsentes etiam fuerunt nobilis et fidelis Hindericus Comes de Nassaw ac Dominus in Bilstein, necnon venerabilis Hindericus de Tegelen in medicinis Doctor, et Baccalaureus sacræ Theologiæ, consiliarii nobis dilecti. In quorum fidem et testimonium præmissorum has nostras litteras desuper fieri, sigillique nostri fecimus appensione communiri. Datum die ubi supra. Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto.

et potissimum schedula sæculi x, 35 *Irrefragabile testimonium ex his profluit litteris : neque hæ alio commentario indigent, quam ut paucis indicemus quo tempore inserta fuerit scrinio schedula, quæ præferebat verba :* Prætiosus Christi Martyr Eliphius. *Eam ab ipso S. Brunone translationis tempore insertam fuisse opinor ; at certo, cum Warinus episcopus esset, scrinio jam inclusa erat, ut ex præmisso instrumento liquido constat. Jam vero hæc de Warino leguntur in Chronico Sancti Martini Coloniensis edito a Cl. Pertz (a) :*

F Warinus... postea factus Archiepiscopus..., Romam ivit, inde reversus, monasterium nostrum melioravit et Scotis iterum immolavit anno 975 ; idem Warinus factus est hic monachus, et tumbam S. Eliphii gloriose ornavit ; obiit anno 985, XI kal. Octobris. *Similia reperio in nonnullis Mss. schedis, quarum una extracta dicitur ex vetustissimo pergameno olim in Bibliotheca S. Martini Majoris asservato. Cum itaque Warinus anno* 975, *(ut ex hoc Chronico, cum his quæ in Gallia Christiana (b) exstant collato, eruere est), archiepiscopatum adeptus sit, et decem annis post supremum obierit diem, intra hoc spatium concludas oportet prædictæ schedulæ ætatem ; nisi, ut jam dixi, S. Brunoni potius adscribenda videatur. Quin etiam propositum decennium octo forte annis minuendum est : Warinum scilicet a templo exornando incepisse, non videtur temera sententia ; verumtamem anno* 977 *claustrum monasterii jam decoraverat, ut liquet ex sequenti chronogrammate olim ipsi claustro affixo :*

hæC saCra CLaUstra noVo DeCoraVIt honore GUarInUs.

Testimoniis itaque ad sæculum X *pertinentibus satis superque me probasse autumo, integrum* S. Eliphii

(*a*) Monumenta Germaniæ, t. II, p. 215. — (*b*) T. III, col. 651.

corpus

A *corpus præter mandibulam et exigua forsan quædam ossicula in S. Martini Majoris templo sæculo* X *asservatum fuisse. Sequentium quoque sæculorum testes produci possent. At ne probationes istiusmodi justo copiosiores sint, satis mihi fuerit lectorem remittere: ad Usuardi Auctaria, quæ in Sollerii nostri Usuardo reperire est; ad Breviaria Coloniensia, quorum jam memini; ad assertionem Ruperti; ad Chronicum Sigeberti Gemblacensis; item ad Chronicum Belgicum magnum; ad Fasciculum temporum Werneri Rolevinck, etc.*

frustra obnitentibus Tullensibus.

36 *Tullenses vero scriptores, quibus persuasum fuit majora tantum* S. Eliphii *ossa Coloniam translata fuisse, hæc Vidrici objiciunt verba:* Reliquias etiam venerandi Martyris Elifii religiosa devotione transtulit: quarum partem non minimam, majora scilicet ossa, prænominato Brunoni archipræsuli contulit, quæ Coloniam cum summa devotione devexit, ibique devota populorum coluntur veneratione. *Hæc Vidricus S. Apri Tullensis abbas in Vita S. Geraldi Tullensis episcopi, quam Henschenius ad* XXIII *Aprilis (a) edidit. Si vero conferantur quæ de hoc Vidrico Gallia Christiana in tomo XIII inter S. Apri abbates habet, cum his quæ in Historia litteraria Galliæ (b) excusa sunt, hæc circa annum* 1044 *a Vidrico scripta fuisse statuendum est. Verum Vidrici dicta componenda sunt cum assertis collectoris Miraculorum S. Apri, Tullenses corpore* S. Eliphii *destitutos lugentis, cum authenticis Coloniensium monumentis, et cum petitione illa nobilis fœminæ Neocastrensis, quam in præcedenti* § *a Coloniensibus non a San-Eliphianis S. Martyris Reliquias efflagitantem vidimus. Unde statuendum est ita* non minimam partem, majora scilicet ossa *Coloniam delata fuisse, ut in templo* S. Eliphii *remanserint brandea tantum, sepulcrum, capsa et aliquot minora ossicula. Et quidem historiographi Tullenses potius videntur rumorem popularem quam rei veritatem aut certa documenta seculi esse: certe toties laudatus Cl. V. Digot, qui omnia, quæ ad* S. Eliphii *memoriam pertinent, accurate investigavit, rescripsit ad nos Reliquias B. Martyris, quæ ab anno* 1688 *in stannea pyxide clauduntur et nihil a tumultibus gallicis passæ sunt, paucas esse numero:* Il est bon peut-être, *ejus sunt verba,* de faire observer que ces reliques sont en petit nombre. *Extra omnem itaque disceptationem*

C *ponenda sunt Eliphiana lipsana, quæ Coloniensibus monachis S. Martini a S. Geraldo Tullensi episcopo, ortu Coloniensi, concessa fuerunt, et Coloniæ a novem fere sæculis coluntur. E sequentibus quippe constabit anno* 964 *ea illuc fuisse delata.*

Facta fuit hæc translatio anno 964.

37 *In hujus translationis annum inquirenti, plura mihi præsto sunt Chronica Mss., Colonia transmissa, quorum alia ad annum* 959, *alia ad annum* 960, *alia ad annum* 962 *hanc translationem referunt. At error in omnibus his annis est; neque is fuit correctus a Bailleto, qui annum circiter* 960 *assignans, editores Insulenses et Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri fidos imitatores habuit. Unus fere Trithemius in Chronicis Monasterii Hirsaugiensis veritatis semitam pressit, ad annum DCCCCLXIIII hæc de S. Brunone scribens:* Item corpus beatissimi martyris Eliphii, in monasterium S. Martini Scotorum nostri ordinis in Colonia reposuit. *Quod vero iste annus rectus est, sequentibus conficitur. Imprimis constat hanc translationem non differendam esse post diem* XI *Octobris anni* 965, *quoniam tum (ut pluribus ad hanc diem (c) comprobat noster C. Byeus) S. Bruno naturæ cessit: immo non differendam post* II *Februarii ejusdem anni, quoniam Reginonis continuator ad hunc annum tradit, Ottoni ex Italia redeunti S. Brunonem obvium ivisse,* in Purificatione sanctissimæ Mariæ Virginis Wormatiam *usque; ambosque simul quam solemnissime Pentecostes festa celebrasse docet Rotgerus S. Brunonis biographus; atque ex eodem et ex chronographis multis rescivimus S. Brunonem, postmodum in Franciam profectum, non amplius rediisse in Germaniam. Quocirca a B. Mariæ Purificatæ festo ad S. Brunonis mortis diem spatium non fit sacris reliquiis e Gallia transferendis. Qui vero intercapedines inter varias has anni epochas inserere velit, legat Rotgerum, qui abundantius de ultimis S. Brunonis temporibus disserens, hoc sane Lotharingicum iter non omisisset. Verum neque ante mensem Aprilem anni* 963 *statui potest hæc translatio, quam a S. Geraldo Tullensi episcopo factam fuisse tradit ejus biographus, ut sæpius in hoc Commentario monuimus. Etenim Gallia Christiana in tomo XIII et Henschenius noster ad* XXIII *Aprilis duobus in locis ex appendice ad Vitam S. Mansueti, qui* III *Aprilis colitur, rite docent S. Geraldum* XXVII *Martii Treviros episcopum designandum convenisse,* E *et mox in Tullensi sede fuisse sublimatum. At quæso, num illico S. Geraldus Sanctorum Reliquias transtulisse atque aliis donasse censendus est? Annus vero* 964 *omnium opportunissimus est: tunc enim S. Bruno in Lotharingia celebravit concilium, ut Byeus S. Brunonis Vitæ commentator (d) ex chronico Cameracensi (e) latius statuit. Cum itaque clarum Trithemii testimonium præmissis adstipuletur, illiganda certissime est sæpius dicta translatio dicto anno* 964. *Jam ad cultum,* S. Eliphio *Coloniæ præstitum transeamus.*

D

§ V. De cultu collato S. Eliphio in monasterio et templo S. Martini Coloniensi, itemque olim Ultrajecti.

In monasterio S. Martini majoris Coloniensi

Priusquam *autem Coloniensium in* S. Eliphium *pietatem explicemus, pauca præfanda videntur de monasterio deque templo S. Martini, quo B. Martyris nostri exuviæ illatæ fuerunt. De ejus exordiis sic scribit Gelenius in Admiranda Magnitudine Coloniensi (f):* In quæ tempora ejus exordium sit revocandum ob vetustatem obscurum est. Superest in ambitu perantiquum sacellum, quod ab Eremita Dacico *(a Titmone Scoto anno* 690, *perhibent alii)* credunt inter circumfluentes undas exstructum; ad Beatos tamen viros Plechelmum et Otgerum SS. Bonifacii et Swiberti socios tutius referuntur initia, qui adjuvantibus Plectrude et Pipino insulam *(Rheno scilicet circumdatur)* arboribus amœne consitam, in claustrum religiosorum converterunt. *Hæc Bedæ auctoritate (g) fulcit auctor Ms. Monasteriologiæ hujus abbatiæ, quæ penes nos est. Ille idem varios ei casus deinde adscribit, solo tenus pene reclinatam eam a Saxonibus dicens, et anno* 779 *ab Otgero Danorum duce pristino restitutam statui; anno autem* 803 *a S. Leone Papa privilegiis, sacratis altaribus auctam, demum vetustate collabentem a Warino archiepiscopo restauratam. Reliqua fere in Gallia Christiana (h) reperire est. Cum autem ibidem exhibitus abbatum catalogus, qui a Warini temporibus primum incipit, ad annum* 1723 *tantum producatur, utile fore*

F

(a) T. III, Apr. p. 206. — (b) T. VII, p. 409. — (c) Act. SS, x Oct., p. 754. — (d) Act. SS, XI Oct., p. 750. — (e) Lib. I, cap. LXXXV. — (f) p. 375. — (g) Hist. Angl., lib. v. — (h) T. III, col. 749 et seqq.

autumo,

A *autumo, catalogum illum ex Ms. Coloniensi perficere:* Henricus Obladen, qui totam abbatiam funditus reædificavit, anno 1726 obiit; ei successit Adrianus Valck, qui 1741 supremum diem clausit; secutus est Franciscus Spix, cujus, anno 1759 mortui, locum occupavit Sebastianus Schmitz, anno 1788 ipse moriturus. Hunc excepit Adam Rosell SS. Theol. Doctor, qui anno 1794 mortuus, locum cessit Melchiori Syberti, qui anno 1801 obiit. Eum secutus est Felix Ohoven; quo abbate, anno 1802 Galliarum imperatoris edictum abbatiam de facto suppressit. Fuit ille dein primus pastor aut parochus hujus templi. *Hæc de abbatia.*

servatæ S. Eliphii Reliquiæ multo honore

39 *Colonia quoque ad nos transmissum est Ms. carmen de Fastis S. Martini Majoris. Conditum hoc fuisse æstimo inter annum* 1505 *et* 1513; *quo tempore a quibusdam proceribus lethalem sortem expertum esse hoc monasterium testatur prælaudata Monasteriologia; ad hanc scilicet alludere videntur hi extremi fere versiculi:*

Quasque Deo donavit opes veneranda vetustas,
Turpiter, o Superi! nunc turba profana vorando
B Decoquit ablatas, ac insidiatur edendis.

Ex hoc carmine reliqua fere hauriemus; sic de pietate Brunonis et Warini in S. Eliphium:

Tum siquidem Bruno destructo rudere pontis
Erectoque novi parvo molimine templi,
Quæ tulerat quondam Francis de finibus isthuc
Martyris Eliphii sacrata recondidit ossa;
Quodque per instabiles vexatum temporis iras,
Fors deforme situ, senio languebat et annis,
Instauravit opus nitido splendore Warinus.

Quod postquam pluribus explanavit versuum auctor, et de monasticæ vitæ statu ab eodem suscepto cecinit, pergit in hunc modum:

Fertur et hinc Divos sacro dignatus honore,
Eliphii tumbam, fuerat quæ sordida pridem,
Magnifice ditans, positis hinc inde figuris,
Archetypas vitæ (quas fors imitatus agendo)
Virginei cœtus statuas expressit in una
Parte, locuturas mentito corpore tales,
Quos placuit loculo scriptos annectere versus:
» Virginibus fatuis decor intus tollitur omnis,
» Quas ad vana foris trahit inflans aura favoris,
» Dum quærunt emere, ac oleo sua vasa replere,
» Stant foris et mœrent, stupefactis vocibus hærent,
» Ante fores vitæ, quibus inquit sponsus: Abite.»
C Parte alia circumposuit simulacra virorum,
Quos nuper memini, generio primordia nostri,
Ex Scotia natos; libuit queis addere versus:
» Præcones isti juxta vestigia Christi
» Omnibus exuti vere studuere saluti,
» Adstruxere fidem contemptu mortis iidem,
» Quorum dogma sonum dedit in fines regionum
» Unde salutari jam cœpit ab imbre rigari [ctum.
» Cordis ager, multum referens cum fœnere fru-
Hinc atque hinc alios (cœlestia Numina!) Divos
Affixit, comites vitæ testesque laborum,
Discipulos Christi, posuitque his carmina subtus:
» Cives æterni Genitoris in arce superni
* *forte* salvæ. » Florent ut palmæ mercede sua sibi salva *,
» Testes ante boni, modo sunt in plebe coloni,
» At finis mundi cum venerit, hora secundi
» Adventus Christi, velamine nubis amicti
» Censores æqui venient cum judice sæcli.»

Quod vero ad hos versus Leoninos, sacro loculo inscriptos, pertinet, cave ne poetam nostrum incuses quod id versuum genus ad antiquiora retulit tempora, ad verbum intelligens Horatium canentem:

.... Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Nam inter criticos jam æstimo erroneam esse sententiam Pasqueri, in suis Disquisitionibus Francicis horum versuum originem cuidam Leoni tribuentis, et Cangii in suo glossario ad vocem Leoninus *eamdem originem referentis ad tempora Ludovici VII aut Philippi Augusti (ab anno* 1120 *ad* 1223*). Diu enim antea jam hoc versuum genus in usu erat: nam Acta S. Pelagii Martyris, in Opere nostro excusa ad diem* XXVI *mensis Junii, invicte probant hujus speciei metrum jam sæculo* X *in usu fuisse; en exordium auctoris Sanctum alloquentis:*

Inclyte Pellagi, martyr fortissime Christi,
Et bone regnantis miles per secula Regis,
Respice Hroswitham miti pietate misellam,
Me tibi subjectam miti pietate famellam, *etc.*

Sic tota lucubratio: mitto alia plura exempla proferre; notavero tantum in hoc ipso volumine num. 17 *Commentarii de Sanctis Martyribus Mauris Coloniense occurrere specimen, quod Cangii dicta evertit. Vide ibidem num.* 8 *Comment. de S. Cannato.*

ab archiepiscopis, Warino et S. Annone

40 *Tumbæ vero, in præsentia non amplius exstantis, ornamentorum num.* 35 *jam memini ex Chronico excuso; Chronicum Ms. emblemata memorat; aliud itidem Ms. novam tumbam laudat; Gelenius in Admiranda Magnitudine Coloniæ (a) memorat argenteum loculum; mitto reliquos Colonienses scriptores, cum res satis certa sit. Huic loco inserenda videtur hæc* S. Eliphii *memoria, quam ad diem* XXI *Junii inter Prætermissos collocavit recte Henschenius:* « B. Eliphii Martyris commemoratio Coloniæ, in Monasterio S. Martini » inscripta est Martyrologio Coloniensis (*anni* 1521) et Lubecensis editionis anno 1490; item apud Grevenum, Canisium et Gelenium, qui ait hanc corporis in argenteo loculo esse depositionem. *Hæc dicta ad fontes reduxit; at in fastis Coloniensibus Gelenii, non apprime expressum reperio hanc memoriam e corporis depositione ortam esse; verum aliud, nescio quod, Gelenii testimonium Henschenio præivisse potuit: quod si ita sit duplex* S. Eliphii *Coloniense festum ad tempora Warini referendum erit. Ulterius vero feramus pedem. Archiepiscopalem Coloniensem cathedram occupavit S. Anno ab anno* 1056 *ad annum circiter* 1076. *De eo sic ille poeta noster canit:*

Deinde pari studio compunctus episcopus Anno
Turribus elatis ornavit mœnia templi;

quas duas turres a fronte sanctuarii *consurgentes scribit Gelenius in opere laudato (b). Gelenio consonat Chronicon Ms.; et alterum Chronicum Ms. similiter his construendis annum circiter* 1060 *assignat. Ut ex Diario, cui nomen* Die Kölnische Zeitung, Beiblatt, XV *Decembris* 1816, *colligo, altera turris anno* 1482, *quando templum S. Brigidæ, curante Henrico a Lippia, auctum et parietibus ecclesiæ S. Martini ope concamerationis connexum est, eum S. Brigidæ ecclesia conjuncta fuit. Alteram ex his turriculis designari opinor in schedа Ms. in qua traditur unam turriculam* XXIX *Januarii anno* 1539 *decidisse. Reædificata autem fuerit oportet, nisi me fallat imago civitatis Coloniæ. Hujus vero constructionis causa ex capite* XVIII, *lib.* III *vitæ S. Annonis ita explanatur in codice nostro Ms. olim Eisendorpiensi, quodque utpote accuratissime scriptum laude non caret.*

habitæ sunt;

41 Eliphius quoque magni meriti Martyr, qui post abscissionem capitis, cum eodem viæ longissimæ spacium percucurrit, in visione beato Viro assistens, ejus erga se negligentiam redarguit, improperans quod eam, quam sicut religiosus in cæteros urbis suæ patronos mentis devotionem ostentabat, in eo multum infamaret; quod

(a) p. 377. — (b) p. 375.

sciens

A sciens ipsum nulli meritis secundum, hac extremitate post omnes habuerit, ut ne minimis quidem indiciis suam umquam benevolentiam in ejus ecclesiæ amplificationem prodiderit. Eo respondente, jactis quibuslibet novis fundamentis, inundationem Reni fluminis in subversionem totius Monasterii non dubitandum mox operari, perstitit ille quamlibet vel parvam suæ devotionis exigens operam, sicque disparuit. At sacerdos a thoro post quietem se excutiens, cœnobium Sancti Martini, quo Martyr idem patrocinabatur, adiit, ad inspiciendum loci situm, habitoque consilio, duas turres a fronte sanctuarii consurgentes in aerem subrigi præcepit, laudem meritumque viduæ duo minuta ferentis sine dubio possidens. *Quid in nostro Opere de hac visione censendum aliquando sit, examinare poterit qui S. Annonis Vitam ad* IV *Decembris illustrabit. Hic satis nobis fuerit S. Annonis pietatem erga* S. Eliphium *annotasse. Tradit vero Gelenius* (*a*) *S. Annonem nonnihil versatum fuisse in concinnandis Litaniis Sanctorum ; an vero ad eumdem auctorem referendæ sint Litaniæ pervetustæ, quæ olim in ecclesia S. Mariæ in Capitolio Agrippinensi in ternis vigiliis cantari*

B *solebant, ut Bollandus nostro ecgrapho inscripsit, me omnino latet ; id unum testari possum, eas ob recentiorum SS. absentiam pervetustas esse ; quodque ad rem meam facit, in eis* S. Eliphii *nomen signari. Meminit insuper Sancti nostri Gelenius in Opusculo* (*b*), *quod* Coloniam *inscripsit* supplicem, *et quo prosecutus est octiduanam supplicationem Coloniensium : in ea autem* quinto loco et post duos vexilliferos et quinque angelos, proferebatur tumba S. Eliphii seu Elaphii M. *Mitto quæ eodem Beato Winheimius scribit in Sacrario Agrippinensi* (*c*) *et in Peregrinatione Romana* (*d*).

et cum ante annum 178) sub majori Altari servarentur,

42 *Duplicem* S. Eliphii *Reliquiarum translationem jam meminimus ; tertia ex authenticis instrumentis indicanda superest :* Anno Domini 1789 in Aprili sub reverendissimo, perillustri et eximio Domino, D. Adam Rosell abbate hujus monasterii S. Martini Majoris dignissimo, cœpta est renovatio, mutatio et magnifica exornatio ecclesiæ nostræ, qua occasione destructa sunt omnia altaria, undecim numero ; de quibus tantum quinque reædificata, et anno 1791 x mensis Julii a reverendissimo ac excellentissimo Domino

C D. Carolo Aloysio S. R. I. comite de Konigsegg, episcopo Myrinensi et suffraganeo Coloniensi ob indispositionem reverendissimi D. abbatis consecrata sunt, prout infra scriptæ scedulæ Reliquiarum capsulis et altarium sepulcris impositæ testantur :

hoc anno alii altari inclusæ sunt.

43 De summo Altari. Anno Domini 1791 die x mensis Julii, Dominica III post festum SS. Trinitatis, reverendissimus et excellentissimus Dominus Carolus Aloysius Konigsegg S. R. I. Comes, etc., etc., consecravit altare hoc in honorem Sanctorum Martini, Ursulæ et Sociarum ejus, et authenticas in altari destructo repertas Reliquias *(sequuntur nomina* XXI *SS.)* in eo inclusit, singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus XL dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit. — In fidem — Anton : Midderhoff suffraganeatus Coloniensis secretarius. — N. B. Hoc summum altare ante hæc erat consecratum a reverendissimo D. Francisco Spix, hujus monasterii abbate, in honorem S. Martini, S. Eliphii, Ursulæ et Sociarum ejus. — In hoc igitur nil immutatum, nisi quod memoria S. Eliphii apposita sit altari S. Catharinæ. Item nota quoad situationem. — Altare primum ad cornu Euangelii versus sacristiam, vulgo altare S. Catharinæ. Anno Domini *(ut supra)* consecravit altare hoc in honorem S. Crucis, Sanctorum Eliphii, Catharinæ, Brigidæ, Wolffgangi et Materni, et authenticas in altari destructo repertas Reliquias Sanctorum Wolffgangi, Cuniberti et aliorum Sanctorum in eo inclusit, singulisque, *etc., ut supra.* N. B. Altare hoc ante destructionem hujusmodi erat consecratum a reverendissimo in Christo Patre Adamo, episcopo Hierapolitano, suff. Hildes. in honorem S. Crucis et S. Catharinæ V. M. anno 1661, IV Maji ; in hodierna autem consecratione in honorem S. Eliphii, Wolffgangi et Materni superadditum. *Cætera ad* S. Eliphium *non spectant. Quasdam etiam Sancti nostri Reliquias fuisse in SS. Bonifacii et Willibrordi collegio syntagmate CIX nos docet Gelenius dum in Sacro Thesauro* (*e*) *hæc habet :* Eliphii Martyris de capite ejus.

D

Coloniensis S. Eliphii cultus adhuc perstat ;

E

44 *Aliquando saltem pietatem erga* S. Eliphium *magnopere floruisse Coloniæ, ex Martyrologiis Germaniæ vario tempore conscriptis, et ex his quæ præcedentibus numeris contulimus, nonnihil liquet. Hujus pietatis aliud specimen esto sequens distichon refusæ alteri Campanæ (anno enim* 1378 *turris conflagraverat) inscriptum :*

Sum campana pii, qui nos defendet, Eliphī
Anno milleno C ter L et simul X ter.

Hodierna vero pietas potiore laude non videtur commendanda. Attamen altare S. Catharinæ, cujus superiori numero mentionem feci, altare S. Eliphii *nunc potius audit : quo saltem condecoratur nomine in recentiore scripto. Agitur vero nostri Sancti festum ritu semiduplici. Præter lectionem num.* 29 *recitatam nihil proprium habet ejus Officium hodiernum atque Missa. Olim alias fuisse lectiones, jam ex anonymo* S. Eliphii *biographo, jam ex Ruperto desumptas, alibi monitum fuit. Anno* 1481 *hæc præterea Oratio propria erat :* Misericordiam tuam nobis, quæsumus, Domine, interveniente * B. Eliphio Martyre tuo clementer impende, et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per, *etc.*

* *intercedente* Ultrajectenses lege bant.

Trajectensis vero ex errore forte ortus suppressus est.

F

45 *Ex numero* 33 *hujus Commentarii, ubi chartam Coloniensem recitabamus intellexit lector ad annum* 1485 *Ultrajectenses sibi persuasum habuisse apud se servari* S. Eliphii *caput. Unde non mirum in Usuardo Ultrajectensi et Leydensi, ut apud Sollerium nostrum videre,* S. Eliphii *memoriam cum elogio fieri. Neque desiit apud Ultrajectenses hæc persuasio post annum* 1485. *Quatuor enim in Musæo nostro habemus vetusta Missalia Ultrajectensia ; quorum illud, quod excusum est Antverpiæ anno* 1540, *in Kalendario ad* XVII *Octobris nuntiat* Florentinum episcopum, Elisium Martyrem *et* Martham Virginem sororem Magdalenæ ; *et ad eumdem diem propriam Missam exhibet cum inscriptione :* Elisii Martyris cujus caput est in ecclesia Trajetensi. *Missa autem hæc est :* Introitus : Lætabitur. *Ps.* Exaudi, Deus. Collecta : Misericordiam tuam, *ut Coloniæ.* Epistola : Justum deduxit. Graduale : Domine, prævenisti. ℣. Vitam petiit. ℣. Lætabitur. Evangelium : Si quis vult. Offertorium : Gloria et honore. Secreta : Suscipe, Domine, munera quæsumus dignanter oblata : et Beati Martyris tui Elisii suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium pervenire concedas. Communio : Qui vult venire. Complenda : Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cœleste mysterium : ut cujus exequimur actione, sentiamus effectum. Per. *E tribus reliquis Missalibus, quorum unum Ms. ad sæculum* XIV *aut* XV *pertinet,*

(*a*) Admir. Magnit. Coloniæ, p. 312. — (*b*) p. 43. — (*c*) p. 153. — (*d*) p. 88. — (*e*) p. 616.

secundum

A *secundum sæculo* XVI *impressum fuit, tertium hoc etiam vetustius est, id ultimum tantum in præmisso Kalendario memoriam* S. Eliphii *addit festivitati sancti Galli. Breviarium vero Ultrajectense, anno* 1518 *excusum, lectiones habet de* S. Eliphio *multo longiores quam quæ sunt in vetustis Breviariis Coloniensibus; eæque desumptæ fuerunt ex anonymo scriptore vetustæ Passionis* S. Eliphii. *Breviaria autem Ultrajectensia, quæ anno* 1623 *recentiora sunt,* S. Eliphii *festum expunctum habent. Quod minus mirum est, cum Surius anno* 1618 *publici juris fecerit diploma Hermanni archiepiscopi Coloniensis, quod traditionem Ultrajectensem subvertebat; nisi forte dum capitis particulam tantum haberent, id caput nuncupabant, ut olim sæpe fieri solebat. Continuo antiquiorem* S. Eliphii *dabo Vitam; quæ etsi fabulosa est, hoc potissimum nomine meretur excudi, quod toties a doctis hagiologis desiderata fuit.*

Edetur vita descripta a Zonsbeckio et cum aliis multis collata.

46 *Descripsi eam ex codice Ms. cui annotavit recentior manus hæc verba :* Liber Monasterii S. Martini Majoris intra Coloniam scriptus per R. P. Henricum Zonsbeeck Coloniensem sub annum 1480. De eo Hubertus Stralensis in Necrologio sui temporis. *Ipse vero Henricus ad finem Vitæ* B S. Eliphii *edendæ, et alterius Rupertianæ,* per me Henricum captivum *sese designavit. Bibliotheca Coloniensis P. Harzheim de eo testatur :* Henricus Zonsbeckius Coloniensis, in Sancti Martini Majoris Ord. S. Benedicti abbatia sub venerabili Adamo Mayer professus, excellentissimi ingenii vir, musicus et choraules egregius ac scriba perelegans. Moritur hydropicus 1533 ætatis suæ 76 in festo B. Mariæ Magdalenæ, cujus præsenti solatio fertur sæpius in ærumnis fuisse recreatus. Scripsit in membranis innumera fere volumina, nempe : Gradualia, Psalteria, Missalia, Breviaria, Diurnalia, aliaque cum latina, cum vernacula, Vitas Sanctorum, Homilias Patrum, Tractatusque asceticos complectentia, quorum aliqua in Sancti Martini Bibliotheca, alia in Brauweilirensi, nonnulla in Lacensi, quædam in Sancti Jacobi Moguntiæ, ac in aliis locis superant. De eodem plura Hubertus Holthuyzen in Ms. Virorum illustrium Sancti Martini catalogo. Ex comment. Oliv. Legipont Benedictini Martiniani. *Satis liquido ex his constat* captivitatem, *qua se Henricum constrictum esse scribit, vel pio vel saltem non malo sensu interpretandam esse. Recte laudatur ejus scriptionis elegantia aut potius nitor. Vitæ* S. Eliphii *de qua ago præmittuntur plura de S. Martino : ut Vita auctore Severo, Sermo S. Martini de Trinitate, etc. Postponitur vero Vita* S. Eliphii *auctore Ruperto. Absque dubio asservabatur olim hic codex in Musæo Hagiographico Antverpiensi; nunc autem constituit numeros* 2376-2381 *Bibliothecæ Burgundicæ Bruxellensis. Contuli hanc Vitam cum ecgraphis Gladbacensi, Trevirensi et Ratisponensi, de quibus dixi in primo* §. *item cum duobus legendariis sæculo* XV *impressis, et demum cum pluribus antiquis breviariis, de quibus in hoc Commentario similiter egi.*

C

PASSIO S. ELIPHII MARTYRIS.

Ex codice Ms. Coloniensi, nunc Bruxellensi, collata cum Mss. Gladbacensi, et Trevirensi, necnon plurimis impressis.

Juliano apostata

a Julianus apostata apicibus sacri eloquii a puero divinis instructus, ad subdiaconatus *a* insuper accedens honorem, cultor Domini nostri Jesu Christi exstitit infidelissimus. Nam omnium proculdubio miserrimus mortalium, Christum cultorum videlicet fidelium Salvatorem dereliquit, et diabolum suis exigentibus meritis humani generis deceptorem incurrit. Impiissimus namque Cæsar effectus crudelem dedit crudeliter legem *b* ut omnes ubicumque * Christiani cunctis cederent facultatibus suis. Crudelissimus igitur tyrannus quanta Christicolarum pene per orbem strages dedit nec lingua exserere humana * nec ullius calamus scriptoris scribere * valet. Post non parvum * temporis tyrannus teterrimus Italiam relinquens fecit se adire Gallias; ea procul dubio intentione ut idola erigeret, templa dæmonibus ædificaret, vastaret ecclesias, ad dæmoniorum culturam vel * præmiis invitaret Christianos, vel * si altiori consilio illum cum suis donis contemnerent, exquisitis studiose pœnis interficeret.

2 Ad maximam ergo longitudine et latitudine accessit urbem turribus et muris tunc temporis munitissimam, nomine videlicet Grandem *c*. Ad cujus adventum per superbiam Pagani eriguntur, per odium et inimicitiam Judæi armantur *d*; utrique * ad persequendos Christianos astipulati * incredibili conspiratione fiunt uniti. Cum igitur crudelissima proculdubio tempestas persecutionis in Galliis ubique Christi Ecclesiam vastaret, vir secundum sæculi dignitatem gloriosus *e* et quod * majoris est laudis fidelissimus Christianus, *f* Eliphius nomine, fulsit in urbe * Tullensi plane magna constantia. Ferunt qui ejus progeniem non ignorant, quod vir Deo plenus quatuor habuit germanos in omni sanctitatis * perfectione per cuncta sibi simillimos *g*, sanctissimum videlicet episcopum nomine Eucharium, qui cum palma Martyrii susceptus est in paradisum. Corpus ejus sacratissimum in castrum * ad Liberdum *h* est conditum; castissimas etiam tres virgines per omnia Christi devotas, quarum nomina lectioni placet nobis inseri. Menna dicitur prima sacra Virgo et monacha ad Porces est condita *i*; secunda nominabatur Libaria, monacha et Martyr in civitate Grandi fuit sepulta *k*; tertia monacha similiter et Martyr cognomine Susanna *l* in Campania est sepulta *. His ita breviter dictis de Sancti semper Martyris memorandi consanguineis, nostri convertamus cursum sermonis ad gloriosissimæ ejus articulum passionis.

3 Perfidi itaque Judæi atque semper crudelissimi, qui Christum usque ad mortem sunt persecuti, illo sine dubio volente atque ad hoc ipsum veniente fortissimum Christi militem Sanctum dico tenuerunt Eliphium et in carcerem posuerunt. Erant plane triginta * tres viri Christiani propter nomen et fidem Salvatoris carcere eodem inclusi. Factum est autem, providentia ut credimus agente divina, triginta tres *, de quibus jam diximus, carcere exierunt nocte una; qui postea in fide fortiter * permanentes Christiana, per martyrium meruerunt possidere siderea regna. Sanctus vero Eliphius de carcere egressus Leocham *m* intravit urbem et sepelivit sui genitricem naturæ cedentem. Interea athleta Christi non solum a militibus aut Judæis sed ex * ipsis studiose regibus quærebatur, ut vel * idolis magis aut dæmonibus immolaret vel * gladio interficeretur. Mirum dictu! fortissimus Christi agonista timore nudus, fide firmiter armatus ad exemplum illius qui appropinquante sua passione seipsum quærentibus obtulit, sponte regressus est et civitatem videlicet Grandim intravit, ubi tunc temporis Julianus fuit. Duobus ibidem moratus

D

b

* *Ratisp. et Gladb.* ubique

* *In cod. Col. omissa est hæc phrasis.*

* *alibi* exarare

* *lege* paululum

* *loco* vel *Gladb. et Ratisp.* ut *in agrum Tullensem ingresso,*

c

d

E

* *Gladb. et Ratisp.* viri

* *alibi melius* copulati

e

f

* quod *omittit Ratisp.*

* *Ratisp et Gladb.* in urbe fulsit

* *Ratisp.* societatis

g

h

* *Ratisp.* castro

i

k

l

* *Ratisp.* tumulata.

F

cum Judæis S. Eliphius *prædicasset,*

* *Ratisp. addit* et

* *Ratisp. addit* viri

* fortiter *deest in Gladb.*

m

* *Gladb.* ab *Ratisp.* et

* *Ratisp.* utrum

* *Ratisp.* utrum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A ratus diebus multa non paucis beneficia præstitit infirmis. Quotcumque enim illic incommoditatibus corporum tenebantur variis, gratia Dei beato viro cooperante, integerrimam mora remota receperunt omnes sanitatem.

et dæmonem expulisset 4 Adhuc vir sanctus studuit dona illis potiora adhibere. Opus enim statim euangelistæ arripuit, et verbum prædicationis infirmitatibus liberatis et paganis præsentibus aliis prædicavit. Hi autem qui verbum Dei cum gaudio suscipientes crediderunt, mulieribus parvulisque exceptis, ducenti * viginti sex numero fuerunt. Omnes denique quorum pectora fides ad justitiam, confessio autem ad salutem mundavit, sacri baptismatis unda ad sanctificationem feliciter abluit. Vir sæpe dictus et semper dicendus de civitate existens * illa et fluvium transiens utique Veram, offendit * in Judæos *n* dæmonum thecas colentes. Erat autem Sabbatum, dies festus Judæorum. Ecce * quid nefarii in suis Sabbatis agunt Judæi : Christum Dei sapientiam et virtutem contemnunt et ad suam dæmonia perditionem colunt. Dæmon itaque qui ab initio mendax, et pater ipsius exstitit mendacii per simulacra loquens Judæis, suæ

B responsa effundebat fallaciæ. Exigentibus enim suæ perfidiæ meritis oracula Prophetarum et præconia Apostolorum recusarunt; suas vero libenter aures dæmoniis accommodaverunt. Beatus sane Eliphius dæmonem increpans ait : O infelix et homicida a principio generis humani! hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum seduxisti, et tuæ veneno perfidiæ crudeliter mortificasti. Iterum multipliciter Beatus diabolo comminans, sic ait : Impurissime dæmon, ad tuum vade principem : quoniam * in hoc ulterius simulacro mansionem non habebis et amplius non introibis. Procax dæmon respondens ait : Usquequo * a principis mei servitio remotus fuero qui huc me misit, quia in mea diutius non permittis * mansione? Sanctus Dei gratia * plenus ait : Ad socios, sathana, tuos qui sunt in inferno vade; et in ipsa hora cum suis idolis absorbuit eum terra.

multosque convertisset gentiles, 5 Tunc Dei electus, verbum salutis paganis prædicaturus, in loco stans eminentiore ait : Homines miseri et mortales, multis imo omnibus involuti estis malis * et ligati, quos per innumeros diabolus instigat errores, qui vivum * et verum Deum visibilium et invisibilium factorem ignorantes nec fidei sacramenta ejus * suscipitis neque eum adoratis. Relinquite ergo miserendi apostatam diabolum. Venite et credite Creatorem, ut peccatorum accipiatis vestrorum indulgentiam et sempiternam animabus vestris inveniatis requiem. His itaque mirabilem * Spiritu Sancto illustrante Eliphii * dictis per Dei gratiam compuncti sunt auditores, qui Salvatorem mundi cum omni devotione verum Deum * confesssi crediderunt sexcenti et viginti viri. Sed mulieres Christo devotæ non fuerant numeratæ. In Christi ergo nomine cum grandi lætitia sunt baptizati et corpori Sanctæ Ecclesiæ cum magno gaudio sunt aduniti *. O virum vere per omnia laudabilem! in signis et miraculis per cuncta apostolicum, qui perfectam humanis præstitit sanitatem corporibus et veram nihilominus concessit salutem animabus!

atque hæc imperatori nuntiasset gentilis, 6 Post hæc serpens antiquus diabolus sua sibi dolens vasa diripi, paganorum unum intrat, qui cuncta quæ per Dei gratiam Beatus Eliphius est operatus diligenter Juliano intimavit. Hoc sane sui sermonis initium arripuit : Ignorasne, Juliane, quod unus Christianus, nomine Eliphius, tuos deos destruxit, atque ad tuam procul dubio confusionem ad cinerem usque redegit. Considera, obsecro, quia tibi et semini tuo non propera sed adversa prophetat, et sine ullo tui timore contra te et tuam audacter potentiam rebellat, atque in tuo quodammodo super te regno hodie sese exaltat. Tunc rex nimio furore turbatus, ait : Si deos cum omni festinatione immortales non adoraverit, gladius nunc meus caput ejus amputabit. Profanus autem surgens velociter Julianus ad fluvii ripam concito gradu festinavit; ibi gloriosum quem quæsivit Eliphium invenit. Constantissimus vero Martyr adventum non veritus imperatoris, voce clara cunctis ministravit verba salutis. Nec plane Salvatoris fortis athleta judicis timuit tormenta, sed per multas tribulationes et labores cum corona martyrii ad cœlestia regna pervenire voluit. Tunc rex proloquens ait : * Eliphi, per tuos quare sermones crudeliter deos dissipasti, et incantationibus eos nefariis ad nihilum deduxisti? Sed et hoc super omnia habes factum quod populum mihi abstulisti devotum, atque a cultura segregasti deorum.

D

7 * Vir sanctus et caritate præcipuus ait : Juliane, meum consilium suscipe salubre; renuncia diabolo et simulacris dæmoniorum; crede vero in Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum de Deo vero ex Maria Virgine secundum carnem natum, et tuarum invenies indulgentiam culparum atque vitam in regno * habebis sempiternam. Rex truculentus ira commotus magna dixit : Per deos deasque juro tibi, Eliphi, nisi meo obtemperes præcepto et renoves deos meos et colas quos confregisti minutim, gladius meus tuum caput dividet particulatim. Sanctus Martyr respondens ait : Rex Juliane, noli errare, neque tu, Deo adjuvante, poteris, neque tuus pater diabolus, qui dominatur tibi, me a fide et caritate separare Christi. Christus enim innocens et sine ulla peccati macula purus, pro nobis peccatoribus misericorditer est passus. Justissimum sane videtur ut propter fidem et confessionem ejus nominis gloriosi moriamur, ut cum ipso in vita æterna feliciter lætemur. Tyrannus, frendens * quasi leo rugiens, Martyri ter beato dixit : Flexis in terram genibus tuam extende cervicem, et mei mucronis sicut tibi prædixi suscipe plagam. Cui fortissimus Christi Martyr ait : Precor te, rex, per terribile Dei mei nomen, ut des mihi saltem unius horæ spatium quo devotas possum * fundere orationes ad Dominum meum. At rex licet crudelissimus erat * paganus et infestissimus Christiani nomini sinimicus, ait ad Dei * Sanctum : Tuam, sicut vis, effunde et extende orationem.

E

F

8 Preciosus Martyr postquam accepit orandi licentiam prostravit se in terram et elevans vocem, sic inchoavit precem : Domine Deus omnipotens, qui cœlum, et terram * et omnia quæ in eis sunt creasti, et hominem quem ad imaginem et similitudinem tuam factum in paradiso posuisti, eumdemque post lapsum diabolo suadente per Unigeniti tui Incarnationem et Passionem reformasti, et sanctos et electos tuos non ad hujus mundi gaudia, sed ad labores et tribulationes misisti, supplicem servi tui exaudi orationem, quia te timeo solum et tota cordis alacritate diligo : nunc pro tuo nomine non solum omnia carnis tormenta, sed et ipsam subire desidero mortem; animam meam jube * suscipi per manus Apostolorum * in paradiso tuo cœlesti cum corona martyrii ponendam. Istis nunc * hominibus, a quibus sum interficiendus, cunctorum da criminum indulgentiam, et cum omnibus sanctis tuis * in regno tuo portionem; qui vivis et regnas

Deus

* *Ratisp.* dixit

* Cui *præmittit Gladb.* captus est *S.* Eliphius, *qui cum minis restitisset,*

* *Ratisp. addit* cœlorum

* *Ratisp. addit* et

* *Ratisp.* possim

* *Gladb.* esset

* *Ratisp. et Gladb. omittunt* Dei *et oratione se ad mortem parasset.*

* *Ratisp.* terramque

* *Ratisp.* jube meam

* *Ratisp.* Angelorum

* *Ratisp.* autem

* *Ratisp. omittit* tuis

* *Ratisp.* ducentium

* *Ratisp.* exiens

* *Ratisp. addit* in littore *n*

* *supple* ait *ex Surio.*

* *Ratisp.* quia

* *Gladb.* ero

* *Ratisp. addit* esse

* *Ratisp.* gratia Dei

* *deest in Ratisp.*

* *Ratisp.* unum

* *Ratisp.* ejus sacramenta

* *alibi* mirabiliter, *quod melius.*

* *Ratisp.* Eliphium

* *Ratisp.* Dominum

* *Ratisp.* adjuncti

A

Deus * cum Unigenito Filio tuo et Sancto Spiritu * unus et verus Deus in sæcula sæculorum.

9 Cumque fideles qui affuerunt respondissent : Amen, fortissimus Christi Martyr erexit se ab oratione et in multitudinis stetit medio et ait : Rex Juliane, quum * non dubito me interfici a te, rogo saltem meum cadaver sepulcro permittas tradi et locum mihi concedas sepulcri. Rex vero viro Dei respondit : Quemcumque elegeris locum, in illo tuum fiat sepulcrum. Neminem autem moveat quod clarissimus Martyr de suo corpore sepeliendo curam habuit. Legimus enim Jacob Patriarcham rogasse Joseph filium suum ut in spelunca duplici sepeliret eum, et exegit * ab eo jusjurandum ut in illo loco poneret corpus suum. Joseph quoque cum esset ætatis centum et decem annorum et veniret ad mortem, filios Israhel rogavit ut, cum de terra Egypti exirent, ossa sua in terram repromissionis secum transportarent, et cum aliis Patriarchis, id est cum fratribus suis, illic eum sepelirent. Multipliciter certe vel in beatorum Martyrum, aut in sanctorum Confessorum legitur libris, quod * magnam de suis curam *p* habuerunt sepulcris. Interea athleta Christi fortissimus oculos attollens et circumquaque aspiciens, vidit de longe montem meritis ejus excelsum *, qui vocatur hodie mons Sancti Eliphii *q*. Deinde Martyr preciosus lætitia spirituali plenus dixit Juliano : En *, Cæsar, cernis locum * in quo Christo demonstrante habebo sepulcrum. Post hæc se convertens ad multitudinem fidelium ait : Admoneo vos, qui in Christum creditis et ipsum adoratis, ut meam sæpe * memoriam habeatis, maxime tamen in die meæ passionis, et ego Christum pulsabo precibus pro vestris culpis atque fragilitatibus. Ad regem regressus, Dei Eliphius * amicus flevit præ gaudio dumtaxat grandi, non mortis timore. Namque frequenter solitus erat seipsum persecutoribus sponte offerre : quomodo potuit tormenta vel mortem timere? Sed quia per multas currit * pœnas et impiorum contempsit hominum minas et palmiferum finivit cursum, totis visceribus Christum videre desideravit *, graviter sustinuit quia eum velocius non vidit. Dicat ergo vir sanctissimus cum Apostolo Paulo, dicat : Cupio dissolvi et esse cum Christo; multum enim melius *. Cum eodem plane iterum dicat : Bonum certamen certavi, opus bonum * consummavi, fidem servavi, ideo * reposita est mihi corona justitiæ.

10 Versipellis et profanus malesuasor Julianus, quem separare non valuit minis et multis frangere non potnit pœnis, eum suasoriis festinat corrumpere verbis, et vanis decipere tentat blandimentis. Crudelis itaque et immitis bellua in talia leviter prorupit verba : Vir inclyte Eliphi, noster esto amicus. Accipe dignitates et honores, aurum et argentum, et bona omnia quæ hominibus sunt pretiosa posside. Tum * colendo deos fac tibi propitios et semper in nostro nominatus eris regno. Ad hæc Christi Martyr respondit : Cæsar, a diabolo es seductus, et Christianos seducere non cessas. Veram enim Christianorum deseruisti fidem, et sacrum sancti baptismatis coinquinasti fontem, et Dominum Jesum Christum fidelium Salvatorem negasti, et diabolum generis humani seductorem ad tuam perniciem colis et coluisti. Ambagibus sine causa uteris variis : quia tuis promissis, Christo me adjuvante, non seducar donis. Idcirco fiducialiter tibi dico quod Beatus Petrus locutus est Simoni Mago : Pecunia tua et munera tua sint tecum in perditionem. Ideo enim terrena promittis ut cœlestia tollas ; et vitam transitoriam proponis ut æternam subtrahas ; et ad extremum sine dubio idcirco suades caduca gaudia, ut amoveas ea quæ sunt æterna. Quæ igitur facturus es quantocius facito, quia numquam tibi obtempero, nec idola tua, nec parentem tuum diabolum adoro. Ego enim in verum credo et adoro Deum, in essentia suæ substantiæ * unum, in personis trinum, creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium et finem non habentem, cujus regnum incorruptum permanet in sempiternum. Credo Unigenitum Dei Patris omnipotentis * Filium, sibi consubstantialem, coæternum et coæqualem, Spiritu Sancto operante in Maria conceptum, verum hominem sine virginitatis suæ corruptione ex ea natum, sub Pontio Pilato crucifixum, a mortuis tertia die resurgentem, in cœlos sanctos ascendentem, in die judicii vivos et mortuos judicaturum et unicuique secundum opera sua redditurum. Hæc cum audisset odibilis * Julianus Apostata repente ira repletus est magna, et spiculatoribus vocatis, imperavit eis, ut Martyrem sine dilatione magnificum decollarent Eliphium.

11 Sed miserrimus hostis generis humani ad victimam deridendo dixit acceptabilem omnipotentis Dei : Modo videbo, si Deus tuus quem colis veniens te liberaverit et surgere te atque tuis pedibus ambulare fecerit *r*. Apparitores plane sicut illis jussum erat, fecerunt, et honorabile Sancti * Eliphii caput amputaverunt. Dominus autem Jesus Christus in Martyris sui voluit ostendere passione, quanti eum meriti atque gloriæ prædestinaverit esse in suo regno. Omnes enim infirmi qui diversis languoribus erant occupati, ad passionem martyris currentes gloriosi, meritis ipsius redditi sunt sanitati. Martyrizatus est nempe amicus Dei Eliphius in prato amœno *s*, quod situm est in ripa fluvioli cui nomen * Vera. Verum mirabilis Deus Martyrem sibi carum glorificavit et eum omnibus ubique mirabilem fecit. Martyris ergo corpus gloriosi erexit se per virtutem Christi, et ambabus suum caput amplectens manibus, per unum milliare comitantibus Angelis et Christum laudantibus portavit, donec ad sui nominis montem sine ulla offensione perveniret. Deinde subiit in montem sibi electum quondam, et lapidem ibi album inveniens atque planum, ut indigenæ terræ illius asserunt, sedit super eum *. Res satis inusitata facta jam erat in petra; lapidis grandis duritia martyris cessit sanctitati, et proprium aperiens gremium in suo amplexus est sinu Sanctum, et concavum ac aptum locum sedendi in sua nimirum dedit concavitate. Si quis! quod absit, incredulus fuerit verbis dictantis, lapidis fidem accommodet signis non loquentis. Beatissimus Martyr Eliphius locum juxta illum est sepultus, in quo sibi sedit vir Dei desiderio plenus *t*. Super sacratissimum ejus sepulchrum ædificatum est a fidelibus oratorium ubi fideliter petentibus præstantur beneficia virtutum.

12 Mons plane in quo sepultus est Sanctus Eliphius inter Frumentosam *u* et Grandim est medius, ab utraque millibus distans senis, ab aquilone Tullensem urbem tenens, ab austro vero Grandim habens. Libet ad mentem revocare in operis fine, quomodo Deus festinanter voluit servi sui injuriam vindicare. Ipse enim suis fidelibus promisit, atque fideliter ipse adimplevit : Mea vindicta et ego retribuam. Consummata itaque clarissimi Martyris passione, sol tendit suo ad occasum more, nocte paulatim diei succedente. Interea inter Christianos paganosque oritur pugna, et hominum cædes valde perficitur cruenta.

Fideles

* *Ratisp.* *omittit* Deus
* *Ratisp.* Spiritu Sancto *et sepulchri locum sibi elegisset,*
* *Ratisp.* quia
* insuper *addit Gladb.*
* *Ratisp.* quia
p
B
* *Gladb. addita* Deo præordinatum
q
* *Ratisp.* *Ecce*
* *Ratisp.* montem cernis ipsum
* *Ratisp.* semper
* *Ratisp.* Eliphius Dei
* *alibi* percurrit
* *Ratisp. addit* et
* multum enim melius *alibi deest.*
C
* *Ratisp.* cursum
* *Gladb.* de reliquo; *Ratisp. omittit* ideo *et denuo blanditiis tentatus fuisset,*
* *Ratisp.* Tantum
* *Ratisp.* *omisso* essentia, *habet* in sua substantia
* omnipotentis *omittit Ratisp.*
* *Ratisp. addit* Deo
E
gladio tandem cæsus est, et caput manibus portavit.
r
* *Ratisp.* sanctissimi
s
* *Ratisp. addit* erat; *Gladb.* est
F
* *Hæc phrasis paulum confusa in Ratisp.*
t
Eo intercedente, victoriam referunt Christiani.
u

A Fideles namque Martyris magnifici meritis adjuti, infidelibus Christo donante victis, victoriam sunt gloriose adepti *v*. Extinctorum porro corpora paganorum Christiani miserunt in fluvium sæpe ante nominatum. Colat obsecro sancta Colonia Eliphium colendum, amet destinatum a * *Ratisp. addit* sibi Deo * Patronum; advocatum eum sibi in hac vita provideat, ut defensorem hic et in futuro illum firmiter habeat. Passus est sane venerabilissimus Martyr Eliphius XVII kalendas Novembris *x* sub Juliano apostata et tyranno, imperante vero Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Julianus numquam accessit ad subdiaconatus gradum : Lector tantum fuit; sic de eo Theodoretus* (*a*) : Hic *(Julianus)* in tenera ætate, adhuc impubes, una cum Gallo fratre lac suxerat piæ do- B ctrinæ. Sed et postea cum pubertatis annos attigisset, jamque inter ephebos esset, eamdem doctrinam retinuit. Veritus tamen Constantium, qui tyrannidis metu propinquos suos interficiebat, in Lectorum numerum adscriptus est, et sacros libros in ecclesiasticis conventibus populo recitavit. *Mitto textum græcum. Eadem latius declarat Socrates Scholasticus* (*b*). *In tomo* III *Observationum selectarum ad rem litterariam spectantium, Halæ Magdeburgicæ impresso, negatur Julianus Lector fuisse ; at tota nona observatio, ubi id obtinet, prorsus inter paradoxa ableganda est. Vide commentarios Trivultianos anni* 1708 (*c*), *ubi hæc nova crisis, omnia historiæ monumenta impugnans, merito subruitur : quod Julianum Lectorem ordinatum fuisse negat hujus observationis auctor, ratio vel prætextus est, neminem his temporibus ad hunc ordinem promotum fuisse ante annum vigesimum ætatis. Verum audiendi sane non sunt neoterici sæculi* XVIII, *cum præsto sint scriptores multo antiquioris ævi, res suis temporibus actas enarrantes, quales S. Gregorius Nazianzenus, Sozomenus, Socrates, Theodoretus, etc.*

b *Talem legem numquam tulit Julianus. Exaggerantur hoc loco, quæ Socrates* (*d*) *tradit :* C Interdixit *(Julianus)* etiam ne in palatio militarent, qui Christianam religionem abjicere et simulacris sacrificare nollent. Ad hæc ne Christiani regendas provincias acciperent. *Vide Nicephorum* (*e*), *et Natalem Alexandrum* (*f*). *Late dictum est* § II *de Juliano apostata in Galliis versante, examinatumque num istic persecutorem egerit.*

c *Olim in agro Tullensi civitas erat, nunc vicus monumentorum romanorum reliquiis insignis : vide P. Benedictum Capuccinum* (*g*) *et dissertationem Cl. V. Digot de episcopatu S. Eucharii* (*h*).

d *Hæc si de Asia Minori aut Græcia affirmarentur, non ita a veritate forent absona; de Gallia autem adstructa, intolerabilia sunt.*

e *Cratepolius in suo libello de Germaniæ episcopis et doctoribus* (*i*) *Sanctum* Eliphium filium Regis Scotiæ *proclamat. Usserius, non attendens hunc Merssæi Cratepolii errorem ortum esse ex eo quod sancti Martyris Reliquiæ in monasterio olim a Scotis occupato asservarentur, et magis forte in Britanniæ decora quam veritatis jura inquirens, Cratepolium secutus est* (*k*). *Designat etiam loca Dempsterus* (*l*) *scribens :* S. Elisius, filius regis Scotiæ Fincormaci, ut existimo, aut sane Crathlinthi, ut aliis visum. D

f *Quidam recentiores faciunt eum episcopum, non tamen sedis Tullensis, quam benigne S. Euchario servant. Nonne sat multas fabulas de* S. Eliphio *suxit vulgus, quam ut historici novas inquirere debeant? Ad diem* XXVII *Octobris, qua festum S. Eucharii agitur, in hujus episcopatum inquiremus.*

g *Late commentatus est Jacobus Bueus in Vita S. Mennæ ad tertiam Octobris* (*m*) *quidquid ad parentes (quos Baccium et Lientrudem nuncupant), ad fratrem et sorores (Gontrudem et Odam addunt acta S. Mennæ); ad locum natalem (quem alii Tullum, alii Solimariacam, alii demum Scotiam faciunt) attinet. At satis superque jam dixit Bueus de istiusmodi vulgaribus rumoribus, qui quantum ad hanc fraternitatem pertinent, orti videntur ex eo, quod ii Sancti in eadem regione coluntur. Similia exempla extant plurima.*

h *Jam tempore regis Dagoberti I Liberduni, quod Petrus de Brixei anno* 1184 antiquissimum Ecclesiæ Tullensis castrum *appellat, S. Eucharii Reli-* E *quiæ servabantur, ut liquet ex quodam hujus regis privilegio; de quo latius, cum de S. Eucharo egemus. Consule P. Benedictum* (*n*) *obviosve geographos de Liberduno, nunc in diœcesi Nanceensi* (Dép. de la Meurthe).

i *Anno* 1063 *S. Mennæ corpus translatum fuit Porsas, seu potius Portum Suavem in pristina diœcesi Tullensi, prius monasterium Ordinis S. Benedicti dein collegium canonicarum nobilium sæcularium, nunc forte rudera. Portus Suavis* Poussay *vulgo audit, jacetque non procul a Mirecurtio ad rivum Madon* (Dépt des Vosges).

k *Diu jacuerunt Grandi S. Libariæ Reliquiæ; anno autem* 1587 *Tullum in abbatiam S. Leonis translatæ sunt; antea jam quædam desumptæ fuerant particulæ. Consule nostrum Suyskenum ad* VIII *Octobris* (*o*), *qua S. Libaria colitur, et P. Benedictum* (*p*), *nonnulla quæ Suyskenum latuere referentem.*

l *De S. Susanna nihil luspiam locorum invenio; in nullo, quod mihi innotescit, Kalendario aut Martyrologio clare notatur; de ea mentionem non facit Ruyrius in Antiquitatibus Sacris Vosagi; Calmetus in Hist. Lotharingiæ ad annum* 362 *pollicetur se de ea* F *dicturum, cum de S. Menna recurret sermo; verum oblivio fidem non sivit fieri pollicitationi; Pater Benedictus autem fatetur de hac sancta leviusculam tantum superesse traditionem, qua in Campania Gallica sepulta esse perhibetur. Si vero conjecturis indulgere liceat, libenter crediderim eamdem esse ac eam Abbatissam Remensem, quæ Virgo Sancta in Vita S. Theodorici* (*q*) *vocitatur, et a S. Remigio instructa fuerat. Ad diem* VIII *Octobris prætermiserunt decessores nostri homonymam Virginem cultam in pago Blionensi, quem eumdem esse suspicor ac tractum terræ diœcesis Tullensis, Ornesium inter et Mosam in Campania jacentem, cui nomen est* Blois.

m Leocha *idem est ac Tullum Leucorum, quæ olim sedes episcopalis erat, ut in Commentario prævio monuimus. Sunt, qui* S. Eliphii *parentes in castello quodam,* Bactiman, Baciman *dicto, habitasse asserant; potuit tamen mater Tulli obire.*

n *Hæc dæmonum thecæ usum potius gentilem quam judaicum signare videntur; licet enim Judæorum tabellæ, decalogi verbis notatæ, sæpiusque dictæ*

(*a*) Hist. Eccl., lib. I, cap. II. — (*b*) Hist. Eccl., lib. III, cap. I. — (*c*) T. I, p. 448. — (*d*) Hist. Eccl., l. III, c. XIII. — (*e*) Hist. Eccl., lib. X, cap. XXXVIII. — (*f*) Hist. Eccl., sæc. IV, cap. I. — (*g*) Hist. de Toul, p. 110. — (*h*) L'Espérance, Courrier de Nancy, 8 Juill. 1841. — (*i*) p. 52. — (*k*) Antiq. Eccl. Britannicæ, p. 410. — (*l*) Hist. Eccl. Scot., n. 453. — (*m*) p. 151 et seqq. — (*n*) Hist. de Toul, p. 209. — (*o*) p. 229. — (*p*) Hist. de Toul, p. 212 et seq. — (*q*) Act. SS. Ord. S. Bened. tom. I, p. 616; in Opere nostro ad diem I Julii.

A *phylacteria, nomine* thecarum *venire possint, eis tamen non congruit appellatio* thecarum dæmonum, *et inferius* simulacrorum. *Quocirca* thecæ *illæ vel sunt ejus generis, quod culpavit S. Eligius, vetans :* Nec per fontes aut arbores vel bivios diabolica phylacteria exerceantur (*a*) ; *vel quod mihi magis arridet, referendæ sunt inter* pastophoria, ædiculas, armaria, ναίσκους, ναΐδια, κιβώρια μικρὰ, καδίσκους, *quæ arculæ sunt ligneæ, lapideæ, argenteæ, etc. idolum quoddam capientes, et de quibus scripserunt plurimi, quos Franciscus Cancellierus in opere de Secretariis Basilicæ Vaticanæ veteris et novæ* (*b*) *recenset.*

p *De cura sepulturarum, tum suæ tum alienæ a Patriarchis habita, adeat lector Spondanum de cœmeteriis lib.* I, *cap.* V. *Idem inferius exorditur integrum caput de sollicitudine Martyrum ante et post passionem de sua sepultura ; Confessores immixtos ibidem habes.*

q *Dictum est de hoc monte, ecclesia* S. Eliphio *sacra decorato, num.* 17 *Commentarii prævii.*

r *Quæcumque verba Juliano adscribuntur, prorsus ab ejus moribus abhorrent. Injuria hujusmodi*

B *emphaticæ minæ atque pollicitationes tamquam fictionis argumenta habitæ sunt a Tillemontio, quando de atrocissimis persecutoribus agitur ; verum jure haberi possunt, cum de Juliano quæstio est.*

s *Jacet hoc pratum ad pedem veteris Solimariacæ, nunc* Soulosse ; *de qua plura imprimis apud P. Benedictum* (*c*). *Solo rivo Vera separatur Solimariaca a Monte seu Vico* S. Eliphii. D

t *Plura de Martyribus cephalophoris, ut dicuntur, vide in commentario de S. Bolonia, ubi hoc miraculorum genus nonnihil infirmatur. Vetus Vita theotisca, cujus memini num.* 4, *et omnium optima est, omittit prorsus hoc miraculum et alia quæ sequuntur.*

u *Consentiunt omnes geographi, aut Tullensis agri scriptores, quos adhibere licuit, in dicendo Frumentosam vicum esse, qui nunc* Fruse *audit. Verum iste vicus non senis millibus distat a Monte* S. Eliphii, *sed ne semi leuca quidem, et certe multo proprior est huic monti, quam Grandis. Habent tamen omnes codices :* Mons plane... inter Frumentosam et Grandim est medius ab utraque millibus distans senis. *Multo itaque verisimilius est alium hic indicari locum, quem* Framont *esse autumo, jacentem prope* Vichery.

v *In Commentario prævio num.* 5 *monuimus jam totum hunc finem a codice S. Maximini Trevirensis abesse.*

x *Consonant omnes Vitæ in assignanda S. Martyris cæde diei* XVI *Octobris, aut mensis S. Remigii,* E *ut loquitur Vita theotisca. De anno vero multum ambigunt scriptores, inter annum* 350 *et annum* 363 *sese volventes. Quam ob causam initio Commentarii prævii* S. Eliphii *martyrium ad annum circiter* 362 *retulerimus, in* § II *late explicatum fuit.*

(*a*) S. Audoenus in Vit. S. Eligii, lib. II, part. III, cap. XV. Conf. notas Smetii ad Vit. S. Eligii in Act. SS. Belgii, tom. III, p. 250, not. *a* et p. 253, not. *k*. — (*b*) Tom. I. p. 133 et seqq. — (*c*) Hist. de Toul, p. 13 et 150.

DE S. BOLONIA MARTYRE.

IN AGRO BASSINIACENSI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Boloniæ cultus, biographi, juventus, martyrii tempus et locus, incertum
C miraculum, et reliquiarum conditio. F

CIRCA ANNUM FORTE CCCLXII.

S. Boloniæ cultus ex Castellano, ex nomine vici, et ex antiquo Breviario Lingonensi constat.

Quantumvis certus sit S. Boloniæ *cultus, in nullo tamen latino Martyrologio ejus occurrit mentio. Solus Claudius Chastelain in Martyrologio universali gallico ejus meminit his verbis :* In agro Bassinianensi S. Boloniæ (*Ste Boulogne*, aut ut vulgo dicitur *Ste Bologne*) quæ in dicto agro, in templo sui nominis, sub Virginis et Martyris titulo honoratur ; *quin etiam addere potuisset ipsum vicum, in quo hoc templum est, sub nomine* Bologne *aut* Ste Bologne *venire. Porro jacet ille vicus, ut ait d'Expilly* (*a*), *in pago Bassiniacensi* (*nunc fere* département de la Haute-Marne) *a dextris Matronæ fluvii, sesqui leuca a Calvo-Monte* (Chaumont) ; *quæ sufficiunt ut is vicus a pluribus homonymis Galliæ vicis distinguatur. In hoc autem loco duplex olim* S. Boloniæ *celebrabatur festum, prius* XVII *Julii in Reliquiarum translationis memoriam, alterum* XVI *Octobris, quoniam hoc die martyrium subiisse fertur. Neque olim ejus cultus in hoc tantum pago se continebat : ex Breviario enim Lingonensi anno* 1604 *excuso discimus in tota hac diœcesi ejus commemorationem fuisse factam, recitata oratione :* Exaudi ; *cum hac tamen lege, ut* si in die Dominica festum occurreret, de eisdem (*de S. Berchario et de* S. Bolonia) non fieret Comm. nec dicerentur duæ Coll. per Horas nisi in Missa tantum. *In ordine diurno ad annum* 1829 *impresso, deleta est hæc commemoratio. In litteris vero, quam humanissime ab amplissimo Domino Favrel, Illustrissimi Petri Parisis Episcopi Lingonensis Vicario Generali, ad nos datis, innuitur hoc tempore denuo* S. Boloniæ *festum in diœcesi Lingonensi celebrari. Ipsa verba latina facio :* Hodie non exstat amplius Lingonense Breviarium. Quod ultimo excusum fuit loco, anno videlicet 1830, cum titulo : Breviarium Lingonense, mere Parisiense erat ; at huic hodiernus Illustrissimus Lingonensis Præsul Romanum, prout jacet, substituit eo animo ut magis constringerentur unitatis vincula, quæ Lingonensem sedem cum Christianæ Ecclesiæ centro conjungunt : qua de re in æternum optimo nostro Præsuli gratula-

(*a*) Dictionn. géograph. et histor. des Gaules et de la France.

bitur

A bitur Lingonensis diœcesis. Verumtamem notetis velim nos propterea nuntium non remisisse pristinis pagi Lingonensis Patronis. *Quibus postremis verbis innui existimo, quæ superius enuntiavi : cæterum lector judicet.*

Tres S. Boloniæ Vitæ fabulis mixtæ exstant.

2 *Porro ad qualemcumque* S. Boloniæ *Vitam conscribendam, monumenta sat multa præsto sunt, si hujus Sanctæ ætatem inspicias ; at hæc tam manca, totque nævis sunt plena, ut ea vulgarium traditionum loco habere non nequeam. Attamen quoniam generatim etiam hujusmodi traditionibus veritas subolet, tenue hoc filum tanquam ducem sequens, quantum fas erit,* S. Boloniæ *gesta discutiam. Monumenta autem illa terna sunt : primum scilicet, novem lectiones, quas anno* 1657 *ex Legenda Calvomontana transcripsit P. Jacobus Vignerius, presbyter Societatis Jesu, tunc collegii Calvomontani rector, qui ad calcem hæc totidem addidit verba :* Superior Legenda conformis est ei, quæ asservatur in ecclesia Boloniensi, diœc. Lingon., cujus Patrona est ipsa Sancta Bolonia ; nisi quod hæc est illa corruptior. Ei autem additur quod sequitur : « Anno Domini millesimo CCCC et XVII, XVII mensis Julii reverendus in Christo, et Dominus Cardinalis de Barro vulgo nuncupatus, episcopus Ecclesiæ Lingonensis, transtulit honorabiliter ossa gloriosæ Virginis Sanctæ Boloniæ : atque festum ipsius translationis annuatim instituit in ecclesia de Bolonia, dans omnibus Christi fidelibus, in die festi ipsius 40 dies indulgentiarum. » *Atque hæc P. Vignerius de Legenda Calvomontana et Boloniensi, deque Reliquiarum translatione. Quæ cum in ipsis lectionibus sileatur, licet Vita gallica, modo memoranda, doceat continuo post annum* 1417 *in Lingonensi Breviario de ea translatione mentionem factam fuisse, consequens videtur, eas ante hunc annum fuisse conscriptas ; et sane tempus sapiunt, quo historia nondum ad crisin fuerat revocata. Quoniam vero veneranda sua antiquitate conspicuæ non sunt, et nihil habent quod certum aut verisimile sit, quodque in recentioribus non repetatur, non est cur iis inutiliter Opus nostrum gravemus. Secundum monumentum, quod olim P. Chiffletius ad hagiographos Antverpienses misisse videtur, e tribus lectionibus constat, quæ aliquanto prudentius, partim ex prioribus, partim ex regionis traditionibus circa exiens sæculum* XVII *collectæ videntur. Eas, licet non omnino tutas, edemus, quandoquidem nihil melius de* S. Bolonia *reperire contigit. Tertiam Vitam gallicam humanissime nobiscum communicavit R. D. Champion, Boloniæ deservitor seu parochus. Ecgraphon est anno* 1819 *descriptum ex vetustiore codice, tumultibus reipublicæ Gallicæ antiquiore (ut ex iis quæ de Reliquiis ibidem narrantur liquet), et verisimiliter circa iniens sæculum* XVIII *primum confecto. Scriptor, qui pius sacerdos esse videtur, se auctorem profitetur alicujus ignotæ nobis Vitæ S. Clementis Metensis ; nomen vero suum non prodit. Assertorum suorum non alios habet vades, quam præfatas lectiones Calvomontanas, et Legendam ; quam cum ipse, vir minime incredulus, pejorem illis lectionibus pronuntiet, eam nobis deesse minime dolemus. Quas vero novas de* S. Bolonia *lectiones olim conscripsit P. Vignerius, vir de historia Lingonensi optime meritus, et ad musæum hagiographicum Antverpiense destinavit, numquam hæ Antverpiam devenere, ut a Papebrochio notatum reperio ; neque nos eas aliunde assequi potuimus.*

S. Bolonia, diversa a S. Apollonia,

3 *Porro, si* S. Boloniæ *Vitam in examen vocare lubet, primum quod occurrit dubium, gravissimum est : sitne* S. Bolonia *eadem ac S. Apollonia. Quod dubium facile urgeri potest : simillimum enim Sanctæ* Boloniæ *nomen nomini Sanctæ Apolloniæ, quæ et Pollonia et Paulina audit, et cujus festum occurrit* IX *Februarii ; utraque præterea fertur extractorum dentium dolores perpessa esse : quocirca in inferius edendis lectionibus dicitur :* ac primo colaphis et contusione dentium faciem ejus deturpat, ut quæ similitudine nominis et virginitatis consortio cum Apollonia conjuncta jam erat, paritate cruciatus consentiret. *Unde quis conjicere fors posset ex una Sancta Martyre duas esse factas, et alteram ortam tantum fuisse in vico Bolonia ex allatis aliunde Reliquiis ; quam conjecturam nonnihil juvant innumera quæ circum ipsam Sanctam Apolloniam versantur dubia : non enim constat an Sancta Apollonia Romana diversa sit a Sancta Apollonia Alexandrina, si quidem eodem die in sacris fastis inscribuntur ; quod si diversa non sit, dubium est num virgo an maritata fuerit, et imprimis quo loco, quo anno, quod martyrii genus sit perpessa. Vide P. Bollandum hac super re ad prædictum* IX *Februarii. Verumtamen quadruplex apud me obstat ratio, quin* S. Boloniam *eamdem arbitrer, ac S. Apolloniam : prima, quia alio die colitur ac Sancta Apollonia, quod firmissimum argumentum est ; secunda, quia olim in vico Bolonia omnes ejus sacræ Reliquiæ servatæ videntur ; tertia, quia vulgaris traditio, cujus momentum spernendum non est, totam* S. Boloniæ *vitam certis illius vicis locis alligat ; quarta demum, quoniam S. Apolloniæ vulgata Passio plurimum ab illa* S. Boloniæ *differt : excussorum dentium cruciatus unus fere tantum communis est.*

a nutrice pie educatur, improbante patre pagano,

4 *Ipsa vero traditio variare videtur circa* S. Boloniæ *matrem. Edendæ lectiones non secus ac antiquiores asserunt parentes paganos fuisse. Ast in Vita gallica, quam prælaudatus Dominus Champion nobis submisit, refert auctor, in altera, qua usus est, Legenda reperiri matrem Christianam, patrem paganum fuisse. Atque hic est locus qui affirmare me jussit tertiam olim exstitisse Legendam, quæ ad manus nostras non devenit. Quæ vero in ipsis lectionibus et in Vita gallica de Sanctæ* Boloniæ *educatione dicuntur satis similia sunt his, quæ occurrunt in Passione Sanctæ Libariæ, quæ in vicina Tullensi diœcesi octava Octobris colitur. Nutricem tamen Sancta Libaria habuisse non dicitur, sed oves quoque pascebat, cum Julianus coram eam transiit. Vide P. Cornelium Suyskenum ad* VIII *hujus mensis, ubi contrahit quæ latius explicata invenerat in codice Ms., qui nunc numerum* 3402 *Bibliothecæ Burgundicæ regiæ Bruxellensis constituit. Nolim tamen propterea hunc* S. Boloniæ *Vitæ locum prorsus respuere, quoniam S. Libariæ Passio potius desumpta videtur ex traditionibus, quæ circa* S. Boloniam *fidem invenerunt. Quod autem in edendis lectionibus dicitur* Pater non palam improbare ausus Christianissimo sub principe *filiam suam Christianam esse, vindicare id conatur, gallicæ Vitæ scriptor his, quæ latine facio, verbis :* Prodierat quippe non multo antea edictum ab Austrasiæ rege, quo hic princeps, cujus olim parentes a Sancto Clemente episcopo Metensi ad fidem conversi fuerant, vetabat ne quis e suo populo quempiam molestia afficeret ob susceptam Christi fidem. Habitabat tum ille rex Metis, quæ civitas regni sui caput erat, atque ei subjacebant rura et castella, quæ S. Boloniæ pater tum Grandi in Lotharingia, tum in vico Rocurtensi habebat ; quocirca S. Bolonia nihil a suo patre perpessa est.

qui tamen non verebatur Austrasiæ regem.

5 *Verum quam inepta hæc sint, nemo non videt, cum multo recentius sit Austrasiæ nomen et regnum. Qua de re latius jam disseruit noster Godefridus Henschenius ad* I *Februarii, quam ut iterum*

hoc

A *hoc loco hæc discutienda sit quæstio. De apostolatu vero S. Clementis, qui S. Clementis PP. patruelis nuncupatur, dictum jam est a plurimis, aliis affirmantibus, aliis negantibus, et nobis aut successoribus late agendum erit ad diem* XXIII *Novembris. Interea proponenda videtur Tillemontii sententia, qui de eo Sancto sic fatur :* Ecclesia Metensis, a discipulo S. Petri, cui Clementi nomen erat, fundatam se fuisse gloriatur. Sed nemo hac de re sermonem fecit ante Paulum diaconum, Carolo Magno cœvum, minusque securum scriptorem. Quidquid autem iste de hoc episcopo dixerit, Usuardus, Ado, cæterique noni sæculi Martyrologi albis suis eum non adscribunt. Exulat quoque etiamnum e Romano Martyrologio. Ferrarius eum assignavit XXIII Novembris diei, quo S. Clemens PP. colitur. *Profert dein sententiam P. Bucherii, qui pleraque quæ de primis Galliæ episcopis referuntur inter fabulas ablegat, et sententiam amplectitur Gregorii Turonensis, statuentis permultas Ecclesias Gallicanas primis suis donatas fuisse episcopis medio circiter sæculo tertio, quo hi in Galliam a Romana Sede deputati fuerunt. Atque hinc expendere licet lectori*

B *quanti facienda sit universa illa hypothesis, qua anonymus scriptor Gallus vindicare nititur præcitata de* S. Boloniæ *patre verba, nescio e qua penu in has lectiones relata. Quod tamen potissimum est, dubitari non potest, quin tempore Juliani apostatæ Christiana fides in diœcesi Lingonensi radices jam egisset. Dubius quidem est apud multos primus eorum fidei magister ; dubium est tempus quo primum divinum illic prædicatum fuit verbum ; verumtamen fieri non potest, etiamsi fabulam saperet S. Benigni Vita quam ad* I *Novembris edemus, ut Christus tum nondum in hoc tractu notus foret. Vide de hoc argumento Commentarium quemdam insertum volumini, cui nomen* Annuaire du diocèse de Langres 1838 (*a*). *Unde dubitari nequit, quin sæculo* IV, *etiam ruri, Martyres habere potuerit hæc diœcesis. Sed propius ad Sanctam nostram accedamus.*

S. Bolonia *anno* 336 *passa non videtur,*

6 *Ipsum porro martyrium* S. Boloniæ *dubia nonnulla parit, quæ examini subjicienda videntur. Imprimis Lectiones edendæ non secus ac Vita gallica referunt eam palæstram ad Juliani apostatæ tempora ; atque adeo in hac Vita et in recentioribus his Lectionibus annus* 356 S. Boloniæ *constantia decoratus dicitur. Verum in Lectionibus antiquioribus*

C *nulla de Juliano fit mentio, et hæc sola in iis de imperatoribus reperiuntur verba :* Ea tempestate *(qua pietatem assidue colebat* S. Bolonia) Ptolemæus tyrannus parere cupiens persecutorum imperiis, petebat Alesiam, in Christianos incensus ; *quæ ad plurium imperatorum referri possunt regna, minime vero ad imperium Juliani, qui nulla unquam edicta in Christianos edidit. Præterea in* § II *de S. Eliphio manifestum arbitror factum fuisse ex Ammiano Marcellino aliisque, a Juliano, quamdiu in Galliis degerit, in Christianos non fuisse sævitum. Aliunde vero annus ille* 356 *difficultatibus non caret ; nam licet verum sit Julianum hoc anno non ita procul ab agro Bassiniacensi cum exercitu suo stetisse, ut colligitur ex Ammiano Marcellino* (*b*), *narrante Julianum, relicta Vienna,* Autosidorum pervenisse ; ubi brevi, sicut solebat, otio cum milite recreatum, ad Tricassinos tetendisse ; *quo in itinere cum multa ei undique discrimina crearent barbari, nemo negaverit eum ad pagum Bassiniacensem deflectere potuisse. Ast nihil hoc proficere potest, quoniam* S. Bolonia *passa est medio mense Octobri, quod ex die cultus constat ; et Julianus ante id tempus Remos*

D *jam petierat,* ubi in unum congregatum exercitum Vesuntii jusserat opperiri præsentiam suam : cui præsidebat Ursicini successor Marcellus, et ipse Ursicinus ad usque expeditionis finem agere præceptus iisdem in locis. *Perrexit vero dein Julianus per decem pagos Brocomagum, et dein Coloniam Agrippinæ, qua circa mensem Augustum aut Septembrem potitus est eodem anno (confer Tillem. nota* 37, *de Constantio in Histor. Imper.). Jam vero fieri nequit, ut Julianus mense Octobri in Galliam redux fuerit ; neque proin valet quod in edendis Lectionibus adstruitur de mora, quam Julianus in oppido Grandi fecisset, et de cæteris adjunctis, ut de hybernis et theatro, quæ huic annectuntur moræ. De his enim, quæ Julianus hoc egit tempore, secus omnino loquitur Ammianus, sub eo stipendia merens :* Igitur Agrippinam ingressus, non ante motus est exinde, quam Francorum regibus furore mitescente perterritis, pacem reipublicæ firmaret interim profuturam, et urbem reciperet munitissimam. Quibus vincendi primitiis lætus, per Treviros hyematurus apud Senonas oppidum tunc oportunum abscessit. *Et quidem priusquam Senonas venit, Treviris Basileam progressus est, lacessiturus Alemannos, quos Constantius a Rhætiæ partibus insectabatur* (*c*). *Ex quibus liquet Juliani exercitum decima sexta Octobris prope Lingonas sedere non potuisse, neque ipsum Julianum tum Grandi commoratum fuisse. Deseri itaque oportet annus ille* 356 ; *et quidem universum tempus, quo Julianus in Galliis substitit, ut ex his liquet quæ in S. Eliphii Vita disseruimus.*

E

sed verisimilius aliquot annis serius.

7 *Verumtamen negare non ausim* S. Boloniam *martyrii palmam fuisse adeptam, dum Julianus imperii habenas regeret. Nam temere rejicienda non est popularis illa traditio, quæ Sanctæ nostræ cædem ad hæc tempora referat ; præsertim dum nihil est, quod contrariam sententiam stabilire queat. Fieri enim potuit, ut alibi jam explicuimus, ut magistratus militumque duces, quos Julianus post suam in Orientem profectionem in Galliis reliquerat, gratiam a se relaturos sperarint, si Christi fidem delere satagerent, ne sanguini quidem parcentes. Quod eo facilius potuit accidere, cum impurus frustratus amor odium incenderet : ut in* S. Boloniæ *Passione factum legimus. Quare adscripsimus huic Sanctæ in cœlis natalem annum forte* 362. *Quis vero sit ille Ptolemæus, præfectus exercitus et S. Martyris percussor,* F *nuspiam potuimus detegere. Locus autem, ubi* S. Bolonia *capite fuit truncata, postmodum cruce ornatus fuisse legitur in edendis Lectionibus ; quam non amplius existere æstimo, tum quoniam de hac silet Vita Gallica, tum quod de hac mihi sciscitanti nihil indicatum fuit.*

Mons Rocurtensis ejus passionis locus.

8 *De monte autem Rocurtensi, in quantum ad* S. Boloniæ *vitam spectat, sic ad nos scribit antea laudatus Dominus Champion :* Adivi locum quem assignat traditio castello patris S. Boloniæ. Apparet ibi nunc tantum ambitus notatus ruderibus muri, imminentis toti viciniæ, et antiqui castelli aut turris vestigia referentis. Surgebat autem hæc turris in altissimo colle Rocurtensi (*de Roocourt-la-Côte*) ; meridiem versus, fluvium Matronam et Boloniam spectabat, ad occidentem vero solem cernebat pulchram vallem Veteris Villæ (*Viéville*), et vicum Soncourt usque ad Vinoricem (*Vignory*), qui prospectus terminos habebat Calvum Montem, Sex Fontes, etc. Porro ab alto hoc colle præcipitatam aiunt S. Boloniam, inclusam in dolio ferreis mucronibus armato. Ad col-

(*a*) p. 21. — (*b*) Lib. XIV. — (*c*) Hist. des Emper., not. 38 de Constantio.

lis

A lis pedes exstat saxum, cui semper pepercit agricola, quoniam in eo impressum est ferrum mulæ, qua S. Bolonia utebatur. Vidi hoc saxum quod metrum circiter latum est, et decima fere metri parte superat superficiem campi, prato Rocurtensi vicini. Vestigium ferri agnovi ; verumtamen formam tantum et venerabundam populi traditionem ut certam asseverare queo. *Sic ille.*

Sententia J. J. Chiffletii de Martyribus, amputatum caput gestantibus,

9 *Jam si ad miracula* S. Boloniæ *divertimur, continuo occurrit capitis gestatio in utraque lectionum serie affirmata. Placet illud miraculi genus Joannes Jacobo Chiffletio, qui in Vesontione sua* (*a*), *sic defendit simile facinus S. Germani Martyris et episcopi Vesontini :* Hæc vetusti codices. Nec vero est, quod cuipiam in animum veniat suspicari, rem esse insolentem, et de vulgi commentis assutam, gestationem illam præcisi capitis : gestit enim plerumque ludere in iis sapientia, quæ maxime ab humanis sensibus et consiliis absint. Audi Rupertum Tuitiensem Abbatem (ap. Surium. tom. V, XVI Oct.) simile quid referentem de martyre Eliphio : Martyris, inquit, corpus erexit se per virtutem Christi et ambabus amplexum ma-

B nibus caput suum, per unum milliare, comitantibus utique Angelis et Christum collaudantibus, deportavit. Idem habes de Martyribus, Urso, Victore et Sociis, ex Thebæorum legione, Solodori in Gallia sub Maximiani tyrannide capite truncatis et dejectis in profluentem, qui (ut habent eorum acta ap. Sur. tom. V et VII XXX Sept.) capita sua in manibus portantes, flumen egressi sunt, et ad locum ubi nunc in ipsorum honore basilica fabricata est, pervenerunt. De Sancto vero Dionysio Galliarum Apostolo, consentientia sunt scriptorum testimonia; sit omnium instar Metaphrastes in ejus Actis, quæ citat Florentina synodus et refert Surius tom. V : Ferebat, inquit, ipse caput in manibus, tanquam aliquod trophæum, a divina omnino portatus gratia. *Huc usque Chiffletius; cujus cum pace dixero nullam ab eo citatam esse hoc loco auctoritatem historicam, quæ indubium faciat, umquam hoc miraculum contigisse. Absit, ut negem Deum liberrimum esse et potentissimum, illudque fieri posse prodigium ; unum illud assero ignota mihi esse alicujus Sancti Acta, quæ ea polleant fide ut ab omni dubio vindicent hanc mirabilem capitis gestationem.*

C *refellitur.* 10 *Duplex autem ratio jubet quam cautissime circa hoc miraculum versari : priorem sic jam explicuit J. Ghesquierus* (*b*) *ad Vitam SS. Chrysolii et Sociorum :* Ego quidem vix dubito, quin traditio illa ex eo orta sit, quod S. Chrysolius olim depictus, aut arte statuaria exhibitus fuerit abscissum capitis verticem suis manibus gestans, ut sic, quo mortis genere suum ille certamen consummarit, designaretur; pari nimirum modo, quo depicti aut sculpti olim fuerunt S. Dionysius Galliarum Apostolus, S. Nicasius Rotomagensis, S. Desiderius, S. Justus Altissiodorensis, aliique abscissum caput suis manibus gestantes, atque hinc vulgo crediti, abscissum caput a loco martyrii ad alium plus minusve dissitum transtulisse. *Vide quoque J. Stiltingum, ad* I *Octobris in Commentario de S. Piatone* (*c*). *Altera ratio, magnus numerus est Sanctorum, quibus hoc prodigium obtigisse dicitur : ut enim de Sanctis Græcis taceamus, quibus hoc cum Latinis commune est, inter hos plurimi, præter citatos a J. Ghesquiero, supersunt, quales : SS. Adalbaldus* II *Feb.; Albanus* XXI *Junii; Boetius* XXIII *Oct.; Ceraunus* XXVIII *Maii; Clarus* IV *Nov.; Decumanus et Dionysius* IX *Oct.;* D *Domninus* IX *Oct.; Eliphius* XVI *Oct.; Felix et Regula* XI *Sept.; Fingar et Fremundus* XI *Maii; Fuscianus et Victoricus* XI *Dec.; Germanus* XI *Oct.; Chrysolius* VII *Feb.; Hyspadius et Jonius* V *Aug.; Justinianus et Justinus aut Justus* XVIII *Oct.; Juthwara et Kenelmus* XVII *Julii; Lambertus* III *Nov.; Laurianus* IV *Julii; Libaria* VIII *Oct.; Livinus* XII *Nov.; Lucianus* XII *Jan.; Maxentia et Nigasius* XI *Oct.; Œlbertus* XXII *Oct.; Oliricus* XVIII *Nov.; Ositha* VII *Oct.; Piatius* I *Oct.; Proculus* I *Junii; Principinus* XII *Nov.; BB. Quadraginta Monachi Hiberni* XIV *Aug.; Quiteria* XXII *Maii ; Regulus* I *Sep.; Sabinianus* XXIX *Jan.; Saturnina* XX *Maii; BB. sex Mart. et Theonestus* XXX *Jun.; Valeria* XXX *Jun.; Victor* XXVI *Aug.; Ursus et Victor* XXX *Sept. et Eremita Anglus anonymus; atque hos fere collegit Rayssius. Quibus addere juvat ex Bollando SS. Frontasium, Severinum, Severianum et Silanum,* II *Januarii Petragoricis cultos; S. Guignerum ex actis SS. Hiberniæ* (*d*) ; *S. Germanam Lingonensem Martyrem ex ejus actis ad diem* I *Octobris in Opere nostro editis; S. Desiderium episcopum et* E *Martyrem Lingonensem ex historia diœcesis Lingonensis, auctore De Mangin* (*e*) *et S. Mitrium, Martyrem Aquis in Provincia, de quo dicemus ad* XIII *Novembris. Et quidem in universa hac recensione animadvertere licet plures Sanctos ad hunc Galliæ tractum pertinere, qui non multum a Lingonibus dissitus est. Unde cum miraculum capitis gestationis pluribus SS. Martyribus adscriberetur, a vulgo facile id quoque tributum fuit* S. Boloniæ, *utpote Martyri; eoque facilius quo probabilius est, eam sepulturæ ergo translatam fuisse in hunc locum, ubi nunc exsurgit templum quod ei sacrum est, atque hanc translationem multum favisse fingendo mirabili* S. Boloniæ *itineri.*

S. Boloniæ imagines ac scribuntur.

11 *Non enim valet pro* S. Bolonia *prior, quam deprompsi, ratio ex statuis aut imaginibus petita. De his sic scribit denuo laudandus R. D. Champion :* Generatim S. Boloniæ imagines referunt Virginem ramum manu, et coronam capite gestantem; habet semper juxta se dolium quoddam. Est in Roocourt parva pictura, in qua S. Bolonia exhibetur ut puella quam binæ mulieres, pastoritias vestes indutæ, edocent. In ipso vero vico Bolonia habemus invenustam picturam, similem imaginibus, de quibus dixi. Juxta Virgi- F nem insuper pictum consurgit templum Rocurtense. Adjecta ad imam picturam disticha originem ejus referunt. Sic ista sonant :

Dulce solum, quod Sancta vocas Bolonia Martyr
Nomine, et effuso Virgo cruore rigas :
Hic tua membra jacent sicut mirabile semen,
Quod multis ægris vita salusque fuit.
Presbyter ægrotans Joinvillæ nomine Patot
Est sanus sola Virginis hujus ope.

A Ludovico de Barro anno 1417

12 *In num.* 2 *hujus Commentarii et ad finem edendarum Lectionum mentio fit de elevatione SS. Reliquiarum, anno* 1417 *die* XVII *Julii a Cardinali de Barro facta, et de concessis quotannis hoc die indulgentiis. Licet hæc asserta repetita sint in Vita Gallica, nonnullam tamen quam solvere tentabimus patiuntur difficultatem. Etenim anno* 1417 *mense Novembri certissime Constantiensi concilio aderat Cardinalis de Barro, siquidem* VI *Idus Novembris conclave est ingressus et* III *Idus Romanum Pontificem elegit Othonem de Columna, deinceps Martinum V dictum. Vide Ciacconium cum notis*

(*a*) Part. II, p. 62. — (*b*) Act. SS. Belgii, tom. I, p. 141. — (*c*) T. I Oct., p. 16, num. 2. — (*d*) Tom. I, p. 389. — (*e*) p. 122.

Oldoini

A *Oldoini* (*a*) ; *Galliam purpuratam ad nomen Ludovicum Cardinalem de Barro ; et Italiam sacram* (*b*). *Attamen id non obstare videtur quominus* XVII *Julii Ludovicus Cardinalis de Barro Lingonibus adfuerit. Saltem in sessione* XXXV *concilii Constantiensis quæ decima octava Junii celebrata est* præsentibus ibidem reverendissimis in Christo Patribus et Dominis, Dominis Joanne Ostiensi, de Ursinis, Bononiensi, Venetiarum, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Pacentinensi, Sancti Marci, de Chalanco, de Fuxo, *non occurrit Catalaunensis episcopus, id est, Cardinalis de Barro. In sessione autem* XXXVI, *die* XXVI *Julii habita, pauciora recensentur nomina ; itemque in sessione* XXXVII, *die* XXVII *Julii instituta. Quæ sequitur sessio celebrata fuit* IX *mensis Octobris ; atque illi Ludovicus Cardinalis interesse poterat, etiamsi* XVII *Julii Lingonibus commoratus fuisset ; et reapse inter præsentes Cardinales unus Hispanus assignatur ; qui fueritne Petrus Ferdinandi Frias, genere Hispanus, episcopus Cardinalis Sabinus, dictus de Hispania, an noster Cardinalis de Barro qui Hispanus quoque fuisse ab om-*

B *nibus perhibetur, supervacaneum inquirere mihi est. Altera difficultas hæc est : anno* 1417 *Cardinalem de Barro Lingonensem sedem non occupasse. En brevibus ejus vitam, partim ex Italia Sacra Ughelli, partim ex Gallia Christiana desumptam. Ludovicus dux Barri, filius Roberti et Mariæ Joannis Regis Galliæ filiæ, anno* 1394 *Pictaviensem sedem, anno* 1395 *Lingonensem, anno* 1412 *Portuensem servata Lingonensi, anno* 1413 *relicta Lingonensi Catalaunensem, anno* 1420 *Virdunensem occupavit. Creaverat autem eum antipapa Benedictus XII Cardinalem diaconum titulo S. Agathæ ; sed in concilio Pisano legitimus presbyter Cardinalis SS. duodecim Apostolorum a Joanne XXIII factus est. Ex quo apparet Ludovicum de Barro Lingonensi saltem non potitum fuisse cathedra, cum* S. Bolonia *de terra levata est. Verum cum Catalaunensis sedes, quam tum occupabat, non ita a Lingonibus distet, facile fieri potuit ut ipsi crediderit Carolus, id temporis Lingonensis Episcopus, munus levandi Reliquias ; eoque facilius quo familiarius se invicem hi bini uterentur episcopi, siquidem suas inter se commutavissent sedes anno* 1413 (*c*). *Neque ingratum esse potuit oblatum hoc*

C *munus Ludovico, quoniam multus fuisse videtur in honestandis Sanctorum exuviis, ut liquet ex Gallia Christiana* (*d*), *ubi mentio fit honorum, quos contulit Sanctis Florinæ, Valeriæ, Lupertio. Atque ex his quidem vindicari epigraphen existimo, quam num.* 2 *hujus Commentarii protuli.*

transferuntur Reliquiæ S. Boloniæ ; *earum præsens status.*

13 *In Vita Gallica latius descripta venit hæc solemnitas : sermo quippe in ea fit de informationibus et processibus Boloniæ factis ; de præsentia vicinorum episcoporum, abbatum, secularium magistratuum, et innumeræ populi multitudinis ; de cæremoniis simili in adjuncto usitatis ; et demum de* S. Boloniæ *ossibus quæ in tali statu atque in tali ordine reperta sunt, quali forent, si decem tantum annos terræ mandata fuissent. Qui vero præsens Reliquiarum status sit, id nos docent sæpius memoratæ litteræ R. D. Champion :* Boloniæ habemus, *scribit,* capsam, cui inclusæ creduntur S. Boloniæ Reliquiæ ; en quæ didici ex ore senum, qui in mea parœcia supersunt. Ante tumultus reipublicæ Gallicæ habebantur hæ Reliquiæ ut authenticæ, et ab omnibus colebantur. Cum autem violatum fuit templum, projecta sunt sacra hæc lipsana in plateam, pedibus calcanda ; aliquot autem homines, quorum etiamnum noscuntur et in ore versantur nomina, ea collegere. Porro cum D impietatis tempus effluxisset, ea recepit templum. Atque hæ sunt sacræ exuviæ. quas possidemus. Ill. Dominus Jacobus Mathieu archiepiscopus Vesuntinus, et ante episcopus Lingonensis eas vidit ; quid vero de eis senserit me latet. Pyxis sigillo munita est ; quocirca eam non aperui.

Veteres de S. Bolonia *orationes.*

14 *Ad calcem Lectionum tum antiquiorum, tum magis recentium duplex oratio propria legitur ; quam, quoniam ad cultum pertinet, hic loci adscribimus.* ORATIO *prior :* Deus castitatis amator et innocentiæ reparator, præsta propitius, ut qui Beatæ Boloniæ Virginis et Martyris tuæ celebramus triumphum, ejus quoque in cœlo mereamur, te miserante, consortium. Per Dominum, *etc.* ORATIO *altera :* Omnipotens sempiterne Deus, qui nos Beatæ Boloniæ Virginis et Martyris tuæ confessione inclyta circumdas et protegis, præsta nobis ejus imitatione proficere et oratione fulciri : ut ipsius semper adjuvemur meritis, cujus beatitudinis irradiamur exemplis. Per Dominum, *etc. Sequuntur jam Lectiones Calvomontanæ de* S. Bolonia, *quas sæculo circiter* XVII *exeunte conscriptas videri, alibi diximus.* E

PASSIO S. BOLONIÆ

E recentioribus sacris Lectionibus Calvomontanis.

S. Bolonia *pie educatur, a*

LECTIO PRIMA. Bolonia vicus est non ignobilis diœcesis Lingonensis in decanatu Calvomontano *a* ad Matronam fluvium situs, ubi pons antiquissimus viam publicam et consularem jungit, quæ Neocastro huc usque deducata, indeque bifariam divisa, parte altera Trecas Parisiosque, Aleciam altera, et Augustodunum petit. Hinc orta, hinc nominata *b* creditur B. Bolonia, parentibus nobilibus quidem sed paganis. Matre mortua, ad salutem ipsius nutrici Christianæ tradita est, a qua pro captu ætatis edocta, Deum unum colere, ejusque Filium Christum Salvatorem Nostrum venerari cœpit. Quod pater non improbare ausus Christianissimo sub principe *c*, sufficere *c* sibi existimavit, si interius odisset, ratus baptizatam contemptu potius, quam suppliciis et gravioribus pœnis prosequendam, et nutrici pauperculæ dimittendam. F

b

tantatur multifarie a Ptolemæo, d

2 LECTIO SECUNDA. Nutricis oves cum pasceret, annos fere quindecim nata, contigit Ptolemeum *d* ducem cum suis hac iter habere, Alecianos Æduosque versus ; quem crediderim fuisse eo missum hybernorum causa a Juliano, haud multos ante dies proclamato Cæsare *e*, nempe *e* anno Christi trecentesimo quinquagesimo sexto exeunte. Redux nimirum princeps Constantii Imperatoris consobrinus ab Almanica victoria *f*, *f* in oppido Grandensi aliquantulum substitit haud multum hinc dissito, ubi et theatrum *g* construxit, quod etiamnum existit, et ludos militibus *g* suis exhibuit, pecuniamque sparsit ad confirmandam sibi eorum benevolentiam. Cui dum Ptolemeus lascivus et profanus homo gratificari se posse putat, cujus mores et impietatem non solum noverat, verum etiam æmulabatur, experiri statuit in Bolonia, quod nefarius apostata in Libaria jam tentarat, quam ibi martyrem recentissime effecerat. Itaque evocatam ad se blanditiis primum et spe conjugii emollire, dein terrore et

(*a*) Tom. II, p. 811. — (*b*) Tom. I, col. 143. — (*c*) Gall. Christ. Tom. IV, col. 626 et seq. — (*d*) Ibid., et tom. IX, col. 894.

metu

A metu verberum permovere aggreditur; at illa constans, et fidem pudoremque servare persuasa : Facilius, ait, mihi vitam vel acerbissimis cruciatibus eripueris.

a quo tandem occiditur.

3 Lectio tertia. Responso provocatum se arbitratus dirus persecutor, virgas et secures ocius expediri jubet; nec prius tradendam tortori minatur quam polluerit, et concubinam pro uxore fecerit. At illa Christum advocans : Adesto, ait, o bone Jesu, sponsæ tuæ, nec sinas oviculam, tibi agno cœlesti dicatam, vel furori vel petulantiæ luporum istorum cedere. Tum ille : Licet me, ait, misereat formæ hujus et juventutis tuæ, quia tamen obstinato animo respuis quod ambire debueras, mox quid possim experieris. Ac primo colaphis et contusione dentium faciem ejus deturpat, ut quæ similitudine nominis et virginitatis consortio cum Apollonia conjuncta jam erat, paritate cruciatus consentiret. Nudatam inde ac distentam in equuleo verberibus affici jubet; vix respiranti latera comburi imperat, illud identidem ingerens : Mihi assentire et diis sacrifica. At illa : Meipsam, inquit, immolo Deo viventi. *h* Stupens tyrannus deponi de catasta *h* jubet semi-
B mortuam, et ligatis manibus ac pedibus, in dolium immergi plenum aqua, lapidibus ac ferramentis quo suffocaretur; nec vacavit ipsa suffocatio dolore. Addunt de summo monte Rocurtensi, cui parentis castellum erat superstructum, præclaro sane aspectu, præcipitatam, apparuisse, cum vas recluderetur, incolumem; ideoque mox ad ripam vicini amnis ubi postmodum crux lapidea posita est, capite truncatam; quod ipsa manibus ambabus colligens ultra fluvium transtulit *i*, in oppido cognomine sepelienda. Quæ quia contigere decimo * kalendas Novembris, quo die commemoratio fit diversis in locis Sancti Galli Confessoris, Sanctique Bercharii Martyris, hinc data est occasio male philosophantibus *k* existimandi Boloniam horum fuisse sororem, quæ eorum gloriæ consors fuerit, vel sæculis aliquot maturius beatitudine prærepta. Oppidum, quod multis retro sæculis titulo comitatus insignitum, patronam delegit, quam forte dominam olim habuerat; ejusque nomini parochialem ecclesiam dicari voluit, ubi reconditæ Reliquiæ diu coruscavere miraculis. Elevatæ postmodum ac translatæ sunt
C ritu solemni ab illustrissimo principe Ludovico Barro cardinali, eodemque Lingonensi episcopo *l* decimo septimo Julii 1417. Quare et in Lingonensi Breviario hujus Sanctæ Virginis memoria recolitur ad decimum sextum Octobris; et in sacrario monasterii Dervensis, atque in ecclesia S. Joannis Bapt. Calvomontana ossium ejus particulæ asservantur, et in hoc tractu terrarum uti Martyr invocatur.

h B

i

* *supple* septimo

k

C *Reliquiæ ejus levantur.* *l*

ANNOTATA.

a *Bolonia nunc succursalis est sub parochia Vi-* D *gnorice* (Vignory, arrondissement de Chaumont, département de la Haute-Marne.)

b S. Bolonia *nomen suum non accepit a vico Bolonia; sed vicus hic, qui olim dicebatur, ut rescripsit ad nos R. D. Champion illius templi deservitor,* Darthe *vel* Darthé, *et caput erat comitatus Calvummontem complexi, nomen suum posuit, ut cujus patrocinio, ejusdem quoque nomine gauderet,*

c *Constantius, cui tamen hæc* Christianissimi *laus minus congruit. intelligendus est, si S. Martyr mortem oppetierit ultimis Juliani temporibus.*

d *In Commentario prævio num.* 7 *fassi jam fuimus nuspiam alibi hunc nobis apparuisse Ptolemæum.*

e *Julianus die* VI *Novembris anni* 355 *Mediolani creatus est cæsar ab imperatore Constantio, ut Tillemontius* (*a*) *ex Ammiano Marcellino aliisque certum facit. Julianus, die* I *Decembris Mediolano profectus, ultimis diebus anni* 355 *Viennam in Galliis devenit* (*b.*)

f Almanica *hæc* Victoria *Brocomagi* (Brumat *seu* Brumt) *in agro Argentinensi relata est; inde vero non petiit Julianus Grandim, sed Coloniam Agrippinam, quo secum duxit exercitum. Cæterum* E *de his jam dictum fuit superius num.* 6 *Commentarii prævii.*

g *Fieri omnino posset ut id theatrum, cujus rudera, non secus ac multæ aliorum monumentorum ruinæ, ibidem adhuc supersunt, ad antiquiora referri deberet tempora; nam, ut mittam nummos Neronis, Vespasiani, Commodi, Septimii Severi aliorumque ibidem repertos, inscriptio detecta illic est ad Antonini regnum pertinens* (*c*); *unde pronum conjicere est ante Juliani tempora Grandim, quæ nunc agri Tullensis viculus est, splendorem nactam jam fuisse plurimum. Præterea anno* 356 *res valde parca erat Juliano, ita ut Ammianus Marcellinus* (*d*) *scribat :* Inter tot... rerum probabilium cursus articulosque necessitatum ancipites, sudoribus gallicanis miles exhaustus, nec donativum meruit, nec stipendium, jam inde ut Julianus illo est missus : ea re, quod nec ipsi quod daret suppetere poterat usquam, nec Constantius erogari more solito permittebat. *Unde neque constare possunt, quæ de sparsa in milites pecunia hic allegantur.*

h Catasta *sæpe confunditur, ut hic fit, cum equuleo. Distinguenda tamen ea esse, probare conatur Gaspar Sagittarius* (*e*), *statuitque catastam* F *apud ethnicos scriptores pegma esse ligneum, in quo servi venales proponebantur, apud scriptores vero ecclesiasticos suggestum ligneum, in quo tormentis afficiebuntur Martyres.*

i *De eo prodigiorum genere late diximus num.* 9 *et sequentibus Commentarii prævii.*

k *Male philosophantes, qui hic loci perstringuntur, auctores sunt antiquiorum Lectionum Calvomontanarum, de quibus num.* 2 *Commentarii prævii est dictum. Hæc commentitia fraternitas specimen esto auctoritatis earumdem Lectionum.*

l *Manifestum fecimus num.* 12 *Commentarii prævii Cardinalem de Barro id temporis in Lingonensi cathedra non sedisse.*

(*a*) Hist. des Emper. Constance, art. 38. — (*b*) Ibid. — (*c*) L'Espérance, Courrier de Nancy. 8 Juillet 1841. Dissert. Cl. V. Digot. — (*d*) Lib. XVII, cap. IX. — (*e*) De Martyrum Cruciatibus, pag. 193.

A D

DE S. SILVANO MARTYRE,

AGEDUNI IN AGRO LEMOVICENSI.

SYLLOGE HISTORICA.

Memoria in fastis sacris; cultus in monasterio Agedunensi, cujus origines referuntur; Acta alterius Martyris S. Silvano afficta; Martyrium sub Vandalis.

FORTE CIRCA INITIUM SÆCULI V.

Licet hodierni S. Silvani *cultus inter fines angustos valde coarctatur, Rhenum tamen et Alpes transvolaverit ejus nomen oportet, quandoquidem in codice Ms. Barberiniano Martyrologii, sub Bedæ nomine ante tomum II Martii apud nos excusi, passio* S. Silvani, *non signato palæstræ loco, nuntiatur; et Grevenus et editio Lubeco-Coloniensis paribus verbis* in pago Lemovicensi S. Silvani Martyris *memoriam produnt. Similem annuntiationem admisit Ferrarius, Kalendario Lemovicensi et monumentis Agedunensibus se usum esse testatus ; sed* Sylvarium *in textu et in notis erronee scripsit. Latum elogium texuit Saussayus ; brevissimus est Cl. Castelain, at omnium optime locum indicat, scribens :* Ageduni (*Ahun*) prope Albucionem (*Aubusson*) in Marchia superiori (*Haute Marche*) natalis S. Silvani (*Sauvan*) Martyris. *Sancti nostri* Silvani *meminit quoque Gaufredus Vosiensis, sæculi* XII *scriptor, in chronicis editis a Labbeo* (*a*) : *et Bernardus Guidonis, cujus nomen in plurimis Vitis SS. Galliæ memorandum est, in opusculis Historicis a Labbeo quoque editis* (*b*), *hanc martyrologicam pene memoriam prodidit :* S. Silvanus Martyr apud Agedunum burgum, unde natus fuit, a Vandalis cum aliis suis sociis est pro fide Christi occisus. Inde vero postmodum cum sociis suis asportatus est a Danis. Festum ejus recolitur XVII kalend. Novembris. *Socii, quos hic commemorat Bernardus, mihi prorsus incogniti sunt, nisi sint iidem de quibus inter Prætermissos ad* XV *Octobris jam actum fuit, quique ex mera oscitantia scriptorum orti videntur. Jam olim, ut ex Breviario Lemovicensi anni* 1625 *colligere est, in tota diœcesi Lemovicensi commemoratio* S. Sylvani *fiebat ; at nihil erat proprium ; ante paucos annos reformatum fuit hujus diœcesis Breviarium : attamen servatam fuisse nostri Sancti commemorationem in Laudibus et Missa docet Kalendarium anni* 1832.

S. Silvanus *memoratus a Martyrologis,* B

C

2 *Porro Agedunum in monte aut clivo situm esse indicat sui nominis terminatio* dunum. *Huic oppidulo quod ante quinquaginta annos pro sua amplitudine dives et populosum dicebatur, affluit fluvius Crosa, qui nomen suum dedit novæ præfecturæ* (dépt de la Creuse), *quæ illud capit. Porro duplex Crosa distinguenda est : altera minor ; altera major, de qua hic sermo fit, et quæ Albucionem* (Aubusson), *Agedunum* (Ahun), *Varactum* (Guéret), *Cellam Dunensem* (Celledunaise) *præterfluit, mox minore Crosa augenda, et ipsa demum in agro Turonensi a Vigenna* (la Vienne) *absorbenda. Ex Dictionario autem geographiæ veteris, auctore Mentelle, hæc colligo :* Ortelius asserit a se lectum fuisse in folio tertio tabulæ Peutingerianæ nondum edito, sed a Velsero secum communicato, nomen Acitodunum... D'Anville secundum hanc tabulam apud Lemovices caurum versus collocat hunc locum... Beley interpretans inscriptionem numismatis, ad primos Gallorum reges pertinentis, et in quo Leblanc Adeduno legerat, arbitratur Acitodunum, Agedunum, vel Acedunum intelligi. *Negligo opinionem eorum, qui Acitodunum idem esse ac Felletinum* (Felletin), *similiter in Marchia situm, asserunt ; quandoquidem eam a melioribus geographis spretam invenio. Hæc signari a me oportuit, ne quis objiciat Agedunum ineunte sæculo quinto non exstitisse, ad quod tamen tempus refertur* S. Silvani *martyrium. Exsurgit porro ad pedem montis, in quo ædificatum est dictum oppidulum, ad ripam, videlicet Crosæ, vicus aut burgum* Monasterium Agedunense *dictum* (le bourg du Moûtier d'Ahun), *separata paræcia, temporibus geographi d'Expilly* 157 *focis constans. In hoc burgo exstabat juxta Crosam Abbatia Agedunensis* (Abbaye du Moûtier d'Ahun) *Ordinis S. Benedicti ; cui loco Lexica La Martinière et Moreri, Dictionarium geographicum sacrum et Gallia Christiana* (*c*) *cultum* S. Silvani *proprie adscribunt, licet is Sanctus monasterii primarius patronus non esset, aut potius ejus vocabulum ecclesiæ non foret inditum, ut modo videbitur.*

E

colitur Agedunī ;

3 *Cum maxime variæ videantur sententiæ de hujus monasterii originibus, pauca de eo disserere nec inutile nec ingratum fore autumo. Rescripsit ad nos R. D. Parochus Agedunensis hanc abbatiam exeunte sæculo* X *fundatam dici, sed ab aliis contendi ei initium datum fuisse ab Hilduino, episcopo Lemovicensi anno* 1012. *Dionysius vero Sammarthanus* (*d*) *ejus fundationem affigit anno* 997 ; *at continuo hæc subdit :* Sic autem initia hujus monasterii edisserit noster D. Cl. Estiennot : Hildegarius episcopus Lemovicensis huic cœnobio initium dedit circa 980, quod, ut ait Goffridus Vossiensis, post Adhemarum, ordinate disposuit in magna caterva monachorum. Paucis tamen annis in eo substitere monachi : Alduinus enim post Hildegarium episcopus Lemovicinus, qui primum chartæ Bosonis Marchiæ comitis anno 997 subscripserat, volens ut nullus alienare præsumeret hunc locum a religione monastica et potestate abbatis, quique illum subdiderat Userciensi asceterio, quod ipsemet Hildegarius hortante genitore suo carissimo D. Geraldo vicecomite restauraverat, paulo post suadente diabolo expulit ab eodem loco monachos et ordinem monasticum,

cujus monasterii originibus, nonnihil implicitæ, F

(*a*) Bibl. nov. tom. II. p. 285 (*b*) Ibid., tom. I, p. 625. — (*c*) Tom. II, col. 609. — (*d*) Ibid. col. 608.

atque

A atque ibi canonicos instituit, ut refert Goffridus du Breuil prior Vosiensis in chronico, qui quidem addit post Adhemarum Cabanensem, ibidem pœnas dedisse Hilduinum ubi deliquerat : cum enim aliquando ecclesiam S. Stephani de Agedu-no, unde monachos extruserat, adiret, spiritum ibi exhalavit, ad S. Martinum sepultus. *Hæc Estiennot apud Sammarthanum, qui* S. Stephanum primum patronum Agedunensis abbatiæ *nuncupat.*

exponuntur, 4 *Verum in his Estiennotii dictis, a quibus Mabillonius in suis Annalibus non prorsus abhorruit, duo confunduntur monasteria, Agentense, (Ainnum et Antimonasterium* Eymoûtier *et* Esmoutier *quoque dictum), cujus patronus erat S. Stephanus, et Agedunense, quod S. Mariæ vocabulo gaudebat. Porro en verba Adhemari prout ea ex Bibliotheca nova Labbei* (a) *describo :* Alduinus *(idem ac Hildoinus)* autem episcopus monasterium Sancti Stephani Agentense, quod Aldegerius *(idem qui Hildegarius)* ornate disposuerat in magna caterva monachorum, antequam moreretur per triennium suadente diabolo destruxit, et ibi canonicos re-

B stituit. *Reliqua ad quæ alludit Estiennot vide similiter apud Labbeum* (b) ; *ubi denuo* Ecclesiam Agento *non de Agedu*no *reperies. Jam vero ut quis clarius videat hanc ecclesiam Agentensem non Agedunensem esse, sed Antimonasterium vel Ainnum aut Eymoûtier in agro Lemovicensi quoque situm, remittam lectorem ad probationes Historiæ Tutelensis Baluzii* (c) *vel ad collectionem Historicam D. Bouquet* (d), *in quibus tota controversia de Agentensi ecclesia aut* Ainno, *quam latissime descripta est. Qui vero hoc monasterium anno* 1012 *conditum fuisse dicunt errorem hunc elicuisse videntur ex his Adhemari* (e) *verbis :* Reversus Episcopus basilicam sedis Sancti Stephani, quam Sanctus Martialis dedicaverat, destruendam et amplificandam disposuit, lineasque ad fundamenta jecit, ut post dies XV insisteret operi ; inde abiens ad supradictam ecclesiam Agento, unde monachos extruserat, spiritum ibi exhalavit. *Unde, cum prævaluit sententia, Hildoinum anno* 1012 *obiisse, deducitur basilicam sedis S. Stephani, seu Agedunense monasterium eodem anno inchoatum fuisse ; verum hic denuo occurrit ille error quo Agedunense monasterium cum basilica S. Sthephani confunditur.*

relato imprimis instrumento fundationis. 5 *Solvitur autem universa quæstio charta fundationis hujus monasterii, quæ cum in sola forte Gallia Christiana antiqua* (f) *reperiatur, hic oculis lectoris subjicienda visa est :* Ego in Dei nomine Boso comes *(Marchiæ)* pro remedio animæ meæ et animarum genitoris et genitricis meæ, necnon et dilecti fratris mei Gauberti, cujus desiderio et voluntate hujus privilegii tenorem stabilire decrevi, ad hortationem et petitionem nobilissimi viri ac fidelis nostri Hugonis Garcille, transfundo quandam ecclesiam, quam olim a parentibus meis jure scimus antiquitus possessam, in honore S. Genitricis Dei Mariæ consecratam. Eam igitur in cœnobio et religione monachali transvehimus, quatenus per succedentia tempora, monasticus ordo et religionis observantia, sub regula Sanctissimi Benedicti ibi teneatur, et custodiatur : eo tenore, ut deinceps nullus successor meus qui fuerit, aut aliquis jure consanguinitatis propinquus, licentiam habeat alienandi ab ordine monastico. Est autem hæc ecclesia in honore S. Genitricis Mariæ consecrata, in pago Lemovicino sita, a vico Ageduno non longe sita ; ex una parte fluvius Crosa decurrendo amœna prata cingit ; ex altera vero ex qua eminens prospicitur vicus, fontium decurrentium et vinearum copia uberius fluit. Hunc ergo locum Deo et S. Petro Uzerchiensis cœnobii tradimus sub dominatu Adalbaldi abbatis, successorumque ejus, ut unitas fiat cœnobiorum, quatinus hic et illic mei, animæque Hildeberti fratris mei memoria fiat, pariterque patris et matris meæ, omniumque parentum meorum, ut precibus servorum Dei ibi manentium, sedem refrigeri consequi valeamus. Constituimus ergo hoc privilegium Boso et frater meus Gaubertus, ob consensum Alduini *(episcopi Lemovicensis)* et consilio Rotgerii de Leron et voluntate Hugonis Garcil, ut nullus ex hæredibus nostris alienare præsumat hunc locum a potestate abbatis ; sed liceat pro decessoris loco, defuncto abbate Uzerchico, eligere unum ex suis, qui sub regulari norma locum gubernet. Testes privilegii ipse Boso C. Marchiæ, qui hoc firmavit, et Gaubertus frater ejus, Alduinus episcopus, Adalbertus abbas, Hugo Garcil, Ramnulfus frater ejus, Umbertus Drut, Geraldus, Amelius de Peyrac, Gauzelinus monachus, Josue, et Radulfus monachus qui hoc privilegium scripsit anno incarn. Dom. DCCCCXCVII indictione x regnante Rege Roberto. *Atque hoc unum ex Uzerchiensi archivio depromptum privilegium præmissas de Agedunensis monasterii fundatione sententias satis convellit. Ut liquet ex hac charta, fruebantur Uzerchienses jure quodam in hanc abbatiam ; quod quamdiu valuerit non par sum dicendo, cum noverim tantum ex Gaufredo Vossiensi, chronicum suum circa annum* 1183 *colligenti, id adhuc suo obtinuisse tempore* (g). *D'Expilly in Dictionario geographico Congregationi Cluniacensi subditum hoc monasterium asserit ; in Bibliotheca tamen Cluniacensi nulla de eo fit mentio ; unde consequens esse videtur non ita antiquam fuisse hanc subjectionem ; quæ anno* 1788 *sublata fuit, cum monasterium Agedunense suppressum est, ut rescripsit ad nos laudatus R. D. Parochus.*

Acta, S. Sylvano ab Agedunensibus tributa, 6 *His præmissis de loco ubi* S. Silvanus *colitur, jam dicendum est de ejus Passione aut Actis. Quicumque sola Bibliotheca nova Labbei usi sunt, aut saltem usi videntur,* S. Silvanum *a Vandalis occisum dicunt ; qui vero Lectionarium aut Breviarium Agedunense adhibuerunt, hi prorsus in aliam eunt sententiam : ut sunt Saussayus, Ferrarius, Collinus in Vitis Sanctorum Lemovicum et ecgraphum aliquod ad finem paulo auctius, quod R. D. Parochus Agedunensis ad nos transmisit. Verum hæc* S. Silvani *Passio sine dubio excerpta est, mutatis tantummodo nominibus, ex Passione S. Symphoriani ; quod sæpius in aliis Sanctis factum fuisse experti sunt nostri decessores. Etenim vita et martyrium S. Symphoriani patroni Augustodunensis in omnibus fere eadem sunt ; minora adjuncta vix aliquantum fuere mutata ; quod forte (ut Collinum omni culpa eximamus) soli codicum varietati tribuendum est. Et quidem Sancti nostri* Silvani *Passio vix ad verbum non eadem est ac ea illa quæ Breviario Viennensi anni* 1522 *conficiendo utilis fuit, et quam maxime laudat Cuperus, ad* XXII *Augusti S. Symphoriani Acta adens. Neque credat quis alias Passiones S. Symphoriani multo magis distare ab illa,* Silvano *nostro attributa ; nam tantum auctiores et ornatiores sunt. Paucis jam exhibebo quæ S. Symphoriani gesta nostro* Silvano *affingantur.*

mutatis nominibus, eadem sunt ac Acta S. Symphoriani. 7 *Uterque nobili patre Fausto ortos liberalem et Christianam educationem nanciscitur. Ille patriam*

(a) Tom. II, pag. 171. — (b) Ibid. p. 175. — (c) p. 825 et seqq. — (d) Tom. XIV, p. 335. et seq. — (e) Bibl. nov. Labb. tom. II, p. 175. — (f) Tom. IV, p. 963. — (g) Bibl. nov. Labb., tom. II, p. 285.

A *Augustodunum* (Authun *dein* Autun), *hic Acitodunum vel Agedunum* (Ahun) *habet*: *unde facilis derivatio nominis ab uno ad alterum. Martyrii occasio pro utroque est eadem : despectus Berecynthiæ aut Cybelæ, quæ carpento portabatur, agminibus populorum stipata. Judex idem est, Heraclius, vir consularis ; sic eum insignit Saussayus. Accusationes eædem sunt, seditionis molimina et Cybelæ contemptus. Judicis interrogationes et Symphoriani responsa in lectionibus potissimum Viennensibus ad verbum eadem pene sunt ; secuta deinde sententia est eadem ; hic ante domum maternam ducitur, ille ante murum urbis ; sed uterque eadem verba sibi inclamantem audit matrem ; mortem uterque obit eamdem, gladio occisus ; atque id tempore eodem sub Aureliano, imo Aurelio, imperatore ; tandem si ultima lectionum Viennensium verba huc afferrem, Collini dicta e gallico in latinum idioma fere transtulissem, ut miretur lector etiam topographicam concordantiam ; en illa*: Sic Sanctus Symphorianus... a persecutore prostratus, et a religiosis latenter inde est sublatus. Sic Martyr delatus ad fontem, qui extra publicum *(Collinus* in vicino

B *dicit)* campum est, et inibi in parva cellula tunc sepultus, *(cellulam aut oratorium paulo post ædificatum esse scribit Colinus)* semper tamen se virtutibus publicavit, ita ut, gentibus stupentibus propter mira dona sanitatum, in honore maximo etiam illis temporibus haberetur. *Fons vero ille, quem suis adhuc temporibus exstitisse testatur Collinus, gallice* Fontaine de Saint-Sauvan *audit, et sexta leucæ parte ab ipso oppido distat. Jam vero si differentias inter* S. Silvani *et S. Symphoriani Passionem assignare oporteat, nihil aliud mihi obvenit, quam quod nomen matris S. Symphoriani siletur,* S. Silvani *autem Silvia dicitur ; dein quod* Silvanus *idolum conspuisse, Symphorianus illud tantum despexisse dicitur ; quod autem ad utriusque ætatem pertinet,* S. Silvanus *vulgo anno* 15 *natus periisse dicitur ; S. Symphorianus vero ex vulgatis codicibus in adolescentia quidem videtur mortuus ; at certa ætas non signatur, licet codices sint* (*a*), *in quibus S. Symphoriano viginti anni tribuuntur. Cum neminem esse arbitrer, qui, versa sententia, contendat* S. Silvani *acta afficta fuisse S. Symphoriano, Martyri celeberrimo, et cujus Acta ipse S. Gregorius Turonensis novit, satis de his commentis dixisse*

C *mihi videor.*

A Vandalis occisus traditur, et a Normannis ejus Reliquiæ sublatæ sunt.

8 *Altera sententia, qua* S. Silvanus *a Vandalis occisus traditur, quamque sequuntur Dionysius Sammarthanus, La Martinière, Moreri, auctor Dictionarii geographici sacri, quisque decessorem describentes, apud nullum scriptorem antiquioris ævi a me reperta fuit, quam apud Gaufredum Vosiensem sæculi* XI *exeuntis non obscurum chronologum ; ecce ejus testimonium, ex Bibliotheca nova Labbei* (*b*) *desumptum :* Agedunenses Silvanum, qui a Vandalis passus, ... pia devotione venerantur. *Alterum Bernardi Guidonis testimonium num.* 1 *hujus Commentarii jam recitavi. In innovato Breviario Lemovicensi Sancti Juniani lectionibus hæc ex laudato hagiologo adjecta sunt*: Hac die celebratur memoria Sancti Sylvani, qui, sævientibus in Christianos Vandalis, Ageduni in Superiori Marchia martyrium pertulisse traditur. Ejus Reliquiæ ibidem conditæ periere in procellosis Danorum seu Normannorum temporibus. *Cum vero ecclesiarum traditiones plurimi sunt ponderis, quamdiu adversa eis sententia probata non sit, Lemovicensis Breviarii narratio admittenda videtur, et proin* S. D Silvani *mors ad annum circiter* 406 *referenda est, quo tempore Vandali in Gallias irrupere et plurimum sævierunt in Christi adoratores ; de qua persecutione ita olim cum eruditorum approbatione egit Ruinartius* (*c*), *ut nihil fere ejus adjiciendum sit disquisitionibus. De tempore autem, quo Dani et Normanni* S. Silvani *sacras Reliquias dissiparunt, vix quidquam statui posse videtur ; quoniam non constat quando Agedunum diripuerint. Proderit tamen citasse Historiam Monasterii Uzerchiensis a Baluzio* (*d*) *et a Bouquet* (*e*) *editam ; illic ad tempora Turpionis episcopi Lemovicensis referuntur hæc verba :* His temporibus Normanni terras istas populabantur. *Turpio autem ab anno circiter* 905 *ad* 944 *Lemovicibus sedit. At secure præcitata verba ad initium ejus episcopatus referri possunt, quandoquidem circa annum* 930 *Turpio jam in restaurandis suæ diœcesis monasteriis erat ; confer Galliam Christianam* (*f*).

Distinguitur ab homonymis :

9 *Jam vero si ad distinguendum nostrum* S. Silvanum *ab homonymis digredior, centeni mihi occurrunt plerique Martyres, et quidem unus alterve in persecutione Vandalica occisus ; at nullus in his,* E *cui suspicari queam ullam cum Sancto nostro relationem affigi posse. Nam, ut mittam Bernardi Guidonis testimonium, quo Sanctus Martyr patria Agedunensis statuitur, temeritatis arguendus essem, si Sanctum* Silvanum *aliunde Agedunum translatum fuisse affirmarem ; sæculo enim septimo, quo fere corpora Sanctorum in Occidente transvehi cœperunt, valde obscurum videtur fuisse Agedunum, et monasterio abbatiave destitutum ; quæ tamen obscuritas et monasterii defectus, usque post Normannorum tempora duratura, sane non favebant alicui sancto corpori recipiendo. Neminem quoque novi, qui sententiam huic contrariam inierit. Confunditur tamen noster Martyr cum quodam* S. Silvano. *Cl. V. De Saint-Allais, qui anno* 1838 *novum edidit Martyrologium universale, auctum plurimis accessionibus, apponit Sancti nostri* Silvani *memoriæ*: aliud ejus festum XXII Septembris celebrari ; *qua die re quidem vera colitur S. Silvanus, patronus Leprosii* (Levroux) *in agro Bituricensi ; sed præter nomen nihil hic Sanctus cum nostro commune habet : dixisse sufficerit hunc Confessorem esse et sæculo* XV *ejus Reliquias exstitisse. Latius vide Opus nostrum ad* XXII *Septembris* (*g*).

Agedunense templum non confunditur cum ecclesia S. Silvani.

10 *Definire nequeo an Sanctus noster idem sit* F *ac patronus titularis cujusdam ecclesiæ, quæ penes Uzerchienses erat. Quod si idem fuerit, sæculo* X *Sanctus noster duobus in locis potiorem cultum obtinuerit oportet : nam ecclesia hæc confundenda non videtur cum monasterio Agedunensi, quod similiter pertinebat ad Uzerchienses et in mediis vineis exstructum fuerat, ut ex charta ejus fundationis supra apparuit. In charta autem aut privilegio, quod Hildegarius Lemovicensis episcopus ad Uzerchiensem ecclesiam in monasterium convertendam concessit, hæc occurrunt :* Frater meus Guido... non dissimili devotione pro Dei amore et peccatorum suorum remissione reddit duas ecclesias, unam in honore S. Silvani vineis consitam, alteram quæ digitur Benagias. *Anno* 1133 *possidebant etiamnum* Uzerchienses hanc ecclesiam, quandoquidem in historia *Uzerchiensis monasterii sæpius jam citata* (*h*) *legitur :* Cum fratres contra eum de remissione ordinis murmurarent, anno MCXXXIII se insufficientem reputans, abbatiam in pace reliquit

(*a* Bosquet, Hist. Eccl. lib. II, cap. XXVII. — (*b*) Tom. II, pag. 285. — (*c*) Hist. persec. Vandal., p. 402 et seqq. — (*d*) Hist. Tutel., p. 825. — (*e*) Rec. des Hist. de Fr. tom. XIV, p. 334. — (*f*) Tom. II, col. 575 et seq. — (*g*) pag. 404. — (*h*) Bouquet, tom. XIV, p. 340.

Alde-

A *(Aldebertus abbas Uzerchiensis)*, retenta tamen sibi ecclesia S. Silvani, ubi senectutis suæ debilitatem a rigore monastici ordinis aliquantum relevaret. *Qui vero attenderit privilegium Hildegarii ad annum circiter* 958 *referendum esse, et anno* 997 *ecclesiam burgi Ageduni B. Mariæ Dei genitrici, non* S. Silvano, *dicatam fuisse, et præterea in Uzerchiensi fragmento* S. Silvani *ecclesiam absque monasterii mentione venire, is sane non dubitabit quin Agedunense monasterium diversum sit ab hac ecclesia, et quin minime queat ex citatis monumentis concludi olim ecclesiam dicti monasterii vocabulo* S. Silvani *usam fuisse ; licet celeberrimus ad eum venerandum illuc concurreret populus, ut Collinus congruus est testis. Atque hæc de cultus indiciis, sæculo* x S. Silvano *præstiti. Recentior Sanctorum Lemovicensium biographus Labiche de Reignefort, canonicus Lemovicensis, prodit aliquot alia cultus signa, quæ ad posteriora tempora forte pertinent. Scribit scilicet* (*a*), *Sanctum* Silvanum *patronum esse oppiduli Ageduni ejusque parœcialis templi : in quo Hugo* XIII (*b*) *comes Engolismensis anno* 1302 *sub* S. Silvani *titulo plures vicariatus seu cappellanias fundasset ; similia beneficia ecclesiastica exstitisse in* Anzême, *archipresbyteratus de* Gueret *loco ; et templa parœcialia in* Château-Hors-Chervix, *in* Chirac *prope* Mimac, *et in* Chrosmas S. Silvani *vocabulo et patrocinio gaudere. Plura de hoc Sancto neque rescivimus, neque resciri posse arbitramur.* D

(*a*) Six mois des Vies de Saints... de tout le Limousin. 1828, p. 243 — (*b*) Moreri Dict. Hist. et Geogr., t. I, part. II, p. 92.

B E

DE SS. MARTINIANO, SATURIANO

EORUMQUE DUOBUS FRATRIBUS MARTYRIBUS;

ET DE S. MAXIMA VIRGINE,

IN AFRICA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C J. V. H. F

§ I. De variis Martyrologiis, quæ de SS. Martyribus agunt, et de tempore passionis.

ANNO CCCCLVIII VEL CCCCLIX.

Martyrologia varia passionem horum Martyrum

Martyrologium Romanum parvum Adoni præfixum hos pugiles cum CCLXX Martyribus, de quibus supra egimus, ita conjungit, ut in unam turmam coalescere videantur, qui in persecutione Vandalica passi dicuntur ; nulla quidem facta mentione de S. Maxima. *Sic enim habet :* Sanctorum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et aliorum CCLXX pariter coronatorum Wandalica persecutione. *Hanc Martyrum conjunctionem suo etiam calculo probare videntur Ado atque Usuardus dum scribunt, ille quidem :* In Africa Sanctorum Martyrum CCLXX pariter coronatorum et Sanctorum Martyrum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et egregiæ Christi ancillæ Maximæ Virginis, etc. *Usuardus vero eadem habet, nisi quod pro* Satyriano *habeat* Satiriano, *et* S. Maximam *ponat post Martyrum elogium his verbis :* Passa est etiam Maxima Virgo cum eis. *De* S. Maxima *agemus infra prolixius.*

2 *Hæc, inquam, monstrare videntur Adonem et Usuardum utrumque martyrium conjunxisse. Quamquam forte et separasse dici possint, tum quia contra morem communiter receptum, quem tamen servaverat Martyrologium Romanum parvum, globum Martyrum, qui sequi solet nomina propria, Martiniano ejusque Sociis præposuerint, tum etiam quia illorum verba conjunctionem non absolute sonant; scribunt quidem utramque turmam in Africa passam, sed propter particulam conjunctivam* et *non necessario infertur, eodem tempore coronatam fuisse. Quidquid sit, Martyrologium Romanum hodiernum Martyres nostros a turma CCLXX discrevit, dum scribit :* In Africa Sanctorum Martyrum ducentorum septuaginta pariter coronatorum. Ibidem Sanctorum Martiniani et Saturiani cum duobus eorum fratribus, *etc. Quibus verbis utramque turmam diserte disjungit. Baronius quidem in Annotationibus ad Martyrologium Romanum, opinatur CCLXX in Vandalica persecutione coronatos fuisse,* *confuse enuntiant,*

sed

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

sed ut videtur nulla nixus auctoritate, ut patet ex rationibus supra allatis ubi de Martyribus CCLXX num. 4 *egimus, quas hic repetere non juvat.*

quæ corrigenda sunt ex Victore Vitensi:

3 *Sanctorum Martyrum elogia in Martyrologiis ita ex S. Victoris Vitensis* (*de quo majores nostri ad diem* XXIII *Augusti* (*a*)) *Historia Vandalicæ persecutionis lib.* I *cap.* X *desumpta sunt, ut nihil in iis occurrat, quod ex eadem non mutuatum sit. Jure igitur merito ad ejus historiam corrigenda sunt, quæ minus recte in Romano parvo, Adone et Usuardo descripta fuerunt. Imprimis absunt omnino ab Historia Victoris Vitensis Martyres CCLXX, de quibus præfati sumus. Dein ipsa SS. Martyrum nomina ad illius normam redigenda erunt. Hi martyrologi omnes scribunt* Martianum, *dum Victor constanter* Martinianum *habet. Revera quidem Lorichius in suo Victore typis edito Coloniæ A.* 1537 *et Basileæ A.* 1541 *primo* Mauritanum *scribit, quem deinde semper* Marturianum *appellat; et* Orthodoxographia *seu collectio sacrorum auctorum, inter quos Victoris libri tres de Persecutione Vandalica editi sunt Basileæ A.* 1555, Marturianum *vocat primum Martyrem. Non minor est varietas in nomine*

B *alterius:* Satirianum *enim aut etiam* Satyrianum, *quin et* Saturnianum *scribunt martyrologia supra laudata et codex unus Ms., ut habet D. Ruinart in annotatione* XXXIII *ad Historiam Persecutionis Vandalicæ. Sed omnino corrigendæ sunt hæ nominum varietates ex editione D. Ruinart, qui SS. Martyres secundum codices Mss. optimæ notæ* Martinianum *et* Saturianum *appellandos docet, prout jam Card. Baronius in editione Martyrologii Romani a se emendati scribendos ex Victore judicaverat.*

tempus martyrii non ad an. 430

4 *Nunc deveniendum est ad quæstionem de tempore, quo Martyres nostri passi sunt. Varia enim est eruditorum sententia, quamvis omnes consentiant, Vandalica persecutione passos fuisse; si Card. Baronium in suis ad Martyrologium Romanum Observationibus excipias, dicentem:* Quando passi sint, non invenimus: dicere necatos esse in persecutione Wandalica, divinare est, cum nullius auctoritate probetur. *Unde liquet ab eruditissimo viro præteritam fuisse S. Victoris Vitensis Historiam de Persecutione Vandalica; ex qua dubium nullum relinquitur, quin sub Vandalis passi fuerint SS. Martyres. Quæ est igitur inter eruditos opinionum diversitas, sola circa annum passionis versatur.*

C *Martyrologium Germanico idiomate ab Adamo Walassero, Dilingæ anno* 1599 *editum, quod sub nomine Canisii circumfertur, quia a Ven. Petro Canisio nostro auctum et emendatum fuit, hoc, inquam, Martyrologiam tempus passionis* SS. Martiniani *et Sociorum statuit circa an.* 430: *quod non videtur admittendum, quia Victor narrationem martyrii exordiens:* Sed etiam, *ait,* tunc martyres quam plurimi fuisse probantur... ex quibus aliquos narrare tentabo; *illa autem particula* tunc *refertur ad facta, quæ proxime præcedentibus verbis narraverat: hæc vero sunt subsidia collata captivis Romanis ab episcopo Carthaginensi* Deo gratias, *hujus obitus, interdictum a Geiserico ne ullus episcopus in Zeugitana et Proconsulari provincia ordinaretur:* Tunc martyres quam plurimi fuisse probantur. *Hæc autem omnia acciderunt post Romam a Geiserico captam, proindeque post an.* 455.

aut ad annum 470

5 *Quare reliqui eruditi, qui tempus aliquod affigere passioni conati sunt, annum aliquem post captam Urbem statuunt. Card. Baronius annum* 456; *Martyrologium Parisiense jussu Cardinalis Noaillii editum, annum* 457; *Stephanus Antonius Morcelli in sua* Africa Christiana (*b*) *annum* 459 *martyrio assignant. Difficile esset indagatu quas quisque rationes inierit, ut annum quemdam certum figeret; cum Tillemontius in suis Monumentis ecclesiasticis* (*c*) *candide fateatur ignorari tempus, quo passi sunt Martyres nostri. Si argumento vere solido niteretur conjectura Card. Baronii* (*d*) *et Gynecæi Arturi ad hunc diem, scilicet hos Martyres fuisse ex Urbe captivos, nullum videretur dubium quin illorum passio ad annum* 470 *proxime accederet.* D

ut etiam opinatur Daniel Papebrochius;

6 *Idem opinatur Daniel Papebrochius noster ad* XVI *Maii* (*e*), *ratus* Maximam *ejusque socios cum Romana præda devenisse in manus cujusdam Vandali. S. Virgo, teste Victore,* universæ domui dominabatur *velut œconoma.* Hoc, *ait Papebrochius loco cit.* plurium annorum fidelem servitutem supponit, intra quos tantam dominorum suorum inierit gratiam. *His annis addenda quoque sunt, reliqua mora in familia herili, et in monasterio Tabracensi, sed præcipue incolatus inter Mauros, quorum conversio ad fidem catholicam, et quæ ex mirabili prædicatione secuta sunt, missio ad civitatem romanam et constructio ecclesiæ, facile aliquot annorum spatium occupant; unde mirum videri non deberet ad annum usque* 470 *prorogandum esse tempus martyrii. Hæc probabilem facerent conjecturam de tempore passionis, si certo constaret* Maximam *et socios fuisse Roma abductos captivos: tunc enim omnis chronotaxis ab anno* 455 *exordium sumeret, recteque ad annum circiter* 470 *deduceretur.* E

sed circa an. 459 statuendum est

7 *Verum nihil est, quo hæc conjectura solide fulciri possit; nam quod* Martiniani *et Sociorum martyrium post Romanam vastationem et captivitatem acciderit, nequaquam hinc consequi videtur, tunc primum in servitutem fuisse redactos, quod nec vel levissimo indicio insinuat Victor, quin imo, cum lib.* I. *Historiæ suæ cap.* IV, *asserat jam ab an.* 439 antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem *(Carthaginis)* in servitutem redactam, *nihil obstat quominus dicamus tunc Martyres nostros jugum servitutis subiisse: qua in hypothesi, cum usque ad annum* 459 *viginti annorum intervallum habeamus, est certe tempus sufficiens, ut omnia quæ enumerat D. Papebrochius supra num.* 6, *facile peragantur. Passionem autem Martyrum ad annum LIX quinti sæculi quam proximam esse inde conjicimus, quod martyrium videatur accidisse circa tempus quo rex* F Zeugitanæ et Proconsulari provinciæ episcopos interdixit ordinandos... Tunc *enim* martyres quam plurimi fuisse probantur; *et statim Martyrum nostrorum passio subnectitur. Regium autem interdictum editum est, ut patet ex Victore loco citato immediate post mortem episcopi Carthaginensis S. Deogratias, de quo majores nostri ad diem* XXII *Martii* (*f*). *Istic quidem dicitur ordinatus Deogratias an.* 453, *probabilius quia hoc anno* VIII *Kal. Novembris in diem Dominicam incidebat: sed Chronicon Prosperi Tyronis apud Canisium* (*g*), *clare asserit* Studio *et* Aetio Coss. *seu an.* 454 *die Dominica ordinatum episcopum Deogratias, et proinde* IX *Kal. Nov. Malo errorem agnoscere in numero Kalendarum quam in Consulum nominibus* (*h*): *quoniam error tanto facilius excidere potuit, quod olim, ut demonstrant Benedictini auctores Novi Tractatus Diplomatices* (*i*), *numerus nonus exprimeretur per* VIIII, *unde facile obelus unus manum scriptoris effugerit. Victor dein ibid. cap.* VIII *episcopo Deogratias tres annos episcopatus tribuit, quibus menses duo*

(*a*) T. IV August., p. 628. — (*b*) T. III, p. 172 — (*c*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. XVI, p. 532. — (*d*) Ad. ann. 456, § XIV. — (*e*) T. III Maii, p. 581, num. 8. — (*f*) T. III Mart., p. 384. — (*g*) Antiq. Lect., tom. I, p. 311. Edit. Basnag. — (*h*) Cfr. Baron. ad an. 452, § LXVI et Crit. Pag. § VIII. — (*i*). Nouv. Traité de Diplom., t. III, p. 519.

dies

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *dies tredecim addendi sunt, si fidem adhibemus Kalendario sæculi* VI *edito a Joanne Mabillon* (*a*) *quod* depositionem *Deogratias episcopi Nonis* (v) *Januarii innectit : hinc obitus ejus an.* 458 *alligandus est, proindeque hoc anno aut sequenti passio Martyrum nostrorum reponenda videtur.*

§ II. De SS. Martiniani et Maximæ conjugio, et de disciplina Ecclesiæ circa impedimentum e voto castitatis proveniens.

Collocatur Maxima ab hero suo

Vandalus, cui serviebant Martinianus *armifactor et* Maxima *universæ domus œconoma*, ut fideles sibi magis, *inquit Victor num.* 1 *juxta passionis historiam infra edendam*, memoratos famulos faceret, *voluit eos* conjugali consortio sociare. Martinianus adolescentulorum sæcularium more conjugium affectabat ; Maximaque jam Deo sacrata

B humanas nuptias refutabat. *Verumtamen* S. Maxima *licet firma in proposito servandæ virginitatis, sed Deo confisa, videtur voluntati herili non repugnasse : id quippe indicant tum Victoris verba, quibus dicit :* ubi ventum est, ut cubiculi adirentur secreta silentia, *Martinianum* maritali fiducia quasi cum conjuge *cupiisse* cubitare; *et, Martiniano jam ad meliora traducto*, nesciisse Vandalum spiritalis secreti commercium. *Unde probabile nobis est*, S. Maximam *consensu suo firmasse matrimonium, quod Maigretius in Martyrographia Augustiniana, Herrera in Templo Eremitano, aliique certo initum fuisse innuunt.*

in matrimonium

9 *Apud Romanos penes dominum fuisse, assignare servis conjuges, satis clare enuntiat Columella de re rust. lib.* I, *cap.* I. *Hujusmodi vero maritales conjunctiones ne matrimonii quidem nomine dignabantur Romani, sed* contubernium *appellabant* (*b*). *Alio se modo habebant servi apud Germanos, e quibus Vandali prodibant.* Servis, *ait Tacitus* (*c*), non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit, et servus hactenus

C paret. Cætera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare servum, ac vinculis et opere coercere, rarum : occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune. *Talis quidem erat servitutis conditio in Germania, sed ab hac simplicitate jam deflexerant Vandali, et Romanos mores cæterum satis proni, utpote quos videmus* Maximam *et* Martinianum *ad ministeria domestica adhibuisse. Circa servorum conjugia plenam fuisse dominorum potestatem monstrat Dr. Felix Papencordt in opere de Vandalis in Africa* (*d*).

Martiniano :

10 *Attamen formam aliquam ad contubernium olim adhibitam fuisse, commode arguitur e Codice Justiniani* (*e*), *qui loquitur de contubernio* contra juris formam *inito. Quod vero ad juris normam contrahebatur, coram Ecclesia cui* non est servus neque liber (*f*) *vim rati matrimonii habebat, nisi obstaret impedimentum aliquod dirimens. Tale vero matrimonium a* S. Maxima *contractum fuisse mihi probabile apparet ; neque id inusitatum in antiqua Ecclesia : sic S. Cæcilia, ut habet Breviarium Romanum ad diem* XXII *Novembris, quum* virginitatem suam Deo vovisset, contra voluntatem suam datur in matrimonium Valeriano : *sic S. Julianus, post promissam castitatem, superne illustratus, Basilissam ducit uxorem* (*g*) : *lumine cœlesti sciebant ex istiusmodi actu suam castitatem nullum detrimentum esse passuram. Quæ quidem ratio et pro Sancta nostra Virgine valere potest, ut nuptias alioquin prohibitas contrahere sibi licere existimarit, quoniam deliberatum habebat a voto castitatis numquam discedere, ut monstrant ejus ad* Martinianum *verba apud Victorem loco cit.* Christo ego, *inquit*, o Martiniane frater membra mei corporis dedicavi, nec possum humanum sortiri conjugium, habens jam cœlestem et verum sponsum.

AUCTORE J. V. H.

qua occasione monstratur sæc. XII *antiquior*

11 *Cæterum satis notum est iis qui theologicas aut canonicas disciplinas vel summis labris delibarunt, votum simplex castitatis nuptias quidem illicitas facere, non vero invalidas. Imo sunt nonnulli qui opinantur nullum istiusmodi votum olim matrimonium diremisse : hujus sententiæ patronus inter alios est, Zegerus Bern. Van Espen, qui in Jure ecclesiastico universo* (*h*) *dicit non ante sæculi* XII *annum trigesimum nonum ab Innocentio II introductam fuisse voti solemnitatem, atque adeo illo ex capite impedimentum dirimens matrimonii. Hic enim pontifex in concilio Lateranensi* II, *cap.* VII *et* VIII (*i*) *sanxit :* Ut lex continentiæ et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuit quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici et monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulari præsumpserint, separentur : hujusmodi namque copulationem quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus : qui etiam ab invicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Idipsum quoque sanctimonialibus fœminis, si, quod absit, nubere attentarint, observari decernimus.

E

origo impedimenti dirimentis ex voto solemni

12 *Hæc prima fronte novæ legis imaginem præferre videntur ; sed si antiqua monumenta revolvimus multa invenientur, quæ meo judicio monstrant, legem hanc multis sæculis Innocentio II antiquiorem. Etenim sunt canones plurimi qui monachorum monialiumque nuptias cum matrimonio quod, priori viro superstite attentatur, comparant ; sunt alii, qui omnimodam separationem injungunt ; sunt denique qui professionem regularem inter impedimenta matrimonii dirimentia reponunt. Quæ sane omnia ostendunt et antiquis temporibus votum aliquod castitatis extitisse, quod vim ac indolem voti solemnis induerat. Ac primo quidem sanctimonialem prævaricantem inter adulteras reputari, clare docet S. Innocentius I in epistola sua decretali ad omnes episcopos data anno Christi* 404, *qua dicit* (*k*) *si* quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera,.., quanto et illa *(a sacerdote velata)* magis tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat et postea ad humanas nuptias transmigravit?

F

1° comparatione cum nuptiis,

13 *Id quoque in laudata epistola sub silentio prætermittendum non est, S. Innocentium duplicem virginum ordinem distinguere : alterum earum, quæ quidem perpetuam virginitatem ita voverant, ut tamen velatæ non essent ; alterum earum*, quæ velari a sacerdote meruerunt : *ac duplex iste virginum ordo apprime meo judicio hodiernam nostram distin-*

(*a*) Vet. Analect., p. 167. — (*b*) Adam Antiq. Rom., t. I, p. 75 et t. II, p. 310. Cujas, t. IX oper. col. 1475. — (*c*) De Morib. Germ., c. XXV. — (*d*) Gesch. der Vand. Herrschaft in Africa, p. 187. — (*e*) L. 24, C. de Incest. nupt. (IX. 9). — (*f*) Galat. III. 28. — (*g*) Act. SS., t. I Januar. die IX, p. 576, n. 5. — (*h*) Part. II, sect. I, tit. XIII, t. I, oper. p. 582. Edit. Lovan. al. Lugdun. an. 1778. — (*i*) Labbe, t. X. Conc. col. 1003. — (*k*) Ibid, t. II. Conc. col. 1252.

ctionem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

ctionem inter simplex et solemne castitatis votum declarat. Porro benignius vult agi Pontifex cum lapsis, quæ velatæ non sunt : nam pronuntiat solvi *posse* istam pollicitationem, *non tamen* sine vindicta : *illicitum scilicet erat earum matrimonium, non tamen invalidum; nam acta* aliquanto tempore pœnitentia *expiatæ, nuptiis legitime fruebantur. Ast severius habet S. Pontifex virgines jam velatas, quas perenni publicæque pœnitentiæ subjectas volebat. Ex ipsa quidem decretali deducere conatur Van Espen l. c. velatarum nuptias validas fuisse, quia monialis lapsa non admittebatur ad pœnitentiam priusquam vir* de sæculo recesserit, *commentaturque fieri* id indubie ne pœnitentia cedat in matrimonii initi injuriam ; tum enim publice pœnitentibus actum conjugalem exercere non licebat. *Sed videtur Espenius mentem Pontificis non assecutus. Imprimis, ut nihil dicam de inæqualitate pœnæ, quæ non velatæ certa, incerta velatæ, si nempe viro superstes fuerit, statuitur, Innocentius loquitur de lapsis, quæ* vel publice nupserint vel se clanculo corruperint: *numquid et occulte corrupta adhærere debet corruptori, donec hic vixerit? Dein Pontifex dicit* pollicitationem *non velatæ* solvi *posse, ergo quum nihil simile dicat de velata, solvi non potest vinculum ejus, quæ* ante immortali se sponso conjunxerat.

B

priore viro, contractis ;

14 *Eamdem doctrinam tradit S. Hieronymus dicens lib.* I *adv. Jovinian. cap.* VII (*a*) : Virgines post consecrationem *(id est velatas)* nubentes non tam adulteras esse, quam incestas. *S. Joannes Chrysostomus scribit ad Theodorum lapsum adhort.* II (*b*) : Τὸν ἐπουράνιῳ συναφθέντα νυμφίῳ, τοῦτον μὲν ἀφεῖναι, γυναικὶ δὲ ἑάυτὸν συνάψαι, μοιχεία τὸ πρᾶγμα, κἂν μυριάκις αὐτὸ γάμον καλῇς. *Id est :* Eum, qui semel cœlesti sponso junctus est, si ab eo divellatur et uxorem ducat, adulterium committit, quamvis millies hoc ipsum nuptias voces. *Iisdem fere verbis utitur S. Ambrosius in tractatu ad virginem lapsam* (*c*), *quem S. Doctori adscribit D. Ceillier* (*d*) : Quæ se spopondit Christo et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. *Similem ratiocinationem de virgine lapsa facit S. Basilius in Epistola Canonica* II *ad Amphilochium* (*e*), *et S. Augustinus, Enarrat. in Ps.* LXXXIII *n.* 4 (*f*). *Verum S. Augustinus*

C

a multis tamquam patronus contrariæ opinionis citatur, quia scilicet libro de sancta Virginitate c. XXXIV (*g*) *dicit virginibus aliquibus voto castitatis obstrictis* melius esse nubere quam uri ; *et lib. de Bono Viduit. cap.* X (*h*) *reprehendit illos, qui docent lapsarum nuptias* non esse conjugia. *Sed secum ipse et cum aliis commode explicatur S. Doctor, si duplex continentium ordo distinguitur, nempe earum quæ simpliciter voverunt, et earum quæ insuper sacrum acceperunt velamen : ac de priore ordine loquentem Augustinum censeo, quia in libro de sancta Virginit. l. c. agit* de veste elegantiore, de capitis ligamento notabili, de prætumidis umbonibus capillorum, *quæ certe sanctimonialibus seu velatis non conveniebant, quoniam cavet Epist.* CCXI, *al.* CIX (*i*) *ut* capillos nulla ex parte nudos *habeant; in libro autem de Bono Viduit. cap.* XXI *præmonet continentes ne* divitiarum cupiditate capiantur pro cupiditate nuptiarum, *ne* in cordibus nummus viri amori succedat, *quod cum voto paupertatis religiosæ stare non potest.* D

2° e separatione injuncta,

15 *Nostra dein sententia confirmatur ex separatione injuncta iis qui tales nuptias attentarint. Patres Concilii Turonensis anni* 567 *ad S. Radegundem scribunt* (*k*) *anathemati subjectam monialem viro adhærentem,* donec separatione facta *per competentem.....* pœnitentiam.... recipi mereatur. *Concilium Barcinonense anni* 599, *canone* VI (*l*) *sancit ut velatæ, quæ* a pudicitiæ violatore se sequestrare noluerint, *ita sint alienæ a communione catholica,* ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio relinquatur. *Cui legi consonat can.* XI *Concilii Forojuliensis sub Paulino episcopo Aquilejensi anni* 791 (*m*) *præcipiens ut quæ voto castitatis emisso,* ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, indutæ fuerint, licet non sint a sacerdote sacratæ... si postea sese vel clanculo corruperint seu publice nupserint..... segregentur ab invicem. *Meldense Concilium anni* 845 *canone* LXVII (*n*) *vult ejusmodi nupturientes* ad habitum religionis cogi, *et* sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter permanere : *quam sanctionem in Germania* E *quoque vigere monstrat Concilii Triburiensis canon* XXIII (*o*) *dum vult ut hujusmodi personæ* omnino separentur *et* juramento colligentur, *ne vel* familiari fruantur colloquio ; *et in Anglia, lex Edgari* (*p*) *jubentis, ut sanctimonialis lapsa* deserat peccati consortium. *Tandem Concilium Lateranense* I *sub Calixto II celebratum anno* 1123 *canone* XXI (*q*) *eodem tenore matrimonia interdicit monachis æque ac presbyteris,* contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi *præcipit, quibus verbis clare monstratur nihil novi sanxisse Concilium Lateranense* II, *ut vult Espenius.*

3° quia tale votum inter impedimenta

16 *Hisce argumentis e comparatione cum adulterio et ex præscripta omnimoda separatione petitis, tertium subjungimus, quod vim suam ad monstrandam asserti nostri veritatem habere censemus. Plura scilicet sunt antiqua documenta, quæ eodem sermonis tenore, iisdemque pœnis damnant et incestas propinquorum et sacrilegas monialium nuptias. Sic Concilium Parisiense* V, *an.* 615 *canone* XIV (*r*) *ad* incestas conjunctiones ab omni Christianorum populo resecandas, *dicit,* ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissima abstinere *debere,* qui relictam fratris, sororem uxoris..... vel in religionis habitu deditam conjugii F crediderit consortio violandam. *Eodem modo loquitur Metensis Synodus anni* 753 *canone* I (*s*) *quo mulcta punitur homo* si incestum commiserit..... de Deo sacrata aut commatre sua..... aut cum matre et filia ; *et Egbertus archiepiscopus Eboracensis in Anglia canone* CXXIX (*t*) *eodem anathematis fulmine percellit, qui* monacham, *et qui affinem* vel de propria cognatione uxorem duxerit. *Atque istiusmodi nuptias non solum pœnis inter se, sed etiam prohibitione æquiparari, monstrat canon* XV *Concilii Calchutensis in Anglia anni* 787 (*u*) interdicens omnibus injusta connubia et incestuosa, tam cum ancillis Dei vel aliis illicitis personis, quam cum propinquis et consanguineis vel alienigenis uxoribus ; *et epistola synodica Concilii Duziacensis in provincia Rhemensi anni* 874 (*v*) *quæ prohibet omnes illicitos*

(*a*) Tom. IV Oper. col. 156. Edit. Paris. an. 1706. — (*b*) Tom. I Oper., pag. 38. — (*c*) Tom. V Oper., pag 167. Edit. Venet. an. 1781. — (*d*) Hist. des Aut. eccl., tom. VII, p. 476. — (*e*) Tom. III Oper., pag. 291. Edit. Paris. an. 1730. — (*f*) Tom. IV Oper. col. 880. Edit. Paris. an. 1679. — (*g*) Tom. VI, col. 286. — (*h*) Ibid., col. 375. — (*i*) Tom. II, col. 784. — (*k*) Labbe, Tom. V Conc. col. 874. — (*l*) Ibid., col. 1606 et Aguirre, tom. III Conc. Hisp., p. 307. — (*m*) Labbe, tom VII, col. 1006. — (*n*) Ibid., col. 1839. — (*o*) Tom. IX, col. 453. — (*p*) Wilkins, tom. I, Conc. Brit., pag. 233. — (*q*) Labbe, tom. X, Conc. col. 899. — (*r*) Labbe, tom. V, col. 1652. — (*s*) Ibid., tom. VI, Conc. col. 1660. — (*t*) Ibid., col. 1598. — (*u*) Ibid., col. 1869. (*v*) Tom. IX, col. 261.

concubitus

A *concubitus* : multo magis, *addit*, concubitus cum propinquis Deoque dicatis fœminis. *Eadem vestigia sectatur Concilium Ænhamense in Anglia anni* 1009, *quando canone* VIII (*a*) *præcipit ut* nemo illicitis conjunctionibus se inquinet, id est, cum cognatis, vel cum conjugatis, vel cum Deo sacratis : *quam sanctionem confirmavit dein anno* 1032 *Canutus rex Angliæ et Daniæ l.* XIV (*b*), in nomine Dei præcipiens, *post enumerata impedimenta matrimonii dirimentia, ne* commatrem aut filiolam suam, nec sanctimonialem nec repudiatam aliquis ducat uxorem. *In omnibus supra citatis documentis, quæ brevitatis causa non integra produxi, impedimentum voti unicum esset, quod dirimens non fuisset : quam abnormitatem nemo facile sanctissimis et gravissimis viris adscribet.*

reponitur. 17 *Atque hæc sunt præcipua momenta, quæ mihi suadent impedimentum, e voto profluens invalidansque matrimonium, longe antiquiorem habere originem, quam assignatam supra ab Espenio; imo eamdem vix non coævam esse ipsis exordiis status monastici. Fateor quidem superesse aliqua e SS. Patribus testimonia, quæ difficultatem aliquam facessunt, sed hæc tanta non est ut clarissimam doctrinam Conciliorum elevet. Citatur non raro casus Venantii patricii, qui e monasterio elapsus, uxore ducta, duas filias suscepit. Lapsum S. Gregorius Papa benigne tractat, sed ut resipiscat* (*c*) *: vult omnino ut ad monasterium redeat, scribitque ad Joannem Syracusanum epistola* XXXVI, *lib.* XI (*d*), *ut* hortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei tantæ culpæ reatus in æterno judicio obsistat. *Videmus igitur et hic necessitatem separationis hujusmodi conjunctis impositam; quæ sola monstrat facinus Venantii sancto Pontifici matrimonium non fuisse. Nunc ut ad* S. Maximam *unde digressi sumus redeamus, ejus verba clare indicant voto castitatis obstrictam fuisse; nihil tamen urget eamdem fuisse velatam, quin potius obstat ætas ejus tenera, quando in servitutem redacta fuit. Hinc si consentire, (quod quidem mihi probabile) matrimonio visa est, validum fuerit in foro externo, quod solas velatarum nuptias inanes pronuntiat.*

B

C

§ III. De monachatu SS. Martiniani, Sociorum et Maximæ.

SS. Martyres, Martinianus, Maximæ *rationibus et precibus inductus ad servandam mutuo consensu castitatem*, etiam suis fratribus, *pergit Victor num.* 2, persuasit, *ut* thesaurum quem invenerat, haberent, utpote germani, communem. *Et Deo altiores ascensiones in corde ejus disponente*, conversus Martinianus cum tribus fratribus suis, Dei quoque puella comitante, nocte clam egredientes, Tabraceno monasterio, cui præerat tunc nobilis pastor Andreas, sociantur. *Erat fortasse Andreas ille monachus, de quo S. Augustinus scribit in epist.* XLVIII *al.* LXXXI (*e*) *data circa annum* 398. *Hanc Martyrum fugam probat Victor, dicendo Vandalum tandem* invenisse jam non sua, sed Christi mancipia. *Non ignorabat tamen Victor can.* IV. *Conc. Chalcedon. quo cavetur, nullum in monasteriis servum recipi, ad hoc ut sit monachus, præter voluntatem sui domini* (*f*) : Μηδένα δὲ προσδέχεσθαι ἐν τοῖς μοναστηρίοις δοῦλον ἐπὶ τῷ μονάσαι παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου δεσπότου. *Cfr in Decreto distinctionem* LIV.

AUCTORE J. V. H.

19 *Fundata erat hæc disciplina in verbis S. Pauli I ad Tim. cap.* VI, ℣. 1 : Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur... Si quis aliter docet... superbus est, nihil sciens. *Justinianus Imperator Nov.* V, *cap.* II, § I, *vult quidem servos in monasteriis per triennium probatos et monachos effectos, liberos fieri; sed hæc Martyres nostros, utpote antiquiores ipsa lege, non juvant. Excusari quidem possent ignorantia homines simplices et inferioris conditionis; sed illud remedium* nobili pastori Andreæ *ejusque monachis vix prodesset, cum illorum ignorantia difficulter nobis probaretur. Excusandi itaque sunt, aut quia legitima non erat illorum servitus, aut potius quia periclitabatur illorum fides, quod eventus postea docuit. Quod periculum præcavens Constantinus Imperator* legem tulit ne Christianus ullus serviret Judæis... Quod si quis Christianæ religionis servus penes Judæum deprehenderetur, illum quidem libertate donari, Judæum vero pecunia mulctari jussit. *Verba sunt Eusebii in Vita Constantini lib.* IV, *cap.* XXVII. Ἀλλὰ δὲ Ἰουδαίοις μηδένα Χριστιανὸν ἐνομοθέτει δουλεύειν... εἰ δὲ εὑρεθείη τις τοιοῦτος, τὸν μὲν ἀνεῖσθαι ἐλεύθερον · τὸν δὲ ζημίᾳ χρημάτων κολάζεσθαι. *Hanc legem ad hæreticos extendit consuetudo, sancita tandem ab Arcadio et Honorio, lib.* 4. § 8, *cap. de Hæret.* (I. 5), *et lib.* I *cap. Ne Christ. mancip.* (I. 10).

fuga servituti subtracti,

E

20 *Non solum habitum monachalem induisse, sed etiam professione monastica obligatos fuisse, insinuant verba Victoris, dicentis Vandalum invenisse* jam non sua, sed Christi mancipia, *cui se dicaverant per vota religionis. Hinc in Martyrologio Ordinis Eremitarum S. Augustini et in Directoriis ad usum eorumdem Patrum dispositis, adscribuntur Martyres nostri Ordini Augustiniano. Nostrum non est arduæ quæstionis de monachatu inter Canonicos et Eremitas S. Augustini agitatæ, quam dirimere refugit Joannes Stiltingus noster propter gravissimas rationes allatas in Vita S. Augustini ad diem* XXVIII *Augusti* (*g*), *solutionem tentare. Hoc tamen dicere non dubitamus* Martinianum *et socios ad illud institutum monasticum pertinere, quod S. Augustinus in Africa aut instituit, aut ita excoluit ut ab ipso stabiliorem formam acceperit. Non pauca sunt quæ suadent S. Augustinum primum fuisse, qui monasticam vitam, in Oriente et Italia jam pervulgatam, in oras Africæ invexerit. Exprobraverat scilicet ei Petilianus episcopus Donatista, quasi* genus vitæ *monachorum* ab ipso fuisset institutum; *non negat S. Doctor, sed lib.* III *contra litt. Petiliani cap.* XI (*h*) *simpliciter respondet* : Quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit.

in Tabracensi monasterio profitentur vitam religiosam ;

F

21 *Huc etiam facit testimonium S. Possidii, Vitæ scriptoris, qui cap.* XI (*i*) *dicit per Augustini discipulos monasteria fuisse instituta :* proficiente porro doctrina divina, sub sancto et cum sancto Augustino, in monasterio Deo servientes, ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente et clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentia et paupertate profunda, monasterium quod per

quam S. Augustinus in Africam invexit.

(*a*) Tom. IX, col. 799. — (*b*) Ibid., col. 927. — (*c*) Lib. I. epist., XXXIV, tom. II Oper. col. 522, Edit. Paris. an. 1705. — (*d*) Ibid., col. 1119. — (*e*) Tom. II Oper. col. 114. — (*f*) Labbe, tom. IV Conc. col. 757. — (*g*) Tom. IV. Aug., p. 254. — (*h*) Tom. IX. Oper. col. 321. — (*i*) Tom. X Oper. col. 264.

illum

AUCTORE J. V. H.

illum memorabilem virum et esse et crescere cœperat, magno desiderio poscere et accipere episcopos et clericos pax Ecclesiæ atque unitas et cœpit primum et postea consecuta est... Similiter et ipsi ex illorum Sanctorum proposito venientes, Domini ecclesiis propagatis, et monasteria instituerunt; et studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Unde per multos et in multis salubris fidei spei et caritatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Africæ partes, verum etiam in transmarinis et per libros editos atque in græcum sermonem translatos, ab illo uno homine et per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt.

ut monstratur e monumentis coævis:

22 *Idem insinuat S. Doctor in lib.* II. *Retractationum cap.* XXI (*a*) *inquiens* cœpisse *suo tempore* esse apud Carthaginem monasteria, *quorum incolæ quidam jam Christi bonum odorem non spargebant:* Omnes, *ait, de Oper. monach. cap.* XXVIII (*b*), petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis, cum
B interea ubicumque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare: *Ex hisce testimoniis clarum fit S. Augustini tempore novellum fuisse monasticum institutum, quod ex Italia in Africam transmigraverat; maxime cum et Romæ non ita pridem cœpisset: nam S. Hieronymus Epist. ad Principiam Virginem, quæ vulgo* Epitaphium Marcellæ *inscribitur* (*c*): Nulla, *ait*, eo tempore nobilium fœminarum noverat Romæ propositum monachorum, nec audebat, propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriumque in Thebaide Pachumii, et Virginum ac Viduarum didicit disciplinam: nec erubuit confiteri, quod Christo placere noverat. *S. Athanasius Romæ*
C *fuit circa finem anni* 339, *ibique octodecim menses moratus est; Petrus II, successor ejus, usque ad an.* 378 *Romæ fuit* (*d*); *hoc igitur intervallo adolevit institutum monasticum apud Occidentales; proinde vix ante baptismum S. Augustini, an.* 387, *Africæ innotescere potuit.*

adeo ut tum ipsa instituti novitas

23 *Hæc ipsa novitas instituti monastici fecit, ut monachi, fervente persecutione, et quietius viverent, et effugerent facilius vim edictorum adversus Catholicos latam. Certe Bonifacius, episcopus Carthaginensis, in Concilio ibidem celebrato anno* 525 (*e*) *conquestus est, Liberatum primatem Provinciæ Byzacenæ multas molestias Petro abbati ejusque monachis creare, qui* nec invidiæ flammam timuit accendere adversum servos Dei, quibus nihil est commune cum sæculo, congregationes pontificum, sicut pariter audivimus, frequenter adducens, et quotidianis minis Christi famulos inquietans; ut mutata vice, quos nec generalis ecclesiarum gravatio molestavit, pax ecclesiastica videatur affligere. *Hæc tamen verba non ita intelligenda sunt, ut omnem persecutionem evaserint incolumes monachi: nam ut omittam narrata monachorum martyria a Victore Vitensi, Victor Tununensis episcopus alia refert* (*f*) *ad consulatum III Zenonis Imp. an.* 479; *male quidem, cum Hunerici persecutio inceperit primum post ordinationem S. Eugenii Carthaginensis, an.* 481, *ut probat D. Ruinart, de Persec. Vand. P.* II, *cap.* VII, *n.* 10. D

clade monachos liberaverit.

24 *Quæ tamen narrat facta, indubia sunt:* Hunericus Vandalorum rex, persecutionem per totam Africam nimis insistens, Tubunnis, Macri Nippis, aliisque eremi partibus Catholicos jam non solum sacerdotes et cuncti ordinis clericos, sed et monachos atque laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegat, et Confessores ac Martyres facit, Confessoribusque linguas abscidit. Quos Confessores quod linguis abscissis perfecte finem adusque locuti sunt, Urbs regia adtestatur, ubi eorum corpora jacent. *Non facile quis ad concordiam reducat hos textus, nisi vel verba Bonifacii Carthaginensis ita intelligantur, ut* quos generalis ecclesiarum gravatio *minus* molestaverat, pax ecclesiastica *magis* videretur affligere; *vel eadem verba alludant ad postremam persecutionem Trasamundi, quæ in solum clerum sæviisse videtur. Cæterum Tabraca, quo SS. Martyres confugerant, duo habebat monasteria, unum virorum, alterum fœminarum, ut tradit Victor. Est autem Tabraca, aut secundum Ptolemæum aspirata littera Thabraca, oppidum civium romanorum Numidiæ in ora maritima, inter Armuam et Tuscam fluvios (Plinius Hist. nat. lib.* V, *cap.* III). *Coloniam vocat Ptolomæus; quæ inter se non pugnant:* multa enim, *ait Steph. Morcelli* (*g*), in municipia coloni deducti, præsertim milites confectis stipendiis, quos Augusti honesta missione misissent. E

Inventi SS. Confessores adiguntur ad rebaptisationem;

25 Sciscitante Barbaro inquisitionibus et muneribus crebris, quod gestum erat *(scilicet fuga servorum ad monasterium)* celari non potuit. Inveniens itaque jam non sua, sed Christi mancipia, conjicit in vinculis et variis tormentis Dei famulos insectatur; agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur, sed, quod gravius est, per rebaptisationis cœnum, fidei suæ ornamenta turparent. *Vict. Vitensis lib.* I, *Hist. Pers. Vandal. cap.* X. *Sacrilegum rebaptisandi morem ad Arianos manasse a Donatistis suscipiantur plures eruditi, quos citatus Franciscus Blanchinus Veron. De Vitis Roman. Pontif.* (*h*). *Hi enim ne continuo dicerentur in Africæ angulo delitescere, Arianos suis erroribus inficere conati sunt. Huic opinioni fidem adstruunt illa, quæ S. Augustinus variis locis dicit de Arianorum et Donatistarum consensione, Epist.* XLIV *al.* CLXIII (*i*): Sane, *inquit*, quoniam nescio quando audieramus, Arianos, cum a communione Catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse; ad aurem mihi hoc ipsum frater Alypius suggessit. F

qui error a Donatistis

26 *Similia habet lib.* III *contra Cresconium Donat. cap.* XXIV (*k*), *et Epist.* CLXXXV *al.* X (*l*) *dicit S. Doctor Gothis sive Vandalis sociatos fuisse Donatistas:* Ut ergo breviter insinuem Dilectioni tuæ, *(Bonifacio comiti)* inter Arianorum et Donatistarum quid intersit errorem, Ariani Patris et Filii et Spiritus Sancti diversas substantias esse dicunt: Donatistæ autem non hoc dicunt, sed unam Trinitatis substantiam confitentur. Si aliqui ipsorum minorem Filium esse dixerunt quam Pater est, ejusdem tamen substantiæ non negarunt. Plurimi vero in eis hoc se dicunt omnino

(*a*) T. I Oper. col. 49. — (*b*) T. VI Oper. col. 498. — (*c*) T. I Oper., p. 122. — (*d*) L'art de vérifier les dates. Patriarch. d'Alexandrie. — (*e*) Labbe tom. IV Conc. col. 1643. — (*f*) Ap. Canis. Antiq. Lect., tom. I, p. 324. Edit. Basnag. — (*g*) Afr. Christ., tom. I, p. 293. — (*h*) Tom. III, p. 12. — (*i*) T. II Oper. col. 103. — (*k*) T. IX Oper. col. 454. — (*l*) T. II Oper. col. 643.

credere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

credere de Patre et Filio et Spiritu Sancto, quod credit Catholica Ecclesia. Nec ipsa cum illis vertitur quæstio; sed de sola communione infeliciter litigant, et contra unitatem Christi rebelles inimicitias perversitate sui erroris exercent. Aliquando autem, sicut audivimus, nonnulli ex ipsis volentes sibi Gotthos conciliare; quando vident eos aliquid posse, dicunt hoc se credere, quod illi credunt. Sed majorum suorum auctoritate convincuntur, quia nec Donatus ipse se credidisse asseritur, de cujus parte se esse gloriantur. *Donatistæ videntur paulatim deflexisse a doctrina majorum suorum, et ad Arianam perfidiam inclinasse, præcipue ut Gothos, qui, Hispaniis occupatis, Africæ jam imminebant, sibi conciliarent; pronum est igitur conjicere vicario conatu errores sibi communicasse, ut Donatistæ per ambages Trinitatis Sanctissimæ mysterium confiterentur, et Ariani rebaptisationem adoptarent.*

ad Arianos derivatus videtur.

27 *Sunt tamen qui putant ab Eunomio derivatum ad Arianos rebaptisationis errorem; Philostorgii enim excerpta quæ supersunt* (*a*) *tribuunt Eunomio erroris initium*: Ὅτι, φησιν, οἱ περὶ Ευνόμιον τοσοῦτον τῶν εἰρημένων ἀιρέσεων ἀπεκρίθησαν, ὡς μήτε βάπτισμα αὐτῶν, μήτε χειροτονίαν προσίεσθαι. Eunomiani, ut scribit Philostorgius, ab hæresibus supra memoratis (*Arianorum*) tantopere abhorruerunt, ut nec baptisma eorum, nec ordinationem admitterent. *Ex verbis Philostorgii deducit Bencinus in Notis ad Vitas Rom. Pontif. Anastasii* (*b*), *Eunomium* universim promovisse rebaptisationem et reordinationem omnium, qui sive ex religione Catholica, sive ex aliis sectis ad ipsum adveniebant. *Textus Philostorgii agit solum de Arianis, qui* in varias sententias descissi sunt. *Non solvit itaque Philostorgius difficultatem rebaptisationis, præcipue cum S. Augustinus, lib. de Hæresibus* (*c*) *dicat:* Rebaptisari ab his (*Arianis*) Catholicos novimus, utrum et non Catholicos, nescio. *Non itaque videtur ex eodem fonte Arianorum et Eunomianorum rebaptisationem manasse; hi solum Arianum baptisma, illi Catholicorum ita excludebant, ut S. Doctor dubitaverit, num sacramentum Acatholicorum excluderent. Quod tandem monstrat Bencini conjecturam infirmo inniti fundamento, sunt mortales inimicitiæ, quæ inter utramque sectam ardebant, teste Philostorgio l. c. ut non facile altera ab altera aliquid mutuatum habere voluerit. Probabilior itaque mihi eorum opinio est, qui Arianam sententiam de rebaptisatione ad Donatistarum communionem referunt: maxime quia præ cæteris in Africa a Vandalis occupata impius ille furor desæviit.*

SS. Confessores variis suppliciis afficiuntur,

28 *Apud Vandalos igitur præcipua nota desertæ fidei erat rebaptisari, ut passim monstrat Victor in sua Historia. Vandalus itaque* conjicit in vinculis et variis tormentis Dei famulos insectatur, agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur, sed quod gravius est, per rebaptisationis cœnum fidei suæ ornamenta turparent. Pervenit hoc ipsum usque ad notitiam Geiserici regis, qui præcepit, ut tamdiu implacabilis herus servos affligeret, quamdiu illius succumberent voluntati. Jubet in modum serrarum fustes robustos veluti palmatos cum stirpibus fieri, qui quatientibus tergis non solum ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, et dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die, Christo medente, semper incolumes reddebantur. Hoc sæpius et multo factum est tempore, et nulla plagarum vestigia videbantur, Sancto Spiritu subinde curante. Post hoc artantur maxime dura custodia, compedeque crudeli extenduntur. Quibus cum Dei servorum visitantium non deesset frequentia, videntibus cunctis, ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Miraculum hoc et voce omnium celebratur, et nobis ille, ad quem custodia pertinebat, cum sacramento testatus est ita fuisse.

sed mirabiliter sanantur.

29 *In observationibus ad textum Victoris infra explicamus quid per* fustes veluti palmatos *intelligendum sit. Tillemontius* (*d*) *dicit* duo Mss. referre hæc supplicia ad quatuor fratres, non vero ad Maximam, *in margine citans pag.* 156-157 *editionis Historiæ persecutionis Vandalicæ D. Ruinart. Verum citata Mss. teste laudato D. Ruinart, nuspiam insinuant* Maximam *hæc supplicia non subiisse, sed* ipsam solam miraculo *fuisse curatam, dein solam* artatam dura custodia, cuspideque crudeli extensam. *Quod supplicium soli etiam* Maximæ *tribuit Lect.* VI *Offic. prop. SS. Ord. Erem. S. August. Antv. Plantin. an.* 1674. *Varia lectio proveniebat e corrupto adverbio* maxime, *quod in* Maxima *mutaverat librarii oscitantia.* Post hoc artantur maxime dura custodia, *unus vel alter substituit:* Post hoc artatur Maxima dura custodia. *Cæterum Theodorici Ruinart lectionem probat Ado, qui singula supplicia et curationes singulas, tum quatuor fratribus, tum* Maximæ *tribuit; et Usuardus scribit:* Qui pro constantia fidei catholicæ primum nodosis fustibus cæsi et usque ad ossa laniati, cum multo tempore talia paterentur, sequenti die incolumes reddebantur..... Passa est etiam Maxima Virgo cum eis. *Unde satis apparet omnibus et passiones et prodigiosam sanationem esse adscribendas. Multa occurrunt in Victoris Historia miracula, quæ ejusmodi sunt, ut coram populi frequentia gesta, iis testimoniis nitantur ut omnem prudentem timorem oppositi erroris excludant. Hic Catholicorum adest frequentia, adest confessio ipsius custodis, interposita sacramenti religione, firmata: quæ omnia ipsis testibus viventibus cum scripta sunt, nihil est quod ad eorum veritatem desiderari possit.*

§ IV. Sanctorum Martyrum relegatio in desertum; illorum mirabilis prædicatio, et Mors. De S. Maxima.

SS. Confessores, in desertum Capræ Pictæ deportati,

Sancti, quos tormenta non vicerant, quosque Deus inflictis pœnis ab inimicis vindicaverat, exilio, Maxima *excepta quæ libertati suæ reddita est, relegantur in desertum Mauritaniæ, quod Capra Picta nuncupatur. Non alia mihi occurrit notitia istius deserti, quam quæ apud Victorem Vitensem reperitur. Videtur nihilominus desertum illud situm esse in interiore Mauritania versus meridiem, quum illic, ait Victor,* antea a nullo fama Christiani nominis fuerat divulgata. *Si in Mauritania, Romanis olim subjecta, fuisset desertum Capræ Pictæ, mirum esset nullum episcopum vicinum illuc se contulisse aut alios submisisse, qui his populis evangelium annuntiarent. Aliquid forsitan lucis aspergere posset quæstioni topographicæ, quod Faustus Buronitanus Victori Vitensi retulit de miraculis, quæ Deus ad tumulum SS. Martyrum operabatur; si nempe e situ civitatis Buronitanæ aliquid conjicere liceret de præfato deserto; sed nulla vicissim Buro-*

(*a*) Hist. Eccles. Eusebii, tom. III, p. 523. Edit Henr. Vales. Amstel. an. 1695. — (*b*) Blanchin. De Vit. Rom. Pont., t. III, p. 14. — (*c*) T. VIII Oper. col. 18. — (*d*) Mém. pour servir à l'hist. ecclés., t. XVI, p. 529, not.

AUCTORE J. V. H.

niæ civitatis notitia est, præter hunc locum Victoris, satis incertum : nam D. Ruinart, in notis ad Victorem Vitensem n° 39 *suspicatur legendum* Buconitanus *aut etiam* Buritanus *pro* Buronitanus ; *ex quibus omnino incertam esse hanc qualemcumque civitatem, manifestum fit, ut ex* Buronia, Buconia, *aut* Buria *divinare non liceat vicinitatem* deserti Capræ Pictæ ; *maxime cum ipse Faustus potuerit longius abesse a sua cathedra, multis episcopis tunc exulantibus, ut narrat Victor Hist. Pers. Vandal. l.* I, *c.* VII. *Ex dictis consequitur infirmo niti fundamento conjecturam Theod. Ruinart, Steph. Antonii Morcelli, qui ex Victoris Historia deducunt Buroniam civitatem fuisse in Mauritania aut in ejusdem finibus sitam. Et hic quoque, errore probabilius calami,* trium Martyrum *memoriam coli dicit, quamvis fuerint* quatuor, *scilicet* Martinianus, Saturianus et duo eorum germani.

incolas ad fidem convertunt

31 *Sancti, ut jam diximus, deducti fuerant in regionem,* ubi antea a nullo fama Christiani nominis fuerat divulgata ; *Christum itaque annuntiant, et ingentem populi multitudinem ei lucrifaciunt. Ut tamen imbre sacri baptismatis rigarentur,* B *presbyter et ministri rogantur. Nescio qualem hic observationem intercalat Tillemontius* (*a*), *quasi severior olim fuisset Ecclesiæ disciplina in permittenda laicis baptismi collatione, quam nunc est ; neque video quid oblique perstringat. Interea constans fuit Ecclesiæ doctrina de validitate baptismi a quocumque debite collati, ut monstrat Tertullianus Afer lib. de Baptismo cap.* XVII (*b*) *et Historia S. Athanasii pueri baptisantis, quam refert Rufinus anno* 410 *defunctus* (*c*). *Constans quoque fuit Ecclesiæ disciplina, ut extra necessitatis casum nulli laico liceret baptismum conferre. Id solum in disciplina Ecclesiæ mutatum est, ut episcopi præ presbyteris aut diaconis frequentius* solemni ritu *olim baptisarent. Quod si hujusmodi variationem disciplinæ insinuare voluit Tillemontius, facile cernitur loco non suo observationem fuisse interpolatam. Martyres ut Mauris baptismatis gratiam procurarent,* mittunt legatos, *ait Victor Vitensis cap.* XI, per itinera deserti : pervenitur tandem ad civitatem romanam : rogatur episcopus, ut presbyteros aç ministros credenti populo destinaret.

quare petunt presbyterum e civitate

32 *Cardinalis Baronius tum in Martyrologio Romano et annotationibus eidem subjectis hac die,* C *tum in Annalibus ad annum* 456, § XIV, *cui adstipulatur Pagius ibidem* § XI, *nullatenus dubitat quin nomine civitatis romanæ veniat ipsa Roma, et proinde concludit legationem fuisse directam ad Papam. Varias Cardinalis Baronius ex hoc facto Annalium loco citato deducit consequentias, imprimis Martyres nostros* ex Romana Urbe fuisse captivos, et unde venerant, petiisse ministros : vel potius voluisse ex ipso limpidissimo fonte petere catholicæ fluenta doctrinæ. Constat autem episcopos qui his temporibus erant in Mauritania, a S. Leone Romano Pontifice admonitos esse, ut ecclesiasticam observantiam custodirent. *Jam* § I *hujus Commentarii vidimus, probabilius Martyres non fuisse e numero captivorum Romanorum, quod maxime urget doctissimus Annalista, qui eos passos opinatur anno* 456. *Dein epistola S. Leonis, qua increpat non omnes, sed quosdam episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, præcedit hunc annum ; capta enim anno superiori* 455 *a Geiserico Roma,* nihil potuit, *ut ait Pagius loco citato* post istam cladem circa Africanas Ecclesias statuere et ordinare, quia ut notat Victor citatus, post mortem Valentiniani, qui partem Africæ possederat, Geiserico *totius Africæ ambitum obtinuit.* Quare nulla ibi judiciorum forma, nullus consecrationis sacerdotalis ordo, de quibus loquitur Leo in ea epistola, constitui potuit : ideoque ea, cum adhuc potiretur Mauritania Valentinianus, scripta fuit. *Non itaque subsistunt deductiones Baronii.* D

Romanis moribus et pace vivente.

33 *Unde alii, inter quos Steph. Anton. Morcelli in sua Africa Christiana* (*d*), *civitatem* romanam *interpretantur,* Catholicam et Romanis moribus viventem : *utramque certe significationem capit vox* Romanus *in Africa. Priorem interpretationem probat Victor Vit. l.* I. *Hist. Pers. Vand. cap.* XIV : *Theodoricus regis filius volebat capite truncari Armogastem ; prohibuit vero Jocundus presbyter Arianus dicens :* Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient eum Romani Martyrem prædicare. *Ubi Catholici vocantur* Romani. *Alteram interpretationem nobis præbet S. Augustinus in Ep.* XXXV, *al.* CLXIX, *ubi Hipponem regium vocat* civitatem Romanam ; *quo nomine venit quoque apud eumdem S. Doctorem in l.* II *contra litt. Petiliani cap.* LXXXIII (*e*) : Ita ut E cujusdam diaconi nostri furnarius inquilinus domnædii sui (*id est* domini ædium, *quæ vox opponitur vocabulo inquilini. Confer* (*f*) *Enarr. in Ps.* XXXVIII, *num.* 21) panem incoctum abjecerit, eique nulla exilii lege damnato, communicationem non solum in civitate romana, sed etiam in patria sua ; nec solum in patria sua, sed etiam in domo sua negaverit. *Hæ ex ipsa Africa desumptæ loquendi formulæ sufficiunt, ut non adigamur* civitatem romanam *ipsam Romam interpretari, nec proin ad Romanum Pontificem directam fuisse legationem, de qua agit Victor in sua Historia. Dein cum Afri probabilius fuerint Martyres nostri, pronum est conjicere ad Afros episcopos se legatos misisse ; tum quia facilior recursus erat, tum quia auxilium a finitimis petere magis in promptu. Quod si Romani Pontificis opem implorassent, potius ille episcopum quam presbyterum submisisset* (*g*). *Secutum martyrium satis explicatur a Victore.*

S. Maxima liberata videtur vixisse

34 S. Maxima, *ut constat ex ejusdem Historia, coronæ Martyrum particeps non fuit. Nam post supplicia apud priorem herum tolerata, libertati reddita fuit.* Quæ nunc, *ait Victor l.* I. *Hist. Vandal. Pers. c.* II, *anno* 487, *scribens,* superest virgo, mater F multarum virginum Dei, nobis etiam nequaquam ignota. *Latet autem nos annus ejus obitus ; cum solum sciatur anno* 487, *quo scribebat S. Victor, adhuc vixisse. Minus dubium est* S. Maximam *in Africa obiisse, quamvis rem inficiari conati fuerint aliqui eruditi in Gallia, eamque in diœcesi Forojuliensi* (Fréjus) *vitam finiisse commentati sint, uti habemus ex epistola Ms. P. Caroli Fabri nostri, Avenione directa ad P. Danielem Papebrochium, quæque extat inter reliquias manuscriptorum Bollandianorum, in bibliotheca regio-burgundica. Infirmæ certe sunt eorum opinationes, quæ nituntur primum silentio Victoris de loco obitus* S. Maximæ ; *sed hoc ipso satis insinuat Victor eam pedem ex Africa non extulisse : nam si in Galliis perfugium quæsivisset, Victor rerum Africanarum optime gnarus, nec ignorasset nec tacuisset S. Virginis iter.*

in aliquo monasterio Africæ,

35 *Alterum quod objicitur, est testimonium ipsius Victoris, qui narrat in Passione SS.* VII *Monachorum* § II *(quæ etiam a quibusdam l.* V. *Hist. Pers. Vand. conjungitur) anno* VII *regni Hunerici, anno*

(*a*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., tom. XVI, p. 531. — (*b*) Edit. Pamel. Plantinian., p. 464. — (*c*) Cfr. Act. SS. ad diem II Maii, p. 188, et Tillemont. Mém. pour serv. à l'hist., tom. VIII, p. 3 et 651. — (*d*) Tom. III, p. 173 ad an. 439. — (*e*) T. IX Oper. col. 269. — (*f*) T. IV Oper. col. 323. — (*g*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. XVI, p. 531.

vulgari

A *vulgari* 484, Universa monasteria virorum vel puellarum sanctarum gentilibus, id est Mauris, cum habitatoribus donari *regem præcepisse. Hinc deducunt* S. Maximam, *timentem pudicitiæ, refugium quæsivisse ; sed illo tempore saltem erat circiter quinquagenaria : jam ab annis* XXIV *martyrium subierat* Martinianus ; *neque provectiorem ætatem illi adscribimus, si a servitute liberatæ, annos circiter* XXV *assignamus. Alteram ergo, eamque Mauricam servitutem subierit, S. Virgo, aut etiam, si libuerit, sese occultaverit, nihil est quod suadeat in Gallias navigationem : sed potius defuncto Hunerico anno* 484, *et cessante persecutione,* S. Maxima *sacrarum virginum dispersionem collegerit in aliquo desolatorum ipsiusmet Africæ monasteriorum, ubi sancte finem vivendi fecerit.*

ac male a quibusdam ut soror S. Augustini habetur.

36 *Fuerunt quoque nonnulli qui S. Virginem nostram fuisse sororem S. Augustini suspicati sunt, verosimiliter quia secundum spiritum et filia et soror S. Patris dici meretur. Nam quod ad carnalem cognationem attinet, qui hujusmodi sanguinis nexum inter S. Augustinum et* S. Maximam *sibi fingit, omnes chronologicas notiones evertat, necesse est.*

B *Constat enim ex l.* III. *Confes. c.* IV (*a*). *S. Monicam S. Augustini matrem, circa an.* 370 *viro suo Patricio orbatam, in viduitatis proposito permansisse : si nata igitur fuerit hæc ei soror hoc ipso anno, profecto cum redacta est ad servitutem Africa, sexagenaria fuisset* Maxima ; *non igitur dicere potuisset Victor lib.* I *Hist. pers. Vand. cap.* X. Maximam *fuisse tunc* corpore simul et corde decora, *et* Martinianum *adolescentulorum sæcularium more conjugium affectasse et quæ sequuntur. Quin addendum esset,* S. Maximam *ad annos* 117 *saltem ætatis pervenisse, quod, quia miraculi instar habendum erat, minime tacuisset Victor. Cæterum hujus absurdissimæ opinionis nullum vestigium reperi apud scriptores Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui tamen frequentes sunt in laudibus* S. Maximæ *Virginis, quam merito inter primarias Ordinis fœminas computant.*

PASSIO

SS. MARTINIANI ET SOCIORUM.

C

Ex Historia Persecutionis Vandalicæ lib. I, *cap.* X, *Victoris Vitensis secundum editionem Ruinartii.*

Vandalus jungit matrimonio Martinianum *et* Maximam *servos ;*

Sed etiam Martyres quam plurimi fuisse probantur *a*. Confessorem autem ingens et plurima multitudo, ex quibus aliquos narrare tentabo. Erant tunc servi cujusdam Vandali *b*. Fuit autem hic Vandalus de illis, quos Millenarios *c* vocant. Martinianus, Saturianus et eorum duo germani : erat et quædam conserva eorum egregia Christi ancilla, nomine Maxima, corpore simul et corde decora. Et quia Martinianus armifactor erat, et domino suo satis videbatur acceptus et Maxima universæ domui dominabatur ; credidit Vandalus, ut fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianum Maximamque conjugali consortio sociare *d*. Martinianus adolescentulorum sæcularium more conjugium affectabat ; Maximaque jam Deo sacrata, humanas nuptias refutabat.

a
b
c
d

2 At ubi ventum est ut cubiculi adirentur secreta silentia, et Martinianus nesciens quid de illo decreverat Deus, maritali fiducia quasi cum conjuge cuperet cubitare, viva voce ei memorata famula Christi respondit : « Christo ego, o Mar- » tiniane frater, membra mei corporis dedicavi, » nec possum humanum sortiri conjugium, ha- » bens jam cœlestem et verum sponsum. Sed » dabo consilium : si velis, poteris et ipse tibi » præstare, dum licet, ut cui ego concupivi nu- » bere, delecteris et ipse servire. » Ita factum est, Domino procurante, ut obediens virgini etiam adolescens suam animam lucraretur. Nesciente igitur Vandalo spiritalis secreti commercium, compunctus atque mutatus Martinianus, etiam suis fratribus persuasit, ut thesaurum, quem invenerat, haberent, utpote germani, communem.

D *sed hæc conservo suo suadet castitatem et fugam :*

3 Conversus itaque, cum tribus fratribus suis, Dei quoque puella comitante, nocte clam egredientes *e* Tabraceno monasterio, cui præerat tunc nobilis pastor Andreas *f*, sociantur. Illa vero haud procul monasterium incoluit puellarum *g*. Sciscitante igitur barbaro inquisitionibus et muneribus crebris, quod gestum erat celari non potuit. Inveniens itaque jam non sua, sed Christi mancipia, conjicit in vinculis, et variis tormentis Dei famulos insectatur ; agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur *h*, sed, quod gravius est, per rebaptisationis cœnum fidei suæ ornamenta turparent *i*. Pervenit hoc ipsum usque ad notitiam Geiserici regis, qui præcepit, ut tamdiu implacabilis herus servos affligeret, quamdiu illius succumberent voluntati.

detecti in monasterio Tabracensi dire torquentur,

e
f
g

E

h

i

4 Jubet in modum serrarum fustes robustos velut palmatos cum stirpibus fieri *k*, qui quatientibus tergis non solum ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, et dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die, Christo medente, semper incolumes reddebantur. Hoc sæpius et multo factum est tempore, et nulla plagarum vestigia videbantur, Sancto Spiritu subinde curante. Post hoc artantur maxime dura custodia *l*, compedeque crudeli extenduntur. Quibus cum Dei servorum visitantium non deesset frequentia, videntibus cunctis ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Miraculum hoc et voce omnium celebratur, et nobis ille, ad quem custodia pertinebat, cum sacramento testatus est ita fuisse *m*.

et mire a tortura sanantur :

k

l

F

m

5. Ast ubi Vandalus virtutem neglexit cognoscere divinam, cœpit in domo ejus vindicatrix ira grassari. Moritur ipse simul et filii ; familiæ atque animalium, quæcumque optima erant, pariter intereunt. Remanens itaque domina vidua, marito, filiis et substantia destituta, servos Christi cognato regis Sersaoni gratia muneris offert. Qui cum eos utpote oblatos cum gratulatione nimia suscepisset, filios et domesticos ejus Sanctorum merito male cœpit dæmon variis motibus agitare. Ex ordine ille cognatus, ut gestum erat, suggerit regi. Decernit statim rex cuidam gentili regi Maurorum, cui nomen inerat Capsur, religandos debere transmitti *n*. Maximam vero Christi famulam confusus et victus propriæ voluntati *o* dimisit ; quæ nunc superest Virgo, mater multarum virginum Dei, nobis etiam nequaquam ignota. Pervenientes autem traduntur memorato regi Maurorum, commanenti in parte eremi, quæ dicitur Capra Picta *p*.

ipso Vandalo persecutore morte punito, traduntur Mauris,

n

o

p

6 Videntes igitur Christi discipuli multa apud gentiles illicita sacrificiorum sacrilegia, cœpe-

quos ad fidem Christi convertunt ;

runt

(*a*) T. I Oper. col. 90.

runt prædicatione et conversatione sua ad cognitionem Domini Dei nostri barbaros invitare; et tali modo ingentem multitudinem gentilium barbarorum Christo Domino lucraverunt, ubi antea a nullo fama Christiani nominis fuerat divulgata. Tunc deinde cogitant quid fieret, ut ager jam cultus et ingraminatus vomere prædicationis, euangelicum susciperet semen, et imbre sacri baptismatis rigaretur. Mittunt legatos per itinera distenta deserti : pervenitur tandem ad civitatem romanam *q* : rogatur episcopus, ut presbyterum ac ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio quod petebatur pontifex *r*. Dei construitur ecclesia, baptisatur simul multitudo maxima barbarorum et de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum.

unde iratus Gensericus illos morti tradit.

7 Hoc Geiserico relatione sua renunciat Capsur. De qua re surgens invidia jubet famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum inter spinosa loca silvarum pariter interire; ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligati, ut exitum suum invicem perviderent. Qui cum vincti, currentibus indomitis equis, plangentibus Mauris sese mutuo conspicerent *s*, vale sibi in angusto fugæ unusquisque ita dicebat : Frater, ora pro me; implevit Deus desiderium nostrum. Taliter pervenitur ad regnum cœlorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus Angelis, pias animas emisere. Ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Jesus Christus Dominus noster operari. Nam nobis beatus quondam Faustus Buronitanus episcopus *t* attestatus est cæcam quamdam mulierem illuminatam fuisse, ubi ipse aderat præsens.

ANNOTATA.

a *Quas editioni suæ subjecit variantes lectiones Ruinart, e Congreg. S. Mauri monachus Bened., et nos textui nostro subjicimus :* Sed etiam martyria quam plurima esse.... ex quibus aliqua, etc. — *Dixi num.* 4 *et seq. hoc exordium indicare probabilius tempus martyrii, quod circa annum* 459 *accidisse videtur.*

b Fuit autem.... vocant : *parenthesin credo; unde rectius fluit phrasis :* Erant tunc servi cujusdam Vandali,.... Martinianus, *etc.*

c *Millenarii vocabantur illi qui millenis viris præfecti erant*; χιλιάρχους *eos vocat Procopius* (*a*), *qui hanc divisionem Geiserico tribuit, quamvis in usu fuerit apud alios Germaniæ populos, ut notat Felix Papencordt in sua Historia Vandalorum* (*b*); *dicitque Millenarios teutonica lingua vocari* Thusundifaths. *Procopius l. c. dicit in exercitu Geiserici fuisse hujusmodi millenarios octoginta*, ut habere sub signis LXXX bellatorum millia crederetur. *Sub superiori tempore Vandali atque Alani non excedere dicebantur* L *millia.* Δόκησιν παρέχων ὀκτώ οἱ μυριάδας συνιέναι τὸν τῶν στρατευομένων λεών· καίτοι οὐ μᾶλλον ἢ ἐς μυριάδας πέντε τὸ τῶν Βανδίλων καὶ Ἀλανῶν πλῆθος ἔν γε τῷ πρίν χρόνῳ ἐλέγετο εἶναι.

d *Confer dicta te hoc matrimonio in Commentario prævio num.* 8.

e *Monstravimus Comm. præv. n.* 18, *qua ratione excusari possit horum servorum fuga.*

f *De Tabraca urbe et Andrea abbate actum in Commentario prævio num.* 18 *et* 24.

g *Origines monasticas in Africa, utcumque indagatas, reperies in Comm. præv. n.* 21 *et seqq.*

h *Ex his liquet Vandalum voluisse, ut initum matrimonium consummarent* SS. Martinianus *et* Maxima : *sperabat scilicet, voto pessumdato, facilius ad hæresim alliciendos.*

i *De Arianis rebaptisantibus egimus in Commentario prævio num.* 25 *et sequentibus.*

k *Hunc locum ita gallice vertit Tillemontius* (*c*), *quem alii dein secuti sunt :* On fit donc faire de gros bastons pleins de dents comme une scie et de pointes aisées à rompre, comme celles qu'on voit au bout des feuilles de palmier. Fustes *nempe* robustos velut palmatos, *reddit*, fustes asperos in serræ modum et plenos aculeis fragilibus, prout in extremitate foliorum palmæ conspiciuntur. *Non assecutus est Tillemontius vim vocis* palmare, *quia neglexit quod sequebatur*, stirpibus. *Palmare apud Columellam de re rustica lib.* XI, *cap.* II *in fine, significat* ligare : palmare, *ait*, hoc est materias alligare. *Hic igitur apud Victorem intelligendi sunt fustes, aut circumligati stirpibus, aut truncatis ramis asperi, quorum aculei* terebrantes intrinsecus remanebant. *Sic Victorem intellexere Ado et Usuardus, cum uterque narrat SS. Martyres* nodosis fustibus cæsos et usque ad ossa laniatos : *fustes enim simpliciter nodosi carnem non laniassent.*

l *Jam supra n.* 29 *dixi plures codices pro* maxime *legisse* Maxima : *unde factum est, ut non pauci uni S. Maximæ id genus supplicii tribuerint.*

m *Ex hoc loco, quemadmodum ex aliis plurimis, qui frequentes in libris de Persecutione Vandalica occurrunt, videre licet miracula a Victore nostro relata idoneis affirmari testibus : hic* lignorum putrescens fortitudo, *videntibus cunctis, et ipso carceris custode, interposita sacramenti religione, confirmante, accidisse narratur.*

n *Magna erat, regnante Geiserico, Vandalos inter et Mauros amicitia, quæ dein sub Hunerico, Guntamundo et Trasamundo atrocissimis bellis turbata fuit. Mauris traditos fuisse* quatuor millia nongentos septuaginta sex episcopos, presbyteros, diaconos et alia Ecclesiæ membra, qui ad exilium eremi destinabantur, *refert Victor lib.* II, *cap.* VIII ; *etenim cap. sequenti :* Congregantur, *inquit*, universi in Sucensem et Larensem civitates; ut illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremum perducerent.

o *Multi codices habent* victum *Vandalum* propria voluntate *dimisisse; sed præferenda est Ruinartii lectio, utpote quam confirmatam reperimus ab Adone qui* Maximæ *martyrium sic prosequitur :* Ad quod miraculum, Maxima Christi famula, suæ libertati dimissa, mater postmodum multarum Virginum Dei effecta, *etc.*

p *Jam diximus Comm. præv. n.* 30 *ignotum nobis esse situm deserti Capræ Pictæ. Felix Papencordt* (*d*) *in sua Historia Vandalorum in Africa censet Capram et Capram Pictam unum eumdemque esse locum; verum situm non propius designat.*

q *Per civitatem romanam hic intelligendam esse civitatem catholicam, diximus Comm. prævii n.* 32 *et seq.; unum addam, id mea sententia manifestum fieri ex ipso Victoris textu, dicit enim :* Mittunt legatos per itinera distenta deserti : pervenitur tandem ad civitatem romanam. *Hic nempe non videtur aliud obstaculum perveniendi ad civitatem romanam, quam* distenta deserti ; *procul dubio si Roma adeunda fuisset, nec omisisset scriptor periculæ maris enarrare.*

(*a*) De Bello Vandal., lib. I c. V, p. 334. Edit Bonn. an. 1833. — (*b*) Gesch. der Vandal. Herrschaft in Africa, p. 224 et seq. — (*c*) Mém. pour servir à l'hist. ecclés., tom. XVI, p. 527. — (*d*) Gesch. der Vand. in Africa, p. 243.

A r *Variam hic esse lectionem recte animadvertit Theod. Ruinart. Rhenanus codex quidem cum nostro textu convenit, nisi quod pro* construitur *habeat* constituitur. *Colberti codex primus :* Expletum est cum *gaudio*, quod petebatur. Ordinatur pontifex, *etc. Sic fere habet alter Colberti codex ; sed Lorichius :* Expletur gaudio ob id quod petebatur pontifex Dei. Construitur ecclesia, *etc.*

s Qui cum vincti, *etc. ; Chifletius et alii tres editi :* Qui cum e vicino currentibus Mauris sese mutuo conspicerent: Vale, *etc. Sic etiam legisse videtur Ado, qui loco jam laudato sic habet :* Vicino currentibus indomitis equis, Vale sibi, *etc.; nihil dicens de Maurorum planctu. Sed et pro* plangentibus *Mauris, aliqui codices habent,* plaudentibus *Mauris. Utraque lectio ferri potest. Nam barbari illi, vel quod, ut supra dictum est, ad fidem essent conversi, vel naturali omnibus hominibus commiseratione, ut alias sæpius in Martyrum agonibus evenit, ægre poterant videre homines tam atroci supplicio afflictos, maxime quod illud adeo patienter ferrent Martyres. Plaudere etiam poterant præ gaudio, quo affici solebant homines, cruentorum spectaculorum certaminumque avidissimi. Hæc Theod. Ruinart.*

B t *Ex hoc Victoris loco insinuari putat Stephanus Morcelli* (*a*), *exstitisse in Mauritania, nec longe a Tabraca, civitatem, Buroniam nomine, cujus episcopus Faustus fuerit. Sed Comm. præv. n.* 30 *diximus de situ hujus civitatis nihil erui posse e Fausti testis oculati præsentia. Theod. Ruinart, annotat quod pro* Fausto *aliqui* Faustinum *scribant, et pergit : Major est difficultas de ipsius sedis nomine. Omnes fere habent,* Buronitanus. *Legendum forte* Buconitanus. *In Collat. Carthag. c.* 198 (*b*) *adfuit* Donatus episcopus Bucconiensis *ex parte Donatistarum. Bucconia autem urbs eras Numidiæ : nam inter hujus provinciæ episcopos recensetur in Notitia Africana* Vitalianus Boccuniensis. *Anonymus Ravennas inter urbes Mauritaniæ, quam* Gaditanam *appellat, lib.* III, *n.* 2, Turrem-Buconis *memorat. An ex ea* Buconitanus *dictus est episcopus? Porro Colb.* 2 *Lorichius et alii habent* Burtinitanus. *Adfuit in Collatione Carthaginensi cap.* 133 (*c*) Donatus episcopus plebis Buritanæ; *quam urbem incertæ provinciæ fuisse dicit Norisius in censura Garnerii, quamvis eam ad Proconsularem pertinuisse suspicetur, eamque ipsam esse, cujus episcopus* Cresciturus Busitanus *subscripsit synodicæ in Concilio S. Martini actione* II (*d*). *Sed hic episcopum aliquem e Mauritania indicare, uti videtur, Victor voluit.* E

D

(*a*) Afr. Christ., tom. I, p. 110. — (*b*) Baluz. Suppl. Conc. Labbei col. 242. — (*c*) Ibid, col. 208. — (*d*) Labbe, tom. VI Conc. col. 148. Hæc nempe epistola scripta a Guloso et cæteris episcopis Provinciæ Proconsularis ad Paulum patriarcham C. P. in concilio Lateranensi an. 649 recitata fuit.

DE S. JUNIANO
ANACHORETA, ET DE EJUS MAGISTRO
S. AMANDO
IN AGRO LEMOVICENSI IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C F

§ I. Cur de S. Amando Commodoliacensi hic agatur; distinguitur a S. Amando Genuliacensi; illius patria, ortus, et tempus mortis.

CIRCA ANNUM D.

Quare de S. Amando Commodoliacensi hic agatur.

Priusquam ad gesta Sanctorum Amandi *et* Juliani *evolvenda digrediamur, ratio danda videtur, cur* S. Amandum *Commodoliacensem ejusque discipulum* Junianum *uno capite fuerimus complexi. Negandum quippe non est,* S. Amandum *non præsenti die religiose coli, et ad* XXV *Junii de eo jam a prædecessoribus nostris aliquantum actum fuisse. Verum quæ digesta illic fuerunt, aliquando omnino renovanda sunt. Cujus rei causa est, quod, cum Henschenius aggressus esset Vitam S. Amandi Genuliacensis, qui dicta die* XXV *Junii celebratur, illustrare, atque adeo examinandum suscepisset Sanctusne ille Amandus distinctus foret a magistro* S. Juniani, *operi immortuus est. Inchoatum opusculum absolvendum admisit Papebrochius; at in suo quam in alieno opere sagacior, imperfectum Henschenianæ lucubrationis non attendit, et continuo* S. Amandum *Commodoliacensem cum Genuliacensi confundens, pauca apposuit, et qualemcumque scriptionem typis credidit excudendam. Neque primi sumus in illa Henschenii et Papebrochii redarguenda opella. Jam pridem decessores nostri Pinius et Stiltingus in Prætermissis ad diem* XXVI *Augusti* (*a*) *mentem suam de hac manifestarunt his verbis :* Apud nos tomo V mensis Junii, die XXV ejusdem mensis pag. 78 actum est de SS. Amando et Domnoleno Gimeliaci in Petragoricis, et ibidem e Vita S. Juniani Commodoliacensis, danda, ut ibi dicitur, ad XVI Octobris, profertur fragmentum de S. Amando Commodoliacensi : quod dum contuli cum lectionibus ejus supra allegatis, congruentiæ, quæ in his, et in isto fragmento occurrent, mihi suadent, in utraque narratione relucere S. Amandum Commodoliacensem : ut mirum appareat, tunc illud fragmentum ibi relatum fuisse, loco utique, prout nobis videtur, non suo. At de hoc Sancto, ac præsenti controversia tractari poterit in supplemento Operis, si posteris nostris videbitur. *Verumtamen hic loci potius, quam in supplemento to-*

(*a*) Acta SS., tom. V August., p. 762.

tius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A tius Operis, hæc lis dirimenda est, quoniam S. Amandi *Commodoliacensis vita omnino innectitur vitæ sui discipuli* Juniani : *unde omnium aptissimum visum est, universa magistri gesta in præsenti illustrare Commentario ; ne ter quaterque de eodem Sancto per particulas dicendum sit.*

Distinguitur ab alio S. Amando,

2 *Ante omnia probe inter se distinguendi sunt S. Amandus Genuliacensis, et* S. Amandus *Commodoliacensis,* S. Juniani *magister : quod ut liquido fiat, prius S. Amandi Genuliacensis diem et locum cultus, et dein locum habitationis cum tempore vitæ discutiemus ; inde ad* S. Amandi *Commodoliacensis gesta progressuri. De die, quo Genuliacensis Amandus colitur, quæstio movenda non est ; cum inter omnes conveniat diem* XXV *Junii esse. At locus cultus intricatissimus in Opere nostro factus est, ex sequentibus, quas ad dictam diem produxit Henschenius, annuntiationibus :* Molanus in secunda et tertia editione Usuardi cum suis additionibus ista habet : « In Gemeliaco, natalis SS. Amandi « et Domnoleni Confessorum. » Et de Amando seorsim ita Ms. Barberiniano : « In Genelaico « natale S. Amandi Confessoris. » Verum « in

B Geniliaco » scribitur in Ms. Adone Leodiensi S. Laurenti, et « Genuliaco » in Ms. Florario. At loco non expresso « S. Amandus Confessor, » in Ms. Florentino Magni Ducis, et Ms. Coloniensi S. Mariæ ad gradus, est relatus. Qui perperam etiam Amandus sive Amantius episcopus scribitur. *Hactenus Henschenius : cujus dictis ex Solleriani Usuardi Auctario addi licet secundum codicem Montis-Sancti :* In Geneliaco, natalis S. Amandi Confessoris. *Molano suffragatus est Papebrochius,* SS. Amandum et Domnolenum Gimeliaci in Petraçoricis *cultos affirmans.*

qui die XXV *Junii non Gimeliaci sed Genuliaci colitur ;*

3 *Atque hic jam primus error apparet, videlicet SS. Amandum et Domnolenum Gimeliaci sacro observari cultu. Sunt quidem plura hujus nominis loca ; nam, ut taceam vicum diœcesis Namurcensis, olim abbatia celeberrimum, qui jam* Gimeliacum, *jam* Gemblacum, *optime vero* Geminiacum (*ut ex Historia prisci Belgii* (*a*) *Cl. Schayes colligere est*), *scribitur ; habebat S. Ruricius I, Lemovicensis episcopus, cujus Acta ad* XVII *Octobris illustrabimus, diœcesim seu paræciam* Gemiliacensem, *quod ipse testatur in suis Epistolis :* Quamobrem, *inquiens,* studio caritatis, non cupiditatis, has* ad sanctitatem vestram presbyterum meum pro diœcesi Gemiliacensi, unde jam pridem vobis scripseram, destinavi (*b*). *Tertium* Gimeliacum *vicum in Petragoris fuisse, liquet e Vita S. Eusitii, quam ad* V *kalendas Decembres explicabimus, et in qua hæc occurrunt verba :* Hic igitur Petragoriæ urbis indigena, apud Gimeliacum vicum natus et altus est (*c*) ; *quem locum nunc* Gembly *aut* Gemeliac *nuncupari testis est auctor Geographiæ Legendarum Sanctorum* (*d*). *At nullus ex tribus his Sanctorum Amandi et Domnoleni cultu vicis sacer est. De Gimeliaco Belgio dubium moveri nequit ; neque valet utrumque reliquum. Etenim, teste Gaufredo Vosiensi* (*e*), *circa an.* 1184 (*quo fere scribebat Gaufredus*) *S. Domnolenus, non in Petragoricis, neque in agro rurali Lemovicensi, sed ipsis Lemovicibus requiescebat :* Urbem itaque nostram, *ait Gaufredus,* post diœcesim repetamus... In ecclesia S. Gregorii juxta monasterium S. Andreæ tumulus cernitur S. Domnoleni *ejusdem, quem Gallia Christiana* (*f*) *ab anno* 1534 *juxta Lemovicas jacere*

* *forte* cum his

C

tradit. Unde evidens est non recte S. Domnolenum Gimeliaco adscribi. Neque est cur moram injiciat auctoritas Henschenii, objicientis hæc itidem ex Gaufredo desumpta verba : Beatus Dominicus in basilica S. Stephani juxta castrum de Gimel requiescit ; *cum nomina Dominicus seu Dominius et Domnolenus distincta prorsus sint ; ille die* XIII *Novembris* (*g*), *hic die* XXV *Julii* (*h*) *colatur ; neque Gaufredus temere contradictionis arguendus sit, quasi unum eumdemque Sanctum* in Ecclesia S. Gregorii *et* in basilica S. Stephani *sepultum dixisset. Hinc itaque liquet annuntiationem illam Molani, qua SS. Amandi et Domnoleni cultus* Gimeliaco *adscribitur, et quam Papebrochius et Henschenius fuerunt amplexi, certissime erroneam esse, quantum pertinet ad S. Domnolenum. Contra, cum reliquæ omnes citatæ commemorationes hujus nævi sint expertes, et e lectionibus variantibus eæ seligendæ sint, quas contextus aliaque adjuncta probent, nemini dubium fore autumo, quin* Genelaico, Geneliaco, *aut, quod apprime rectum est,* Genuliaco *donandus sit S. Amandus, qui die* XXV *Junii colitur.*

D

ubi monasticam duxit vitam ;

4 *Atque id quidem manifestum omnino fit ex eo, quod olim Genuliaci commoratus sit vir sanctus, nomine Amandus. Est scilicet in diœcesi Petragoricensi locus, cui vulgare nomen* Genouillac, *et in quo Galliæ Christianæ collectores* (*i*) *et Ruinartius in sua S. Gregorii editione* (*k*) *Sanctum Amandum cum SS. Soro et Cypriano sub abbate Savalo prima monastica stipendia meruisse perhibent. Neque injuria hanc Genuliacensis Monasterii traditionem amplexi sunt : in fragmento enim Vitæ S. Amandi, quod Labbeus* (*l*) *edidit, hæc ipsissima reperio verba :* Igitur præfatus vir Dei Amandus juxta nominis sui etymologiam, amatus a contribulibus amoris divini indeptus tyrocinia istiusmodi est divina aggressus. Cum esset miles multum nobilis ex pago urbis Lemovicinæ oriundus, montibus videlicet pristinis, ubi etiam monstratur illius hereditarius fundus, ab his digressus montibus, relictis facultatibus, omnem monasticam normam est nactus. Nam humilia expetens a montibus sublimibus (*Lemovicensibus scilicet*) ima vallium adiens descendensque agello Petragorico nuncupante GENOLIACO, ubi tunc agmina monachorum degebant sub abbate Savalo et rege Clotario, juncto sibi Soro Arvernico viro sanctissimo atque Cypriano Dei electo, una devotione unanimes, uno diei articulo comam capitis deponentes, sanctæ religionis sese mancipaverunt in obsequium, citoque ad virtutum culmen evecti ob theoreticam gratiam solitudinem elegerunt : *quæ verba commentario non indigent. Colitur S. Sorus die* I *Februarii, et S. Cyprianus* I *Decembris.*

E

F

unde postea ad locum, abbatia de Coli celebrem, transgressus,

5. *Ex Vita S. Sori, ad ineuntem Februarium edita, plura de hoc eodem S. Amando discere licet. Cum nempe S. Sorus, quem in monasticæ vitæ proposito socium habebat S. Amandus, cerneret anxietatem atque tumultum hominum confluentium Genuliacum, atque adeo brevi hinc discederet, illum secutus est individuus comes S. Amandus trans fluvium Viseram* * *inferiorem, et in infimo tractu, quem Dordonia et Visera intercipiunt, terni separatum sibi elegerunt locum. Terracini habitasse perhibetur S. Sorus, et cœnobii, quod ibi fuit, auctor et patronus dicitur. S. Cyprianus prope Dordoniam in loco, qui nunc a suo nomine Fanum S. Cypriani audit, cellam suam habuit, et ut in ejus narratur*

* La Vésère

(*a*) Les Pays-Bas avant et durant la domination Romaine, tom. II, p. 494. — (*b*) Lib. II, epist. 6, in Lect. Antiq. Henr. Canisii, edit. Basnag., tom. I, p. 384. — (*c*) Vit. S. Eusitii seorsim excusa et desumpta ex vet. cod. Ms. Biblioth. regiæ Parisiensis. — (*d*) pag. 54. — (*e*) Bibl. nov. Mss. Labbe, tom. II, p. 286. — (*f*) Tom. II, col. 539. — (*g*) Martyrol. univ. Cl. Chastelain ad dict. diem, et Labiche de Reignefort six mois de vies de SS., etc., tom. III, p. 41. — (*h*) Breviar. Lemovic. anni 1626. — (*i*) T. II, col. 1536 et alibi. — (*k*) Col. 980. — (*l*) Bibl. nov. Mss., tom. II, p. 481.

Vita,

A *Vita*, ab ejusdem loci fratribus affectuose receptus, *tandemque* electione fratrum circumquaque manentium ad presbyteri officium est assumptus; *qui presbyteratus cum abbatis munus complecti videatur, assentimur Papebrochio addenti :* eorumque factus est abbas. *Medius inter S. Cyprianum et S. Sorum, ad hunc tamen propius, (non Gimeliaci, ut æstimavit Papebrochius, sed in loco ubi sæculo elapso exstabat adhuc abbatia S. Amandi de Coli), sedem sibi elegit S. Amandus, non* vitæ solitariæ propositum ad extremum usque vitæ terminum ita retinens, ut unum, (*Junianum intelligit, sed male*), discipulum susceperit (*a*); *sed ut saltem ad instar SS. Sori et Cypriani plures admiserit suæ vivendi normæ sequaces, forte non sub uno tecto, sed dispersos et* circumquaque manentes. *Quod vitæ genus in Lemovicensi, Petragoricensi, Arvernensi atque aliis Galliæ agris sæculo* VI *et* VII *communissimum fuisse videtur. Sanctum Amandum autem plurimis discipulis præfuisse constans traditio argumento est, illudque testantur Galliæ Christianæ scriptores, qui cum loci abbate egerant; et quidem ipsa abbatia quæ* S. Amandi nomen ab au-

B ctore suo et patrono habet, cujus festum agitur VII kalend. Julii (*b*); *non vana probatio est. Hæc de die et loco cultus, deque patria et monastica vita S. Amandi Genuliacensis. Jam de ejusdem ætate.*

post medium sæculum VI, *imo ad finem hujus sæculi obiit;*

6 *Quantumvis S. Sori Vita, cujus jam memini, et quam Bollandus ad* I *Februarii, Labbeus in Bibliotheca nova Mss.* (*c*) *ediderunt, fabulis immixta foret, ut innuit Claudius d'Estiennot citatus in Gallia Christiana* (*d*), *qui se alteram, cui narratio de morbo elephantico regis Guntramni deest, habuisse profiteri videtur, eam tamen omnino damnare iniquius foret, neque eam damnarunt Galliæ Christianæ concinnatores. Quapropter hæc saltem ex ea admittenda videntur, quæ omnino verisimilia sunt : porro finem versus istius Vitæ hæc reperire est :* ad cujus (*S. Sori*) obitum præsentes adfuere sancti viri Amandus et Cyprianus. *Unde planum est S. Amandum Genuliacensem superstitem fuisse sancto Soro, ac proin ex hujus ætate illius ætatem colligi posse. Jam vero sive Guntramnus, regnum anno* 561 *adeptus, S. Soro necessaria ad monasterium construendum ministravit, ut edita S. Sori Acta habent; sive Gocundus Lemovicarum princeps, Pelagia conjux et Aredius filius id præstiterunt,* ut referunt, *inquit D'Estiennot, ipsius* S. Sori Acta *inedita, et subobscure consentiunt Gaufredus apud Labbeum* (*e*), *et Bernardus Guidonis itidem apud Labbeum* (*f*), *consequens est S. Sorum atque eo magis S. Amandum Genuliacensem post medium sæculum* VI *obiisse. Etenim S. Aredius, qui anno* 591 *obiit, cum donum suum misit, abbatiale jam tenebat pedum, ut liquet ex edita S. Sori Vita :* Beatus Aredius (*ea illic leguntur verba*) tunc temporis abbas... in adjutorium ædificii ostium ei (*S. Soro*) opere cornificio aptatum misit. *Unde, cum secundum Mabilloni computum* (*g*) *S. Aredius monasterium suum circa annum* 572 *condiderit, aut certe id fecerit post annum* 550, *ut liquet ex ejus Vitis in Opere nostro* (*h*), *oportet ut S. Sorus et proin S. Amandus ejus socius medio sæculo* VI *adhuc viveret. Si vero Guntramnum S. Sori benefactorem facias, manifestius etiam fit S. Sorum et consequenter S. Amandum Genuliacensem non ante annum* 550 *e vivis decessisse; cum ille, annos natus* 36, *regnum tantum adeptus sit anno Christi* 561, *et supremum obierit diem anno* 593. *Neque tantum ex Vita edita S. Sori, constat pientissimum hunc virum Guntramno coævum fuisse; verum ex hac Vita liquet, id in anteriori quoque fuisse adstructum. Numero scilicet* 12 *legere est :* Igitur, UT EX IPSIUS (*S. Sori*) PATET GESTIS, hic Beatus temporibus exstitit Gontranni quondam potentissimi ac sanctissimi regis... *Et quidem pro communi scriptorum calculo refertur mors S. Sori ad annum* 580; *quo proin posterior esset obitus S. Amandi Genuliacensis. Superest ut inquiramus in diem locumque cultus, gesta et ætatem* S. Amandi *Commodoliacensis.*

D

noster vero S. Amandus *colitur Commodoliaci, seu ad* S. Juniani, XXVI *Augusti,*

7 *Gaufredus Vosiensis in Chronico* (*i*) *luculenter adstruit* S. Amandi *cultum, quam inferius aliunde quoque certum omnino faciemus :* Commodoliacenses, *inquit chronologus,* Juniano jubilant cum Amando præceptore suo. *Est autem Commodoliacus venustum diœcesis Lemovicensis* (dép. Haute-Vienne) *oppidulum, vulgari nunc nomine Sancti Juniani* (St-Junien) *appellatum, jacens ad Vigennæ* (Vienne) *ripam, et celebre olim ecclesia collegiata, ut inferius innotescet. Neque minus certus est dies cultus, ut liquet ex his, quæ inter recensendos Prætermissos ad diem* XXVI *Augusti* (*k*) *scripserunt decessores nostri :* « In festo S. Amandi Confessoris duplex primæ classis die vigesima sexta Augusti » Officium proprium, cum Octava invenimus inter nostras schedas Mss. de Sanctis ejusdem diei : quod Officium R. P. Godefrido Henschenio misisse indicatur in nostro apographo Armandus Gerard canonicus Sarlatensis anno 1664 : « ex traditionibus, uti prænotatur, ecclesiæ Sancti Juniani. » Laudatus vero R. A. D. Gerardus in fragmento litterarum suarum... scribit ista : « Officia Mss. SS. Amandi Confess. XVI Augusti, et Juniani XVI Octobris... accepi ex ecclesia collegiata S. Juniani in Lemovicibus. » *Quibus decessorum dictis fidem addere possumus ex ipsis, quæ adhuc supersunt, hic citatis documentis. Præterea Collinus, Commodoliacensis seu San-Junianensis canonicus, catalogum olim dedit ad nostrates, de quo mentionem facit in nota Ms. Bollandus; atque in eo S. Amandi festivitas nuntiatur, ad toties dictam diem* XXVI *Augusti apud Commodoliacenses agenda. Hæc autem dies absque dubio* S. Amando *sacra facta, est ex inventione seu translatione ejus Reliquiarum, ut liquet ex Antiphona ad* Benedictus *quæ sic num.* 11 *ejus Officii sonat :* Hodie canonicorum devotio et sanctæ manus sanctum corpus invenerunt Amandi et transtulerunt... *Cujus ritus esset hæc solemnitas, patet ex modo dictis.*

E

F

licet erronee aliter scripserit Collinus,

8 *Mirum vero omnino est, quem paulo ante nuncupavi, Collinum in Historia Sanctorum Lemovicensium* S. Amandi *Commodoliacensis Vitam edidisse ad* XXV *Junii, qua colitur S. Amandus Genuliacensis, non autem ad diem* XXVI *Augusti; quod forte ab eo actum est, quod illusus fuit sicut Henschenius et Papebrochius, ambos Amandos confundentes; aut quod sibi obsecundandum esse credidit populo Lemovicensi, qui alicujus S. Amandi festum in Kalendariis Lemovicensibus ad diem* XXV *Junii, minime ad* XXVI *Augusti legebat. Difficultas scilicet non silenda hic latet : in diœcesis Lemovicensis fastis sacris unum tantum occurrere Amandum eumque coli* XXV *Junii; unde consequens videtur unum quoque tantum in Lemovicibus aut vicinia exstitisse; quod eo magis urgeri potest, quo magis mirum foret Genuliacensem aut Petragoricensem coli in diœcesi Lemovicensi, et in eadem non coli Lemovicensem.*

(*a*) Act. SS. ad XXV Junii, p. 79. — (*b*) Gall. Christ., tom. II, col. 1536. — (*c*) Tom. II, p. 666. — (*d*) Gall. Christ. tom. II, col. 1532, — (*e*) Bibl. nova Mss., tom. II, p. 286. — (*f*) Ibid., p. 631. — (*g*) Annal. Benedict. ad an. 572, num. 48. — (*h*) Act. SS. ad XXV Aug., p. 171 et seqq. — (*i*) Labbe Bibl. nova Mss., t. II, p. 285. — (*k*) A. SS. Aug., t. V, p. 762.

Respon-

A *Responsum in promptu est : nihil enim interdum mirabilius esse, quam cultum quem Sancti in quibusdam locis, non in aliis, obtinuerunt, omnibus hagiophilis innotescit, et ne late discurramus, specimen cominus est. Sanctus Amandus scilicet, quem a loco, cui ejus cultus assignatur, Genuliacensem dixi, in nullo Martyrologio aut Auctario, in quantum novi, refertur ad monasterium de Coli, cujus tamen auctor et patronus habebatur, aut ad Lemovicas unde fuerat ortus, sed ad Genuliacum, ubi non ita diu fuit commoratus. Præterea cum hic Sanctus natione Lemovix sit, non sane miraberis eum in patria honorari ; cui admirationi tanto minor subesset ratio, quo clariora fuerunt ejus miracula, et proin cultus. Cujus assertionis testem invoco ejus biographum sic in prologo loquentem :* Scripturus de vita Beati Amandi, nonnulla aggredior * ut gesta illius incomprehensa mortalibus per ordinem texere contendam, sed ut ejus conversationis primordia *(quæ sane ex S. Sori Vita noscebat)* et aliquantorum miraculorum indicia supremaque sanctitatis edisseram. Enimvero quis ad liquidum illius evidenter promere sufficiat actum, cum necdum miraculorum ejus multigenum deprehendatur chaos. *Hæc ex sæpe citato fragmento desumpta cultum innuunt, qualem numquam habuisse videtur S. Amandus Commodoliacensis, cujus etiam corpus usque ad finem fere sæculi* XI *oblivione et terra obrutum jacuit, ut postea videbimus. Verum ad* S. Amandi *Vitam stylum jam vertamus.*

* *supple* non

B

Dicitur hic S. Amandus filius regis Hungariæ,

9 *Ex pluribus Sancti* Amandi *biographiis, de quibus dicemus postea, frustra eruere conaberis hujus Sancti patriam, si unum opusculum gallicum Collini San-Junianensis Canonici, cujus jam memini, excipias. Hic scilicet* S. Amandi *Reliquias memorans, profert inscriptionem quam ad medium sæculum undecimum refert ; sic sonat hæc inscriptio :* Hic sunt ossa, sudarium et cineres Sancti Amandi filii Regis Hungariæ. *Cum autem litteræ sæculi undecimi sat facile a recentioribus vulgo distinguantur, et Collinus multos Mss. codices tractaverit oporteat, ejus testimonium admittendum esse videtur, et proin referenda inscriptio ad annum* 1075, *quo sacrum ejus corpus detectum fuit, ut num.* 19 *ostendere conabimur. Unde vero sæculo* XI *rescitum fuerit* S. Amandum *filium regis Hungariæ fuisse, non facile determinaveris. An inscriptum erat sepul-*

C *cro, in quo* S. Junianus *suum magistrum condidisse dicitur? An ipsi Commodoliacenses sæculo* XI *illud sibi imaginati sunt? Licet dictio :* Regis Hungariæ, *non autem* Regis Hunnorum, *aut* Hungarorum *suspicioni subjaceat, posterius tamen affirmare mihi non placet, quoniam in hoc supposito illud inseruissent absque dubio Vitæ aut Officio* S. Amandi, *quod a fabulis satis purum est. Ad prius autem quæsitum affirmanter respondere, idem ac aleam jactare quibusdam forte videbitur. Nihilhominus Hildebertus Cenomanensis in Vita S. Hugonis Cluniacensis in loco, quem num.* 18 *integrum recitabo, tradit* S. Amandi *sepulcro aliquam inscriptionem impositam fuisse.*

quod si ad verbum intelligeretur, eum filium Attilæ faceret ;

10 *Verum si quis admittat prioris inscriptionis veritatem, caveat ne vocabulum* Rex *intelligat prout in hodiernis hominum auribus sonat. Late jam plures ostendere tentarunt, sæculis quinto et sequentibus, idem id esse ac vocabulum* Dux. *Et quidem si* S. Amandus *filius diceretur regis totius Hungarorum gentis, filius ipsius Attilæ, qui medio sæculo* V *Galliam vastavit, statuendus foret. Docet scilicet Johannes Thworcz in Chronicis Hungarorum* (*a*) Hungarorum capitaneos Belam, Keme et Kadicham in prælio anni 401 apud Kesmawr occubuisse, *et sequenti pagina addit* Attilam dumtaxat, qui Hungarico idiomate Ethele dictus est, et Budam fratrem ejusdem supervixisse, eumdemque Attilam unanimi voto regia dignitate elatum fuisse. *At licet gratia divina multifaria sit, licet ipse Attila ab eremitis, teste eodem Thworcz, non abhorruerit, et eodem auctore* (*b*), *cui assentit Petrus Ranzanus* (*c*), multitudinem filiorum susceperit, *absurdum foret* S. Amandum *filium Attilæ assignare ; quoniam in hoc supposito, Ruricius episcopus Lemovicensis (de quo modo plura) id sane aliquando in suis litteris meminisset. Si itaque* S. Amandus *natione Hungarus fuerit, alicujus ducis sub Attila militantis filius dicatur oportet.*

D

dicitur quoque sub Clodovæo vel Alarico militasse.

11 *Porro quoniam* S. Amandus *a quibusdam Hungarus habitus est, atque exeunte sæculo* V *vitam eremiticam est amplexus, inde sane profluxit traditio, quam Collinus quoque refert, et qua Sanctus noster (quem tamen Arianum fuisse negant) vel sub Alarico rege Gothorum, aut Clodovæo Francorum rege stipendia meruisse perhibetur. Verum licet utravis suppositio cum chronotaxi modo proponenda non* E *pugnat, siquidem Clodovæus anno* 486 *arma sumpsit, et Alaricus II anno* 484 *regnum obtinuit, nescio num eruditis placiturum sit Hunnum Gothorum aut Francorum castris annumerare, cam caduca traditio tantum id adstipulatur.*

Ante annum 490 *Commodoliacum secessit, ubi circa annum* 500 *obiit.*

12 *Quidquid tandem in sæculo egerit* S. Amandus, *certum est eum Commodoliacum secessisse, vitam eremiticam ducturum : qui secessus ante annum nonagesimum post quadringentesimum certo contigit. Ruricius enim Lemovicensis præsul, senior dictus, ut a succedente sibi nepote distinguatur, ante annum quingentesimum decimum obiisse traditur ; quod ad* XVII *Octobris latius examinabimus. Jam vero si* S. Amandus *decem saltem annis ante S. Ruricium I obiisse dicatur, a vero aberrari non potest, quoniam* S. Junianus *in omnibus monumentis fertur S. Ruricium secundum, juvenem adhuc superbiæ fastu elatum, post mortem* S. Amandi, *liberasse a dæmone aut a morbo. At cum hic Ruricius avo suo successerit in sede Lemovicensi, nec continuo post suam liberationem, aut vitæ emendationem, hunc honoris gradum ascendisse videatur, merito sane refertur* S. Amandi *mors ad annum circiter* 500. *Si vero decem anni vitæ eremiticæ assignentur, eumque proin* F *non post annum* 490 *Commodoliacum venisse statuatur, pauciores fere annos quam exigunt* S. Juniani *instituendi labor aliaque gesta, istic degisse affirmatum fuerit. Etenim cum Ruricius I circa annum* 484, *(ut ex Stiltingo nostro Vitam S. Fausti Regiensis ad* XXVIII *Septembris illustrante num.* 270 *et* 288, *ubi Epistolam* IX *Fausti partim recitat, liquet), Lemovicensem sedem obtinuerit, et Sanctus* Amandus, *sub ejus episcopatu Commodoliaci fuerit detectus, postquam aliquamdiu latuisset, licitum forte videbitur initium* S. Amandi *vitæ anachoreticæ etiam ante annum* 490 *referre. His itaque evolutis, si ad propositam quæstionem redeamus, quis non viderit* S. Amandum *Commodoliacensem non tantum die et loco cultus, patria (in quantum traditioni est fides) atque habitationis loco distinctum esse a S. Amando Genuliacensi, sed inter utrumque aut integrum, aut saltem dimidium sæculum effluxisse? Superest ut reliqua, quæ de Sancto* Amando *innotescunt, exponantur ; at primum de biographis.*

(*a*) Scriptor. rer. Hungaricarum, tom. II, p. 60. — (*b*) p. 76. — (*c*) Scriptor. rer. Hungaric., tom. II, p. 346.

§ II.

A

§ II. Biographi S. Amandi Commodoliacensis; ejus gestorum compendium e Bernardo Guidonis; Reliquiarum inventio a S. Hugone Cluniacensi facta, earumque cultus.

Recensentur fontes,

Joannes Collinus canonicus theologalis San-Juniannensis, *cujus jam meminimus, anno* 1657 *publici juris fecit* Vitam beatorum Amandi et Juniani anachoretarum, ex veteribus ecclesiæ monumentis. *Idem anno* 1673 *duplex edidit opusculum :* Florilegium sacrum Lemovicense, *et alterum gallicum :* Historiam sacram Vitarum Sanctorum Lemovicensium. *Bonaventura de Sancto Amabili Carmelita in opere suo, anno* 1676 *excuso, de* Apostolatu S. Martialis, de Sanctis Lemovicensibus *sermonem quoque habens, agit procul dubio de* SS.

B Amando *et* Juniano; *at nullum nobis desiderium ingerit ejus scriptionis absentia, quoniam fieri nequit, ut pluribus quam Collinus usus fuerit documentis. Tertius, qui Sancti* Amandi *Vitam consarcinavit, est Bernardus Guidonis Lodovensis episcopus, ex Ordine Prædicatorum, cujus Speculum Sanctorale, quod inter vetera legendaria optimum videtur (in quantum ex editis Vitis æstimare licet), Avenione in bibliotheca urbana Ms. exstare falso nuper tradidit Haenel in Catalogis Bibliothecarum. At cum olim illic asservabatur, edidit ex eo Benedictus Gononus Vitam* SS. Amandi *et* Juniani. *Ejusdem Vitæ apographum exstat Bruxellis in Bibliotheca Burgundica regia, desumptum ex codice Ms. Pragensi, et collatum cum autographo. Ex annotatione Ms. Bollandi colligo breviorem Vitam exstitisse in Ms. codice Rubeæ Vallis; at minoris pretii eam existimavit, quam ut ad finem usque cum autographo Pragensi conferret.*

unde S. Amandi *vita cognoscitur ;*

14 *In Bernardi Guidonis opusculo mentio fit codicis San-Junianensis his verbis :* Cujus corporis Sancti Amandi inventionis in prædicto loco et translationis ab eodem, et miraculorum gestorum series et historia diffusius scripta ibidem legitur

C et habetur, et Sancti Amandi etiam nominatur. *Hæc* Historia S. Amandi *ipsum Officium est, quod edemus; quodque proin certo ad sæculi* XIV *initium referendum est, nisi potius, ut libenter æstimo, ad initium sæculi* XII, *triginta forte annis post corporis inventionem. At pauciora illic de* S. Amandi *in terris viventis gestis : omnium plurima profert Bernardus Guidonis, potissimum* S. Juniani *Vita usus. Hæc autem* S. Juniani *Vita, quam Commodoliaci audivit S. Hugo Cluniacensis abbas, omnium antiquissimum monumentum est : cui tamen sæculo, utrum* VII *an* VIII, *illiganda sit, non liquet; tametsi extra dubium est insignis ejus vetustas. Hanc Vitam Cluniaci olim descripsit Papebrochius : idemque fecimus Parisiis, ejusdem Vitæ aliquantum amplificatæ apographum desumentes ex Legenda Aurea cum auctariis, jussu Romani prioris monasterii Cœlestinorum Beatæ Mariæ (verisimiliter Parisiensium) conscripta, et anno* 1442 *absoluta, ut fol.* CXLII *notatur. Occupat nunc hic codex Ms. loculum* 45 *bibliothecæ Parisiensis, quæ sibi nomen ab armamentario* (l'Arsenal) *mutuata est. Deest autem huic Vitæ prologus; at in plurima divisa est capita, quorum tituli breviori Vitæ desunt. Huc usque de fontibus unde* S. Amandi *gesta noscuntur.*

15 *Porro en ut collegit Bernardus Guidonis* S. Amandi *gesta; editione Gononi collata cum apographo nostro utor :* Beatus Amandus vir illustris, nobilibusque ortus natalibus, natalem locum et divitias temporales pro amore divino relinquens, et vitam solitariam sibi eligens, inter arctas et accessu difficiles angustias rupium, parvum tugurium sibi construxit in rure seu territorio nobilis viri * Ruricii seu Roricii * episcopi Lemovicensis supra Vigennæ fluvium, cujus loci seu territorii vocabulum tunc Commodoliacus dicebatur, ubi aliquandiu commoratus est ignotus hominibus, Deo notus, cui soli in solitudine placere cupiebat. Quadam vero die nutu Dei in rupe prærupta a pastoribus solitarius reperitur, qui, asperrimæ illius habitationis locum admirantes, abierunt; dehinc illius solitudinis incolam populis divulgarunt. Cujus rei notitia, fama referente, dum ad prædictum Ruricium seu Roricium Lemovicensem præsulem pervenisset, comperto quod vir Dei Amandus inter arbusta frondesque, quas locus eduxerat, antrum habitationis haberet, jussit ibidem pro spatio loci fieri cellulam habitantis solitarii satis amplam, sed conventui multitudinis nimis angustam. Ex toto siquidem illius montis spatio rupis prærupta eminebat, quæ undique accessum præbebat arctam modicamque planitiem continens, ad quam de monte superiori difficilis admodum descensus erat, ubi Amandus vitam solitariam virtutibus plenam ducens, contemplationi divinæ vacans, hostis antiqui certamina non modica toleravit et vicit.

D *atque hic secundum Bernardum Guidonis narratur ejus vita eremitica,*

* *Ms. Prag.* sanctæ memoriæ

* *Ms. Prag. ubique* Bunaum seu Bonaum *male scribit.*

E

ejus erga S. Junianum *magisterium,*

16 Beatus vero Junianus puer (ut fertur) natione Cameracensis ex nobili prosapia ducens originem, spiritu Dei afflatus, ut desiderio cœlestis patriæ, parentes, patriamque natalem relinqueret, ad partes Aquitaniæ, duce Domino, pervenit. Comperta autem fama sanctitatis beati Amandi, ipsum adiit, cupiens institutis ejus, et moribus informari, et cum eodem se Christi tirocinio et servitio mancipare; accedensque ad cellulam Sancti Amandi, fores ejus ut sibi aperirentur pulsare cœpit. Sanctus vero Amandus cum cognovisset ad fores pulsantem esse, æstimans ne forte esset illusio aut tentatio diabolica, aliquandiu siluit, nec mox ei patefecit ingressum, donec probaret cujus rei causa prædictus venerabilis puer ad ejus cellulam accessisset. Cognita vero

F causa, mox eum cum gaudio suscepit, et viam salutis ostendit. Junianus itaque egregiæ indolis adolescens, qui sortitus animam bonam humilitatis gratia, tantaque sanctitate vitæ noscitur excrevisse, ut non solum imitator magistri existeret, verum et divino amore succensus, magistri vitam virtutemque transcenderet.

ejus obitus et sepultura.

17 Demum cum ejusdem Sancti Amandi obitus propinquaret, post sanctam institutionem discipuli sui Juniani, vitamque laudabilem sanctitatis, consummato felicis vitæ agone, plenus dierum et operibus sanctis, in pace migravit ad Dominum; habitationis et sanctitatis suæ hæredem et successorem relinquens Junianum, ex discipulo magistrum, tamquam alter Elias alterum Elisæum. Corpus vero Sancti Amandi in eodem loco, ubi solitariam vitam duxerat, sepelivit (in pristino scilicet antro) : ibique sepultum latuit annis multis, indeque post annorum multorum curricula, translatum fuit ad ecclesiam seu monasterium Sancti Juniani, et juxta ejus tumulum collocatum, id agente et prosequente instanter et devote viro strenuo Domino Rabulpho * canonico, concomitantibus et sequentibus signis. Qui Rabul-

* *lege* Ramnulpho

A phus a B. Odone * Cluniacensi primitus exhortatus, in eodem loco primitus ecclesiam construxit, in qua mundo renuntiavit, sancte obiit, vixit, et quiescit. Cujus corporis sancti Amandi inventionis in prædicto loco, et translationis ab eodem, et miraculorum gestorum series et historia diffusius scripta ibidem legitur et habetur, et Sancti Amandi etiam nominatur. Floruit sub eodem fere tempore S. Amandus, quo Clodovæus rex Francorum, a B. Remigio baptizatus, cum Alarico rege Gothorum, qui Arianus erat, et Aquitaniæ et Gothiæ regnum occupabat, quod Romanis abstulerat, congressum habuit milliario decimo ab urbe Pictavis, ubi Alaricus confossus occubuit (*anno* 507), et depulsis ab Aquitania Gothis Arianis, eamdem meliori religionis regula et fidei continuo replevit. Erat autem Dominicæ Incarnationis fere quingentesimus (*annus* 497) quando Clodovæus fuit per sanctum Remigium baptizatus, regnavitque annis circiter quindecim (*potius* 14) post baptismum.

Hugone *lege*

Reliquiarum inventionis adjuncta,

B 18 *Cum his fere similia in* S. Juniani *edenda vita occursura sint annotatis illustranda, non est quod diutius inhæreamus* S. Amandi *gestis : una Reliquiarum inventio examinanda superest. Quæ Bernardus Guidonis de ea superius protulit, ex* S. Amandi *Officio extracta esse jam monui. Paulo aliter eamdem inventionem narrat Hildebertus Cenomanensis episcopus in Vita S. Hugonis, sexti abbatis Cluniacensis, quæ in Opere nostro ad* XXIX *Aprilis edita est, ubi hæc leguntur* (*a*) : Item Dei servus *(S. Hugo)*, dum esset in Aquitania, ad ecclesiam B. Viviani, sanctorum locorum solicitus visitator, accessit. Ubi cum præfati Confessoris diligenter actus et vitam legeret, cujusdam boni viri nomine Amandi factam in ea reperit mentionem, de quo ipse plenius edoceri desiderans, opinionem ejus et patriam, propositum et finem atque sepulturam a clericis præsens inquirit. Respondetur sciscitanti B. Amandum magistrum S. Viviani, meritis insignem, doctrina conspicuum, exemplis clarum. Corpus ejus, prout fama ferebatur, in Galliis habere sepulturam. *(E Vita S. Juniani noverant præterea eum ab hoc Sancto et proin in vicinia fuisse sepultum.)* Sequenti autem die, decanus canonicorum in eodem loco xenodochium constructurus a B. Hugone suscepti operis postulat fundamentum designari. At ille Spiritu Sancto edoctus : Hic, ait, fundamenta jacite, et minime pœnitebit. Ad ejus itaque suggestionem pueri altius fodientes, mausolæum prædicandæ pulchritudinis inveniunt. B. Amandi nomine insignitum : quo reperto, clerus exultat, populus glorificat Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis, nil jam de merito dubitantes abbatis, quod in inventione claruerat Confessoris. *Papebrochium, qui non advertit Sanctum* Junianum, *ut modo statuam,* Vivianum *a nonnullis nuncupatum fuisse, induxit in errorem nomen* Vivianus. *Credidit hunc Xantorensem episcopum esse, cui* Ambrosius *magister fuisse dicitur.*

C

tempus,

19 *Verum cum narratio San-Junianensis etiam minuscula adjuncta enarret (quod cum patens error non subest, veritatis argumentum haberi solet), atque San-Junianenses melius hanc Reliquiarum inventionem novisse debeant, quam Hildebertus Cenomanensis, præplacet San-Junianensi Officio potius quam S. Hugonis Vitæ adhærere, ubi diversitas in exponendis adjunctis cernitur. At præcipuus nodus in assignando inventionis tempore est. Ex numeris* 1 *et* 8 *Officii* S. Amandi *novimus translationem feria quarta factam fuisse ; ex numero vero* 11, *liquet eam factam fuisse* XXVI *Augusti, die* S. Amando *abhinc sacra. Verum hæc (ut in congruo spatio includamur) annis tantum* 1069, 1075 *et* 1080 *concurrere potuerunt. Quis vero ex his sit eligendus, aliunde inquirendum est. In lectione* II *secundi Nocturni Officii* S. Amandi *traditur S. Hugo Cluniacensis iterum transiisse per Commodoliacense monasterium, cum, aliquanto tempore post visitationem monasterii Angeriacensis anno* 1062 *factam, a Willelmo Pictaviensium principe evocatus est Pictavos Monasterii-Novi dotandi causa. Ut vero ex instrumento Galliæ Christianæ* (*b*) *inserto liquet, facta fuit hæc dotatio anno ab Incarnatione Domini* 1077, V *kalendas Februarii, anno* IV *Pontificatus Gregorii VIII, indictione* XV. *At S. Hugo non interfuit hujus instrumenti confectioni, ut absentia ejus nominis inter præsentes monachos non signati, certo argumento est. Quapropter S. Hugo memoratum iter susceperit oportet ad dotationis conditiones cum Willelmo exagitandas ; quod circa* XXVI *Augusti anni* 1075 *fecerit, nisi San-Junianensem narrationem enervatam velint. Quocirca inventio Reliquiarum* S. Amandi *anno* 1075 *attexenda videtur.*

D

E

et qui secutus est cultus, illustrantur.

20 *Hujus inventionis atque translationis historia quam latissime exponitur in Officio* S. Amandi. *Ex Collino (penes cujus fidem sunto) addi possunt sequentia :* Cum Ramnulphus sacra pignora ad S. Juniani templum transferret, pauper febri quartana correptus et manu accensum cereum gerens, accessit, tetigit loculum et sanitati restitutus est. Positæ tum sunt S. Amandi exuviæ juxta Reliquiariam capsam S. Juniani. Condidit postea Ramnulphus ecclesiam cum xenodochio in ipso loco, unde extractæ fuerant Reliquiæ. Gaudet hæc ecclesia S. Amandi nomine et patrocinio, et 60 abhinc annis (*scribebantur hæc circa annum* 1673) Patribus O. S. Francisci Recollectis usui data est a San-Junianensibus canonicis, qui sibi tamen reservarunt jus, supplicationes aliasque pietatis praxes ad eam instituendi, cum dies, quibus populus S. Amandi laudes audire gestit, annuatim recurrunt. *Idem Collinus sic fere disserit de* S. Amandi *Reliquiis :* In majori templo San-Junianensi ostenditur pretiosum caput S. Amandi inclusum perpulchro crateri *(coupe)* deaurato, opere antiquo, dato ex pietate a quodam Domino De Brigueil. Cæteræ S. Amandi Reliquiæ cum pluribus aliis servantur in vetusto loculo qui in thesauro cernitur. In hoc nempe loculo jacet sacculus perbene compositus, cui litteris sexcentis annis vetustioribus inscriptum est : Hic sunt ossa, sudarium, etc. *ut num.* 9 *retuli. At diu ante Collinum jam meminerat harum Reliquiarum Bernardus Guidonis in Opusculis Historicis :* S. Amandus qui præceptor fuit S. Juniani, ibidem *(Commodoliaci)* in capsa habetur, veneratur, et colitur (*c*). *Superest ut S. Amandi Officium, pia simplicitate et factorum narratione conspicuum, typis credatur. De ejus antiquitate dixi num.* 13; *ejus fidem laudavi num.* 19, *idque reperiet eruditus lector, post sequentem de* S. Juniano *sancti* Amandi *discipulo paragraphum.*

F

(*a*) Act. SS. ad XXIX Aprilis, p. 639. — (*b*) Tom. II, col. 351. — (*c*) Labbe Bibl. nov. Mss. tom. I, p. 633.

§ III.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

§ III. De Sancti Juniani cultu; num confundendus cum S. Juniano Nobiliacensi, et altero Rhemensi; de sepulcro et ecclesia sub ejus vocabulo Deo sacra.

CIRCA ANNUM DXXXV. *S. Junianus, quem multi memorant Martyrologi,*

Cum S. Amandi *vita intime colligetur cum vita* S. Juniani, *neque proin altera discuti possit, quin altera quoque discutiatur, plurima de Sancto* Juniano *determinata sunt, cum obortæ in* S. Amandi *vita quæstiones ad examen atque solutionem vocatæ fuerunt. Imprimis tamen supersunt quæ ad* S. Juniani *cultum pertinent. Porro occurrit hujus Sancti memoria in Martyrologiis tam recentibus quam veteribus, classicis tamen exclusis. Testatur videlicet Dominicus Giorgius in sua editione Adonis, addi codici Vaticano* 512 *illud auctarium ad præsentem diem :* Eodem die natalis Sancti Juniani Confessoris ; *Auctarium Aquiscinctinum Usuardi apud Sollerium indicat* territorium Lemovicense *ut locum cultus ; Bedæ Auctarium editum ab Eccardo* (*a*) *ejus quoque meminit. E. Bernardo Guidonis* S. Juniani *cultus jam indicatus, est ubi de* S. Amando *fuit actum : en alia mentio ex ejusdem viri Opusculis Historicis* (*b*) : Sancto Juniano eremitæ et Confessori jubilant Comodohatenses *(Commodoliacenses)* canonici : sic enim antiquitus vocabantur qui nunc S. Juniani canonici nominantur ; cujus gesta habentur ibidem. Festum ejus recolitur XVII kalendas Novembris. *Eidem diei hunc Sanctum assignat Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis, Castellanus in Martyrologio universali, Saussayus in Martyrologio Gallicano, Molanus in Natalibus SS. Belgii, Willot in Martyrologio Belgico, Collinus in Historia SS. Lemovicensium, Labiche de Reignefort in Semestri Vitarum SS. Collectione, etc. Martyrologium vero Pariense, et alii recentiores fasti sacri ejusdem* S. Juniani *meminerunt ad* XV *Novembris aut ad aliam hujus mensis diem ; unde id ortum sit, postea videbitur. In recentiore editione Hagiographiæ Butlerianæ memoratur* S. Junianus *ad* XXVI *Augusti, ubi de magistro* Amando *agendum erat ; in Ordine demum seu Directorio Lemovicensi anni* 1832 S. Juniani *festum die* XVI *Octobris celebrandum indicitur ritu duplici minori in tota diœcesi. Quod spectat ad S. Juniani nomen, notabile est in Usuardo Greveni* Ninianum monachum et Confessorem *nuncupari. Loco* Niniani *absque dubio* Vivianus *legendus est. Hildebertus Cenomannensis, num.* 17 *citatus, eo nomine* S. Junianum *Commodoliacensem appellat, et S. Junianus Nobiliacensis ad* XIII *Augusti in Usuardo Daveronensi item* Vivianum *sortitur nomen.*

B

C

atque olim ob miracula, non tantum Lemovicenses, sed et Pictavi colebant,

22 S. Juniani *Commodoliacensis cultus antiquitas ad ævum S. Gregorii Turonensis, quin etiam altius referenda est. Sic de eo scribit S. episcopus* (*c*) : Fuit et Junianus reclusus infra Lemovicinæ urbis territorium, qui vivens multa populis ostendit miracula ; sed et nunc ad sepulcrum ejus sæpe morbi curantur. Nam vidi multos, quos dinumerare putavi longum, qui cæcis oculis ibidem evecti (*alibi* eo perducti) lumen receperunt, paralyticique directi sunt. Testisque est ipse populus hodieque, qui cum sanitatem recipiunt, statim se tributarios loco illi faciunt, ac recurrente circulo anni, pro redditæ sanitatis gratia tributa dissolvunt. Ex quibus sunt, qui ad basilicam Sancti Martini nostri antistitis pertinere videntur. *Cum vero* S. Junianus *circa annum* 535 *obierit, et S. Gregorius ipse anno* 595 *fato cedens sæculum* VI *non excesserit, hinc fere liquet.* S. Juniani *cultum a morte incepisse. Ex hoc præterea S. Gregorii testimonio, quo tam peculiarem* S. Juniani *cultum adstruit, ut eum Theodoricus Ruinartius (num.* 50 *præfationis ad S. Gregorii editionem) speciali mentione dignum judicet et* memorabilem *appellet, apud omnes constare debet, jam a sæculo* VI *obtinuisse populi Turonensis pietatem erga hunc Sanctum; quam suis temporibus adhucdum exstitisse scribit Collinus in libello jam dicto, Historia SS. Lemovicensium. Turonensibus vicini sunt Pictavienses, apud quos memoratum morem tributum solvendi, eodem viro teste, exstitit ; atque in eorum gratiam tot miracula facta fuisse tradit idem hagiophilus, ut, cum scriberet,* S. Juniani *Officium quotannis* XVI *Octobris celebraretur in agro Pictaviensi, potissimam in ecclesia cathedrali S. Petri, et in ecclesia collegiata S. Hilarii Pictaviensis, ubi ritus duplex solemnis observabatur. Verum ex recentiori Directorio expunctum est hujus sancti* Juniani *nomen. Ex eodem Collino deducere licet, aliud peculiare festum sæculo suo Lemovicibus celebratum fuisse : quod festum* S. Juniani a Nivibus (S. Junien des Neiges) *appellabant. Hujus festi ratio patebatur ex hac traditione : cum* S. Junianus, *ad* S. Amandum *venisset, totam noctem illi antrum suum clausum tenuerat* S. Amandus ; *at licet per omne hoc tempus abunda cecidisset nix, minime humidus factus fuerat* S. Junianus. *Festum certum est, non item mihi fundamentum.*

D

E

distinctus est a S Juniano Nobiliacensi,

23 *Secundus labor, post expositum sancti eremitæ cultum obeundus, in sancto* Juniano *ab homonymis distinguendo versatur. Gononus scilicet in Vitis SS. Patrum, postquam* (*d*) *meminisset* S. Juniani *nomen in tabulis Ordinis Fontebraldensis signari (cujus rei causam ex historia hujus ordinis eruere non potui), atque hujus Sancti festivitatem ad* XVI *Octobris retulisset, continuo confundit hunc Sanctum cum* S. *Juniano Nobiliacensi abbate, cujus dies sacra* XIII *Augusti est. Non solus in hunc errorem incidit : hallucinationis socium habuit non tantum Giorgium, Adonis Martyrologium ad hunc diem illustrantem, sed ipsum Labbeum, qui in Bibliotheca nova* (*e*) *Nobiliacensis abbatis Vitam edidit, et in prologo* (*f*) *de sectione prima scriptorum, quos editurus erat, male omnino carpsit Bernardum Guidonis. Quibus vero characteribus hi ambo S. Juniani a se invicem distinguantur, late majores nostri prosecuti sunt ad prædictam* XIII *Augusti. Præterea ad* XV *Novembris non solum in Martyrologiis universali et Parisiensi, ubi claris verbis* S. Junianus reclusus Lemovicensis *annuntiatur, verum in aliis quoque permultis Martyrologiis tertius quidam S. Junianus prodit, quem ad archidiœcesim Remensem pertinere volunt : teste enim Molano in nota ad* XVI *Octobris et Ferrario ad* XV *Novembris,* legitur apud Remenses in Martyrologio die decimo quinto Novembris : Eodem die beati Juniani Confessoris, quem beatus Remigius baptismate lavit. *Cum vero locus memoriæ hic sileatur, brevi suppletus est ille defectus in Martyrologio Canisiano, Sanctum Junianum die* XV *Novembris ad Remos referente. Et quidem antiqua satis est hæc S. Juniani apud Remenses memoria. In codice enim Usuardino Heriniensi, quem Sollerius et Bollandus plurimis laudarunt, et cui a Sollerio hæc duplex affixa fuit nota :* Scriptus fuit ad finem sæculi XI, et Usuardo puro Sanctos Remenses fere tantum adjecit; *textui puro additur :* Eodem die, beati Juniani

F

(*a*) De reb. Franc., tom. I, p. 829. — (*b*) Labbe Bibl. nov. Mss., tom. I, p. 633. — (*c*) De gloria Confessorum, cap. CIII. — (*d*) p. 209. — (*e*) T. II, p. 569. — (*f*) p. VI.

Con-

A Confessoris, quem beatus Rhemigius baptismate lavit. *Cui auctario addit Sollerius :* Patet proprium loci esse. *Maluissem dixisset Sollerius recentiores martyrologos suum Sanctum Junianum diei* XV *Novembris ex hoc codice hausisse : nam Molanus suum certe inde decerpsit ; et Ferrarius, quamvis nuditatem suam novis sibique propriis verbis abscondere velit, solo Molano est usus ; quod absque dubio ipse Canisius quoque fecerit. Recentiores prætermitto.*

sed idem videtur

24 *At quæstio est, sitne hic sanctus Junianus a sancto* Juniano *Commodoliacensi diversus. Affirmantem sententiam sequitur expresse Molanus, in Natalibus SS. Belgii ad* XVI *Octobris ; similiter Ferrarius ad* XV *Novembris, et Saussayus qui S. Junianum* XV *Novembris confudit cum S. Juniano Nobiliacensi, necessario die* XVI *Octobris et* XV *Novembris duos distinctos Junianos memoravit. Claudium Chastelain et Martyrologii Parisiensis concinnatores aliter sensisse ex superius dictis liquet. Et re quidem vera, licet erraverint cum* S. Junianum *ad* XV *Novembris agro Lemovicensi adscripserunt, valde probabilis est eorum sententia de duplici hoc S. Juniano in unum conflando. Quod obstat argu-*

B *mentum, alias gravissimum, distinctos nempe dies cultus indicari, levius hic forte est : nam cum dies* XVI *Octobris audiat in Martyrologiis* XVII *kalendas Novembris, et* XV *Novembris, mensis nomine tantum mutato,* XVII *kalendas Decembris dicatur, quam facile fuit Heriniensi collectori improbo loco* S. Junianum *celebrare : quod eo facilius fuisse dicendum est, quod nulla vestigia veri cultus erga* S. Junianum *apud Remenses appareant. Etenim nihil in Breviario Remensi, impresso anno* 1630 *; nihil in Brevi, seu Directorio anni* 1812*; nihil apud Flodoardum historiographum Remensem ; nihil apud Marlot in Historia Metropolis Remensis ; nihil apud Galliæ Christianæ continuatores ; nihil denique apud nostrum Suyskenum, qui in Vita S. Remigii, ad* I *Octobris illustrata, plurimis prosecutus est S. Remigii discipulos.*

ac S. Junianus Remensis.

25 *Verumtamen explicari potest quo pacto S. Junianus inscriptus fuerit codici Heriniensi, licet in diœcesi Remensi verum cultum non obtinuerit, neque, ut Sollerius loquitur,* proprius loci *sit. Cum enim ille codex ad finem sæculi* XI *exaratus sit, atque anno* 1075 *corpus* S. Amandi, *quem* S. Junianus *magistrum habuerat, inventum fuerit et tanto*

C *cum rumore translatum, ut Papebrochius ad* XXIX *Aprilis* (*a*) *scripserit :* oportere ita solemniter elevatum habere proprium diem cultus ; *necesse est, ut cum* S. Amandi *fama nomen* S. Juniani *per totas Gallias increbuerit, atque adeo utriusque Acta innotuerint. Porro amplior* S. Juniani *Vita, quæ hoc tempore jam circumferebatur, ejusmodi est, ut, cum quis eam confert cum Vita S. Remigii, nec apprime bene notas chronologicas animadvertit, facile induci possit ad credendum,* S. Junianum *Commodoliacensem a S. Remigio fuisse baptizatum. Agedum, eccum hujus suspicionis fundamen : in hac Vita* S. Juniani, *non tantum plura habes de Francis a S. Remigio conversis, sed secundum communem traditionem dicitur* S. Junianus filius comitis Cameracensis ; *et antiquum* S. Juniani *officium, recentius Lemovicense, Vita* S. Juniani *a Bernardo Guidonis collecta, item Vita, quam præ oculis habuit Molanus, hac in re consentiunt. Verum ille comes Cameracensis non distinctus censendus est a Ragnachario, aut Raganario, de quo Hincmarus in Vita S. Remigii* (*b*) *hæc habet :* Multi denique de Francorum exercitu, necdum ad fidem conversi cum regis *(Clodovæi aut Clodovechi)* parente Raganario ultra Summam fluvium aliquandiu deguerunt, donec Christi gratia cooperante, gloriosis potitus victoriis, eumdem Raganarium, flagitiis turpitudinum inservientem, vinctum a Francis sibi traditum rex Ludovicus occidit, et omnem Francorum populum per Beatum Remigium ad fidem converti et baptizari obtinuit. *Tunc baptizatum fuisse* S. Junianum, *qui Ragnacharii filius habetur, et a Clodovæo, in cognatos sæviente, non legebatur occisus, crediderit sane Heriniensis codicis scriptor, et propterea contexuerit præfatam S. Juniani memoriam, qua ego non* proprium loci *Sanctum designari arbitrabor, sed potius talem, quales in peculiaribus diœceseon Martyrologiis occurrere solent, cum non cultum in diœcesi, sed tantum qualemcumque cum diœcesi relationem habent, aut habere putantur.*

D

Circa annum 533 obiit,

26 *Sub judice itaque relicto* S. Juniani *patre, natali loco, baptismo, etc., ad tempus ejus mortis gradum facio. Ad locum, numero* 22 *hujus Commentarii ex S. Gregorio Turonensi relatum, signat Theodoricus Ruinartius annum* 530, *tamquam tempus emortuale* S. Juniani ; *Claudius vero Chastelain latum sæculi* VI *spatium apponit. A veritate non multum abesse potest Ruinartius, quoniam biographi omnes quadraginta annos in eremo transactos* S. Juniano *assignant. Equidem cum paucis tantum annis ante annum* 500 S. Junianum *in eremum venisse æstimaverim, libenter, quinque Ruinartii calculo adjectis, annum* 535 *emortualem dicerem. Cum vero* S. Junianus *puer aut adolescens transierit ad* S. Amandum, *ad annum circiter quinquagesimum quintum ætatis pervenisse dicendus est. Quæ autem egit* S. Junianus, *cum Commodoliaci versaretur, atque ex Vita innotescunt, ad aliquot reducuntur miracula ; quibus in annotatis ad Acta animadversiones aliquot oppenemus.*

E

et Commodoliaci sepulcrum obtinuit, cui superstruxit S. Ruricius junior oratorium S. Andreæ,

27 *De* S. Juniani *sepultura in edenda Vita nihil aliud occurrit, quam* Basilicam fabricatam fuisse a Ruricio juniore, ubi sancta membra beatissimi Juniani collocarentur. *Vita vero amplior plera de* S. Juniani *sepultura subministrat, quæ recitanda videntur, quoniam coæva censenda sunt Reliquiarum elevationi, quam hic late explicant :* Postquam igitur Beatissimus Junianus felici suo obitu diem clausit novissimum, Roricius, non immemor beneficii quod ab eo acceperat, corpus ejus Lemovicas asportare decrevit ; quod cum, divina Providentia aliter disponente, non potuit, haud longe a cel-

F lula sua quæ supra Vigennam in declivio montis pendet basilicam exstrui jussit in honore Sancti Andreæ dedicatam ; ibique honorifice eum tumulavit. Enim vero dum Beatissimus Junianus vita fungeretur, assuetus erat Deo orationes sub spina quadam exhibere ; eoque mortuo Roricius honore felicissimo cubitis ferme duobus ab ea ipsum tumulavit ; ita enim deliberavit commodius esse, propter religionem loci ubi preces agebat. Inde aram construxit inter Sancti Juniani caput et spinam ; et quia altari erat infensa, succidit eam ; radix vero in ima remansit. Qua cum tumulo reperta, visa est succo adhuc primo et ramorum inhærentium virore decorata, meritoque vernabat sub qua Sancti preces floruerunt. Valde enim incongruum erat ut arida fieret, quam nec vita nec morte ipse deseruit. Quo loco quicumque et sincero corde quod justum est Deum poscit per Sancti Juniani nomen, compos sine difficultate votorum regreditur.

in quo detectæ sunt ejus Reliquiæ

28 Fervet animus videndi amore ardent simul cor et oculi intueri tumulum, qui intra sui claustra Sancti Juniani Reliquias continebat ; nec sufficiunt oculi tantum inspicere quantum mens

(*a*) Act. SS. ad XXIX April. Vit. S. Hugon.. p. 640. — (*b*) Act. SS., tom. I Octobris, p. 149.

exoptat.

A exoptat. Dum vero uno inhærent affixi aspectu quædam infaustissima mulier appropinquavit media abrupta acie ; quodque alii non præsumpserunt, ipsa sola temeritate misera præsumpsit. Advolans enim rapidissimo antiqui serpentis stimulo debacchata et sensu polluta, maculatæ limbo tunicæ pulverem circa Sancti Juniani sepulcrum attigit : sed non defuit ibi ultionis supplicium. Mox spiritus immundus arripuit eam, et vehementissime torquens amentiam immisit, et furorem crudelissimum. Ergo ubi astantes hoc mirabile perceperunt signum, illico terrore concussi expalluerunt præ metu. Tunc quisque sibi cavebat, quæ mulierculæ miseræ contigerant. Ipsi autem, qui criminis alicujus sibi conscii erant, retrahebant pedem, expavescentes ultionem. Interim autem supradicta mulier infelix a dæmone infestissimo torquebatur amarissime et circa eam miserabiles lugebant parentes, flebant etiam affines. Nocte igitur consequenti pernoctaverunt cum lucernis in orationibus ad Sancti Juniani sepulcrum, et crastina luce orta, ancillam receperunt purgatam a dæmone. Quæ cum

B olim mala fuisset, per principem malitiæ didicit bona esse. Ex quo enim ab illius potestate erepta fuit, omnicumque anni revolutione pœnitentiam de peccato suo, quod temere incurrit, usque in supremum egit diem,

anno circiter 990;

29 *R. D. Labiche de Reignefort* (*a*) *refert hanc Reliquiarum retectionem ad an. circiter* 990, *dum Alduinus, seu Hilduinus, Lemovicensem sedem occuparet. Itherius scilicet, sic ille gallice disserit, ultimus regularis sancti* Juniani *monasterii abbas, ad eam celebritatem populum clerumque Lemovicensem invitavit, diemque solemnis jejunii indixit. Die autem* XXVI *Januarii, post decantatas Matutinas horas, dum populus et clerus preces suas coram Deo funderet, immensa difficultate* (*oriebatur hæc ex prudenti cautione, qua Ruricius II B. virum tumulaverat*), *reconditum sepulcrum aperuit, et sacrum ex eo sustulit corpus ; quod in loculo ligneo pictoque repositum* (*neque enim ditiorem fieri lipsanothecam sinebat monasterii egestas*), *translatum fuit super altare majus templi, plaudente et jubilante populo, qui confertim adstabat.*

quæ sæculo post denuo fuerunt translatæ et adhuc servantur.

C 30 *Idem Lemovicensis hagiographus* (*b*) *alterius Reliquiarum translationis meminit, quæ die* XXI *Octobris anni* 1102 *facta est, et Reginaldo seu Raynaldo Petragoricensi episcopo, Lemovicensis antistitis morbo impediti fungenti vices, adscribitur ; quod si verum sit,* (*et nihil est quod repugnet*), *corrigenda erit Gallia Christiana* (*c*), *quæ ad annum* 1101 *seu ad anteriora etiam tempora Raymundi, qui Reginaldo successit, episcopatum Petragoricensem retulit. Quidquid id est, transtulit maxima solemnitate Reginaldus seu Raimundus corpora* SS. Juniani *et* Amandi, *necnon S. Ruricii II. Extractum tum fuit ab eo præsule e viliori loculo* S. Juniani *caput, impositumque opulento crateri ex argento inaurato ; qui ingenti divitique lipsanothecæ, laminis argenteis, aureis ornatibus gemmisque instructæ, inclusus fuit. Reliqua sacra ossa duobus ligneis thecis, ferro munitis, inserta fuere, et deposita in pristino lapideo sepulcro, quod S. Ruricius II exstruxerat ; quodque ab Itherio, postquam inde sustulisset* S. Juniani *ossa, restitutum et ad imum sanctuarium supra terram fuerat collocatum. Clausit dein Petragoricensis antistes id sepulcrum duobus acclivibus lapidipus, calce cæmentoque conjunctis. Octo circiter annis post circumdatum fuit id monumentum lapideis septis, duodecim Sanctorum anaglypticis statuis ornatum ; quibus impositus fuit ingens lapis albus, qui argenteam capitis pyxidem sustineret ; et ad imum sepulcrum intra septa positus dein fuit lapis, inscriptus :* HIC JACET IN IPSO VASE CORPUS S. JUNIANI, IN QUO SEPELIVIT EUM RORICIUS EPISCOPUS. Raynaldus vero Petragoricensis episcopus, qui meruit martyr fieri, collegit eum in scriniis ligneis infra vas repositis : *quod martyrium in Palæstina subiisse tradit R. D. Labiche de Reignefort. Verum fabulas hic nundinari et posteriora illius inscriptionis verba postmodum illic adjecta fuisse ex duplici capite liquet. Prius enim, secundum epitomen quamdam aliaque Mss. monumenta, a Galliæ Christianæ collectoribus allegata* (*d*), *martyrium illud* VIII *idus Septembres anni* 1099 *Antiochiæ accidisset, cum jam tertium annum in his partibus degeret Reginaldus ; unde manifestum foret, non a Reginaldo anno* 1102 *Reliquiarum elevationem fuisse factam ; dein* III *nonas Octobres anni* 1098 *cum suæ diœcesis abbatibus Concilio Burdigalensi intererat, et anno* 1099 *consecrationi ecclesiæ Uzerchiensi, ut habet Gallia Christiana* (*e*). *Unde corruit omnino istud martyrium, anno* 1099 *in Oriente exantlatum ; et spatium fit Petragoricensi præsuli ad hanc celebrandam lipsanon retectionem. Non liquet deinceps apertum fuisse venerabilem Sancti eremitæ tumulum ; et quidem constat inter reipublicæ gallicæ tumultus nihil eum fuisse passum detrimenti. Neque id temporis perierunt capitis ejus insignes Reliquiæ, quas se cum populo veneratum esse ait Labiche de Reignefort* (*f*), *quum multa celebritate anno* 1820 *acta fuit solemnitas* Ostensionis.

Falsa videtur his antiquior tentata translatio.

31 *Toties citatus Collinus, ejusque imitator Labiche de Reignefort alius frustra susceptæ translationis meminerunt, cujus jam pridem ante has duas periculum factum esset. Quadriennio enim, postquam Commodoliaci humatus esset* S. Junianus, *placuit S. Ruricio II B. Confessoris corpus devehere in templum S. Augustini Lemovicense, exstructum a prædecessore Ruricio I, quoniam ille hic suam delegerat sepulturam. Verum cum apertus fuit* S. Juniani *tumulus, et corpus currui impositum, immobiles steterunt equi, adeo ut nulla vi propelli possent. Quocirca jussit Ruricius, ut sacras exuvias reponerent, pristinum sepulcrum circumfoderent, et tribus ingentibus lapidibus cooperirent ; ne quis deinceps eremitæ ossa contingere posset ; atque insuper* F *ut sibi juxta amicum suum sepulturam aliquando pararent. Ast universum id tentamen sublestæ fidei historiuncula est, perverse deducta ex his, quæ aliquando superius ex antiquo documento descripsimus :* Postquam igitur Beatissimus Junianus felici suo obitu diem clausit novissimum, Roricius, non immemor beneficii quod ab eo acceperat, corpus ejus Lemovicas asportare decrevit ; quod cum, divina Providentia aliter disponente, non potuit, haud longe a cellula sua... basilicam exstrui jussit. *Præterea sæculo* VI *quam rarissime effodiebantur Sanctorum corpora, ut alibi sepultura donarentur ; quod qui ecclesiasticas antiquitates deliberunt, satis edocti sunt.*

Memorata S. Andreæ ædicula locum dedit S. Juniani cœnobio.

32 *De templo autem et monasterio exstructis eo ipso in loco, ubi degit* S. Junianus, *supersunt quædam memoranda eo potiore jure, quod nonnulli manifeste a vero aberrant inter dilucidanda hujus asceterii fata. Ex superius dictis liquet in declivio Commodoliacensis montis, duobus ferme cubitis a spina, sub qua Deum orare solebat Beatus* Junianus, *sepultum fuisse hujus cadaver ; a Ruricio II illic loci*

(*a*) Six mois de Vies de SS. de Limoges, tom. II, p. 237. — (*b*) Ibid. — (*c*) Tom. II, col. 1461 et seq. — (*d*) Ibid., loc. cit. — (*e*) Ibid., loc. cit. — (*f*) Six mois de Vies de SS. de Limoges, p. 238.

condi-

A *conditam fuisse ædiculam seu basilicam, ita ut altare inter spinam et sepulcrum esset, eique ecclesiolæ titulum fuisse inditum de S. Andrea; unde liquet errare Galliam Christianam* (*a*), *cum affirmat priorem huic templo titulum fuisse de* S. Juniano ; *cui dein additus esset ille alter de S. Andrea. Piorum peregrinantium eleemosynis abundantibus, ut ex S. Gregorio Turonensi jam didicimus, in cœnobium evasit illa S. Andreæ ædicula. Volunt Collinus et R. D. Labiche de Reignefort pecuniam ab ipso Ruricio II monasterio ædificando collatam fuisse; eisque aliquantum favere fateor Vitam edendam, in qua* basilicam *a Ruricio exstructam fuisse legitur ; quæ vox in Galliis, ut in peculiari de basilicis opella stabilire conatus est Hadrianus Valesius monasterii alicujus templum signavit sæpius. Verum cum S. Gregorius Turonensis, quem hunc locum adiisse aiunt* (*b*), *monasterii hujus non meminerit, cum omnes* S. Juniani *Vitæ idem taceant, et demum cum Valesiana regula exceptionem patiatur, ut R. D. Binterim* (*c*) *recte docet* (*mitto enim iracundas Launoyi adversus Valesium hac super re dissertationes*) : *malo nihil asserere, quam errandi periculum temere adire. Ast anno* 848 *certe* monasterium *dicebatur, ut constat ex Adhemari Cabanensis Chronico ; quod ita apud Labbeum nostrum* (*d*) *sonat :* Josfredus vero thesaurarius nolens relinquere sæculum, conductus a Stodilo episcopo monasterium Sancti Juniani, et ecclesiam Cairoensem deprædatione et malo ingenio a jure et dominatione Sancti Martialis subripuit. *Quod Gaufredus Vosiensis* (*e*) *confirmat. Cum autem Adhemarus Chronicum suum sesqui sæculo post annum* 848 *scripserit, liquet item ex allegato loco antiquissimis temporibus sancti* Juniani *nomen huic adhæsisse monasterio quod male Gallia Christiana* (*f*) *a* S. Amando *quoque agnominavit.*

cujus varia fuerunt fata.

33 *Paulo post hunc annum a Danis seu Normannis destructum fuit id cœnobium, ut iterum Gallia Christiana* (*g*) *et Labiche de Reignefort* (*h*) *perhibent; sed circa annum* 880, *iisdem testibus, fuit resarcitum ;* quod quidem, *ut pergit Gallia Christiana* (*i*), a fine decimi sæculi non nisi præpositura fuit, sed regularis, ad annum ut videtur 1150; *quo fere tempore* varias ecclesias legimus datas ecclesiæ S. Andreæ et S. Juniani (*k*). *Primum autem regularem præpositum, sanctitate sua* C *celebrem, Beatum Israelem fuisse tradit canonicus Collinus in Vita, quam ex veteribus Doratensis et San-Junianensis ecclesiarum monumentis collegit, quamque in abbatia Stirpensi olim asservatam fuisse testatur Gallia Christiana* (*l*). *Hic autem et ecclesiam Commodoliacensem seu SS. Andreæ et* Juniani *restauravit, ut idem Collinus auctor est ; quæ restauratio ante annum* 1014 *incepta et promota fuerit oportet, quoniam* de exilio ad hæreditatem felicem S. Israelis animam undecimo kalendas Januarii anno Domini millesimo decimo quarto transtulit *Deus, ut loquitur ejus apud Labbeum biographus* (*m*). *Idem vero templum die* XXI *Octobris anno* 1102, *ut vult R. D. Labiche de Reignefort* (*n*), *a Reginaldo Petragoricensi episcopo, simul trium Sanctorum Reliquias transferente, consecratum accepimus ex Gallia Christiana* (*o*).

34 *Sæculo vero sequenti, ante annum* 1240 *absolutum nondum fuisse templum, quod sæculo undecimo ineunte jam instaurabatur, ex Collino cum aliis adjunctis resciri potest; hæc fere ipse habet :* Tempore præpositi Durandi Orliacensis magnum fastigium (*pignon*) et fornix quæ S. Juniani tumulum obtegit nondum exstabat, et operarii in extruenda majori fenestra, quæ rosam imitata, rosæ nomine gaudet et orientem excipit solem, occupati erant. Languebat et tepescebat opus : quocirca cum canonicus Itherius ad maturandam fabricam fuisset missus, vento aut dæmone propellente, ab alto tabulato cecidit in lapidum atque trabium acervum. Omnis vulneris fuit expers ; quod S. Juniano, quem devote colebat, in acceptis relatum est. *Pluribus dein narrat Collinus duodecim viros albis indutos vestibus tempore nocturnorum hujus Itherii funerum apparuisse, atque æstimatum esse inter hos fuisse* S. Junianum. *Quæ ipse descripsit, ut initio testatur, e veteribus Mss. codicibus ; verum unica codicum vetustas fidem non imperat.*

Cum sæculo XIII *templum augeretur, miraculo illustratum dicitur,*

D

E

35 *R. D. Labiche de Reignefort* (*p*) *alia duo refert beneficia, quæ S. Juniano adscribi solent. Prius a se depromptum declarat ex scripto testis oculati, qui quadriennio post memoriæ istud tradiderat. Anno scilicet* 1312 *die Dominica quadam post decantatum Completorium, decidit fulmen in sancti* Juniani *templum, præsentesque humi prostravit, quin tamen ullum læserit, et mediam circiter horam quindecim fere pedibus supra pavimentum hæsit in aere meteorum; cujus tamen rei adjuncta, si accuratius innotescerent, fieri forsan posset, ut, quod olim dictum est miraculum, ex cognitis naturæ legibus explicaretur.*

et alio prodigio anno 1312.

S. Juniano *patrocinante, servatur oppidum.*

36 *Subdit R. D. Labiche* (*q*) *alterum beneficium, quod divinitus, intercedente sancto* Juniano, *sibi collatum existimavere incolæ. Anno enim* 1587 *cum in eo essent Calviniani Galli, ut sancti* Juniani *oppido astu potirentur, modo tam mirabili detecti sunt, ut persuasum fuerit omnibus, id sui patroni auxilio fuisse factum, et in omne ævum annuam instituerint supplicationem publicam, qua servatori suo grates referrent, quamque etiamnum celebrari arbitratur memoratus Lemovicensis hagiographus. Atque hæc de* S. Juniani *patrocinio.*

F

Quæ edenda videtur Vita.

37 *Cum officium ritus duplicis, quod Breviario Lemovicensi anni* 1625 *insertum est, non secus ac vetustum quod San-Junianenses canonici in festo* S. Juniani *usurpabant, mera synopsis sit Vitæ edendæ atque peculiarem formam non habeat, typis illud credere supersedeo. Eadem de causa omitto Vitam a Bernardo Guidonis conscriptam, quam videat lector apud Gononum in Vitis Patrum eremitarum Orientis et Occidentis* (*r*). *Prætereo quoque Vitam ampliorem, de qua num.* 14, 27, 28 *potissimum dictum est. Satius fore videtur hac antiquiorem, et proin ad sæculum* VII *aut saltem* VIII *referendam, e codice Cluniacensi descriptam post S. Amandi Vitam aut Officium prælo subjicere.*

(*a*) Tom. II, p. 552. — (*b*) Launoyus Oper. omn., tom. II, part. I, p. 191. — (*c*) Denkwürdigk. der katolisch. kirche, t. IV, part. I, p. 25. — (*d*) Bibl. nov. Mss., tom II, p. 161. — (*e*) Ibid. p. 285 et 312. — (*f*) T. II, col. 552. — (*g*) Ibid. — (*h*) Six mois de Vies, etc., p. 236. — (*i*) Tom. II, col. 553. — (*k*) Ibid., col. 552. — (*l*) Ibid., col. 551. — (*m*) Bibl. nov. Mss., tom. II, col. 567. — (*n*) Six mois de Vies de SS., etc., p. 237. — (*o*) Tom. II, col. 549. — (*p*) Six mois de Vies de SS., etc. p. 236 et seq. — (*q*) Loco citato. — (*r*) p. 208.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

OFFICIUM S. AMANDI

Complectens ejus vitam et Reliquiarum translationem.

Ex traditionibus Mss. Ecclesiæ S. Juniani Commodoliacensis.

Omnia dicuntur de communi Confessoris non Pontificis, exceptis propriis quæ sequuntur.

In primis et secundis vesperis et laudibus, antiphonæ :

Vitæ synopsis,

I. Amandus est nominatus,
Amans Deum et amatus
Per populum quem docuit *a*,
a Et a Christo quem coluit.
II. In lapide, qui est Christus,
Fundaverat fidem suam,
B Et in eo semper vixit,
Et finivit vitam suam.
III. Dum Amandus ab hoc mundo
Feliciter exspiravit,
Ejus corpus Junianus
Juxta petram tumulavit.
IV. Beati corpus Amandi
b Et ejus Reliquiæ *b*
Sunt inventæ per Ramnulphum
Die quartæ feriæ.
V. In cœlis est elevatus
Amandus, et laureatus
A Christo, cujus amore
Nitido vixit corpore.

Capitulum : Beatus vir qui inventus est, *etc.*

2 Hymnus :

in qua præcipua S. Amandi gesta,

Gaude tellus illustrata
Amandi virtutibus ;
Cujus vita, geminata
Luce, fulsit actibus
Gloriosis venustata,
Et honoris moribus.
Cuncta pro te resignavit,
Christe ; solitariam
C Vitam ducens, aspiravit
Ad cœlestem patriam ;
Sprevit, fugit, reprobavit
Hujus mundi gloriam.
Hunc magistrum et rectorem
Junianus habuit,
Cujus vitam et nitorem
Morum sequi voluit ;
Quem sequendo sic honorem
Immortalem meruit.
Te pie nostra precatur
Hæc, Amande, concio,
Ut a malis eruatur,
Et tecum palatio
In cœlesti perfruatur
Sempiterno gaudio.
Sit laus Patri, sit laus Nato,
Sanctoque Spiritui,
Quorum Amandus beato
Deservivit nutui ;
Et præmio tam optato
Promeretur perfrui. Amen.

℣ Ora pro nobis, Sancte Amande, *etc.*

Ad magnificat antiphona :

Magnificet Ecclesia
Amandi prodigia.
D De quo cœli curia
Gaudet cum lætitia.

Oratio : Omnipotens sempiterne Deus, qui Beato Amando Confessori tuo, in hujus mundi eremo contra fraudes dæmoniacas decertanti, victoriæ palmam in cœlestibus contulisti, fac nos in fide Christi sic esse stabiles, ut, contra hostiles nequitias pugnaturi, simus in adversis victores. Per, *etc.*

3 Ad matutinum, invitatorium : Laudemus regem cœlorum, qui corona laureavit Amandum, et collocavit inter choros Angelorum. ps. Venite, *etc.* Hymnus : Iste Confessor, *etc.* *ejus detectio*

Antiphonæ ad primum nocturnum :

I. Beatus Amandus in viis
Peccatorum non adfuit,
Sed vivere in eremo
Secus Vigennam voluit.
II. Pastores obstupuerunt,
Dum Amandum invenerunt
Inter rupes habitare
In eremo sine lare.
III. Præsuli Lemovicensi
Roricio retulerunt *c*, *c*
E Quàliter Sanctum Amandum
In eremo invenerunt.

℣ Amavit eum Dominus, *etc.* Lectiones primi nocturni *per totam octavam semper sumuntur de scriptura occurrente quando fit de octava.*

4 Responsoria primi nocturni lectionum :

I. Locus, ubi conversatur, *cellæ ædificatio*
Commodoliacus vocatur,
Inter rupes positus
Juxta Vigennæ litus.

℣. Et factus est in pace locus ejus et habitatio ejus juxta Vigennæ litus.

II. Roricius cellam ibi
Præcepit ædificari,
In qua Beatus Amandus
Posset Deum venerari,
Et vivere corde mundo
Segregatus ab hoc mundo.

℣. Quoniam vir Sanctus elegit eam in habitationem sibi, segregatus ab hoc mundo.

III. Vir Amandus eremita,
Tentabatur in hac vita
Ut Deum respueret,
Et idola *d* coleret. *d*

℣. Inimici Domini mentiti sunt ei, ut Deum F respueret et idola coleret.

5 Antiphonæ in secundo nocturno :

I. Cum Amandus invocaret *et S. Juniani adventus exponitur.*
Ut dæmonem captivaret,
Jesum Christum *, quem quæsivit, * Jesus Christus
Ipsum statim exaudivit.
II. Cellæ portam propulsavit
Junianus et clamavit :
Percipe, Sancte Amande,
Verba mea et intende.
III. Ego vocor Junianus,
Verus Dei Christianus
Qui destruo pugnatorem
Inimicum et ultorem.

℣. Os justi meditabitur, *etc.*

6 Prima lectio secundi nocturni : Beatus Amandus ex nobili ortus prosapia, mundi hujus contemptor, servire Deo cupiens ad rupes vici hujus, cui nomen Commodoliacus, nunc vero urbs S. Juniani vocatur, supra Vigennam fluvium declinavit, et inter ipsas rupes per plura temporum curricula sub spelunca quadam solitariam vitam *Quibus breviter repetitis,*

ducens

A ducens repertus est a pastoribus, qui Sancto Roricio Lemovicensi episcopo nuntiaverunt. Ipse vero episcopus ibidem cellulam vix triginta virorum intrantium capacem, tamen Sancto Dei multum amplam construi fecit; et in ea postea fuit habitator cum eo Sanctissimus Junianus comitis Cameracensis *e* filius, qui Sanctum Amandum adversus tentationes dæmoniacas taliter confortavit, quod ipsi ambo dæmones cum suis versutiis devicerunt. Tandem elapsis annis plurimis Beatus Amandus ad Christum Dominum feliciter transmigravit, corpusque ejus intra rupem ipsam pro ipsius corporis magnitudine excisam Beatus Junianus propriis manibus tumulavit. Adhuc tamen etiam per quam plurima et infinita tempora post felicem transitum Sancti Juniani, locus ubi Beatus Amandus sepultus fuerat, et ubi corpus ejus exstiterat, nullatenus sciebatur; sed Dei providentia, quæ mirificat Sanctos suos, refulgens per opera, Hubo * abbas Cluniacensis cœnobii, vir magnæ sanctitatis, qui quam plurima monasteria * suum monasterium *f* almi Apostoli Martialis Lemovicis ex suscepto officio visitavit, completisque ibi paucis diebus, visitationis causa B consimili ad cœnobium Sancti Joannis de Angeriaco *g* descendens, fecit per vicum hujusmodi iter suum. — Tu autem, *etc.* RESPONSORIUM :

Cumque Sanctum Junianum
Vir Amandus recepisset,
Et ipsum in fide nostra
Firmiter edocuisset,
Tandem spiritum Amandus
Redemptori reddidit;
Cujus corpus sepulturæ
Junianus tradidit.

℣. Dominus in cœlo paravit sedem suam, cujus corpus, *etc.*

7 LECTIO SECUNDA : Et ibidem a fratribus Canonicis basilicæ S. Juniani fuit, prout decuit, hospitatus. Huic autem abbati inter cætera virtutum dona mos erat, ut sibi legerentur *h* verba divina novi et veteris Testamenti dum comedebat; qui dum sederet ad mensam, comperto quod Vita Sancti Juniani in sua basilica haberetur, fecit eam sibi ad mensam cito afferri; quæ cum loco Bibliæ legeretur, audiretque abbas in ea narrari pauca de vita et doctrina Beati Amandi C petiit statim a fratribus ad mensam secum consedentibus, ubi corpus S. Amandi quiescere diceretur; et illis respondentibus, quod ejus tumulum ignorabant, neque corpus ipsius habebant, abbas ipse una cum ipsis fratribus facta comestione perrexit ad locum *i*, ubi cella exstiterat, sed jam diruta erat ex sui * nimia vetustate. Ipso autem loco per eumdem abbatem undique circumspecto, abbas ipse fratres ipsos charitative admonuit, ut locum ipsum tantorum habitatione Sanctorum venerabilem corde puro, devote, ac sæpissime visitarent, ibique oratorium construerent, in quo possent divina officia celebrare. Die vero sequenti abbas ipse cum suis monachis ad Angeriacum arripuit iter suum; Canonici tamen præfati basilicæ Sancti Juniani ad audienda præfata Hugonis monita aures proprias obturantes, oratorium facere nexerunt *. Tandem post lapsum alicujus temporis, idem abbas est a principe Pictaviensium *k* revocatus, ut monasterium quod ipse abbas ad honorem Sancti Joannis Euangelistæ in Pictaviensi suburbio construxerat, eidem principi dotandum traderet sub certo numero monachorum serviendum. — Tu autem, *etc.* RESPONSORIUM :

Hugo Abbas Cluniaci,
Commodoliacum petens,
Et ibi Sancti Amandi D
Vitam beatam audiens,
Statim esse construendam
Basilicam disposuit,
Ubi Beatus Amandus
Suam cellulam habuit.

℣. Quoniam illis mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum, ubi Beatus Amandus, *etc.*

8 LECTIO TERTIA : Qui abbas faciens iterum iter suum per vicum prædictum, cui nomen Commodoliacus, et ab ipsis fratribus ibidem hospitatus, petiit ab eis an oratorium præfatum construxissent; et comperto quod nihil fecerant, de nimia negligentia increpavit. Sequenti vero die idem abbas iter arripiens petiit ab Amelio basilicæ Sancti Juniani præposito, et Ramnulpho ejus canonico sese duci ad cellulam memoratam; et monachis, quos abbas ipse secum ducebat, injunxit, ut parum ante eum procederent ulterius, contentus ad præsens ipsorum Ramnulphi et Amelii comitatu, et ostensa est sibi ab ipsis canonicis rupes et cellæ locus, in qua Sancti Juniani et Sancti Amandi fuerat incolatus. Abbas vero hujus vitæ actualis tædiosus, volens in Domino contemplari, ipsos canonicos instantissime requisivit, ut permitterent eum sub rupe suam vitam ducere et finire; sed ipse abbas ab eis prohibitus exinde recessit lacrymando. Ramnulphus, tunc eodem desiderio accensus, apud se considerans quomodo ipse abbas, qui de extremis partibus magno spiritus fervore ducebatur ad præfatum templum construendum, facere illud decrevit. Idem Ramnulphus et Geraldus canonicus, jejunio triduano peracto, sub arbore, quæ excrevit ad caput Sancti Amandi, circumfodientes, corpus ipsum invenerunt Sancti Amandi *l*; et transtulerunt juxta thecam Sancti Juniani quarta feria, ita quod omnes languentes ad sepulcrum confluentes sanitatis beneficium receperunt. Inter quos Petrus levita, febris flamma cruciatus, cum sub arbore Sancti Amandi dormivisset, a somno excitatus, statim sanus factus abiit, ac præterea cæci visum, dementes rationem, muti locutionem, claudi ambulandi facultatem obtinuerunt. — Tu autem, *etc.* RESPONSORIUM :

Canonicis supradictis
Recedens Hugo prædixit,
In cella Sancti Amandi F
In qua ipse diu vixit,
Esse brevi ecclesiam
In ejusdem memoriam.

℣. Adorabitis in loco ubi steterunt pedes ejus. Esse brevi ecclesiam, *etc,*

9 ANTIPHONÆ IN TERTIO NOCTURNO :

I Cum ad Commodoliacum
Præfatus Abbas revenit
Nec aliquid de capella
Esse factum adinvenit.
II Tunc canonicus Ramnulphus
Promisit Amandi corpus
In ejus cella quærere
Et capellam construere.
III Antequam corpus quæreret
Triduum hic jejunavit,
Etin Sancti Juniani
Altari missam cantavit.

℣. Lex Dei, *etc.* Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum : In illo tempore dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus, *etc.* Homilia Ven. Bedæ, *ut in quinta die infra octavam Apostolorum Petri et Pauli.* RESPONSORIA :

I Petrus levita phisicus
Ramnulphi concanonicus
Febris flamma cruciatus

Super

Reliquiæ detectæ et translatæ fuerint;

quæ translatio

* phthisicus

A Super arbore dormiit,
Et a somno excitatus
Sanus factus abiit.

℣. Ab eo qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum : ℟. Et a somno excitatus, *etc.*

II In tumuli apertione
Et corporis inventione
Ex membris Sancti Amandi
Confessoris venerandi
Tantus odor emanavit
Quod omnes vere languentes
Ad sepulcrum confluentes
Sospitati restauravit.

℣. A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. ℟. Quod omnes vere languentes, *etc.* Gloria. Quod omnes.

— *Antiphonæ ad Laudes ut in primis Vesperis.* —

℣. Ora pro nobis Beate Amande, *etc.*

10 Hymnus :

versiculis hic
Amandi, puris mentibus,
Celebremus solemnia ;
Cujus doctrina, moribus,
Fide vernat Ecclesia.

B Hic derelictis omnibus,
Sequens Christi vestigia,
Totis mentis conatibus
Appetiit cœlestia.
Huic in solitudine
Est Junianus socius,
Qui, duplicato lumine,
Juncti fulsere clarius.
Amande, vir amabilis,
Nostrum serva collegium *m* ;
m Laus nostra favorabilis
Sit nobis et obsequium.
Pari laudemus gloria
Patrem, Natum, Paraclitum,
Quorum Amandus gratia
Omne cavit illicitum.

— *Versus ut supra.* —

ornatur. 11 Ad benedictus antiphona :
u Hodie *n* canonicorum
Devotio ac sanctæ manus
Sanctum corpus invenerunt
Amandi, et transtulerunt
Juxta thecam, in qua jacet
Sanctissimus Junianus.

C — *In secundis Vesperis omnia ut in primis, excepta* antiphona ad magnificat :
In loco, in quo erat Beatus
Amandus erat humatus
o Facta est ecclesia *o* :
Per cujus suffragia
Datur ibi cæcis visus,
Et redditur mœstis risus,
Languentibus sanitas,
Et claudis stabilitas,
Dementibus ratio
Et mutis locutio.

ANNOTATA.

a *Cum* S. Amandus *suum nomen a populo, quem docuit, adeptus dicatur, frustra quis ex latino nomine* Amando *argueret eum Hungarum non fuisse. Vide Commentarium num.* 9, *ubi hanc traditionem evolutam invenire est. S. Ruricius senior, scribens ad Cerauniam* (*a*), *meminit alicujus Amandi, Cerauniæ servi. At nihil ibi, quod ad* S. Amandum *nostrum* D *deflecti possit : liquet itaque inde tantum, nomen istud in agro Lemovicensi singulare non fuisse.*

b *Hujus inventionis tempus diem* xxvi *Augusti anni* 1075 *fuisse num.* 19 *Commentarii ostendimus. Loco* Ramnulphi, *alii* Rabulphum *scribunt, sed minus bene.*

c *S. Ruricium seniorem episcopum Lemovicensem hic designari in Commentario num.* 12 *traditum fuit. Hæc detectio ante annum circiter* 490 *referenda est.*

d Idola *forsitan metaphorice dicuntur loco* malarum cupiditatum. *Sic apostolus dixit :* quorum Deus venter est.

e *Id minus affirmative in* S. Juniani *Vita traditur.*

f *In Gallia Christiana* (*b*) *legi potest instrumentum, quo Ademarus, vicecomes Lemovicensis, anno* 1062 *S. Hugoni tradit monasterium S. Martialis Lemovicensis. Quod vero S. Martialis Apostolus hic dicitur, innititur vulgatissimæ Lemovicensi et Burdigacensi traditioni. Edidit Labbeus* (*c*) *concilium Lemovicense anno* 1031 *celebratum, in quo a pluribus S. Martialis* primus Apostolorum *declaratur. Quid de universa hac traditione sentiendum sit, satis superque notum est. Vide Commentarium* E *prævium in Vitam S. Martialis* (*d*).

g *Jacebat hoc monasterium in diœcesi Santonensi ; plura de eo videsis in Gallia Christiana* (*e*).

h *Ex hac animadversione intelligitur usum hunc id temporis non obtinuisse in cœnobio San-Junianensi ; contra in tota Vita S. Hugonis nullum forte invenies actum, qui præclarius ejus regularem observantiam significet. De hoc vero usu, quem graviter in sua regula commendavit S. Benedictus, et ultimis sæculis cleri receperunt, videndus est Haeftenus in suis Disquisitionibus monasticis* (*f*), *historice et moraliter caput aut regulam* De lectore *commentans. Quas peculiares consuetudines circa lectionem ad mensam usurparent Cluniacenses, discere licet ex statutis et consuetudinibus Ordinis Cluniacensis cap.* xxxviii. *Ordo, vero quem S. Hugo in audienda lectione Commodoliaci servavit, regulæ sic sonanti conformis fere est :* In lectione quæ fit ad mensam hic servetur ordo. In primis legatur Scriptura sacra veteris ac novi Testamenti, cui succedat aliquis commentarius in sacram Scripturam, vel libri ecclesiasticæ historiæ. Deinde legantur Vitæ Sanctorum, vel aliqui libri pii in vulgari, quos jusserit superior. F

i *Cum S. Hugo recta ad antrum, priorem* S. Amandi *habitationem, perrexerit, nonnihil verisimile fit, ipsi innotuisse veteres eremitas sæpius in suis cellulis sepultos fuisse. Et quidem in hoc uno præsenti volumine, habemus S. Leonardum, de quo in sua Vita legitur* (*g*) : Sepultus est in supradicta (*sua*) cella a Sancto Domnolo antedicto episcopo ; *item S. Gallum abbatem, et S. Vitalem eremitam, suis in cellulis sepultos, inferius videbimus. Mirum est itaque nihil de eremitica hac disciplina tradi a R. D. Antonio Binterim in Memorabilibus Ecclesiæ Catholicæ* (*h*), *a Joanne Augusti in opere de Archeologia Christiana, ab Spondano in Cœmeteriis Christianorum, a Franzenio in commentatione de Funeribus Christianorum, a Cangio in Glossario, a Martennio in opere de antiquis Ecclesiæ Ritibus, ab Haefteno in Disquisitionibus monasticis aliisque compluribus, quos de monachorum vel Christianorum funeribus disserere cognovi. Origo autem eremitici hujus ritus explicari videtur in veteribus Camaldulensium Constitutionibus, quas Helyot* (*k*)

(*a*) Lib. II, epist. xlix, in Lectionib. Antiq. Canisii, edit. Basnage, tom. I, p. 403. — (*b*) Tom. II, col. 179. — (*c*) Bibl. nov. Mss., tom. II, p. 766. — (*d*) Act. SS. ad xxx Junii. p. 535. — (*e*) T. II, col. 1096. — (*f*) p. 893. — (*g*) p. 48, n. 6, — (*h*) Denkw. der katol. kirche, tom. VI, part. III. — (*i*) Handbuch der Christl. archaol., t. III, c. XII. — (*k*) Hist. des Ordres Relig., t. V, p. 248.

A *primum conditas fuisse asserit a B. Rodulpho anno* 1102. *Verum Mittarelli et Costadoni e Camaldulensium Ordine, scriptores insignis vastissimique operis Annalium Camaldulensium, ediderunt* (*a*) *Constitutiones anno* 1080 *a B. Rodulpho scriptas, alterasque* (*b*) *confectas anno* 1085. *Porro in prioribus cap.* XXX *præscribitur, ut si quis Camaldulensis in loco de Fonte-bono* obierit, ad eremum sepeliendus deferatur. Justum est enim ut habeat sepulcrum suæ migrationis, ubi habitaculum habuit solitariæ sanctitatis. *In posterioribus* (*c*) *idem præscribitur, et eadem datur ratio.*

k *Quo tempore hæc facta sint, num.* 19 *Commentarii expositum fuit.*

l *Circa hanc inventionem nonnihil diversus est ab hac narratione Collinus, miraculis et visionibus ultra modum abundare gaudens. Hæc prætermittere lubet. Quare vero idem Collinus Amelium præpositum omittat, et Ramnulpho præpositurum assignet, non mihi patet.*

m *De hoc canonicorum collegio plura habet Gallia Christiana* (*d*).

n *Legesis quæ de hoc tempore num.* 18 *Commentarii prævii deducta sunt.*

B o *De hac ecclesia dictum est num.* 19.

VITA SANCTI JUNIANI

Monachi et Confessoris.

Ex Ms. Codice Cluniacensi.

PROLOGUS.

Utilitas vitarum Sanctorum, a

Quoties ad narrandas virtutes Sanctorum cuiuslibet mens insonare voluerit, primitus de toto cordis adnisu eorum habitatorem *a* debet obnoxia et humili prece deposcere ; ut qui illis contulit virtutum abundantiam vel triumphum, nobis famulis suis ad eas narrandum vires tribuat, unde fidelium corda ad imitandum eorum opera fidelius accendantur ; cum constet quod ad amorem cœlestis patriæ, non minus exemplis bonorum operum, quam prædicationis verbo animæ excitentur : ideoque dum de Sancti viri Juniani vita vel conversatione nobis sermo exoritur primum omnium qualiter vel quibus rebus ejus conversio ad Dei Omnipotentis notitiam cœpit excrescere, ponatur exordium.

C

ANNOTATA.

a *Hæc, nisi ad verbum saltem quoad sententiam, hausta sunt ex prologo Vitæ S. Hilarionis, conscripta a S. Hieronymo. Vitæ ampliori, quam sæpius in Commentario laudavi, deest omnis prologus.*

VITA

Tempore Chlodovæi regis Francorum a b c

Cum valde in Galliarum vel Aquitaniæ provinciæ terminis sæva sub Gothorum rege Alarico *a* principe Ariana hæresis sectaretur, *b* et Francorum gens eo tempore gentilitatis teneretur errore, prædicante S. Remigio *c* Remensis urbis episcopo, Clodovæus rex Francorum cum multa gentilium turba superstitiosa ac funesta ad baptismi gratiam convolavit ; qui mox cunctam gentem Francorum ad baptismatis partem exhortari ut sub leve jugum Christi fortia colla dulci onere delegarent* ; qui mox, cum sacerdotibus *d* Christi præeunte gratia inito consilio, ut gens hæretica a Christianorum repelleretur dominatu, bellum cum supra dicto rege Alarico in Pictavorum terminis *e* indidit ; moxque divino fultus auxilio, Arianorum interfecto principe cum suis satellitibus, a Galliarum atque Aquitanorum finibus ejus superstitionis abstulit * dogma, et cunctis unius veræ fidei Christianæ catholicæ religionis instituit disciplinis.

D

* *Vita amplior* delegaret *d*

e

* *Vit. amp.* sustulit

3 Sub eo fere tempore vir nobilis Amandus nomine, illustris *f* ortus natalibus, Euangelii non surdus auditor, relictis omnibus, in vastæ solitudinis *g* agro cujusdam viri nobilissimi sanctæ memoriæ Ruricii *h* Pontificis, cujus nominis vocabulum Commodoliacus dicitur, sibi haud grande tuguriolum, in quo remotiorem vitam duceret, visus est construxisse. Sed cum in eodem loco vitam virtutibus plenam duceret, ibi a pastoribus reperitur. Mox ut ad prædicti agri dominum ejus fama se intulit, pro opportunitate prædicti viri cellulam parvulam ei construi jussit : in qua cum solitariam vitam duceret, antiqui hostis certamina, ut fertur, non modica toleravit.

S. Amandus *factus est eremita in agro Lemovicensi; f g h*

E

4 Tunc prædictus religiosus puer Junianus, relictis parentibus, hoc modo canere * cupiens, ut ab æternæ patriæ hæreditate minime privaretur, et prædicti viri Amandi institutis se Christi notitiæ commendare cupiens, ejus fores pulsare, ut sibi aperiretur, cœpit. Ad quas fores cum cognovisset eum esse, vir Dei æstimans ne illusio aut tentatio diabolica adfuisset, aliquandiu *i* se sub silentio dedit, nec tamen mox ei patefecit ingressum, donec probaret cujus rei causa prædictus venerabilis puer ad ejus cellulam accessisset. Sed agnitione comperta, mox eum cum gaudio suscepit, ac viam salutis ostendit. Quare Junianus tanta in humilitate tantaque sanctitate, opitulante Domini misericordia, excrevisse noscitur, ut non solum magistri imitator existeret, sed etiam amore divino succensus magistri vitam virtutemque succenderet *k*. Igitur iisdem diebus cum hujus Amandi obitus appropinquaret, felici decessu migravit ad Dominum ; multos tamen, ut fertur, suo salvavit exemplo.

cui magistro S. Junianus *se credidit ;* * *Ex vita amp.* currere

i

k

F

5 Post cujus obitum prædictus venerabilis vir Junianus in ejus cellula longo spatio temporis solitariam vitam duxit, cumque multis virtutibus polleret, quodam tempore coluber miræ magnitudinis *l* juxta ejus cellulam apparuit. Quo dum multi ob sanandos diversorum morborum incursus ad prædicti viri cellulam et commendandos se in ejus orationibus desiderarent accedere, a prædicta immani bestia lacerarentur, et non solum homines, sed etiam et pecora, quæ contingere poterat, sua sævitia devastabat. Conjuncti in unius * e vicinis locis uterque sexus hominum, prædictum Dei famulum deprecabantur, ut hanc bestiam suis orationibus ab eorum finibus depelleret, ne amplius in loco dispendia generaret, et eis præberet aditum, qualiter ad suam cellulam liberius haberent accessum. Quorum compulsus orationibus, vir Dei Spiritus Sancti fretus auxilio, cum hanc immanem bestiam de habitaculo suo prospiceret procedentem, extensa dextera vexillum crucis adversus eam opposuit, præci-

Mortuo magistro, S. Junianus *fugat horrendum colubrum, l*

* *lege* unum

(*a*) Tom. III, Append., col. 512. — (*b*) Ibid., col. 542. — (*c*) Ibid., col. 546. — (*d*) Tom. II, p. 552.

piens

A piens in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut in eisdem locis ulterius habitare non præsumeret, nec malum cuiquam ingereret, antequam in maris pelagus cursum arriperet. Qui mox ad viri Dei imperium, multis cernentibus, relicto suo
m habitaculo, de eodem loco discessit, et per Pictavorum territorium *m* usque ad maris Oceani fluctus est ingressus. Prima itaque sanctissimi viri Juniani virtutum hæc materia vel testimonium fuit.

ope miraculosæ aquæ pestem sedat; *n* 6 Ut autem adsolet delicta populi ultio divina subsequi, eo tempore in Pictavorum finibus gravis pestilentiæ *n* clades multam partem ejusdem populi noscitur consumpsisse : nam cum prædicta plebs se cerneret interire et sæpe dicti Juniani opinio longe lateque tenderetur, multi se hoc videntes interire periculo, ad prædicti viri conveniunt cellulam, petentes ut eis aquam, quæ ei
* *deest* gratia Domini* fuerat collata, benedictam traderet, per quam imminens periculum ejus orationibus evaderent. Qui mox eisdem respondit, aliam se non habere aquam, nisi quam vicinus amnis, cujus nomen Vicenna dicitur, ministraret. Sed cum illi
B persistentes peterent, et prædictus vir jejuniis et orationibus ac vigiliis suum corpusculum fatigaret, mane exorto lucis crepusculo, vidit in
o sua cella *o* ex rupis latere aquam uberius fundi, quam vir Dei cum gratiarum actione hauriens, et omnipotenti Domino benedicens, populo petenti detulit. Quibus ex fide suscipientibus, omnes qui ex eadem aqua suxerunt, suprascriptæ mortis periculum evaserunt ; et illis ex ipsa aqua secum in suis regionibus deferentibus, quanti ex ipsa potum contigerunt, universi salutis gratiam receperunt ; et supradicti viri virtutibus ac orationibus subvenientibus, per omnipotentis Domini gratiam et misericordiam a suprascripto populo hæc pestilentiæ clades abscessit ; et multi ad ejus cellulam venientes sanitatis gratiam receperunt ; plures autem procul positi ab ea clade per sancti viri benedictionem sanitati pristinæ sunt restituti : nec dubitari potest ejus fuisse miraculum, qui olim antiquo populo, in eremo ob sitis inopiam clamitanti, aquam ex saxo protulit, unde ut tunc Israeliticus populus sumeret potius affluentem, et nunc famuli sui Juniani precibus ad diluendam morbi rabiem pro salute supradicti
C populi fons manaret ad gratiam.

diabolum, conatum igni se vincere, deturbat in Vigennam, 7 Sed cum sæpe Sanctorum miracula invidi diaboli rabies vult insequi, et providentia divinæ misericordiæ quantum vult facere non permittitur, dum quadam die prædictus vir sanctus infra suam cellulam solitariam vitam duceret, et ad calefaciendum suum corpusculum ante prunas resideret, mox antiquus hostis cum violenti impetu ruens, ejusdem viri sancti membra in ipsis projecit incendiis ; sed non defuit divinum auxilium ad liberandum quem diaboli tentatio arripuerat ad perdendum. Mox quippe divino liberatus servitio * Sanctus vir ipsam cruentam bestiam, dum cellula ejus super saxum adesset,
* *forte* auxilio
p præcipitem *p* a vertice montis per ejusdem latus in amnem Vincennam visus est demersisse, et qui antiqui quondam sui populi hostis cum curribus et equitibus et quadrigis dimersis in mare profundum, nunc per suum auxilium prædicti sui famuli Juniani hostem diabolicum dimersit in amnem et qui se in initio suæ creaturæ contra ipsum auctorem vitæ, creatorem omnium Deum, voluit præponi, nunc etiam famulum Dei Junianum conatus est per suam prosternere malitiam ; sed ab ipso potius victus atque prostratus est.

8 Postquam vero se ereptum Dei omnipotentis misericordia callidi hostis tentationibus intellexit, etiam divino fretus auxilio aliorum infirmitatibus compatiens, multos suis sanavit precibus *q*. Nam eodem tempore cæcus quidam ad eumdem veniens, Sancti viri deprecabatur obtutus, ut dum lumen oculorum amisset, orationibus ejus mereretur cæcitatis tenebras amittere, et oculorum recipere sanitatem. Sed cum per biduum orationi fuisset intentus, die tertio claram se lucem, auctore Domino, visus est restituisse. Nec multo post alius etiam qui claudus et surdus esse videbatur, ad hujus Sancti viri defertur cellulam, deprecans ut qui cæco lumen reddiderat, ei gressum et auditum suis redderet precibus. Sed Sanctus vir orationem fundens ad Dominum, post aliquot dies cum reverteretur, exhortatur dicens ei, quod si fide intemerata maneret in Domino, non ambigeret recipere sanitatem ; factumque est, dum infirmus gressibus vellet ad propria ex jussu hominis Dei remeare, ab utraque infirmitate solutus et ambulandi vires et audiendi recepit effectum. Quanti etiam ejus orationibus ab immundis spiritibus liberati, et quanti dæmones ex obsessis corporibus ejus sunt fugati E orationibus, longius esset enarrare per ordinem.

D *cæcum, et alterum claudum et surdum sanat;* *q*

Ruricium juniorem, postea episcopum, liberat a legione dæmonum. 9 Quidam autem eodem tempore illustris ortus natalibus, vir nobilis Ruricius, qui alio nomine Proculus vocabatur, rerum ditatus affluentiis, dum in superbiæ fastu fuisset elatus, non immerito Dei omnipotentis dispensante judicio, ei traditur qui se in superbiam primus extulerat. Humiliatus sensit quantum tumidus amisisset ; sed cum per medicos ac etiam, quod gravius est, per maleficos ac præcantatores a suis fidelibus etiam et a propriis vernaculis disceretur *r*, par- *r*
temque substantiæ suæ per tales consumpsisset, qui etiam dum sanitati eum vellent restituere gravius persequentes, dum ab eo uno vellent ejicere, mox, ut fertur, legio in eum ingressa est dæmonum. Sed cum a pluribus acrius exagitaretur, quid etiam sui agerent, ad se reversi cogitare cœperunt, scilicet ut eum ad sancti viri Juniani cellulam perducerent, ut qui ante a medicis curari non poterat, sancti Viri orationibus sanaretur. Salubri igitur consilio inito, ad hominem Dei pergitur : hoc tantum vir Dei hortabatur, ut jejuniis et orationibus ac vigiliis insisteret et eleemosynas de sua substantia largas pau- F
peribus erogaret, quia hoc genus dæmonum aliter non potest vinci, juxta quod etiam Domini nostri Jesu Christi sententiam prolatam confirmabat ; sed cum ipse multas efferret pecunias ut a tanto hoste mereretur curari, hoc sanctus vir protulit in responsis, quod non erat justum, qui sua propter Deum sponte reliquerat, ut aliorum opibus ditaretur ; sed quod sibi offerebatur, hoc in pauperum substantiam erogaret, quia ipse eum potens erat a tanto hoste eripere, qui ex egrediente dæmoniaco homine legionem pepulerat, et in porcos ire permiserat. Sed cum diutius fuisset oratum et pro ejus sanitate multis jejuniis et vigiliis Dominum deprecaretur, ejus meritis sanitati pristinæ restituitur, et ita divina præstante misericordia, tam sanus redditur, ut jam in eo ex ipsa malignorum spirituum turba ad imperium prædicti Dei famuli nullus præsumeret ad ejus corpusculum habere regressum, sed corpore ac mente a prædicti sancti viri Juniani oratione et correctione ita est sanitati redditus, ut post decessum patruelis *s* sui sanctæ me- *s*
moriæ Domini Ruricii, quondam præsulis Lemovicæ urbis, institueretur episcopus. Ac post etiam prædictus vir Dei multis pollens virtutibus per

quadra-

A quadraginta annorum spatia in supradicto loco duxit solitariam vitam : sed quis nostrum narrare possit per singula quanta ibidem contra antiquum hostem habuisset certamina.

Moritur, sepelitur, ornatur templo, et miraculis claret.

10 Sed cum post tot labores jam misericors Dominus noster Jesu Christus eum ab hujus ærumnosæ vitæ periculis vellet in paradisi sedibus collocare, ac intra sanctorum Angelorum numerum sociare post tot temporum spatia, quibus hic laboriosam duxit in sæculo vitam, spiritum exhalavit extremum. Nedum immemor antedictus vir Ruricius seu Proculus quanta erga se prædicti viri sancti fuisset consecutus beneficia, *t* basilicam *t* jussit fabricari, ubi sancta membra Beatissimi Juniani collocarentur, in quo etiam loco antea conversatio ejus fuit. Cum ex fide aliquid petitur, tanta ibidem misericordia Omnipotentis virtutum dignatur conferre præsidia, ut multi ægri ex diversis infirmitatibus ad prædictum virum Junianum venientes, sani facti discedant. Sed nos pauca de hujus virtutibus transeundo disseruimus, ut tanti viri memoriam posteris traderemus, ut qui multos sua sanavit virtute B et suo ædificavit exemplo, suis nunc orationibus plebis hujus ita custos esse dignetur, ut et hic ejus suffragiis ab omnibus malis simus liberi, et in æterna beatitudine ejus mereamur precibus adæquari, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, qui tantam gloriam præstat Sanctis suis, qui cum æterno Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. *u*.

ANNOTATA.

a *Alaricus II, Visigothorum rex ab anno* 484, *initio regni sui, persecutionibus adversus Catholicos flagrantibus finem fecit; atque adeo exulibus episcopis diœceses repetere, et synodos cogere permisit. Verum cum anno* 496 *Clodovæus Christianæ religioni dedisset nomen, et nonnulli episcopi, qui in Visigothorum ditionibus degebant, enatum sibi inde gaudium cum concepto adversus Arianas blasphemias horrore altius manifestarent, apud Visigothos in suspicionem venerunt, et denuo faces suas agitavit persecutio.*

C b *Vita amplior, quæ primo capite simillima huic est, loco* sectaretur *habet* grassaretur, *quod melius est; in eadem paulo inferius omittuntur* superstitiosa ac funesta ; *quam omissionem contextus sane non culpat.*

c *Late de his egit P. Suyskenus tomo I Octobris in Vita S. Remigii.*

d *Meminit Cl. vir J. Moeller, Universitatis Catholicæ Lovanii professor, in insigni suo opere* de Historia medii ævi, *aliquot recentiorum historicorum sententiæ, qua plures episcopos, in temporalibus Alarico subjectos, conspirationis incusant. Crimen falsum esse ostendit laudatus historicus ex ipsis locis, quos adversarii ex Gregorio Turonensi* (*Hist. Franc. lib.* II, *cap.* XXXVI, *lib.* X, *cap.* XXXI *et cap.* IV *Vitar. Pat.*) *repetunt. Verum ne hic locus* S. Juniani *Vitæ immisceatur controversiæ, animadvertisse suffecerit, ante pugnam Vocladensem, Clodovæum consilium inire non potuisse cum episcopis, qui inter Visigothos versabantur. Habuit quidem prope Turones colloquium cum Alarico, at minime cum episcopis ; neque ulterius ad ipsos transgressus est. Alibi vero nihil reperio de* inito hoc cum sacerdotibus consilio. *S. Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib.* II, *cap.* XXXVII *ait tantum* : Igitur Chlodovechus rex ait suis : Valde moleste fero, D quod hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio, et superatis, redigamus terram in ditionem nostram. Cumque placuisset omnibus hic sermo, *etc. Verumtamen dubium esse non debet quin episcopi, aliive sacerdotes adfuerint, quoniam ex quo tempore Franci ad fidem traducti sunt, episcopi interfuerunt eorum conventibus aut* placitis.

e Chlodovechus rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vogladense *(aut Vocladensi,* Vouglé *vulgo)* decimo ab urbe Pictava milliario convenit. *Hæc S. Gregorius Turonensis Hist. Franc. l.* II *c.* XXXVII. *Reliqua hujus pugnæ adjuncta, quæ anno* 507 *illigatur, eodem loco explicantur.*

f *Numero* 9 *hujus Vitæ, loco* illustribus *recurrit* illustris. *Unde ille nævus in librarios non videtur rejiciendus.*

g *In Vita ampliori caput* de cella Sancti Amandi Eremitæ *in hæc verba sonat :* Sub eo fere tempore vir nobilis, Amandus nomine, illustribus ortus natalibus, relictis omnibus, soli Deo placere ac servire desiderans, ut secretius Deo militaret, deserti loci secessum sibi in solitudine Le- E movicum delegit in agro cujusdam viri nobilissimi sanctæ memoriæ Roricii pontificis, cujus nominis vocabulum Comodoliacus dicitur. Ubi tuguriolum humile latenter construxit in clivo montis, in quo remotiorem vitam duceret. Qui locus a plaga orientali viginti ferme millibus ab urbe Lemovicensi sejungitur, et ab occidua quatuordecim a Pictavorum confiniis ; ab australi Vigenna subterlabens effluit, et a septemtrionali Glana fluvius alveum nimis scopulosum habens, et pro cursu vicino alienis se undis commiscens a parte posteriori. Utriusque autem ripas rupes vastæ et prominentes coangustant et opacant, partemque situs inviam præ saxis faciunt. Hoc in loco factus est solitarius Deo soli et sibi cognitus. *Vigenna quæ alibi* Vicenna, Vincenna, *etc. dicitur, gallice audit* Vienne ; Glana *vero nunc* Glane *apud Gallos appellatur.*

h *Cum ex epistolis S. Fausti Regiensis* (*a*) *videatur. Ruricius senior ante episcopatum monasticam vitam amplexus esse, Commodoliacensis agri donatio cum hoc proposito pugnare censenda foret : nisi illum agrum accepisset, aut qua episcopus, aut qua donatarius sub lege eumdem in pios usus impen- F dendi.*

i Eum diu noctuque sub divo ante fores cellulæ manere fecit, *scribit S. Juniani Vitæ ampliator. Quale inde festum apud Lemovicenses ortum sit, num.* 21 *Commentarii prævii signatur.*

k *Vita amplior* transcenderet, *non* succenderet, *habet. Illi lectioni consona sunt Officium* S. Amandi, *et Vita a Bernardo Guidonis confecta.*

l *Non sane placebit illud miraculum viris, qui rerum naturalium studio distinentur. Raro enim in Gallia colubri sex pedes in longitudinem extenduntur, et virili brachio crassiores sunt; præterea eis non competunt quæ inferius de devastatis hominibus et pecoribus asseruntur; quin imo veneni expertes sunt. Viperæ autem, quæ dentibus venenum infundunt vulneribus, potuerunt exercuisse aliquam stragem. Verum, si tres pedes in Galliis excedant, miram magnitudinem jam obtinent; earum vero corpora vix pollicis crassitudinem assequuntur. Orta videtur hæc popularis traditio ex colubrorum in hoc loco præsentia, quam memorat Collinus,* S. Amandi *cellulam describens.*

m *Valde explicita olim fuerint opportet, quæ de hoc prodigio referebat populus; nam locum ipsum,*

(*a*) Lection. Antiq., Canisii, tom. I, p. 356, edit. Basnagii.

quo

A *quo coluber mare ingressus tradebatur, determinabat : testis est Collinus*, arenas Olonenses (Sables-d'Olonne, département de la Vendée) *assignans.*

n *Gregorius Turonensis, Fredegarius atque alii rerum hujus ævi scriptores, a D. Bouquet editi, memorant lues plurimas atque pestes; verum harum nulla convenit cum hac, quæ tempore* S. Juniani *Pictavorum fines vastasset. Quod argumentum negativum infirmius tamen est, quam ut hæc rejiciatur narratio, potissimum, cum biographus scribat* nosci hanc cladem *; quod hujus Vitæ antiquitatem nonnihil quoque suadet. Quæ inde apud Pictavienses orta forte sit erga* S. Junianum *religio, num.* 22 *Commentarii prævii fuit dictum.*

o *Vita amplior discedit hoc loco ab edita; illa scilicet habet :* Jubare namque crastino terram irradiante, cum vir Dei de habitaculo suo ad plagam orientalem prospexit, ecce insperato vidit fontem scaturientem et impetu valido desilientem in proximum amnem; quem nemo antea viderat.

p *Quid veri, quid falsi huic narrationi suboleat, divinabit facile lector.*

q *His miraculis adstipulatur S. Gregorii Turo-*
B *nensis textus num.* 22 *relatus.*

r *Sensus luxatus est; forte legi oportet :* ad maleficos... duceretur.

s *Fortunatus, qui Ruricium juniorem certo novit, non patruelem sed* avum *Ruricium seniorem nuncupat in epitaphio, quod de duobus Ruriciis conscripsit; excerpo distichon :*

Accumulante gradus prænomine, sanguine nexi
Exultant pariter hinc avus, inde nepos (*a*).

Tametsi medio ævo vocabulum nepos, filium fratris *indicabat, nec tantum, ut apud probe latinos auctores,* filium filii, *(qua de re plura Vossium quæsivisse innotescit), litem de voce* nepos *movere nolo, quandoquidem Fortunatus inter male latinos computandus non sit. Cum ad diem* XVII *Octobris duorum SS. Ruriciorum gesta illustranda sint, non est quod hic refellam sententiam eorum, qui negant S. Ruricium seniorem ex matrimonio suo suscepisse liberos. Quod si jam de expulsione dæmonum, quæ num.* 9 S. Juniani *Vitæ narratur, sententia exquiritur, duplex ponenda est quæstio : prior an Ruricii status morbidus ex dæmonum oriretur præsentia; altera an a* S. Juniano *reapse curatus sit. Ut affirmanter ad priorem responderetur, auctor saltem coævus neque credulior adesse deberet, siquidem quam difficile sit de vera possessione pronuntiare ex obviis catholicis theologis notum sit; ad posterius autem quæsitum annuendum esse arbitror, potissimum quidem quoniam non capio, qui populus adinvenisset S. Ruricium, suum episcopum, quem ecclesiastico cultu honorat, a dæmonibus fuisse possessum et a* S. Juniano *liberatum, nisi saltem ab aliquo epileptico curatus fuisset morbo.* D

t *De hac basilica aut oratorio latius dictum fuit in Commentario prævio. Quæ vero num.* 27 *de loco, ubi* S. Juniani *corpus repositum fuit, reperire est, conferas cum his quæ Mabillonius in præfatione Sæculi* II *Benedic., et in epistola Eusebii Romani, Ruinartius in præfatione ad S. Gregorii Turonensis opera num.* 53, *aliosve bene multos, qui vel de SS. tumulis vel de eorum canonizatione scripserunt. Facile inde intelligere erit,* S. Junianum *a S. Ruricio juniori fuisse* canonizatum *aut potius* beatificatum, *ut hodie loquimur.* E

u *Hic sequebantur in Ms. codice, quæ ex S. Gregorio Turonensi num.* 22 *de* S. Juniani *miraculis retulimus, verba. In Vita ampliori ex iisdem verbis, latius dilutis, conflatur integrum caput. Ea autem, utpote adjectitia, edendæ Vitæ subjicienda visa non sunt.*

(*a*) Gall. Christ., tom. II, col. 503.

DE S. COLMANO, EPISCOPO

KILLRUADHENSI, IN HIBERNIA.

C

SYLLOGE HISTORICA. F

S. Colmani, Killruadhensis episcopi, adolescentia, disciplina, ætas.

SÆCULO VI.

S. Colmanus, *ex fastis sacris notus,*

Scotos Albionis et Scotos Hiberniæ nonnumquam confusos fuisse præterit neminem : unde accidit, ut, quotiescumque quorumdam homonymorum Sanctorum gesta non apprime noscuntur, ratio eos distinguendi non sit, quod hi a Scotis, illi ab Hibernis coli dicuntur. Quam ob rem non certo novimus an S. Colmanus, *qui superiori die ex Scotorum Martyrologiis inter Prætermissos relatus est, idem sit ac* S. Colmanus, *quem fasti sacri Hiberni hodierna die commemorant. Placet tamen affirmantium sententia, imprimis quoniam Martyrologia, qui unius meminerunt, alterum silent, et dies cultus quam maxime sibi propinqui sunt. Sed ad* XXIV *Novembris redibit locus hac de re dicendi. Porro* S. Colmanus *Killruadhensis episcopus nominatur die* XVI *Octobris in Festilogio B. Mariani Gormani, in Martyrologio Tamlactensi et in Martyrologio Dungallensi, iis scilicet, quæ a F. Michaele Clery exscripta et ex Hibernia Lovanium transmissa, olim adhibita fuerunt a Colgano (vide præfationem ad lectorem ante Acta SS. Hiberniæ), et nunc in bibliotheca Burgundica Bruxellensi* (*a*) *asservantur. In Festilogio B. Mariani Gormani unice dicitur* Colman, *sed charactere paulo diverso adscripta sunt hibernice verba, quæ ita latine sonant :* Colmanus, episcopus Killruadhensis in Dal-aradia juxta lacum Localaig in Ultonia. *In Martyrologio Tamlactensi* Colmanus Killruadhensis *prodit; in Dungallensi* Colmanus, episcopus Killruadhensis in Dal-aradia juxta lacum Localaig.

commoratus est in Dalaradia,

2 Dal-aradia autem regio nequit confundi, *sic fere loquitur Rev. D. Lanigan* (*b*), cum Dalrieda. Prior scilicet complectebatur partem meridionalem comitatus Antrim vergitque euronotum versus; major insuper pars comitatus Down, nisi integer hic comitatus, ad eam pertinebat. Porrigebatur vero a Newry usque ad montem Mis in

(*a*) Numm. 1502, 1504, 5095. — (*b*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, cap. v. not. 24, tom. I, p. 217.

baronia

A baronia Antrim. Dalrieda autem partem borealem, aliam quæ ad Caurum spectat, et tertiam meridiem versus capiebat. *Hæc Lanigan ex Harris* (a) *et Bishops* (b). *Gough autem in additionibus ad Camdeni Britanniam* (c) *scribit* Dal a Radia *regionem præsentibus baroniis* Belfast, Toome et Mazareen *fere constare, et deinde illustrat plura hujus tractus loca; in quibus tamen non commemorat locum,* Kill-Ruadh *dictum. Hanc terræ oram, quæ in Ultonia jacet inter lacum* Lough-Neagh *et maris sinum* Carrickfergus bay *nuncupatum, quamque suo tempore* Hive Tach *dictam fuisse scribit Colganus in Indice suæ Triados Thaumaturgæ, excoluerat ante* S. Colmanum *S. Patricius, ut in pluribus ejus Vitis a Colgano editis traditur; quin etiam vir ille apostolicus ecclesiam in loco* Elom *ædificandam curaverat* (d). *Hanc tellurem inhabitabant* Crutheni, *e Pictis oriundi et pristina gens* Dal-aradii. *Sic saltem sentit Lanigan* (e) *S. Patricii Vitam commentans. Atque illic sedem suam fixisse traditur Sanctus noster* Colmanus. *(Confer Valencey collectan. de rebus Hibernicis* (f).

et episcopus fuit Killruadhensis.

B 3 *Locus vero Killruadh, ubi* S. Colmanus *episcopus fuisse asseritur, memoratur a Colgano in notis ad Vitam S. Corbmaci* (g) *et in Triade Thaumaturga* (h). *Verum vix quidquam ex eo disci licet, quod in Martyrologiorum annuntiationibus non prodatur. Lacum autem, juxta quem* Kill-ruadh *ædificatum fuerat, non* Localaig, *sed* Lochlaodh *aut* Loch-loedh *vocat. Ex notis vero, quas olim Wardeus Ordinis Minorum ad Rosweydum misit, quasque ipse collegerat ex compilatione, cujus meminerunt decessores nostri* (i), *hæc accipio :* S. Colmanus, quem is *(S. Macniscius)* miraculo liberavit a morte, fuit episcopus Kill-ruadhensis, quæ nunc obsoleta sedes est in Aradeorum regione sita, ad oram Stagni Juvenci vulgo Loch-Laodh in Ultonia, ubi ejus festum tamquam patroni colitur XVI Octobris. *Porro* Kill-ruadh *cellam fontis aut fluenti signat, et* Loch *lacum dessignante,* Laodh *vitulum,* Loch-Laodh *lacum vituli indicat. Hæc de loco, quem sua habitatione sacravit* S. Colmanus.

Puerulus servatus dicitur a S. Macniscio;

4 *Mitto designare SS. Colmanos omnes, a quibus noster Sanctus distinguendus est, cum teste Colgano (in notis ad Vitam S. Colmani episcopi ad* XVIII *Februarii) plures quam centum triginta in Martyrologiis aliisque monumentis numerentur. Nullam*

C *Vitam hujus nostri* Colmani *habemus, neque ab aliis citatam video; aliunde itaque colligenda sunt ejus gesta : verum utinam in aliam messem, quam in biographias Sanctorum Hibernorum, prodigiis magis quam rebus gestis abundantes, falcem immittere liceret. Alius tamen campus non obviat. Eccum igitur quid de nostro Sancto exstet in Vita S. Macniscii episcopi* (k) *ex codice Salmaticensi edita :* Nota, qualiter puerum a morte liberavit *(S. Macniscius).* Cujusdam hominis nequam, qui patrem ejus interfecit, parvulum filium ab amicis illius comprehensum et morti destinatum liberare volens et non valens, inducias petiit, ut non antequam ipse ad acervum lapidum, qui eminus exstitit, perveniret, ille interficeretur; quod impetravit. Ipso autem illuc perveniente, ibique orante, præfatus puer in aera sursum, ut in acuminibus hastarum exciperetur, projectus, ab Angelis confestim ereptus est, et in sinum sancti pontificis immunis ab omni læsione depositus : quem denique nutrivit, et in divinis Scripturis atque religionis institutis diligenter edocuit. Ipse est D Colmanus episcopus, qui ecclesiam nomine Kellruaid fundavit. *Hoc vero miraculum annumerandum esse iis, quæ in Commentario prævio num.* 9 *magis stupenda quam vera declarat noster Veldius, nemo non agnoscet.*

non fuit discipulus S. Patritii;

5 *Colganus in Triade Thaumaturga* (l) *pronuntiat* S. Colmannum *prius discipulum fuisse S. Albei, deinde S. Patritii; quæ tamen cohærere non posse, sæpius jam ostenderunt decessores nostri, cum S. Albeum posteriorem S. Patritio statuerunt. Confer Papebrochium in appendice ad Vitam S. Patricii* (m) *et Suyskenum in Commentario de S. Albeo* (n), *atque adeo hi autumant S. Albeum post annum* 460 *primo ad prædicandum Hibernis missum fuisse. Non quidem in omnibus assentit Lanigan laudatis hagiographis; verum quod in præsentiarum sufficit, admittit S. Albeum circa annum* 431 *puerulum parvum admodum fuisse, æstimatque eum tantum circa annum* 470 *factum fuisse episcopum; jam vero secundum chronotaxim Papebrochii, quæ nescio an minus recte* (o) *Lanigan displicuerit, mortuus est S. Patricius anno fere* 460 (p); *et quidem secundum ipsum Lanigan, qui statuit S. Patritium circa annum* 472 *obiisse* (q), *Colgani asserta de Sancto nostro* Colmano *vix stare possent, ut unicuique S. Patritii et S. Albei ætatem attendenti liquet. Unde autem hæc hauserit Colganus, non monet; verum Papebrochius num.* 1 *appendicis Patricianæ lectorem monet multa a Colgano ex conjecturis definita fuisse in prodigioso horridoque catalogo discipulorum S. Patricii; porro illic præfatum de* S. Colmano *assertum reperitur.* E

sed perhibetur sub disciplina S. Albei vixisse,

6 *Non ita omne fundamentum deest ad* S. Colmanum *discipulum S. Albei dicendum : nam in Ms. codice Salmanticensi, qui olim in Musæo Bollandiano nunc Bruxellis in bibliotheca regia Burgundica servatur, exstat S. Albei Vita, in qua sequentia de nostro* Colmano *narrantur :* Post hæc S. Albeus, quasi apis prudentissima cum mellis onere ad suam patriam Deo comite reversus est. Cumque venisset ad mare et navem in promptu non habuisset, benedixit mare, et cum omni populo suo siccis pedibus super mare ambulantes quasi per aridam terram veniunt, et in insula in aquilonali parte hujus insulæ portum tenuerunt. Ibique, jubente Albeo, unus de familia ipsius, Collanus *(lege* Colmanus) nomine, cellam ædificavit quæ dicitur Cellroid. Cumque locus iste F aquam non haberet, S. Albeus quemdam ibi lapidem benedixit, ex quo aquæ rivulus statim prorupit. Tunc Colmanus ad Albeum dixit : Aqua ista modica est. Cui Albeus ait : Quamvis modica est, æterna tamen erit. Unde usque hodie nomen fluminis istius Buanan cille ruaid *(fol.* 92). *Sed notandum est hanc S. Albei Vitam tot conspersam esse fabulis, ut P. Suyskenus* (r) *eam indignam judicaverit quæ ederetur. Quod vero ad* S. Colmanum *pertinet, tribuuntur in hac Vita S. Albeo* (s) *quadraginta vel quinquaginta socii, inter quos duodecim* Colmani, *duodecim Comgeni, et duodecim Fintani; atque hi omnes dicuntur cum S. Albeo Romam perrexisse. Exstat altera S. Albei Vita, eaque usus est Usserius* (t). *Omnino autem melioris non est notæ, et prioris tantum epitome videtur esse, quocirca referendis verbis supersedeo.*

et a quibusdam prælatus fuisse S. Boetano.

7 *In vita S. Corbmaci, quam Colganus ad* XXVI *Martii* (u) *edidit, occurrunt, sequentia, quæ de*

(a) Antiq., p. 48. — (b) p. 8. — (c) Tom. III, p. 627. — (d) Sext. Vit. S. Patricii ap. Colganum, c. CXXXVI. — (e) Ecclesiast. Hist. c. v, not. 25. — (f) T. III, p. 326. (g) p. 756, n. 43. — (h) p. 386. n. 16. — (i) T. VI Junii, p. 116 et T. I Septemb., 662. — (k) Act. SS. ad III Septembris, p. 665. — (l) p. 269. — (m) Act. SS. XVII Martii., p. 582. — (n) Act. SS. XII Sept., p. 20. — (o) Ecclesiast. Hist. of Ireland, cap. VII, § XII. — (p) Act. SS. XVII Martii, p. 525. — (q) Eccl. Hist. loc. cit. — (r) Act. SS. ad XII Sept., p. 27 et seqq. — (s) Fol. 91. — (t) Antiquit. Britan. editio, anni 1687, p. 414. — (u) p. 751 et seqq.

nostro

A *nostro* S. Colmano *in subjectis notis interpretatur :* S. Boedanus, sive Boetanus, sextus Eugenii filius (*et frater S. Corbmaci*)... contulit se ad remotiores Ultoniæ fines : ubi a nobili stirpe Sodani Fiacho Aradio nati, in partibus Dal-aradiæ tunc rerum potiente, honorifice et devote susceptus. Ibi exstruxit ecclesiam... quam... dotarunt posteri Sodani, et præcipue nobiles familiæ de Cinel-decill, Clanscoba, et Sil-noiridhin, quæ se suosque posteros, ei ut patrono, in devotos clientes consecrarunt. Temporis vero successu familia de Cinel-decill, a viro Sancto deficiens, converterunt suam devotionem et affectum in Cuanum et S. COLMANUM sua eis obsequia et clientelam addicens. *Cum S. Corbmacus exeunte sæculo* V *aut ineunte sæculo* VI *floruisse a Colgano* (*a*) *statuatur; et S. Boedanus abbas eidem Colgano* (*b*) *claruisse videatur post sæculi* VI *initium, et Lanigan* (*c*) *S. Corbmacum non excludat ex secunda Sanctorum serie, quæ ab anno circiter* 542 *usque ad annum circiter* 599 *porrigitur, præmissa Colgani interpretatio cum indicanda chronotaxi non pugnat.*

8 *Etenim si admittatur vi testimonii superius num.* 4 *relati,* S. Colmanum, *e pueritia nondum egressum, notum fuisse S. Macniscio episcopo, sufficit ut ortus sit ante annum circiter* 513, *quo fere S. Macniscius obiit, annos* 80 *aut paulo plures natus* (*d*). *Si vero fidatur Vitæ S. Albei, cujus discipulus dicitur* S. Colmanus, *ejus disciplina referatur oportet ante annum* 527, *quo tempore S. Albeum ad superos migrasse tradunt* (*e*). *Vixisse itaque potuit cum S. Boedano, et nihil per qualescumque indicatas Sanctorum Vitas obstat, quin circa medium sæculi* VI *virtutibus suis claruisse dicatur. Frustra vero quæsitum a nobis est apud historicos Hibernos, qui penes nos sunt, quid de sede episcopali Kill-ruadhensi deinceps factum fuerit. Waræus in Antiquitatibus Hiberniæ* (*f*), *plures antiquatas sedes memorans earumque indicans fata, ne verbum quidem facit de Kill-ruadhensi. Unde ponendus hic loci nobis est stylus, satis habentibus* S. Colmani *memoriam illustrasse, quantum per incertas historias licuit.*

D *Vixisse æstimandus est circa iniens sæculum* VI.

B (*a*) In notis ad Vitam S. Corbmaci, p. 755. — (*b*) Vit. S. Boedani ad XXIII Martii, p. 728. — (*c*) Eccles. Hist. of Ireland, c. x, § 4. — (*d*) Act. SS. ad III Septembris, p. 663 et seq. — (*e*) Ibid. ad XII Septembris, p. 30 et seq. — (*f*) Cap. XVI. E

DE SANCTO SALVIO,

IN AGRO AUTISIODORENSI IN GALLIA.

SYLLOGE.

S. Salvius Autisiodorensis, memoratus in Martyrologiis, diversus est a S. Salvio Albigensi, sed idem est ac Nivernensis. Fata ædiculæ ei sacræ.

ANTE SÆCULUM VII.

S. Salvii memoriam in Martyrologiis Autisiodorensi et Bituricensi celebratur.

C *Jacet diœcesis Autisiodorensis in eo Galliæ tractu, quem olim Burgundiam dixere; metropolis ei erant Senones; et a tertio sæculo jam Christianæ doctrinæ præcepta audivisse traditur : quod vero propius ad nos pertinet, nec minima ejus gloria est, ferax Sanctorum fuit tellus. Viginti enim aut plures primos suos episcopos ecclesiastico veneratur cultu, multorum Martyrum sanguine conspersa fuit, neque defuit ei ubertas ad Sanctos alius ordinis generandos. Merito itaque proprium sibi habet Martyrologium, quod curis Caroli de Caylus, ejus antistitis, anno* 1751 *correctum, auctum atque illustratum prodiit. In hoc autem ad præsentem diem illa occurrit annuntiatio* : In territorio Autisiodorensi, sancti Salvii monachi, sub cujus nomine cella erat intra eamdem diœcesim sæculo sexto : et aliud oratorium ante millesimum annum exstabat juxta pagum Villæ-Novæ, quæ inde Villa-Nova-Sancti-Salvii appellatur; *et ad marginem additur :* ante annum 540; *quod hujus Sancti emortuale tempus indicat. Edidit Martennius et Durandus tomo VI Amplissimæ Collectionis plura Martyrologia; inter quæ exstat maximopere ab editoribus laudatum sæculi* X *Martyrologium Autisiodorense; at hic frustra* S. Salvii *nomen inquires. Contra* S. Salvii *nostri memoriam in vetusto Bituricensi Martyrologio* (*a*), *quod Hagiologium Franco-Galliæ nuncupavit Labbeus, ad præsentem celebrari diem, inferius manifestum fiet.*

2 *Verum probandum ante omnia videtur,* S. Salvium, *cujus festivitas in tam paucis monumentis celebratur, confundi non posse cum homonymo S. Salvio Albigensi episcopo. Argumentum autem omnium optimum deduci posse videtur ex antiquitate cellæ, quæ in præmissa Autisiodorensis Martyrologii annuntiatione memoratur. Hæc scilicet cella, quæ* Salvii *nomine insignita intra diœcesim Autisiodorensem sæculo sexto extabat, primum nota fuit authentico instrumento, quod Historiæ Pontificum Autisiodorensium, a Labbeo* (*b*) *editæ, et iterum in Opere nostro ad* XXV *Septembris partim excusæ, inseritur. Sunt scilicet supplicationes a S. Aunario Autisiodorensi episcopo in pluribus, nisi in cunctis, suæ diœceseos locis indictæ. Historiographus Lebeuf, qui illas quoque edidit* (*c*), *affixit eis* annum 596 circiter; fieri posse, *inquiens,* ut Sanctus Aunarius non ante hunc annum has supplicationes indixerit. *At erravit vir sagax, siquidem hæc præmittat anonymus historicus Pontificum Autisiodorensium :* Cæterum idem Beatissimus Pontifex plurima constituit in Ecclesia Autisiodorensi, sicut in antiquis canonibus reperitur; quæ ut præcipuo observarentur vigore, consilio et auctoritate Christianissimi Guntranni regis summopere roboravit. Nam ad tutelam gregis sibi a Domino commissi, præcepit, ut tam in civitate Autisiodorensi, quam per parochias hæc debeat institutio custodiri. *Ex quibus verbis manifestum est hanc institutionem ante Guntramni, Burgundiæ regis, mortem factum fuisse; quæ non anno* 596, *sed* 593 *obtigit. Sed*

Anno circiter 587, *ut ex constitutione S. Aunarii liquet,*

F

(*a*) Bibl. nov. Mss., tom. II, p. 697. — Ibid., tom. I, p. 419. — (*c*) Hist. d'Auxerre, tom. I, p. 119.

præ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *præterea ad annum* 587 *aut* 588 *S. Gregorius Turonensis* (*a*) *testatum reliquit, tum magnam Galliæ partem lue inguinaria vastatam fuisse;* sed regem *Guntramnum*, acsi bonum sacerdotem, providentem remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, jussisse omnem populum ad ecclesiam convenire, et Rogationes summa cum devotione celebrari et nihil aliud in usu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda adsumi, et Vigiliis adesse instanter omnes, quod eo tempore ita gestum est : *itaque, cum S. Aunarii institutio Rogationes et Vigilias quoque præscribat, summe verisimile fit has supplicationes anno* 587 *aut* 588, *a S. Aunario indictas fuisse, suadente Guntramno rege.*

exstabat cella Salvii, *quæ ecclesiola ei dicata non monasterium erat,*

3 *Porro inter ecclesias, quibus Rogationes faciendæ aut Litaniæ dicendæ sunt uno cujusque mensis die, venit* XXII die Cassiniacus, Nantiniacus cum cella Salvii et Mauri. *Jam quid hæc* cella Salvii *sibi velit dispiciendum est. Historicus Lebeuf, qui reliqua nomina vertit, hæc reliquit latina, et in nota conjecturam tantum proponit de Cassiniaco et Nantiniaco. In duabus tamen tabulis chorographicis, quarum prior diœceseos statum, S. Aunario episcopo, refert, et curis geographi Roberti facta est,*

B cella Salvii *gallice* S. Sauveur *dicitur, et juxta Puisayam, hujus regionis tractum, ponitur in loco, ubi fuit monasterium S. Salvatoris ; at gratuitum id non solum est, verum etiam monasterium S. Salvatoris tantum tempore Caroli Magni constructum fuit et a S. Maurino episcopo dedicatum : sic Gallia Christiana* (*b*). *Si itaque mihi extraneo, tabulis geographicis Cassini utenti, quid conjicere liceat post laudatum historicum Autisiodorensem de situ cellæ* Salvii, *magis mihi arridet hanc cellam eumdem locum esse, qui postea ob suam viciniam nomen dedit* Villæ-Novæ Sancti Salvii, *et de quo sæpius sermonem habet ipse Lebeuf. Quæ me ad hanc sententiam amplectendam impellit ratio, hæc est : ecclesiola Sancti* Salvii *patrocinio et nomine fruens, olim in hoc loco, ut inferius videbimus, exstitit : jam vero paupercula ecclesia, aut oratorium olim* cella *audiebat in agro Autisiodorensi. Id non advertisse videtur laudatus historiographus ; qui quoniam aut apud Cangium in Glossario aut apud Haeftenum in ejus Disquisitionibus monasticis, aut alibi, ubi plurima e scriptoribus congesta circa vocabu-*

C *lum* cellam *reperiuntur, nihil sibi occurreret quod ecclesiolam indicaret, ad* cellam Salvii *monasterium æstimandum stimulatus forte fuit. Quamobrem num olim in agro Autisiodorensi* cella *ecclesiolam indicarit, dispiciamus jam oportet.*

ut, expensa vocabuli cellæ *significatione,*

4 *In Vita S. Germani Autisiodorensis, a decessoribus nostris* (*c*) *edita, exstat libellus ab S. Mamertino conscriptus de sua conversione ; in hoc vero narrat S. Mamertinus quomodo* pervenerit ad cœmeterium, in quo sancti Amatoris episcopi dicebant esse corpusculum, *et* quia non inveniebat in quo se reciperet habitaculo, *quo pacto* parva CELLULA ostensa fuerit oculis suis in qua unus erat sarcophagus ; *et inferius additur,* vestibulum *quoque huic cellulæ adfuisse. At cum cognitum fuisset, jacens ibi corpus Sancti Corcodemi diaconi esse* (*d*), *sic pergit S. Mamertinus :* His miraculis ostensis, illa CELLULA Beati Corcodemi diaconi, quæ propter densitatem veprium nulli, nisi tantum antistiti Germano, fuerat nota, facta est Deo operante omni sexui cognita ; et non solum omnium notitiam promeruit, sed et culturam. Omnes igitur ex hoc tempore, eidem CELLULÆ votivam gerentes devotionem, alacriter frequentabant. *Ad hæc autem animadvertatur oportet S. Corcodemum ante S. Mamertini adventum a terra jam levatum fuisse; quod integra descriptio sarcophagi, et modus, quo S. Mamertinus super eum tamquam super aram dominicam procubuit, aliaque adjuncta manifestissimum faciunt; unde liquet ante S. Mamertini adventum hanc* cellam *verum sacrarium aut ecclesiolam fuisse.* D

stabilitur;

5 *Sed, ut res etiam certior evadat, aliud testimonium prodam ex libro* I *Miraculorum S. Germani Autisiodorensis, tempore Caroli Calvi a S. Heirico conscripto; en verba :* Singularis meritorum ejus potentia hoc se tuetur argumento, quod per omnes aggeres itineris sui, ubicumque aut oravit, aut docuit, usque in hodiernum diem oratoriæ CELLÆ et signa crucis elata præfulgent. *Inferius aliud ejusdem significationis dabimus exemplum. Atque ex his sane satis apparet quanto jure Benedictini sodales qui tomum XII Galliæ Christianæ elaboraverunt, cellam Salvii et Mauri non inter antiqua Autisiodorensis diœceseos monasteria numerarint, satis sibi ducentes catalogo suo* (*e*) *inserere ea monasteria, quæ cum monasterii nomine aut alio simili* E *veniunt tum in prædicta constitutione S. Aunarii, tum in altera S. Tetrici, qui exeunte sæculo septimo Autisiodori episcopus sedebat. In utraque enim plurima nuncupantur, eisque officium divinum in templo Autisiodorensi S. Stephani celebrandum indicitur; quæ inter non venit* Cella Salvii et Mauri. *Unde admitti nequit, quæ præcavenda est objectio, Salvium hunc et Maurum fuisse abbates id temporis in vivis existentes. At si cella Salvii monasterium non est, ecclesiola sit oportet; neque proin dubitari potest, quin* S. Salvius *ei patrocinaretur, ejusque cultus ad annum saltem* 587 *aut* 588 *sit referendus. Ast hæc præmissa jam ad propositam applicanda sunt quæstionem, scilicet Sanctusne noster* Salvius *a S. Salvio Albigensi distinguendus sit.*

quocirca S. Salvius *Autisiodorensis distinguendus est a S. Salvio Albigensi, qui anno* 587 *ecclesiam illic sibi dicatam habere non potuit.*

6 *Ex Sancti Gregorii Turonensis Historia Ecclesiastica* (*f*), *constat S. Salvium Albigensem anno* 584 *aut* 585 *supremum obiisse diem; jam vero anno* 587 *aut* 588 *exstabat, ut superius vidimus, in agro Autisiodorensi cella Salvii; et quis porro dixerit vel minimum verisimile esse, intra spatium duorum aut trium annorum S. Salvii cultum ita fuisse propagatum, ut ab Albiga, (ubi tamen absque dubio fere non exstabat), ad diœcesim Autisiodorensem transierit? Neque obest quod, ut tradit S. Gregorius, cœnobiticam vitam duxit S. Salvius, priusquam episcopali fungeretur munere : unde conjici pronum esset, hanc* Salvii cellam *eamdem forte esse, quam olim incoluisset Albigensis antistes. Moras enim injicere non potest hæc suspicio; quoniam verisimile non est, Albigenses sibi episcopum quæsituros abiisse in agrum Autisiodorensem, qui extra suum regnum et ecclesiasticam provinciam jacebat. Præterea etiamsi S. Salvius (quod tamen probabile non est, siquidem S. Gregorius, silens ejus patriam et locum habitationis, hæc prope Albigam fuisse supponat), annos plurimos in agro Autisiodorensi commoratus fuisset tamquam monachus, facile intra decennium, quo Albigæ episcopatum obtinuit, ejus sane interiisset memoria. Quæ claudo, animadvertens non ita celebrem in Gallia fuisse S. Salvii Albigensis cultum, quin etiam classicis martyrologis incognitum ; unde mirum foret omnino, si hujus sancti præsulis cultus biennio post mortem ad Autisiodorenses transvolasset.* F

Idem vero est ac S. Salvius Nivernensis.

7 *Secundo examinandum venit loco, an S. Salvius Nivernensis, qui in Hagiologio Franco-Galliæ*

(*a*) Histor. Francorum, lib. IX, cap. XXI. — (*b*) Tom. XII, col. 360. — (*c*) Act. SS. XXXI Julii, p. 206. — (*d*) Vide Act. SS. ad IV Maii. — (*e*) T. XII, col. 356. — (*f*) Lib. VIII, cap. I et XXI.

seu

A *seu Bituricensi ad præsentem diem annuntiatur, idem sit ac* S. Salvius *noster Autisiodorensis. En verba hujus Hagiologii, qualia edidit Labbeus* (*a*) : In territorio Nivernensi, Sanctorum Vincentii et Salvii Confessorum. *Non est quod S. Vincentius, cognomine de Magniaco, nos remoretur, cum de eo inter Prætermissos sit dictum. S. Salvius autem, qui in hac celebratur commemoratione, ad diem* XVI *Octobris cultum adhuc obtinet his temporibus in universa diœcesi Nivernensi, ut ex Martyrologio Autisiodorensi, ubi Nivernense citatur Breviarium, constat ; neque proin intactas relinquere licet varias, quæ de eo propositæ fuerunt, sententias. Claudius Chastelain in indice Martyrologii Universalis S. Salvium Albigensem* solitarium Nivernensem *nuncupat, eique assignat diem* X *Septembris et* XXX *Novembris ; quæ posterior dies profecto erronea est. Bailletus in Vita S. Salvii Albigensis ad diem* X *Septembris ejusdem mentis est, ut liquet ex iis, quæ de oppido Nivernensi, cui vulgare nomen est* Saint-Sauge, *effatur :* Aiunt, *inquit*, hujus S. Martyris *(Salvii Albigensis)* Reliquias partim saltem Caroli Magni tempore delatas fuisse ad exiguum

B pagi Nivernensis oppidum, quod nunc Salvii-Fanum dicitur, et sex aut septem leucas a Niverno distat orientem versus. Condita illic fuit ecclesia ejus nomine insignita, et monasterium quod nunc (*anno* 1739) prioratus est, a S. Martino Augustodunensi dependens. *Similia fere habet in Chorographia Sanctorum, ubi ad S. Salvium quoque refert locum Cenomanniæ, vulgari vocabulo* Saulge *appellatum : quod quam erroneum sit, colligere licet ex iis, quæ scripsere decessores nostri ad diem* VII *Maii in Vita SS. Serenici et Serenedi ; et quidem ipsum latinum nomen* Sagium, *nimium a* Sancto Salvio *diversum, sufficit ad omnem dirimendam controversiam. Tertio demum, adolescente sæculo* XVII, *æstimabant ipsi Nivernenses, S. Salvium suum eumdem esse ac Albigensem episcopum, quandoquidem in Kalendario ecclesiastico Nivernensi anni* 1637, *quod olim Claudius Chastelain sua manu descriptum ad musæum Bollandianum destinavit, legitur ad* XVI *Octobris* S. Salvius episcopus. *Atque ex dictis duplex argumentum conficiur : e S. Salvii Albigensis Reliquiis, in agrum Nivernensem translatis, ortam esse illic* S. Salvii *memoriam, et proin Nivernensem eumdem esse ac Albigensem epi-*

C *scopum ; et dein huic favere sententiæ ipsius Nivernensis ecclesiæ traditionem. Quod vero spectat ad* S. Salvii *Reliquias, neminem arbitror magni eam rationem ducturum, cum dubius hærere videatur Bailletus ipsemet, et Gallia Christiana in Catalogo suo Albigensium præsulum asseveranter statuat,* S. Salvii *Reliquias Albigæ integras conservari. Neque majoris forte momenti est objecta veteris Nivernensis Kalendarii auctoritas, cum deinceps Nivernenses, Kalendarium et Breviarium ad certiorem trutinam revocantes, spoliaverint ad præsentem diem* S. Salvii *nomen episcopi titulo, ut videre est in Martyrologio Autisiodorensi* (*b*). *Contra duplex suadet rationum pondus, ut S. Salvius Nivernensis idem ac Autisiodorensis æstimetur : identitas scilicet diei, qua uterque colitur, et Nivernensis Autisiodorensisque agrorum, sibi invicem adjacentium, vicinia ; unde facile* S. Salvii *cultus ab una diœcesi ad alteram transierit.*

Ædiculæ S. Salvii

8 *Ex his, quæ huc usque disseruimus, quantum licuit, manifestum factum est,* S. Salvium *Autisiodorensem eumdem esse ac Nivernensem, diversum vero ab Albigensi ; et nomen ejus in utroque agro, Autisiodorensi et Nivernensi, inditum esse alicui* D *loco, illic oppidulo, hic vico et ædiculæ ; de qua ædicula paulo plura dicenda supersunt, quæ ad* S. Salvii *cultum pertinent. Superius jam adstruximus adversus historiographum Lebeuf* S. Salvii *cellam non monasterium S. Salvatoris, sed exiguum tantum fuisse sacrarium, quod sæculo superiore duabus ab Autisiodoro orientem versus leucis, non procul a Villa Nova* S. Salvii *adhuc exstabat ; ut ipse Lebeuf testatur* (*c*). *Porro Hugo Matisconensis, Autisiodorensis episcopus, qui anno* 1138 *Præmonstratenses canonicos in cœnobium S. Mariani induxit, inter alia plurima dedit eis ecclesiam* S. Salvii, *ut constat ex charta ejus successoris Alani, data anno* 1163 *et quæ in Gallia Christiana inter instrumenta* (*d*) *integra videnda est : quæ donatio anno* 1161, *ab Alexandro Papa III confirmata fuerat, ut liquet ex bulla Monasteriologiæ Præmonstratensi* (*e*) *inserta, ubi inter nonnulla alia numeratur* locus qui dicitur S. Salvii, cum omnibus ad se pertinentibus.

9 *Verum hæc donatio post annum* 1145 *facta, aut* *vices.* *minoris momenti fuerit oportet, siquidem in nonnullis aliis instrumentis, circa annum* 1145 *confectis, nondum inter bona S. Mariani apparet. Quod cer-* E *tum est, et propius ad rem nostram pertinet, pauperrima erat ipsa* S. Salvii *ecclesia, aut potius sacrarium ; neque sublata fuit hæc paupertas, quin simul patroni sublatum sit nomen. Etenim anno* 1209 *hoc latum fuit privilegium :* Ego Petrus comes Autisiodor. et Tornodor. notum facio omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, quod donavi et concessi pauperi ecclesiæ Sancti Salvii singulis annis in festo Beati Dionysii nundinas unius diei ibidem celebrari ; ita quod eadem ecclesia libere absque ulla contradictione omnes redditus nundinarum percipiet. Dedi etiam in eleemosyna pro me et pro uxore mea et parentibus nostris in nemore meo de Bar unam quadrigatam lignorum ad usum præfatæ ecclesiæ, quantum unus equus de illo nemore semel in hebdomade poterit abducere. Quod ut ratum habeatur, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo nono. *Cum hoc privilegium, inquam, quod Lebeuf ex archivio S. Mariani Autisiodorensis excerpsit, fuisset latum atque concessum, paulatim S. Dionysii nomen prævaluit, et creditum est a populo S. Dionysium huic ecclesiæ patrocinari ; ita ut anno* 1398 *facta sit miraculi ap-* F *probatio* (*f*), *in qua villici aliquot e Jaugiis, vico una alterave leuca ultra Pontiniacum, si quis Autisiodoro proficiscatur, jacenti, dicuntur* venisse apud S. Dionysium, *et per hujus Sancti merita puero remedium apprecati esse. In adjecta autem nota addit Lebeuf, etiamnum montem, in quo* S. Salvii *oratorium conditum erat,* Tureau S. Denis *(clivum S. Dionysii) nuncupari. Quod vero affirmat, istic olim* S. Salvii *festum die S. Dionysio sacra actum esse, penes eum fides esto ; unicum scilicet fundamentum, cui eum id asserentem innixum fuisse arbitror, illud est, quod crediderit* S. Salvii *festum ad nundinas faciendas ut opportunissimum electum fuisse : num vero S. Dionysii festum, ad quod celebrandum olim tenebantur Galli, oportunius visum sit, judicabit lector, cujus arbitrio Autisiodorensis annalistæ assertum relinquendum visum est.*

Cæterum ignorator S. Salvii vita.

10 *At toti hucusque fuimus in sancti* Salvii *cultu adstruendo, et ipso Sancto ab homonymo vindicando : jam si quæritur quis fuerit, quid egerit, quo tempore vixerit, unde oriundus, ubi mortuus, atque sic deinceps, malo ignarus videri quam temerus esse. Ut*

(*a*) Bibl. nov. Mss., tom. II, p. 697. — (*b*) Ad XVI Octob. in notis. — (*c*) Hist. d'Auxerre, I, table, p. 881. — (*d*) Tom. XII, Instr. col. 126. — (*e*) Tom. II, col. 147. — (*f*) Lebeuf Hist. d'Auxerre, Instrum., p. 132.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *superius jam enuntiavi*, Confessor *dicitur* S. Salvius *in Hagiologio Labbeano; verum illud Hagiologium hoc loco corruptum est, utpote* SS. Salvium *et Vincentium una eademque die annuntians; neque insuper est antiquum satis, quam ut ei soli integra debeatur fides. Quid, si quis eum Martyrem dixerit, atque unum e sociis S. Prisci, cujus festum hodie nonnullis in locis agitur, aut quem alium? Nam plures Sanctorum Martyrum turmæ sanguine suo sacrarunt Autisiodorensem agrum, ut ex Martyrologio et Historia Autisiodorensibus unicuique facile liquet. At Martyrologium hoc ipsum* S. Salvium *monachum facit. Verum duplex, cui innititur, fundamen non satis videtur esse solidum; cum Breviarium Nivernense pro vario tempore varium fuerit; et constitutio S. Aunarii, in qua* cella Salvii *occurrit, non necessario* S. Salvium *monachum fuisse supponat: illud quippe jam videri potuit, cum de cella S. Corcodemi mentionem fecimus; nam S. Corcodemus diaconus, nusquam monachus legitur, et præterea hæc ipsa vox* cella *apud S. Gregorium Turonensem aperte de sacrario Martyris, qui numquam nec monachus nec eremita fuerat, in usu posita est. In libro enim Miraculorum S. Juliani Brivatensis narrat cap.* IV *mulierem* promisisse, ut si sospitem reciperet conjugem, Martyris sepulcrum, in quo posset spatio, cœmento contegeret; et pollicitationem, quam promiserat, cum immensis muneribus adimplevisse. *Quibus dictis caput* V *sic exorditur:* Erat autem haud procul a CELLULA, quam supra sepulcrum Martyris hæc matrona construxerat grande delubrum; *et pergit evolvendo qui puer gentilis* CELLULAM expetierit Martyris gloriosi, super se ostium reseraverit, *et alter puer priorem insequens* adreptum utrumque postem ostium conatus sit infrigere. *Qualia verba non caveam aut sepulcrum, sed oratorium Martyri sacrum, satis superque ostendunt. Unde patet quam caducum sit citati Martyrologii fundamentum. Ad cætera quæsita nihil certi habeo quod respondeam. Satis fuerit* S. Salvium *ab oblivione vindicare, atque erga eum præstitisse quæ in plerosque Hieronymiani Catalogi Martyres conferre in Opere nostro solemus.* D

B E

DE S. GALLO, CONFESSORE

ARBONÆ IN ALLEMANNIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Hujus Sancti memoria in sacris fastis; cultus in variis regionibus.

CIRCA ANNUM DCXXVII.

Sancti nomen initio,

C *Sancto* Gallo, *cujus res gestas illustrare aggredimur, in acceptis referre debet fidem Christianam illa pars hodiernæ Helvetiæ quæ a meridie Lacui Potamico, nunc Constantiensi, adjacet; quamque hodie præter Sangallenses, Appencellani et Glaronenses incolunt. Sanctum nostrum antiquiores* Gallonem, Gallunum, Galliannum *vocasse recte observat Cl. vir Ildephonsus von Arx, Sangallensis abbatialis bibliothecæ Præfectus* (*a*), *donec tandem* Galli *nomen medio sæculo* VIII *inceperit et dein paulatim invaluerit. Sic apud Melch. Goldastum* (*b*) *Rinulfus quidam ait:* Servum Allidulfum cum omnia mea, cum agris, cum pratis, cum campis, cum aquis, etc. trado de meo jure Sanct. Galloni... Notavi quod feci in mense Junio (*Julio?*) V. Id. Julias, in anno XV, regnante Domno nostro Theodorico rege supra Carulum Majorem Domus. *Theodoricus Francorum rex, qui in charta citatur, est Theodoricus IV, qui solus Carolum Martellum habuit Majorem Domus: hic cum regnare cœperit anno* 720 *mense decembri, annus XV regni cum anno vulgari* 735 *concurrit. Nomen* Galluni *et* Gallonis *simul recurrunt in alia ibi charta:* Nos fratres vel monachi Sanct. Galluni confessoris... Præterea sic nobis complacuit, ut annis singulis de festivitate in festivitatem natalis Domini, quod est in mense decembri, censum ad ipsam ecclesiam Sanct. Galloni vel Rectores ejus exsolvere debeas... Facta precaria sub die Lunis V. id. majas, anno X, regnante Domno nostro Pipino Rege Francorum.

varie appellatum,

2 Galliani *nomen habet charta apud citatum Goldastum* (*c*): Ego in Dei nomine Hruothardus filius Bainomi condam... omnia et ex integro in dominationem Sanct. Galliani Confessoris, cujus ecclesia Arboninsi pago fulgit in optima ejusque rector Johanne Pontifice, trado... Ego enim Antuuing lector anno VIII Pippino rege scripsi et subscripsi. Data sub diem quod fecit mensis Januarius dies XV, in Constantia, feliciter. *Joannes abbas post S. Othmarum, qui* XVI *Kal. Dec.* (16 *Nov.*) 759 *obierat, monasterii gubernacula an.* 760 *tenebat. Varias ejusdem nominis inflexiones, teste Cl. Ildeph. von Arx jam laudato, derivabant olim antiqui, alii a Scotico* Gilli, *quod* Cellam *significabat, quasi* Cellitæ, *alii a* Callehc, *quod idiomate Hibernorum* Lac *denotabat. Unde Ermenricus, cænobita Augiensis, qui floruit sæculo* IX, *mortuus* 850, *de* S. Gallo *cantat* (*d*): F

Galle pater, pulchro qui lactis nomine fulges,
Lacta me sancto lacte, beate, tuo.

Gallus *tandem Sanctus confessor noster vocatur in charta anni* 744 (*e*). *Initio quidem dicitur:* Sacrosancta ecclesia S. Gallonis conf. et aliorum plurimorum Martyrum et Confessorum, qui (*quæ*) est constructa in sito Durgaunense et in pago Arbonense; *sed pergit Lantbertus:* Omnia et ex integro

(*a*) Pertz Monum. Germ. Hist., tom. II, p. 5. — (*b*) Rer. Alamann. Script. t. II, p. 36 et 48. Edit. an. 1730 et Neugart Cod. diplom. Alaman. Chart. IX, t. I, p. 11. — (*c*) Rer. Alamann. Script., p. 45. — (*d*) Pertz Monum. Ger., tom. II, p. 5. — (*e*) Neugart Cod. Diplom., tom. I, p. 12.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A integro a die præsente de meo jure in dominationem ecclesiæ S. Galli, vel Autmaro ejus rectore... trado atque transfundo pro animæ meæ salutem... Data sub die IV id. Septemb. an. III. Carlomanno majorem domo sub Chanchurone comite. *Defuncto Carolo Martello successit Carlomannus major domus Austrasiæ; currebat itaque die* X *Septembris annus III majoratus Carlomanni.*

donec Galli *appellatio circa medium sæculi* VIII

3 *Esset fortassis, qui* Galli *nomen multo citius existimaret usurpatum, quum apud citatum P. Neugart* (*a*) *videt chartam sub anno* 679 *notatam, in qua Sanctus noster* Gallus *diserte appellatur. Totam ad verbum exscribam, quia brevis est :* Partem ecclesiæ nostræ quæ dicitur Raudeinleim, ubi Landarius presbyter præsens esse videtur. Ebo et conjugis (*conjux*) mea Odalsinda et Alodoes aliqua de rebus suis adfirmaverunt et tam tradiderunt ad S. Gallum — quidquid in Vachinchova, et in Laidolvinshova, Bodinchova icagimus (*possidemus*) omnibus et ex omnibus ad ipsum S. Gallum tradimus — Actum in Vachinchova villa publici. Sig. Ebonis et cojovis meæ Odalsindæ, quæ fieri rogavit. Sig. Volffaro, Bertario, Aimo-

B ni, Vuaninco, Teutmaro, Berno Comitis, Cunleusotes, Auttini, Dodoni. Ego Landarius presbyter roitus (*rogatus*) scripsi. Data VII idus Septemb. anno X rigni domni nostri Ildirici Riis. *P. Neugart ad diploma cit. putat illud ad annum X Childerici pertinere, proinde an an.* 670, *hac ductus ratione :* Tres numerantur, *ait*, Childerici Francorum reges. Alter Clodovei I parens decessit an. 481 ; atque adeo plus integro sæculo ante incunabula monasterii S. Galli. Alter Clodovei II filius natu minor, qui fratri Clothario III in regno Austrasiæ sub tutela matris suæ S. Bathildis successit an. 660, dum legitimus regni hujus hæres, Dagobertus II, Sigiberti II filius , iniquis Grimoaldi artibus throno privatus in Scotia exulabat. Tertius fuit Chilperici II filius, Neustriæ atque Burgundiæ rex, ac jure quidem suo etiam Austrasiæ, in qua tamen ejus exercitio impediebatur Carlomanni ducis potentia, qui an. 742, diviso cum fratre suo Pippino Francorum regno, Austrasiam deinceps sub ducis quidem nomine, at regia certe auctoritate administravit, aut subegit potius. Unde Childerici III nulla fit in chartis nostris antiquis memoria, nisi addito

C simul Carolomanni majoris-domus nomine. Præsens itaque charta neque ad annum 752, ut Goldasto placuit, neque ad an. 751, quæ P. Herrgotti sententia est, sed ad an. 669 vel 670 spectat, Childerici II decimum. In codice S. Galli notatur ad marginem, nescio quam ob causam, annus 678.

prævaluerit. 4 *Fateor equidem superesse diplomata, in quibus aut Carolomannus solus, aut Childericus III cum eodem subnotantur, quando de Austrasia agitur. Nihilominus sunt etiam chartæ pro Austrasia, in quibus Childericus III solus signatur. Apud Mabillonium* (*b*) *tria reperiuntur diplomata pro monasterio Honaugiensi*, in pago, *ait ibidem Pippinus rex in litteris confirmationis*, Alsacense super fluvium Rhenum : *erat autem Alsatia pars regni Austrasiæ, ut monstravit Henschenius noster* (*c*) *et Schoepflinus* (*d*). *Prima est donatio facta Borono et concluditur* : Data donatio hæc die Martis proximo post medium mensem Aprilis anno IV regni Domini nostri Hilderici regis (22 *Apr.* 749). *Alterum ab Hugone filio Bleoni, qui fuit ducis Adalberti, fundatoris Honaugiensis, ex fratre nepos, ex-*

(*a*) Neugart Cod. Diplom., tom. I, p. 5. — (*b*) Annal. Ord. S. Benedicti tom. II, p. 650. Edit Lucens. — (*c*) Act., SS. t. I Februar. p. 209. — (*d*) Alsat. Illust., t. I, p. 621.

AUCTORE J. V. H.

plicit : Actum publice in insula Hohenaugia. Datum sub die IV kal. Junias annos VI regni domini nostri Hilderici regis. *Tertium a Bodalo filio prædicti Hugonis*, Datum mense Octobris die XII, anno VII regni Domini nostri Hilderici (an. 750). *Hæc satis probant regulam P. Neugart exceptiones pati, proindeque chartam Ebonis posse referri ad Childericum III, si pro anno regni* X *legamus* VIII ; *qui, quia* IIX *scribitur, incuria librariorum facile ad* X *excrescere potuit. Atque hæc de ipso sancti* Galli *nomine dicta sufficiant.*

Ejus memoriam celebrant

5 *Non est quod operose investigemus Martyrologia et Kalendaria, quæ cultum* S. Galli *promulgant. Quotquot fere sunt, quæ in Ecclesia Latina post Sancti obitum conscripta aut aucta sunt, tot sunt ejus meritorum præcones. Instar omnium sit B. Notkerus, dictus* Balbulus, *de quo Majores nostri egerunt* VI *Aprilis* (*e*). *Hic an.* 870 *Martyrologium conscripsit, ut ipse fatetur ad diem* X *kal. Junii* (23 *Maii*), *agens de S. Desiderio episcopo Viennensi et Martyre* (*f*). *Hunc præ cæteris adducimus, quia auctor domesticus et antiquus compendiosam Sancti nostri Vitam exhibet. Porro ad diem* XVII *kal. Nov. hæc habet :* Apud Alemannos qui E et Suevi, juxta Alpes Rhetianas, depositio sive transitus vel ad æternam vitam natalis dies, Beatissimi Galli Confessoris, festive celebratur. Qui de insula Hybernia, quæ inter Britanniam et Hispaniam sita est, divini amoris instinctu cum magistro et abbate suo Columbano peregrinaturus per Gallias iter agens, Alemanniam ingressus est. Veniens igitur in eremum, quæ sita est infer alpes Rhetiarum et Brigantini marginem lacus, patre Columbano Italiam petente, infirmitate detentus est. Qua divina medicante manu devicta, sanitateque recepta, solitariam ducere vitam desiderans, eremi secreta soli Deo vacando, non vacans fovebat. Rex igitur Sigibertus, ut audivit in publicis eum commorari possessionibus, jussit fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem obtineret, datis etiam illi auri argentique ponderibus, Cunzoni duci præcepit, ut si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ad ædificandam cellam subministraret.

Martyrologia, imprimis B. Notkeri,

6 Athleta itaque Dei spirituale constructurus ædificium, parsimoniæ, orationi, vigiliisque insistens, populum ab errore idololatriæ revocavit, F simulacra eorum confregit, signorum effectu prædicationem suam audientibus commendavit. Quarum numerositatem, quia liber vitæ et virtutum ejus ubique habetur et legitur, hodieque per miracula, quæ prius gesta sunt, augmentantur, in præsentiarum supersilimus, hoc solum commemorantes, quod divina pietas, Beatum Gallum genti Alemannicæ apostolum fecit, qui nationem, quam paganismo involutam reperit, fidei veritate imbutam, de tenebris ignorantiæ ad solem justitiæ, qui Christus est, ipse callis Dei solers viator reduxit, ac locum quem eatenus humanæ naturæ inaccessibilem, solisque bestiis , serpentibus et dæmoniis obsessum invenit, exturbatis hostibus, divinitati habitaculum exhibuit. Videndum summopere ac timendum est, ne tabernaculum Dei, quod demonstratione divina multisque sudoribus vir sanctus erexit, quodque regali auctoritate in sortem et funiculum hæreditatis Dei sequestratum est, aliqua humanæ præsumptionis temeritate impetatur, ne avaritia occupet hominum, quod a rabie dæmonum et sævitia expurgatum

(*e*) T. I April. p. 373. — (*f*) Ap. Canis. Antiq. Lect. tom. II, part. III, p. 130. Edit. Basnag.

est

AUCTORE J. V. H.

est belluarum : postremo ne quo delati sunt ab equis indomitis artus Galli defuncti, ibi eum molestare præsumat inquietudo quælibet ausus humani. *Hæc B. Notkerus ex Vita infra danda præcipue deprompsit.*

S. Adonis et Usuardi, quamvis alia die,

7 *Ado et Usuardus memoriam* S. Galli *faciunt* x *kal. Martias* (20 *Feb.*) Cur hac die, *ait Sollerius noster*, ab Adone celebretur, equidem non perspicio, nisi forte de alia translatione aut elevatione agatur. *Eadem conjectando opinantur Mabillonius* (*a*) *et Colganus* (*b*). *Non repugno conjecturæ, quia alia firma non occurrit. Certe Ado, cui epistolarum commercium erat cum monachis Sangallensibus, ut constat ex Notkero ad* x *kal. Junii, non videtur ignorare potuisse diem natalem Sancti; unde merito concluditur occasione alicujus festivitatis memoriam* S. Galli *celebrari apud Adonem et Usuardum* x *kal. Martias. Verum me torquet scrupulus, quem removere non valeo : scilicet si ratione alicujus translationis aut elevationis solemnis erat* S. Gallo *dies* x *kal. Martias, qui fit ut Notkerus, auctor domesticus, et Adoniani operis non indiligens scrutator, quod Sollerius cum Papebrochio probat* (*c*), *tamen hanc festivitatem dicta die omnino prætermiserit? dum translationis memoriam assignaverit in diem* XVI *kal. Novembres* (XVII *Oct.*) *una cum dedicatione ecclesiæ Sangallensis, his verbis :*

B

fortassis occasione illatarum in Gallias Reliquiarum ;

8 Translatio corporis Sancti Galli et dedicatio opiparis *(opiparæ)* et decentissimæ basilicæ ipsius, quæ inter duos montes Cirrium et Walthrammesberch constructa est, a meridie habens fluvium Steinaha, ab Aquilone fluvium Nigraha. Qui locus ex ipsius Beati nomine Sancti Galli monasterium cognominatur. Ubi Domino virtutum ejus merita declarante, cæci illuminantur, surdis auditus tribuitur, mancis operari conceditur, multi linguarum laxatione gratulantur, claudis gressus diriguntur, energumeni a spiritibus nequam liberantur : clinici atque contracti indepta gratis sanitate eriguntur, dolor dentium medecina trabis compescitur, reliquarum etiam infirmitatum exinanitio ibidem efficitur. *Non itaque Notkerus omittit translationis memoriam : quod si alia quædam celebrata fuisset, profecto præ cæteris eamdem celebrassent Sangallenses monachi. Siquidem res hæc nudis conjecturis hic peragitur, mallem opinari annuntiationem hanc in Adonianum et Usuardinum Martyrologium illatam fuisse occasione donationis Reliquiarum, aut arbitrariæ festivitatis in Galliis institutæ.*

C

ejus cultus ritu

9 *Nam cultum* S. Galli *celeberrimum olim exstitisse, ipsa ritus singularitas satis demonstrat. In ejus olim festivitate ternæ a singulis sacerdotibus celebrabantur Missæ, sicut hodiernus est mos in festo Nativitatis Christi. Id testatum facit doctissimus Pater Franciscus Antonius Zacharia* (*d*), *quando ait existere Romæ in bibliotheca Barberiniana Capitulare Evangeliorum, quod olim ad Sangallense monasterium spectasse videtur, in quo ad diem* XV *Octobris adnotatur* Vigilia S. Galli, *et in ipsa die festa præscribuntur terna evangelia pro totidem Missis. Similiter eruditissimus Martinus Gerbert, San-Blasianus abbas, in suo libro quem de* Veteri Liturgia Alemannica *inscripsit, agens de Canone Missæ, dicit in* codicibus Alemannicis, San-Gallensibus præprimis, nonnumquam nomina *SS. Columbani* et Galli occurrere : *citatque Sacramentarium Gladbacense, in quo leguntur ad* Communicantes *nomina* Bonifacii, Lamperti, Gregorii, Hieronymi, Galli, Benedicti, Nicolai, Oudalrici, *quibus subnectitur*, necnon et illorum quorum solemnitas hodie in conspectu majestatis tuæ celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum, eorum quoque quorum Reliquiæ in hac sancta ecclesia Dei conditæ sunt, et omnium Sanctorum quorum meritis, *etc. Refert idem Martinus Gerbert* (*f*) *inter cimelia monasterii sui cappam choralem opere plumario, cujus imaginem exhibet, servari : in illa videtur quoque imago* S. Galli, *librum sinistra tenentis.*

D

et extensione

10 *Unde late propagatum fuisse* S. Galli *cultum plurima monumenta testantur. Jam sæc.* VIII *ædificata fuerat basilica seu cappella* in honorem Dei *et* S. Galloni *a quodam Ruothao, in villa* Willimundincas (*Welmedingen*) *pagi Burichincas, qui teste P. Neugart* (*g*) inter comitatum Hohenzolleranum et Alpes Suevicas ad sinistram Danubii situs est. *In Alsatia præter villam* S. Galli *in Marca Veteri* (*h*), *erat in agro suburbano Argentinensi capella sub invocatione* S. Galli *dicata, quæ postea in cœmeterium mutata est. Teste Nic. Serario* (*i*) *exsistebat quoque Moguntiæ* apud macellum superius, sacellum S. Galli. *Pragæ in Bohemia servatur summo honore caput et brachium* S. Galli (*k*), *ejusque festum ritu duplici juxta proprium Pragense an.* 1732 *celebratur. Cæterum Germania pene universa officio ecclesiastico colit* S. Gallum ; *præcipue tamen Constantiense Breviarium anni* 1575, *Herbipolense an.* 1597 *et Passaviense anni* 1505, *ampliori cultu, senis nempe lectionibus historicis et antiphonis hymnisque propriis Sanctum nostrum prosequuntur.* Remotioribus sæculis ecclesiam S. Gallo sacram erectam a Florentinis *recte opinatur Lamius* (*l*) : nam Sancti Galli abbatis fama, ob infinita propemodum ab eo patrata miracula, cunctas Europæ regiones pervaserat ab usque saltem sæculo IX. *Multis dein agit Lamius l. c. de dicta ecclesia ;* quæ demum anno 1529, quum obsidio urbis immineret, solo æquata est. *Jam ante civitaverat Joannes Lamius* (*m*) *Litanias Florentinas sec.* XI *ex codice rituali bibliothecæ Laurentiana, in quibus inter SS. monachos invocatur* S. Gallus, *ideo* quia Etrusci magna eum veneratione prosequuntur.

E

celeberrimus fuit.

11 *Verosimiliter eadem ex causa Venetiis erectum fuit oratorium et hospitium sub invocatione* S. Galli, *intra limites parochiæ S. Geminiani pont. quod a B. Petro Urseolo, Venetiarum duce, postea monacho, fundatum, dein alio sub invocatione S. Marci translatum fuit* (*n*). *In diœcesi Aquileiensi exstabat monasterium S. Mariæ et* S. Galli *in loco dicto* Mosino, *seu* Mosacio, *ut constat ex donatione facta a Macelino de Coha an.* 1047, *Indict.* XI *seu potius* X ; *confirmata dein a Lucio PP. III, anno* 1184 XIII *kal. Octobres, ut constat ex Annalibus Ordinis Calmaldulensis* (*o*) : *quod monasterium P. Joannes Franciscus De Rubeis vocat Mosacense a Cacellino comite fundatum, cujus templum consecratum fuit* V *kal. Sept. an.* 1119 *ab Andrea Civitatis Novæ episcopo, conbenedicente venerabili Patriarcha Vodalrico, qui etiam Abbas Sangallensis erat. Ad jus monasterii S. Severi Classensis, Ravennatensis diœcesis, pertinuisse* medietatem de ecclesia S. Galli cum omnibus suis bonis, *testatur bulla Alexandri PP. II, data Anagniæ* VI *kalendas Januarii* 1062, *indictione* XV (*p*). *Anno autem* 970

F

(*a*) Annal. Ord. S. Bened., t. I, p. 360. — (*b*) Act. SS. Hibern. ad XX Februar., tom. I, p. 382. — (*c*) Præf. in Martyrol. Usuardi, p. XIX. — (*d*) Stor. letter. d'Ital., tom. III, p. 157. — (*e*) Part. I, Disq. IV, c. III, § XXVII, p. 358. — (*f*) Ibid., p. 266. — (*g*) Cod. Diplom. Chart. LXIII, t. I, p. 60. — (*h*) Schœpflin Alsat. Illustr., tom. II, p. 214, 301 et 352. — (*i*) Ap. Christ. Johannis Rer. Mogunt., tom. I, p. 85. — (*k*) Act. SS., tom. I Januar. p. 1081. — (*l*) Flor. Eccl. Monum., t. II, c. 1286. — (*m*) Ibid., t. I, c. 565 seq. — (*n*) Cornel. Eccl. Venet. Monum., tom. III, p. 245 et seq. — (*o*) Mittarelli Annal. Camald., tom. III, p. 315 et in Append. p. 507. — (*p*) Monum. Aquilej., p. 545. — (*q*) Mittarelli, tom. II, in Append., p. 181.

Gauslinus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Gauslinus episcopus Patavinus cum juxta ecclesiam S. Justinæ cœnobium construxisset, eidem donat varia bona* (*a*), *inter quæ* totam decimam, quæ jacet in comitatu Vicentino, loco ubi dicitur Masone, cum capella quæ est constructa ad honorem S. Galli, cum quartis et decimis et cum omnibus rebus, quæ ibidem pertinent : *qua de re confer Commentarium prævium de sancta Justina die* VII *Octobris* (*b*). *Celebris erat quoque* S. Galli *cultus apud Camaldulenses monachos : nam ab Avellanitis eremicolis invocatur* S. Gallus *inter paucos patronos Benedictinos, qui in Litaniis reperiuntur* (*c*). *In veteri Ordine divinorum Officiorum per Martinum III, Priorem Camaldulensem an.* 1253 *compilato p.* II, *c.* IX. *de* S. Gallo *fiebant* tres lectiones (*d*). *Necrologium Vangaticensis monasterii, quod in Adriensi diœcesi sub archiepiscopatu Ravennate situm est, ad* XVI *Oct. præscribit* S. Galli Abbatis XII lectiones (*e*). *Quæ omnia demonstrant celebrem fuisse cultum* S. Galli *in Ordine Camaldulensi.*

B

§ II. Acta S. Galli discutiuntur.

Acta S. Galli

Acta S. Galli *celebratissima, legentiumque manibus frequentissime trita, auctorem habent Walafridum Strabonem, Augiæ divitis abbatem, qui adolescens in Sangallensibus scholis versatus, postea S. Rabani, tunc Fuldensis abbatis, auditor, abbatialem dignitatem in Augia insula, diœcesis Constantiensis, adeptus est. Moritur, teste Hepidanno* (*f*), *anno* 849, *sub quo scribit :* Walafredus abbas Augensis obiit. Ille vir litteratus Vitas Sanctorum Galli et Othmari ad petitionem Gozperti abbatis compilavit eleganter. *Gozpertus, ad cujus instantiam Walafridus Vitam* S. Galli *conscripsit, abbas Sangallensis fuit ab anno* 816 *usque ad an.* 837, *quando ætate gravis regimen reliquit Bernwico, ipse superstes usque ad annum* 843 (*g*). *Gozperti tempore conscripta igitur fuit Vita Walafridiana anno* 833, *ut constat ex prologo Vitæ metricæ* (*h*) :

Jam, ni fallor ego, messes rediere bis octo,
Ex quo actus Galli scripsimus egregii :
C Tunc Cæsar Ludovicus erat nudatus honore,
Nunc heres ejus nominis alter adest. (A. 833).

Qui hic dicitur hæres Ludoviciani nominis, est Ludovicus dictus Germannicus, tertius Ludovici Pii imperatoris filius, qui anno 843 *orientalem partem Franciæ, in qua erat Alemannia, accepit* (*i*).

a Walafrido Strabone elegantius elaborata ;

13 *Erat, uti videtur ex initio prologi, Walafridus in juventute sua monachus in cœnobio Sangallensi, cum se erga Gozpertum* ad necessitatem obediendi constrictum *fateatur, quod vix alio modo intelligi potest, quam professione monastica ad* S. Galli. Nisi me sanctarum auctoritas Scripturarum et præcipue illa veridici prophetæ sententia, qua sacrificio obedientia præfertur, ad necessitatem obediendi constringeret, præceptis vestris, o sanctissimi Patres, apologiæ hujusmodi genus opponerem : si propheta qui.... priusquam exiret de ventre, sanctificatus est.... de ætatis infirmitate et ignorantia conquestus est ; (*Jerem. I*) quid ego peccator acturus sum... *Quomodo justitias Domini enarrabo et adsumam testamentum ejus per os meum,* cujus ætatem nec tempus adhuc implevit, nec scientia commendavit? *Deinde tres assignat causas, cur arduam scriptionem susceperit, imprimis obedientiam, dein fiduciam se* S. Galli *intercessione ac fratrum precibus adjuvandum fore.* Postremo quod alienis insisto vestigiis, veritatisque tenendæ lineam novis tantummodo cogor passibus dimetiri. Vitam igitur sancti Confessoris Christi, Patroni nostri, cujus corporis thesaurum fidelibus servatis excubiis, sensu nobilem, scripto degenerem, vultis a me lumine rectæ locutionis ornari et seriem confusam capitulorum distingui limitibus.

AUCTORE J. V. H.

sed desumpta ex antiquiore scriptore

14 *Pergit deinde Walafridus aliam notam characteristicam primarii auctoris, cujus vestigiis insistit, designando :* Porro dum pridem ipsum opus perlegerem, inveni ab auctore ejusdem conscriptionis terram, quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, *Altimanniam* sæpius nominari; sed ipsius nominis originem quærens, apud nullum scriptorum, quorum adhuc notitia nos respersit, ejus reperi mentionem. Nisi fallor enim, ab alto situ provinciæ idem vocabulum a modernis confictum est. *Si notas hic expositas, præsertim* stylum degenerem, *et usurpatam* Altimanniæ *vocem conferamus cum eo, quod Walafridus presse insistat vestigiis auctoris Vitæ* S. Galli *infra edendæ, quamque primus publici juris fecit Ildeph. von Arx, olim abbatialis archivii præfectus* (*k*), *nulli dubium esse potest, quin hæc Vita sit illa ipsa, quam Walafridus indigitat. Nam quod* stylum degenerem *attinet, inspexisse illam vel obiter, sat est, ut nobis persuadeamus merito hujusmodi notam inustam scriptioni fuisse. Vocem* Altimanniam, *non quidem reperimus ; sed, quod idem significat, num.* 5 *et* 43 Altam Germaniam, *derivatam profecto* ab alto situ provinciæ : *imo cum Walafridus dicat Altimanniæ* vocabulum a modernis confictum esse, *rem potius quam vocem prisca Vita continere debuit.* E

qui circa annum 771 *floruit,*

15 *Antiquioris Vitæ auctor floruit circa annum* 771. *Nam postquam n.* 45 *dixisset :* Multa etiam audita (*miracula*) prætermissa sunt, dum ad ea festinatur, quæ visu comprobata sunt : *ultimo loco narrat miraculum num.* 47, *quod* quarto anno regni Carlomanni actum est. *Carlomannus, de quo sermo, filius est Pippini regis, frater Caroli Magni. Illi post mortem patris* VIII *kal. Octobris an.* 768 *obtigit regnum Austrasiæ. Igitur miraculum de quo agit auctor Vitæ antiquioris accidit inter* VIII *kal. Octobris* 768 *et pridie non. Decembris* 771, *quo obiit Carlomannus. Ildeph. von Arx in notis criticis, quibus hanc Vitam illustravit, annum quartum Carlomanni dicit esse annum vulgarem* 745 ; *sed recte corrigunt editores monumentorum Germaniæ : quippe qui non attenderit illic non agi de Carlomanno majoredomus, filio Caroli Martelli, qui an.* 741 *Austrasiam gubernavit ; sed de Carlomanno Pippini regis filio. Quod manifestum fit ex anno quarto regni ejus ; regum enim, non inferiorum principum annis chronologia ordinabatur : deinde jam ante narraverat miraculum,* tempore Pippini gloriosi regis actum, *quod demonstrat sermonem esse de Carlomanno, Pippini regis, non vero de Caroli Martelli filio, proindeque recte poni annum* LXXI *sæculi octavi.* F

unde diversus est

16 *Mabillonius* (*l*), *de eadem Vita agens, ait ei præmissum esse prologum metricum, incipientem hoc versu :*

Cum mundus per inania vertatur volitando.

eamque tribuit Wetino monacho : quem quoque

(*a*) Ughelli Ital. Sacr., t. V, p. 434. Edit Colleti. — (*b*) T. III Octobris, p. 807, n. 72. — (*c*) Mittarelli, t. II, in Append. p. 342. — (*d*) Ibid., tom. VI in Append., p. 170. — (*e*) Ibid., tom. VII in Append., p. 397. — (*f*) Goldast. Rer. Alamann., tom. I, part. I. — (*g*) Cfr., Catal. Abb. S. Galli. Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 35 et 67. — (*h*) Ibid., p. 31. — (*i*) Pertz monum., t. I, p. 365 et 440. — (*k*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 5. — (*l*) Vet. Analect., p. 20. Edit. Paris. an. 1723.

ejus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

ejusdem scriptionis auctorem facit Goldastus (*a*) *in suis animadversionibus ad Vitam Walafridianam. Imprimis Vitæ antiquiori non videtur prologus metricus præmissus fuisse, quum Ms. circa initium sæculi noni confectum, atque ab Ildeph. von Arx editum, nullo præcedente prologo litteris uncialibus rubricatis absolute ordiatur :* Incipit liber primus de Vita atque virtutibus Beati Galli Confessoris. *Citatus a Mabillonio versus reperitur in* Cantilena *de* S. Gallo, *barbarice, id est, Teutonice a Rahperto monacho Sangallensi post medium sæculum* IX *composita* (*b*)*; ac* postea *carmen illud* fratrum quidam, cum rarescere, qui id saperent, videret, ut tam dulcis melodia latine luderet quam proxime potuit, transferens, talibus operam impendit. *Probari quoque non potest sententia Mabillonii et Goldasti antiquiorem hanc Vitam Wetino, Augiensi monacho tribuentium : Wetinus obiit, ut ex ejus visione constat,* III *kal. Novembris anno* 824 (*c*), *et quidem quando* juventus adhuc floruit (*d*). *Non potuit itaque auctor esse Vitæ circa annum* 771, *seu ante annos circiter* LIII *conscriptæ.*

a Wetino : Acta igitur anonymie damus.

B

17 *Aliud quoque argumentum suadet Wetinum non esse auctorem antiquioris Vitæ* S. Galli : *Walafridus lib.* II, *cap.* X *vocat* priscum *scriptorem Vitæ, quod Wetino convenire non potest, novem annis ante defuncto :* Descriptis his quæ priscorum sollertia de vita, fine et virtutibus B. Galli ad nos usque scripto transmisit : hinc ea stylo comprehendere tentabimus, quæ a fidelibus testibus indicata, a carissimo fratre Gotzberto litteris sunt mandata. *Certe Walafridus neque Wetinum, sibi optime notum, utpote cujus visionem carmine adornarat, tacuisset, neque* priscorum sollertiæ *ejus scripta tribuisset. Hæc abunde probant perperam antiquiorem* S. Galli *Vitam Wetino Augiensi adscriptam fuisse. Excluso Wetino, nullus occurrit quem auctorem hujus Vitæ certo nominare possimus : Cl. Weidmann, bibliothecæ monasterii San-Gallensis præfectus, censet* (*e*) *Winitharium, qui monachus et decanus in eodem monasterio erat anno* 766 (*f*), *auctorem antiquioris Vitæ esse : cui opinioni fidem aliquam conciliant Winitharii ætas et in scribendo solertia* (*g*). *Quoniam tamen adhuc incerta est sententia, malui auctorem antiquioris Vitæ sub* Anonymi *titulo laudare. Cæterum Anonymum nostrum præcessisse videtur alius scriptor, qui vitam* S. Galli *rythmice decantaverat. Tota enim narratio rythmis inspersa est, qui cantilenas quasdam in honorem Sancti compositas præsupponunt : inutile foret rythmorum argumenta, adferre, quum unam alteramve periodum legenti statim occurrent. Ipsa sanctitatis fama excitaverit poetam licet agrestem, ut res gestas beati viri vel inconcinne cantaret. Atque hæc fortassis est ratio, cur non pauca sint, quæ cum historia et Chronologia conciliari ægre possint. Sed antiqua satis est, ut non omnem scriptioni abrogemus fidem.*

C

S. Galli *Vitam metricam inchoavit Walafridus.*

18 *Quum, uti præfati sumus, Walafridus presse vestigiis Anonymi inhæserit, inutile duxi ejus lucubrationem annectere : si quid occurrat diversum, melius in adnotationibus ad Anonymi Vitam subjungetur ; atque in decursu hujus commentarii Walafridum in citationibus præferam Anonymo, ut præcipui textus a lectore facile comparari possint. Walafridus præterea promiserat monachis Sangallensibus :* Si gratanter recte a nobis posita susceperitis, clementer vero titubantia correxeritis, et si Dominus permiserit, hujus operis agreste pulmentum postmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippe est, ut nostris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad nostram salutem Dominus destinavit. *Videtur Walafridus, aliis negotiis impeditus, anno* 849 *primam manum promisso operi admovisse, sed eodem anno morte præventus* vitam, *ait Ermenricus Augiensis* (*h*), in Vita finivit. *En prologus Vitæ metricæ* (*i*) :

D

Promissi memor ecce mei, Gozberte, quod olim
Devovi, ad præsens solvere, care, volo.
Pulmentum, quod agreste lebes pro tempore pro-
Apposuit, metricis condiet en salibus. [sæ]
Non ignoro aliquos memet culpare morarum,
Qui quamvis sero, debita solvo tamen.
Cum promissa sciunt patribus meruisse nepotes
Post multosque dies semina jacta meti.
Jam, ni fallor ego, messes rediere bis octo,
Ex quo actus Galli scripsimus egregii :
Tunc Cæsar Ludovicus erat nudatus honore,
Nunc heres ejus nominis alter adest.
Ordior ergo heremo degens operator in ipsa,
Quam pater incoluit Gallus, amatque fovens.
Scripturæ faciens epigrammata certa prioris
Tritæ calle viæ gressibus ibo novis.
Quoque magis celsis tanto brevioribus utar
Jungens contiguis compita multa locis.
Suscipe, suscipiant, quîs cordi est, quod placet
Auctori tribuant, quod fetet ecce mihi [Alto,]

E

Mutato dehinc metro Vitam versibus hexametris prosequitur ; cui labori immortuus est.

Alii quoque

19 *Præter Anonymum et Walafridum fuerunt etiam alii qui Vitam* S. Galli *prosa et versibus illustrare tentarunt. Horum labores accurate recenset Ildephonsus von Arx Præf. ad Vit.* S. Galli (*k*), *cujus verba, ne actum agam, hic referenda censui :* At cum illum (*Walafridum*) multis negotiis publicis impeditum sciret diaconus Gozbertus *(Gozberti abbatis Sangallensis nepos)* Ermenricum ejus monachum, qui tum in S. Gallo morabatur, ut spartam hanc ornaret, adhortari cœpit, quod et is promisit. At cum eum præfatione exacta nimium cunctantem experiretur, et is idem Gozbertus (ut Ermenricus cavillando scribit) « sitibundus de uno fonte non putaret sitim suam » posse sedari, ad mare cucurrit ; scilicet Homerum nescio quem novum pro hac re invocans

F

» cis Rhenum, qui in morem Flacci non currit » in poemate, sed fluit, » animadvertit idem Gozbertus et Scotigenam quemdam in Ausoniæ partibus degentem ad gesta divi Galli metro pangenda, quæ canere Rihpertus magister in S. Gallo jam adgressus fuerat. Hunc præfatus Ermenricus in epistola (*melius fragmentis*) codici n. 265 inscripta, ét a Mabillonio (*l*) edita his ludificatur verbis : » Et alpes philosophantur circum, sub » (ex) quibus jugum Sambutinum (die Santis- » Bergkette) * Rihpertus lyrico possidet sono ; » et si nosset antra musarum, esset talis ut Cin- » thius Apollo. »

* *Mabillon* Radpertus

res gestas Sancti

20 Horum ingenio ante medium sæculi noni duplici poemate decantata est vita S. Galli. Unius meminere sæpe dictus Bibliothecæ syllabus (*nongentorum annorum*) his verbis : « Metrum » de vita S. Galli in quaternionibus, vol. I, » et Notkerus Teutonicus seu Labeo in sua psalmorum translatione dicens : « Solhe allusiones sint

(*a*) Rer. Alaman. t. I, part. II, p. 248 et alibi. — (*b*) Pertz Monum., t. II p. 33 et 59. — (*c*) Ap. Canis. Antiq. Lect., t. II, part. II, p. 208 : cfr tamen Annal. Wirciburg. (Pertz, t. II, p. 240), Wetini visionem ad an. 827 referentes. — (*d*) Ibid., p. 220. — (*e*) Geschicht. der Bibliothek von St Gallen, p. 285. — (*f*) Neugart Cod. diplom. Chart. XLV, tom. I, p. 47. — (*g*) Gesch. der Bibl. St Gallen. p. 2. — (*h*) Mabillon. Vet. Analect., p. 421. — (*i*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 31. — (*k*) Ibid., p. 3. — (*l*) Mabillon Vet. Analect. loco citato.

» in

A » in vita S. Galli, diu metrice getan ist, dar diu » officia gesezzet werdent. » Ac nota marginalis litteris sæculi duodecimi codicis n. 564 paginæ 69 inscripta sic : « Hic legendus est sermo scī » Galli, qui reperitur in Vita ejus metrica. » Altera Vita S. Galli metrica, quam catalogus bibliothecæ an. 1461 confectus his verbis indigitat : « S. Galli Vita metrica, aliquot etiam sermones, » extat etiamnum in codice papyraceo sæculi decimi quarti n. 587, sed pro perverso hujus ævi more eousque male scripta, ut propositum de ea edenda potius temeritatis quam diligentiæ conatum vocaverit Heinricus Canisius (*a*). Cum autor hujus poematis se Galli desertum inhabitare, ejus Beati Vitam prosaicam jam anno 834 scripsisse, illam tum et metro dare Gozberto adpromisisse et nunc post sedecim annos promissis his stare scribat, hæc alicui alii quam præfato Rihperto melius quadrare non judico, supposito quod et is primigeniam S. Galli Vitam correxerit a mendis.

illustrarunt, 21 *Videntur tamen hæc postrema verba melius convenire Walafrido quam Rihperto ; imprimis certum est Walafridum prosa scripsisse Vitam* S. Galli, *eamdemque illustraturum se carmine promisisse : dum prosaica Vita a Rihperto nulla cognoscatur, nam quod* fortassis primigeniam S. Galli Vitam correxerit a mendis, *conjectura est, quæ etiamsi fundata, tamen distat a scriptione Actuum* Galli egregii, *ut loquitur prologus. Tempus etiam Walafrido convenit : an.* 833, *non vero* 834, Cæsar Ludovicus erat nudatus honore, *unde cum* messes rediere bis octo *seu post annos* XVI, *incidimus in annum Walafridi emortualem* 849 ; *et tunc vere, ut Ermenricus ait,* vitam in Vita finivit, *seu labori immortuus est. Neque omittenda est allusio :* Pulmentum, quod agreste lebes, *etc., cum verbis prologi prosaici :* si gratanter.... susceperitis.... hujus operis agreste pulmentum postmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. *Singularis hæc et aliquantum ignobilis imago* pulmenti, *vix duobus scriptoribus occurret. Aliquid nihilominus difficultatis facessunt versus prologi :*

B Ordior ergo heremo degens operator in ipsa,
Quam pater incoluit Gallus, amatque fovens.

Certe si intelligerentur de ipso Sangallensi cœnobio, quasi anno 849 *ejus incola fuisset Walafridus, conciliari non possent cum præfectura, quam tunc gerebat monasterii Augia Divitis : sed commode explicantur carmina de toto regionis tractu, quem Sanctus vir laboribus apostolicis excoluerat, in quo proin et Augia Dives, quatuor tantum leucis helveticis cum dimidia a Sangallensi cœnobio distans. Alia etiam occurrit explicatio versuum : dixerat poeta,* TUNC Cæsar, *etc.*, NUNC heres, *etc. ; et duo sequentia disticha applicat utrique tempori :* Ordior ergo, *etc., quando* Cæsar, *etc. ;* scriptura prioris faciens epigrammata, ibo novis gressibus, *quando* nunc heres, *etc. Hæc dicta sunto, ut reddam rationem cur ab Ildephonso von Arx dissentiam. Nunc ad ejus commentationem redeamus.*

C *sed nihil novi protulerunt.* 22 De auctore alterius Vitæ metricæ, quæ a bello Tigurino anni 1712 apud nos desideratur, nihil examinandum superest (*b*).... Celebravere quoque S. Galli gesta S. Notkerus et Ratpertus vergente sæculo nono, quorum prior Vitam ejus vario metrorum genere tribus libris prosecutus est. Opus hoc jam quidem non superest, et ne quidem ejus fragmenta ante ducentos annos a Metzlero collecta et abs Canisio edita (*c*) : at illud hunc in modum recensitum legitur in catalogo citato anni 1461 et ipse S. Notkerus ejus in Præfatione hymnis et tropis suis præfixa, sic meminit : « metrum quod de vita S. Galli elaborare « pertinaciter insisto. » Ratpertus S. Galli Vitam cantilena teutonica a populo in ecclesia decantanda prædulci melodia complexus est, quam postea Ekkehardus IV scriptor Casuum (*seu Historiæ monasterii Sangallensis*) in latinam transtulit linguam, tribus eam inserens codicibus num. 168, 174, 393, quæ latina jam solum superest.. .... Postremo et illud monendum esse putavi : sermonem a S. Gallo Constantiæ habitum et ex codice S. Galli in Canisii lectionibus editum (*d*) atque translationem ejusdem Beati anno 833 factam, et litteris scotticis descriptam ac in catalogo sæpe dicto recensitam, jam apud nos in S. Gallo non reperiri, atque homiliam de sæculo nono de S. Gallo habitam et in codice num. 553 obviam, nihil historiæ proficuum continere, sicut et omnes memorati commentarii, poemata, cantilenæ et inscriptiones Divi hujus gesta pertractantes præ primigenia relatione, cui innituntur omnes, nil notatu dignum proferunt. E

AUCTORE J. V. H.

§ III. S. Galli patria ; tempus nativitatis ; qua occasione inquiritur in epocham fundati monasterii Benchorensis.

Ante omnia brevibus expediamus, quæ ad S. Galli *patriam pertinent. Dempsterus, teste Guilielmo Nicholsonio, episcopo Anglicano Derriensi in Hibernia* (Derry), *in bibliotheca historica Hiberniæ anglice conscripta* (*e*) S. Gallum *Scotum Britannum sive ex hodierna Scotia oriundum esse vult. Jam ingens præjudicium adversus Dempsterum nascitur, ex eo quod absque idoneorum testium suffragio omnes viros illustriores Scotigenas patriæ suæ vindicare tentet, usus scilicet illa æquivocatione, qua Scotia antiquis temporibus commune non erat, quod tum Hiberniæ, tum Britanniæ Septemtrionali, sive hodiernæ Scotiæ, indebatur. Cæterum ne æquivoci quidem nominis remedium, quod litem pendentem tolum relinqueret, Dempstero hic succurrere potest, cum antiquioris Vitæ infra edendæ auctor anonymus, disertis verbis asserrat* S. Gallum *in Hibernia natum in Hibernia educatum, ex Hibernia cum S. Columbano solvisse, ut in Gallias transmigraret :* Hic, *ait anonymus num.* I, primævum florem in insula Hibernia ducens. *Similiter Walafridus in Præfatione Vitæ* S. Galli (*f*) : Liceat, *ait,* paucis Hiberniæ insulæ, de qua nobis tantum decus (*scilicet* S. Gallus) emicuit, juxta eosdem auctores situm commemorare. *Quibus verbis patriam* S. Galli *Hiberniam fuisse evidentissime indigitat uterque scriptor Vitæ, ut omnem dubitationem merito excludat.* F

S. Gallus *in Hibernia insula*

natus circa annum 550. 24 *Verum quam leve Sancto nostro certam patriam assignare, tam grave est rerum ejus gestarum chronotaxin rite instituere. Etenim pleraque facta et personæ, quæ lucem aliquam his tenebris offundere valerent aut ipsa e sancti* Galli *Vita solum innotescunt, aut si aliunde nota sunt, chronotaxin perturbant magis quam illustrant. Æqui proin bonique consulat lector benevolus, si diutius chronologicis difficultatibus insistamus. Annus natalis sancti* Galli *præcipue adhuc deductus fuit ab anno obitus. Cum*

(*a*) Antiq. Lect. t. II, part. II, p. 176. — (*b*) Vide de hoc bello ejusdem von Arx historiam pagi San-Gallensis : *Geschichte des Cantons S. Gallen,* tom. III, p. 418 et seqq. — (*c*) Antiq. Lect., tom. II, part. II, p. 232. — (*d*) Ibid., tom. I, p. 781. — (*e*) Irish hist. library, pag. 97. — (*f*) Act. SS. Bened., sæc. II, pag. 229.

enim

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

enim omnibus persuasum fuerit S. Gallum, XCV *annos natum vita defunctum fuisse; hinc qui mortis tempus anno* 625 *innectebant, natum dicebant anno* 530; *et e contrario alii, quibus non sane leves rationes suadebant mortem Sancti in an.* 645 *aut* 646 *differendam esse, natalem* 550 *statuebant. Malumus autem adhuc intactas relinquere quæstiones et de ætate et de anno obitus* S. Galli, *quæ ipsæ suis non carent difficultatibus, ut infra videbimus. Nunc autem aliis subsidiis stabilire conabimur vix ante an.* 550 *Sanctum nostrum hanc lucem primum adspexisse. Quod sequenti modo evincere conamur.*

a parentibus offertur

25 S. Gallus *puer oblatus fuit S. Columbano in monasterio Benchorensi: cujus fundatio cum anno* 559 *annectanda sit, consequitur* S. Gallum *circa an.* 550 *natum fuisse. Duo itaque hic demonstranda sunt: alterum in pueritiæ annis* Gallum *in monasterio Benchorensi oblatum fuisse; alterum illud monasterium non citius anno* 559 *fundari potuisse. Imprimis quod ad oblationem in pueritia factam attinet, non est difficilis probationis, cum Anonymus et Walafridus in idem conspirent. Etenim Anonymus num.* I: Hic, *ait*, primævum florem in insula

B Hybernia ducens, cum ab ipsa pueritia sua Deo adhæsisset, studiisque liberalium artium mancipasset, parentum nutu commendabatur viro venerando Columbano; qui vitæ normam exemplis patrum tenens, vestigiumque humilitatis cunctis prætendens, mellifluam doctrinam secum degentibus opportune tradidit. Inter quos prædictus puer humilitate et strenuitate pollebat. *Similia habet Walafridus* c. I (*a*): Parentes, *inquit*, beati Galli secundum Deum religiosi, secundum sæculum nobiles, filium suum primæ ætatis flore nitentem cum oblatione Domino offerentes, illius *(Columbani)* magisterio commendaverunt. *Quæ utriusque biographi verba indubie demonstrant ab ipsa pueritia* S. Gallum *in monasterio oblatum fuisse, in eoque sub magistro S. Columbano perseverasse.*

puer

26 *Benigna igitur interpretatione explicanda sunt verba B. Notkeri Balbuli de* S. Gallo, *canentis in* Lib. Sequentiarum *quæ ad Missam dici solebant* (*b*):

Dilecte Deo Galle, perenni
Hominibusque et cœtibus Angelorum
Qui Jesu Christi obediens
Arduæ suasioni,
C Prædia patris, gremium matris,
Conjugis curam, ludicra nati
Sprevisti, pauperem pauper
Dominum sequens,
Et crucem gaudiis prætulisti lubricis;
Sed Christus precio centuplicato
Hæc compensat, ut dies iste
Testatur,
Dum tibi nos omnes filios
Dulci subdit affectu
Sueviamque, suavem patriam
Tibi, Galle, donavit, *etc.*

Hæc profecto insinuare videntur S. Gallum *ante susceptam professionem monasticam et uxorem duxisse et ex illa filios procreasse*: conjugis curam, ludicra nati sprevisti; *proindeque non in pueritia* S. Gallum *in monasterio oblatum fuisse, sed in ætate adulta id genus vitæ suscepisse. Sed huic auctori, qui sæculo* X *floruit merito prævalere debet uterque Vitæ* S. Galli *scriptor antiquior, cum anonymus circa an.* 770, *Walafridus vero circa an.* 833 *Vitam ediderit. Sed ne B. Notkerum in monumentis domesticis plane peregrinum fuisse dicamus supra citata verba ita explicari oportet, ut* Gallus *conjugis curam, ludicra nati sprevisse dicatur, quia per professionem vitæ monasticæ noluit contrahere matrimonium, et consequenter illam jucunditatem sprevit, quam pater familias in puerilibus jocis filiorum carpere solet.* D

in monast. Benchorensi;

27 *Ut tuto procedere possimus in ordiendo chronotaxin vitæ* S. Galli, *restat porro alterum inquirendum, quo scilicet anno S. Comogellus monasterium Benchorense in Hibernia fundaverit. Nam* S. Gallum *in hoc monasterio oblatum fuisse sub disciplina S. Columbani, ex eo evincitur, quod hic non aliud umquam monasterium in Hibernia incoluisse dicatur, ut videre est in ejus Vita cap.* I (*c*). *Circa tempus vero quo monasterium Benchorense fundatum fuit, varia est scriptorum sententia. Colganus, in Vita S. Gildæ Badonici* (*d*) *brevem texens chronographiam Hiberniæ, anceps videtur, cui potissimum anno affigendum sit initium dicti monasterii, cum ex* IV *Magistris statuat an.* 551, *ex Usserio vero an.* 559: *videtur quidem in priorem propendere sententiam, utpote quam solam citat in indice chronologico ad Triadem Thaumaturgam* (*e*). *Eamdem opinionem suo calculo probarunt Majores nostri in Vita S. Comogelli seu Comgalli,* X *Maii* (*f*), *et Albanus Butler similiter in Vita S. Comogelli ad eumdem diem, dicens Benchorense monasterium circa an.* 550 *fundatum. Waræus in Antiquitatibus Hiberniæ* (*g*) *ponit erectum cœnobium an.* 555; *Annales Innisfallenses, citati a Joanne Lanigan* (*h*), *an.* 557; *tandem ipse laudatus Lanigan statuit epocham fundati monasterii Benchoreñsis ad annum sæculi sexti quinquagesimum nonum pertinere. Atque ad hunc annum* 559 *proxime accedere primordia dicti monasterii, sequentia maxime suadent.* E

cujus fundationis annus,

28 *Exordium Benchorensis cœnobii omnino pendet ab anno, quo S. Comogellus sub disciplinam S. Fintani sese recepit in monasterio Cluain-ed-neach, in Provincia Laginensi. Constat porro S. Comogellum* per multos annos *in dicto monasterio vixisse, antequam fundationem Benchorensem aggrederetur. Hæc enim leguntur in binis Vitis S. Comogelli, quas Nostri ediderunt ad* X *Maii* (*i*). *Prior*: Post hæc, *ait*, prudens juvenis sumpsit habitum, atque Fintanum abbatem, præclarissimum scilicet virum, in Lageniæ partibus habitantem, adivit, sub quo per magnum temporis spatium cum omni devotione Deo servivit. Deinde cum sancti abbatis licentia ac jussione repatriavit, atque Benchorense monasterium construxit. *In posteriore autem Vita hæc habentur* (*k*): Post multum jam tempus (*susceptæ vitæ monasticæ*) missus est S. Comgallus a S. Fintano, ut rediret ad patriam suam, causa ædificandi cellas ad Christi famulos nutriendos. Tunc jam S. Comgallus adhuc post multos annos sine ordine (*sacro*) erat; nolebat enim gradus accipere: et accepta benedictione et oratione Patris Fintani, S. Comgallus cum discipulis sibi ordinatis cœpit pergere ad patriam suam... Post hæc... constituit magnum monasterium, quod vocatur Benchor, in regione quæ dicitur Altitudo Ultorum juxta mare orientale. F

a multis controversus,

29 *Cum itaque S. Comogellus pro* magnum temporis spatium *sub S. Fintano vixerit, et adhuc post* multos annos sine ordine *fuerit in monasterio Cluain-ed-neach, facile sibi quisque persuadebit integri decennii intercapedinem non nimiam esse, ut hoc* multorum annorum *quasi positum tirocinium*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 230. — (*b*) Ap. Pez Thes. Anecdot., tom. I, part. I, p. 34. — (*c*) Ap. Mabill. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 9. — (*d*) Act. SS. Hibern. ad diem XXIX Januarii, p. 189. — (*e*) p. 663. — (*f*) T. II Maii, p. 580, num. 5. — (*g*) Cap. XXVI, p. 180. — (*h*) Ecclesiast. Hist. of Ireland, tom. II, p. 66. — (*i*) Tom. II Maii, p. 580, n. 4. — (*k*) Ibid., p. 580, n. 10.

comple-

A *complectamur. Jam vero S. Fintanus monasterium suum in Cluain-ed-neach vix ante an.* 548 *fundare potuit; quod ex Vita ejus manifestum fiet. Nam aliquot annis juniorem fuisse S. Columbano Hiensi abbate, testatur Vita S. Fintani ad diem* XVII *Februarii* (*a*). *Columbanus jam dux aliquorum monachorum* dixit sociis suis : Paulisper declinare debemus ad senem cum sancto puero in propinquo habitantem. Cum ergo venisset ad locum illum S. Columba, dixit illi seniori : Ne irascaris, Pater, ego videlicet audivi, quando tu puerum sanctum tuum increpasti verbis asperis, prædicentem tibi adventum nostrum. Noli tu offendere eum, quia tu et locus tuus servies huic puero in æternum. Et ait senex : Credo quod ita erit : antequam enim natus esset, gratia Dei curabat eum. Postea factus juvenis S. Fintanus multum timore et amore Dei repletus est. *Hæc monstrant puerum intra infantiæ quodammodo annos constitutum, quum* postea factus juvenis *dicatur.*

inquiritur 30 *Quum igitur S. Columbanus Hiensis anno* 520 *exeunte, aut* 521 *incipiente natus sit* (*b*), *consequitur S. Fintanum vix citius anno* 525 *aut* 526
B *ortum habuisse; et proinde non ante annum ætatis* XXII *aut* XXIII *seu æræ vulgaris* 548 *monasterium suum in Cluain-ed-neach fundasse. Cui epochæ si decennium, ut supra num.* 29 *vidimus, addatur, an.* 558 *aut* 559 *attingimus, quo primum construi potuit Benchorense cœnobium. Igitur* S. Gallus, *qui* puer *in S. Comogelli monasterio, utique jam constituto et famam aliquam pietatis et eruditionis adepto, oblatus est, non citius an.* 550 *nasci potuit, quidquid sit de anno ejus emortuali. Ab errore igitur excusari non potest Cointius, qui* (*c*) *annum* 530 *natalem* S. Galli *supponit, ductus hac opinione Sanctum, annis* XCV *natum, vita functum fuisse an.* 625. *In eamdem opinionem propendebant Majores nostri, dum Vitam S. Magni scribebant, ut videre est ad* VI *Septembris* (*d*) : *quippe qui Sanctum nostrum hoc anno in eadem decrepita ætate mortuum statuunt. Si enim* S. Gallus *an.* 530 *natus fuerit, non citius an.* 559 *in monasterio Benchorensi admitti potuit, et secus* non puer oblatus fuisset a parentibus. *Sed vir* XXIX *annorum monasticum habitum sumpsit, quod quidem longe a vero aberrare supra num.* 25 *et sequenti demonstravimus.*

Ex genere nobili 31 *Ex primaria aliqua Hiberniæ familia originem duxisse* S. Gallum *testantur præ cæteris binæ Vitæ, Anonymi videlicet et Walafridi Strabonis. Ille narrationem suam his verbis orditur :* Fuit vir nobilitate pollens, magisque bona conversatione fulgens, quem reverentia paternalis nobis tradidit Gallum nuncupare. *Walafridus autem primævi auctoris scriptionis normam reformans* (*e*), *hæc habet :* Parentes beati Galli, secundum Deum religiosi, secundum sæculum nobiles. *Imo si aliqua fides est genealogiæ* S. Galli, *quæ in codice sæc.* IX, *teste Ildeph. von Arx, Bibliothecario Sangallensi, reperitur, eumdem ab aliquo regulo Hiberniæ descendere dicendum est. Genealogiam hanc exhibemus ex Monumentis Historicis Germanis* (*f*), *eamdem quoque edidit, mutatis paucis sed cum appendice, Goldastus,* in Alamannicis scriptoribus (*g*) : Ista sunt ergo nomina venerabilium virorum, quos aliqui venerabiles Scotti nobis legendo conprobaverunt atque firmaverunt. Fuit ergo in Scotia vir venerabilis nomine Unuchum (Unuchun *Gold.*) rex, qui filium generans nomen illi indidit Kethernach, qui Kethernach regnum patris accipiens, multa bonitate fulcitus est. Erat namque pauperibus in amminiculum, orfanis in adjutorium, viduis in subsidium. His ergo principalibus virtutibus fulgens in regno, procurante sua optima bonitate, genuit filium nimia bonitate pollentem, qui Callehc nuncupatus fuerat in eorum lingua, et apud latinos Gallus vocitatus. AUCTORE J. V. H.

procreatus S Gallus. 32 Qui Callehc patris divitias regnumque refugiens, peregrinationem suscipiens, in patria Galliarum multas virtutes faciens, ad ultimum in Germaniam veniens, nimia sanctitate defunctus est. Si autem alias virtutes ejus scire vis, lege gesta ejus et omnia recognoscis (recognosces *Gold*). De Brigidæ generatione. Fuit namque in ipsa eadem gente rex nomine Temeri, qui multo tempore obtinens regnum, in senectute defunctus est. Cujus filius nomine Tubthac, ei succedens in regno, accepit uxorem nomine Brocsach, generantesque filiam nomine Brigidam magna sanctitate degentem, que licet parva fuerit, tamen valde erat spetiosa. Ipsa namque et S. Gallus de una genealogia fuerunt. *Hæc fabulosa esse suspicatur laudatus Ildeph. von Arx l. c.; nec nobis est quidquam, quo illa authentica esse vindicemus; præsertim si, quod notat von Arx in codice sæc.* IX *ea* alia manu *exstare scripta, ita intelligendum est, ut* alia manus *sit* manus recentior, *quod incertum nobis est. Cæterum satis notum est Hibernos, præ cæteris populis antiquis, maxime sollicitos fuisse, in conservandis genealogiis vivorum illustrium, ut liquet cuicumque legenti vel obiter Acta Sanctorum Hiberniæ. De materna stirpe* S. Galli *alia annectit Goldastus, quasi ex eodem codice excerpta, quæ tamen, teste prælaudato Ildeph. von Arx, neutiquam reperiuntur. Cum ne ab antiquitate quidem commendationem habeant, illa consulto ommittimus.* E

fratrem habuit 33 *Unum adhuc inquirendum restat quod ad* S. Galli *familiam pertinet, utrum scilicet S. Deicolus, abbas Lutrensis* (Lure, départ. de la Haute-Saône) *in diœcesi Bisuntina, qui colitur* XVIII *Januarii* (*h*), *fuerit frater* S. Galli. *Citat Joannes Mabillon* (*i*) *Necrologium Sangallense* (*k*), *quod* XV *kal. Februarias* (XVIII *Januarii*) *habet :* Deccoli (*al.* Veccoli, *melius* Deicoli) fratris S. Galli. Tametsi, *addit Mabillon,* in ejus Actis nihil de illa cum S. Gallo consanguinitate legitur. *Mirum est doctissimum virum non animadvertisse hanc consanguinitatem adstrui in prolixiori proœmio, Vitæ S. Deicoli præfixo, hisce verbis* (*l*) : Præcipuos tamen et præ cæteris sibi (*S. Columbano abbati*) familiares novimus istos, Columbanum æquivocum suum, et geminos uterinos fratres Gallum atque Deicolum. *Omittit quidem consulto hoc proœmium Mabillon* (*m*): *tum quia, ut ait, a plerisque exemplaribus abest; tum, ut videtur, quia tractans de Sanctis celebrioribus in Gallia et de adventu atque exilio S. Columbani, otiosum erat. Sed quamvis absit a plerisque exemplaribus, hæc omissio non afficit Lutrensibus domesticis membranis, in quibus reperitur, teste Bollando* (*n*) ; *eisque fides non est abroganda absque idoneis indiciis. Deinde non omnino otiosum esse, patet ex eo quod circumstantiam aliquam, ad S. Deicolum pertinentem, explicet.* F

S. Deicolum. 34 *Sanctum autem Deicolum* S. Gallo *multis annis seniorem fuisse ex Actis apparet. Nam cum*

(*a*) Tom. III Februar., p. 17, n. 2. — (*b*) Cfr Act. SS., tom. II Junii ad diem IX. p. 194, n. 19 et Lanigan Hist. of Irel., tom. II, p. 106 et 113. — (*c*) Annal. Eccles. Franc. ad an. 568, § XX. — (*d*) Tom. II Septemb., p. 709, n. 43 et seqq. — (*e*) Ap. Mabill. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 230. — (*f*) Pertz, tom. II, p. 34. — (*g*) Tom. I, part. II, p. 248. — (*h*) Cfr Acta SS., t. II Januar., p. 199. — (*i*) Annal. Bened. ad an. 625, § XLV, t. I, p. 298. — (*k*) Rer. Alamann. Scriptt., t. I, part. I, p. 94. — (*l*) Tom. II Januar., p. 202, n. 8. — (*m*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 103. — (*n*) Tom. II Januar., p. 200, n. 5.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

S. Columbanus in Italiam pergeret anno 610 (*a*), Deicolus jam provectioris ætatis existens, pedibus vehementer debilitari cœpit : nec mora, provolutus genibus Patris licentiam remanendi devote supplicat. *Quando vero agitur de* S. Gallo *impedito ab eadem profectione, solæ febres transitoriæ, quæ homini cæterum vegeto accidere possunt, tamquam causa adducuntur ; cum insuper* S. Gallus *multis adhuc annis laboraverit in vinea Domini, colligitur illum aliquot annis juniorem fuisse. Cui opinioni pondus aliquod adderent, si vera essent, quæ refert Goldastus* (*b*), *matrem scilicet* S. Galli genuisse cum viro suo (*num fortassis cum* viris suis *? quum* Gallus *et Deicolus dicantur fratres* uterini) XXI filios et tres filias. *Quamquam ad miram hujusmodi fœcunditatem recurrere non opporteat, ut inter fratrem utrumque statuamus plurium annorum intervallum.*

§ IV. S. Galli educatio et monachatus in Benchorensi monasterio ; sacerdotium.

B

In Benchorensi monasterio

S. Gallus *in Benchorensi monasterio puer oblatus, liberaliter educatus fuit. Beatum enim Columbanum magistrum nactus, virum latinæ et græcæ litteraturæ peritissimum, quique, ut ait Jonas* (*c*), in grammatica, rhetorica, geometria, et divinarum Scripturam serie diu desudaverat, *tales fecit progressus, ut inter omnes Columbani socios, teste Anonymæ Vitæ scriptore infra num.* 7, emineret lepore latinitatis ; *et ut copiosius narrat Walafridus cap.* I (*d*) : Superna gratia se præveniente, tanto studio divinas epotavit Scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset et vetera ; grammaticæ etiam regulas, metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio. Obscura autem Scripturarum tam sapienter scire volentibus reseravit, ut cuncti qui ejus prudentiam et sermones audierant, admiratione eum et laude dignissimum judicarent. *Ea scilicet apud Hibernos monachos vigebat consuetudo, ut labor manuum, quo sibi victum procurabant, nihil detrimenti afferret humanarum divinarumque scientiarum studio, quo Ecclesiæ Dei laboranti opem ferebant.*

litteris eruditus,

C

36 *Traducta enim fuerat monastica institutio e Gallia in Hiberniam a S. Patritio, qui, ut refertur in Commentario prævio ad ejus Vitam* XVII *Martii* (*e*), *monasticam vitam sectatus fuerat Turonis in monasterio per S. Martinum fundato, et in insula Lerinensi. Hæc autem videndi forma talis erat ut monastica austeritas cum ministerio ecclesiastico conjungeretur : unde necessarium quoque erat hujusmodi monachis, ut ad litterarum studia incumberent. Primus hanc vivendi formam in Occidentem invexerat S. Eusebius Vercellensis episcopus, de quo* XV *aut* XVI *Decembri agendum erit. De illo in epistola ad Ecclesiam Vercellensem num.* 66 (*f*) *scribit S Ambrosius :* Quod si in aliis Ecclesiis tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expeditur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab episcopo, monasterii continentia et disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit ; ut et in civitate positus, instituta monachorum teneret, et ecclesiam regeret jejunii sobrietate. Multum enim adjumenti accidit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ et ad normam integritatis juventutem adstringat, et versantes intra urbem abdicet usu urbis et conversatione. Quod ipsum præstantissimum vitæ genus, *addit Card. Baronius ad an. CCCXXVIII* § XXII, S. Martinus episcopus Turonensis transvexit in Gallias : *atque hinc cum S. Patritio in Hiberniam transiit. Quare recte animadvertit Joannes Lanigan* (*g*), *facilem fuisse transitum monachorum in Hibernia ad institutum canicorum regularium, a quibus nonnisi majori vitæ austeritate monachi diversi erant. Hæc dicta sunto ut rationem reddamus, cur ab initio tanta in monasteriis Hibernicis fuerit cura posita in litteris divinis humanisque excolendis.*

D

in Hibernia

37 *Columbani magistri sanctissimi et doctissimi curis ad omnem pietatem et eruditionem informatus,* S. Gallus universorum communi consilio, *ait Walafridus, cap.* I, et jussione Columbani abbatis per singulos sacræ promotionis gradus ascendens, invitus sacerdotii suscepit dignitatem. *Quibus verbis accinit Anonymus infra edendus. Narrat deinde uterque scriptor profectionem SS. Columbani et* Galli *in Gallias. Ast triplex hic exurgit quæstio : imprimis utrum in Benchorensi monasterio* S. Gallus *ad sacerdotii promotus fuerit dignitatem ; quod si illic, quomodo* jussio Columbani *potius quam S. Comogelli, qui ipsius Columbani abbas erat, obtendatur ; tandem qua ætate* S. Gallus *sacerdos fuerit ordinatus. Ante omnia operæ pretium fuerit opinionem Bailleti ad* XVI *Octobris hic exponere ; singularis enim est, et suis destituta probationibus. Eamdem latina phrasi, quantum fieri potest, verbis insistens, reddo :* Quamvis curis Columbani commissus videretur, non erat tamen huic in Gallum alia auctoritas, quam quæ ab exemplis et instructione fluebat. S. Comogellus, abbas et fundator monasterii in quo degebat, Gallum, annuente universo conventu, ad sacros Ordines promovere volebat : sed si quid executioni mandaverit, aliud non fuerit quam ut inferiores Ordines conferrentur. Omnibus enim persuasum est S. Gallum presbyterum ordinatum fuisse, postquam in Galliam appulisset cum S. Columbano, eodemque abbate suo jubente. *Hæc Adrianus Baillet.*

E

sacerdos,

38 *Legenti alterutram* S. Galli *Vitam, sive a Walafrido, sive ab Anonymo conscriptam, ingens illico occurrit discrimen inter horum et Bailleti narrationem. Atque imprimis* S. Gallum *post transmigrationem ex Hibernia sacerdotem ordinatum fuisse, repugnat utrique scriptori Vitæ, cum in amborum libris* S. Galli *ordinatio profectionem in Gallias antecedat ; et cum insuper Walafridus, post relatam ordinationem, pergat cap.* II : Dum hæc agerentur, quotidie B. Columbanus euangelicam cupiens adsequi perfectionem, ut videlicet, omnibus quæ habebat relictis, crucem suam tolleret et nudus Dominum sequeretur, consilio suo egit cum fratribus, quorum animos idem fervor accenderat, ut spreta propinquorum et prædiorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent. Ascendentes igitur navim, venerunt Britanniam, et inde ad Gallias transfretarunt. *Agitabat autem hæc consilia S. Columbanus, certe in Hibernia adhuc consistens, quando* S. Gallus *jam sacerdos factus,* sacris instans officiis, die noctuque precibus Dominum placavit et lacrymis, et superni Inspectoris oculis placere desiderans, pro virtutum et vitæ meritis amabatur ab omnibus, placuit universis. *Hæc evidenter demonstrant* S. Gallum *in Hibernia non so-*

F

(*a*) T. II Januar., p. 203, n. 13. — (*b*) Rer. Alamann., t. I, part. II, p. 249. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 8. — (*d*) Ibid., p. 230. — (*e*) T. II Mart., p. 526, n. 50. — (*f*) T. VI Oper., p. 213. Edit. Venet.— (*g*) Eccles. Hist. of Irel., tom. IV, p. 347.

ium

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *lum ad sacerdotii dignitatem promotum fuisse, sed etiam post adeptum hunc gradum, aliquandiu in virtutibus se exercentem ibidem perseverasse.*

jussione S. Columbani, 39 *Moverit fortassis Bailletum ad* S. Galli *ordinationem in Gallias transferendam scrupulus, quod* jussione Columbani abbatis, *ut ait Walafridus,* Columbano compellente, *ut habet Anonymus, sacerdos ordinatus dicatur : quum proinde Columbanus non ante fuerit abbas, quam in Gallias proficisceretur, recte sibi concludendum putavit Bailletus in Galliis quoque* S. Gallum *sacerdotem factum fuisse. Facile concedam abbatis nomen Columbano perperam, aut per anticipationem tributum fuisse, cum in Hibernia S. Comogellus ipsi Columbano præesset; siquidem ex ejus licentia postea in Gallias cum sociis profectus sit. Sed hæc concessio eo non procedit, ut omnem auctoritatem S. Columbano in* Gallum *discipulum, ante migrationem, abrogemus, ac consequenter constricti simus* Galli *ordinationem post eamdem prorogare. Scilicet illo jam tempore in singulis monasteriis sub abbate prærant alii superiores, qui disciplinam monasticam sartam tectam servarent. Hujus rei testem habemus S. Hieronymum*

B *in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis* (*a*) : *Monachi in Ægypto* divisi sunt, *inquit,* per decurias atque centurias, ita ut novem hominibus decimus præsit, et rursus decem præpositos sub se centesimus habeat... Usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus : ut si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquis... Unaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam... Opus diei statutum est : quod decano redditum, fertur ad œconomum.

superioris quidem sui, 40 *Similia habet S. Augustinus de Morib. Eccl. Cath. cap.* XXXI (*b*), *nisi quod minus clare loquatur de cura spirituali, quam decani subditis suis impendebant. Atque hanc quoque disciplinæ formam in Hiberniam transiisse suadet imprimis ipse monachorum ingens numerus, qui ad Benchorense monasterium confluxerat, uti legere est in Vita posteriori S. Comogelli cap.* I, *ad* X *Maii* (*c*) : Constituit magnum monasterium, quod vocatur *Benchor,* in regione quæ dicitur Altitudo Ultorum juxta mare orientale. Et maxima multitudo monachorum illuc venit ad S. Comgallum, ut non potuissent esse in uno loco : et inde plurimas

C cellas et multa monasteria non solum in regione Ultorum, sed per alias Hiberniæ provincias et in diversis cellis et monasteriis tria millia monachorum sub cura S. Patris Comgalli erant. *Nulli certe in mentem veniet tantam hominum multitudinem, per varias dispersam provincias, uni paruisse destituto adjutoribus, qui laborem partirentur. Quin potius exhibetur nobis hic S. Comogellus tamquam superior generalis, qui diversas et late diffusas monachorum turmas per subordinatos superiores regit.*

non tamen 41 *Eamdem vitæ regularis nobis imaginem refert conscripta a Ven. Beda Vita S. Cuthberti ad* XX *Martii* (*d*), *qui licet Anglo-Saxo, tamen sub Hibernis vitam monasticam sæculo* VII *exercuit.* Cum ergo venerabilis Domini famulus (*Cuthbertus*)

** Colganus habet* regens multos in Mailronensi monasterio * degens annos (*tamquam præpositus*) multis virtutum spiritualium clarescet signis, transtulit eum reverendissimus abbas Eata in monasterium, quod in Lindisfarnensi insula situm est, ut ibi quoque regulam monachicæ perfectionis et præpositi auctoritate doceret et exemplo virtutum ostenderet : nam et ipsum locum tunc idem reverendissimus Pater abbatis jure regebat. *Hæc plane demonstrant illo jam tempore extitisse* Præpositos *seu* Priores, *qui sub abbate monasteria gubernarent. Unde sequitur S. Columbanum primum non fuisse, ut vult Joannes Mabillon* (*e*), *qui hujusmodi superiores in cœnobia introduxerit, sed illum secutum fuisse formam regiminis, quod in Benchorensi monasterio sub magistro S. Comogello servari viderat.*

AUCTORE J. V. H.

abbatis, 42 *Ut porro regrediamur unde divertimus, valde probabile est, S. Columbanum sub S. Comogello præpositi seu prioris officium in Hibernia exercuisse : nam simplicem de grege monachum non fuisse denotat abunde oblatio* S. Galli, *a parentibus eidem facta, quæ ab utroque biographo, ut supra num.* 25 *vidimus, refertur; deinde quod legitur in S. Columbæ Vita num.* 9 (*f*) : Ardentem patri (*Comogello*) patefaciebat affectum (*peregrinationis ad exteras nationes*); sed non ita in patre reperiebat responsum, ut sua petitio anhelabat. Erat enim venerabili Comogello durum tanti solaminis pati dispendium. Tandem tamen adspirare cœpit et cordi anteponere, ut non plus suæ necessitati studeret, quam aliorum utilitati opportuna quæ-

E reret. *Igitur mirum minime videri debet,* jussione *S. Columbani ad sacros Ordines ascendisse* S. Gallum, *cum uterque scriptor adjungat :* universorum communi consilio, *seu ut alter habet,* exhortationibus spiritualium fratrum *id factum fuisse, inter quos et suus quoque locus certe erat abbati S. Comogello. Unde non est, ut ob hujusmodi rationem* S. Galli *ordinationem migrationi ex Hibernia postponamus.*

ætate legitima 43 *Demum* S. Gallus *presbyter ordinatus fuit in legitima ætate, scilicet annos* XXX *natus :* Christo nempe propitio, *ait Anonymus,* ad ætatem veniens.... sacerdotii gradum adiit. *Nam annum trigesimum completum legitimam fuisse pro presbyteratu ætatem, constat ex canone* IX *Collect. Can. Hibernicorum* (*g*) : Presbyter trigesimo; episcopus vel trigesimo, vel quadragesimo, vel quinquagesimo, sacerdos efficiatur : quia in ea ætate Christus prædicare orsus est. *In Monito prævio dicit D'Achery* (*h*) : Canones qui sequuntur, ante sæculum VIII confecti sunt, et a nobis ex magna et vetusta canonum collectione Ms. delecti. *Nulla igitur est ratio, cur hos canones* tamquam incerta fragmenta studio omiserit *Wilkins* (*i*) : *maxi-*

F *me cum exprimant regulas Ecclesiæ Gallicanæ, quæ fere omnes in Hiberniam cum S. Patritio transmigrarant. Etenim in Concilio Arelatensi* IV, *anni* 524 (*k*), *cap.* 1, *hæc eadem disciplina antiquitati innixa monstratur :* Et quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscuntur, ne forte quorumcumque importunis et inordinatis precibus sacerdotes Domini fatigentur, ea quæ toties sunt præcepta transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt, ut nullus episcoporum diaconum, antequam viginti quinque annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus vero vel presbyterii honorem, nullus laicus ante promissam conversionem vel ante triginta ætatis annos accipiat.

ordinatur. 44 *Eamdem pro presbyteratu ætatem præcribit Concilium Agathense anni* 506 (*l*), *cap.* XVII. *Et merito hæc disciplina vocatur* antiquorum patrum statutum, *quippe quæ jam sancita fuerat in Concilio Neocæsarensi, an.* 314, *cap.* XI (*m*) : Presbyter

(*a*) Tom. IV, part. II, col. 45. Edit. Paris. an. 1706. — (*b*) T. I Oper., col. 710. — (*c*) Tom. II, Maii, p. 583, n. 12. — (*d*) T. III Mart., p. 104, n. 24. — (*e*) Annal. Ord. Ben., lib. VIII, ℌ XI, T. I, p. 192. — (*f*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 9. — (*g*) D'Achery Spicileg. tom. I, p. 492. Edit. Paris. 1723. — (*h*) Ibid., p. 491. — (*i*) Conc. Brit., tom. I, p. 6. — (*k*) Labbe t. IV, Conc. col. 1622. — (*l*) Ibid., col. 1386. — (*m*) Ibid., tom. I, col. 1483.

ante

AUCTORE J. V. H.

ante triginta annos non ordinetur, etiamsi fuerit homo valde dignus, sed reservetur (*Dionysius Exiguus vertit* ; sed hoc tempus observet) : Dominus enim Jesus Christus in trigesimo anno baptisatus est et cœpit docere. *Lectorem non fugiet eamdem rationem pro trigesimo anno completo dari in canone Neocæsariensi et Patritiano. Quidquid igitur sit de hujus canonis authentia, cui suffragatur summa antiquitas, nullum dubium est ætatem legitimam pro presbyteratus Ordine fuisse sæc.* VI *triginta annos : ita ut* S. Gallus *quem circa annum* 550 *natum diximus, circa annum* 580 *fuerit presbyter ordinatus.*

§ V. Tempus adventus S. Columbani in Gallias.

S. Columbani

Spinosa inter eruditos quæstio est, ut notant Majores nostri in Vita S. Agili XXX *Augusti* (*a*), *quo scilicet tempore in Gallias advenerit S. Columbanus cum sociis suis. Et quamvis ad vitam S. Columbani, quæ* XXI *Novembris danda est, propius spectare videatur, illam tamen hic discutiendam suscipimus : imprimis quia vita S. Columbani tot aliis disquisitionibus abundat, ut non ingratum fore putemus commentaturo hanc vitam, hujusmodi quæstionem saltem ex parte jam esse discussam ; deinde quia secundis curis fortassis retractata controversia facilius componetur ; et tandem quia S. Columbani adventus in Gallias intimam connexionem habet cum* S. Galli *nostri historia. Ut autem ordinate procedamus, ante omnia opus est eruditorum varias sententias exponere, eaque rationum momenta allegare, quibus illas firmari existimarunt. Explicabo deinde meam opinionem, ut lector videat cui parti magis favere debeat.*

adventum

46 *Cointius in suis Annalibus Francorum* (*b*) *statuit S. Columbanum anno* 568 *in Gallias advenisse. Eamdem ex parte opinionem sectari videtur adnotator Vitæ infra edendæ ex Monumentis Historicis Germaniæ, quum Sancti adventum tempore Sigiberti regis, seu inter an.* 561 *et* 575, *reponendum putat, notis arabicis in margine positis. Ad hanc sententiam, scilicet regnante Sigiberto id accidisse, duplici ratione ductus videtur Cointius. Omnes enim antiquiores hunc regem monstrant fautorem sancti Columbani ejusque sociorum. Verum non video, cur tantum huic rationi momentum addat Cointius : etenim ipse fatetur perperam Sigiberti nomen textui irrepsisse, illique substitutum vult Guntramnum, siquidem hic, non ille, in Burgundia principatum tenuit, et quidem ab an.* 561 *ad* 593. Sigiberti loco, *ait*, repone Guntramnum, quia loca in quibus Columbanus consedit, Anagrates scilicet, Fontanæ et Luxovium sita erant in Burgundia, pertinebantque ad Guntchramnum prædicti Sigiberti fratrem. *Quod deinde* (*c*) *pluribus demonstrat. Atque hoc quidem recte. Sed quandoquidem in Sigiberti nomine errorem subesse censeat, alterumque substitui velit, nulla occurrit ratio, cur tantopere laboret in restringendo intra annos imperii Sigiberti adventum S. Columbani : notum est enim Guntramnum regnum suum in Burgundia octodecim annis post Sigibertum prorogasse.*

in Gallias

47 *Sed est et altera ratio quæ suadere videtur anno* 568 *S. Columbanum in Galliis appulisse : tabulæ Luxovienses docent Sanctum oras Gallicas attigisse anno* VII *Sigiberti seu potius Guntramni Burgundiæ regis, proinde anno* 567 *aut* 568. *Verum hæ tanti esse non videntur, ut prævalere debeant solidis rationibus, quæ contrarium demonstrant. Nam ipsi Sammarthani, allegando has tabulas subjungunt* (*d*), si fides tabulis Luxoviensibus *adhibenda est : quibus verbis satis insinuant, in dubium revocari harum auctoritatem. Deinde copiose duobus* §§ *præcedentibus demonstravimus* S. Gallum *circa annum* 550 *natum, post an.* 580 *ad presbyteratum promotum fuisse et quidem in Benchorensi monasterio, seu ante profectionem in Gallias : igitur non nisi post an.* 580 *S. Columbanus ex Hibernia solvere potuit. Verum quidem est Cointium* (*e*) *dicere* S. Gallum *tunc, scilicet anno* 568, egisse annum ætatis duodequadragesimum ; *sed hoc vel ex eo falsum est, quod quum S. Columbanum in Gallias inducat* vicesimum ætatis annum agentem, *aperte contradicat utrique scriptori Vitæ* S. Galli, *asserenti hunc* puerum *Columbano, certe adulto, educationis ergo a parentibus oblatum fuisse.*

alii an. 568,

48 *Ad hanc epocham confirmandam citat Cointius ibidem quasi vadem suæ sententiæ* Joannem Ruyr, *canonicum Ecclesiæ S. Deodati* (S. Dié. dépt. des Vosges), *qui* sacras Vosagi antiquitates *in unum collegit et gallico idiomate edidit an.* 1633. *Sed laudatus auctor omnino contrarium habet* (*f*) : Antiqui auctores fide digni scripto reliquerunt S. Columbanum jam anno quingentesimo nonagesimo septimo Vosagum ingressum fuisse, quamvis tunc deserti horridi et inhabitati adspectum exhiberet. *Lubens fateor subesse hic probabilius errorem typi ; cum inter omnes conveniat Luxovium fundatum fuisse circa an.* 590. *Sed hoc certum manet, Joannem Ruyr, nullo alio loco tempus adventus S. Columbani assignasse et proinde non esse rationem, cur citatum auctorem in suam sententiam ab omnibus fere eruditis rejectam, pertrahere Cointius conetur.*

aut saltem

49 *Cæterum, ut opinio illorum qui S. Columbani adventum ad regnum Sigiberti propter auctoritatem Jonæ, scriptoris subæqualis Actorum ejusdem Sancti, referendum putant, plenius refellatur, juverit adnotasse alios auctores suppares eumdem adventum Childeberti II imperio illigasse, qui ab an.* 575 *Austrasiæ, ab an.* 593 *Burgundiæ quoque ad an.* 596 *dominatus est. Imprimis in Vita S. Salabergæ, abbatissæ,* XXII *Septembris* (*g*), *quamvis citet anonymus Vitam S. Columbani ab Jona conscriptam et proinde dicat* non esse necessarium suo operi texere gesta *(Columbani)*, cum sint ab eloquentissimo viro Jona elucubrate edita ; *nihilominus scribit : Luxovium monasterium* vir fama laudabilis et sanctitate pollens Columbanus, peregrinus ex Hibernia adveniens, ex munificentia Childeberti regis summo studio et labore construxit. *Videtur igitur Jonæ error ab anonymo rerum gallicarum peritiori correctus fuisse. Similiter auctor anonymus suppar Vitæ sancti Agili, abbatis Resbacensis,* XXX *Augusti* (*h*) *orditur narrationem suam :* Agente igitur in sceptris Hildeberto Sigeberti regis filio, qui juventutis flore et sapientiæ decore gubernavit Burgundiam atque Austrasiam.... Eo tempore vir religione reverendus Columbanus ab Hybernia in Galliam advenerat, desiderans a præfati regis serenitate adipisci locum, quo monasterium ædificaret. *En duo scriptores fere coævi, qui S. Columbani adventum tempore Childeberti* II, *proinde post annum* 575, *contigisse scribunt.*

sub Sigiberto

50 *Operæ pretium fuerit hic addere quod Nostri ad Vitam S. Agili* (*i*) *scripserunt :* Difficulter credi potest, duos hosce scriptores ignorasse, a quo

(*a*) Tom. V Augusti, p. 572, n. 15. — (*b*) Ad an. 568, § VI, tom. II, p. 98. — (*c*) Ibid., p. 102. — (*d*) Gall. Christ. antiq., tom. IV, p. 585. — (*e*) Ann. Franc. ad an. 568, § XI et seqq., tom. II, p. 105. — (*f*) Les Sacrées Antiquités des Vosges, p. 1. — (*g*) Tom. VI Septemb., p. 521, n. 2. — (*h*) Tom. VI Augusti, p. 575. — (*i*) Ibid., p. 576, sub not. *m*.

S.

A S. Columbanus accepisset locum condendo monasterio tam celebri. Accedit quod locus fuerit obtentus interventu Agnoaldi, qui consiliarius erat Childeberti, non Guntramni, ut ipse eum vocat Mabillonius (*a*). Attamen locum a Guntramno impetratum vult Mabillonius, quia Luxovium credidit fuisse in ditione Guntramni, non Childeberti. Verum licet certum sit in hodierno Burgundiæ comitatu situm esse prope Lotharingiæ confinia, non æque certo constare existimo de limitibus antiquorum regnorum Burgundiæ et Austrasiæ, neque adeo ausim contra auctoritatem utriusque scriptoris Guntramno potius loci donationem attribuere quam Childeberto. *Recte quidem Stiltingus noster Luxovium in utriusque regni confiniis posuit. Sed* tunc *quoque ad Burgundiæ regnum pertinuisse, ex eo patet, quod ex Jonæ num.* 31 (*b*) *constat, Theodoricum, cui Burgundia obtigerat, quia* in termino regni sui B. Columbanum haberet, gratulatum *sibi fuisse. Atque ne id alicui errori Jonæ adscribamus, vetat series totius historiæ, Theodoricum Burgundiæ regem persecutorem Sancti exhibentis.*

Austrasiæ rege, B 51 *Manet igitur difficultas, quæ etiam Cointium movit* (*c*) *ad ineundam sententiam, minime regnasse in Burgundia, quando S. Columbanus in Gallias appulit, Childebertum, utpote qui illa ditione solum post mortem Guntramni, anno* 593, *auctus fuerit. Non est certe spernenda hæc difficultas; ast meo judicio tolli potest, quum Childebertus, ante mortem Guntramni, aliquo modo regno associatus fuerit, ita ut vere munificentiæ illius adscribi possit donatio Luxovii, licet intra Burgundiam siti. Hæc enim de utroque rege scribit S. Gregorius Turonensis in Historia* (*d*): Guntchramnus data in manu regis Childeberti hasta ait: Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi. Ex hoc nunc vade et omnes civitates meas, tamquam tuas proprias, sub tui juris dominationem subjice. Nihil enim, facientibus peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tu tantum qui mei fratris es filius. Tu enim heres in omni regno meo succede, cæteris exheredibus factis.... Tunc ei reddidit, rex Guntchramnus omnia, quæ pater ejus Sigibertus habuerat. *Quamvis hæc postrema verba solum spectare videantur ad regni Austrasiani administrationem, Childeberto an.* 585, *majorenni facto, commissam; nihilominus sermo Guntramni non solum adoptionem,* C *qualem Gregorius l.* V, *cap.* XVIII (*e*) *descripserat, sed quamdam etiam regni societatem indicat. Ex his igitur explicari potest, quomodo scriptores quidam Childebertum, ante patrui sui Guntramni mortem, regem Burgundiæ dicere; atque eidem, donationem Luxovii sancto Columbano factam, adscribere potuerint.*

sed perperam statuunt; 52 *Tandem ut omne amoveatur præjudicium, quod ex Sigiberti nomine ingesto chronologiæ inferri possit, etiam iis, quibus hactenus dicta non probantur, probe attendenda sunt verba Joannis Mabillon* (*f*) *dicentis :* Errandi occasio Jonæ homini extero (*erat Segusinus in Subalpinis*) nec in patria nostra historia exercitato, hæc fuit, quod Burgundiæ principatum ex paterna hæreditate in Childeberti potestatem venisse falso autumaverit, quem ei ex patrui morte, id est Guntchramni provenisse exploratum est. *Et revera consideranti Jonæ textum ita esse manifestum fit. Nam in Actis S. Columbani n.* 31 (*g*) *omnem Theodorici hæreditatem Sigiberto avo auctori videtur adscribere:* Creverat jam passim fama sancti Viri in universas Galliæ vel Germaniæ provincias, eratque omnium cultu venerabilis, rumore laudabilis, in tantum ut Theodoricus rex, qui eo in tempore regnabat, ad eum sæpe veniret, et orationum ejus suffragium omni cum humilitate deposceret. Sigebertus etenim, cujus superius mentionem fecimus, apud Victoriacum (*Vitry*) villam publicam, quæ in suburbano Atrebatensis urbis sita est, Hilperici germani sui dolo, qui apud Tornacum oppidum tunc erat, quem Sigebertus usque ad mortem persequebatur, interfectus est. Perempto itaque Sigeberto, Hildebertus filius ejus regni sceptra suscepit, annuente matre Brunechilde. Mortuo deinde Hildeberto intra adolescentiæ annos, regnaverunt filii Hildeberti duo Theodebertus et Theodericus cum avia Brunechilde : regno Burgundionum Theodericus potitus est, et regnum Austrasiorum Theodebertus suscepit regendum. *Hic aperte hæreditatem utriusque regni Burgundiæ et Austrasiæ, tamquam per Sigibertum in nepotes derivatam, nulla Guntramni mentione facta, describit Jonas: quod si tam graviter in Burgundiæ rege lapsus sit, quis miretur eumdem et Sigiberti annum emortualem* E *ignorasse.*

AUCTORE J. V. H.

melius 53 *Cum epocha Sigibertiana sustineri, ut vidimus, nullatenus possit, aliam quæsierunt recentiores eruditi, illamque ex verbis Jonæ deduxerunt, dicentis in Vita S. Columbani n.* 38 : Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius. *In vita quoque S. Agili* (*h*) *legitur:* B. Columbanus vicesimo anno ex quo monasterium instaurare cœperat, propulsione Theodorici regis et dolo pessimæ Brunechildis exagitatus, natale solum repetere perurgetur, atque Eustasius, vir totius religionis experientia probatus, successor illius subrogatur invitus. *Ex his verbis liquet S. Columbanum viginti circiter annos Luxovium incoluisse : nam de Luxoviensi monasterio hic sermonem institui, vel ex eo patet, quod S. Eustasius, qui illi subrogatus dicitur, huic monasterio præfuisse legatur.*

alii 54 *Hæc porro S. Columbani expulsio, consentientibus Pagio in Critica Baronii* (*i*), *Mabillonio* (*k*), *Nostris in Vita S. Agili* (*l*), *Cointio* (*m*) *aliisque, an.* 610 *contigit. Putaret fortassis quispiam potius ad an.* 609 *referendum esse sancti viri exilium : nam, ut tradunt Fredegarius in Chronico* (*n*) *et Aimonus* F *lib.* III, *cap.* XCIV (*o*), *e monasterio ejectus fuit an.* XIV *Theodorici, qui cum an.* 609 *concurrit, siquidem exordium ejus regni initio an.* 596 *ponendum est, ut probat Pagius in Critica Baronii* (*p*). *Retrocedendo autem ab an.* 609, *vigesimus annus incolatus S. Columbani incidit in an.* 590. *Sed sunt potiores rationes, quæ suadent in an.* 610 *rejiciendum esse Sancti exilium : prædixit scilicet beatus vir Ragamundo, uni ex tribunis ejus custodiæ, quousque regno pelleretur, commisso, num.* 39 : Chlotarium, quem nunc spernitis, intra triennium dominum habebitis. *Jam vero inter omnes in confesso est, Clotharium an.* 613 *regnum totius Franciæ adeptum fuisse, proindeque exilium S. Columbani ab an.* 610 *dimovendum non esse, a quo ad an.* 590 *devenire possumus. Utramque sententiam conciliat Pagius loco citato dicendo exilium quidem an.* 609 *irrogatum, solum* 610 *executioni mandatum fuisse.*

anno 590, 55 *His positis, nempe Luxovium monasterium an.* 590 *fundatum fuisse; eruditi in duas abeunt sententias. Alii inter quos D. Ceillier* (*q*) *et Joannes*

(*a*) Tom. I Annal., p. 279, lib. XI, § XIII. — (*b*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 17. — (*c*) T. II, p. 101 et seq. — (*d*) D. Bouquet, Rec. des Hist. de Fr., tom. II, p. 306. — (*e*) Ibid., p. 299. (*f*) Annal., lib. VIII, § X, tom. I, p. 192. — (*g*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 17. — (*h*) T. VI Augusti, p. 577, n. 7. — (*i*) Ad an. 612, § VI. — (*k*) Annal. Bened., lib. X, § XLVI, tom. I, p. 266. — (*l*) Tom. VI Aug., p. 572, n. 16. — (*m*) Ad an. 590, § XXXVI, tom. II, p. 370. — (*n*) D. Bouquet Rec. tom. II, p. 425. — (*o*) Ibid., tom. III, p. 113, — (*p*) Ad an. 596, § XIII.— (*q*) Hist. des Aut. ecclés., tom. XVII, p. 463.

Lanigan

AUCTORE J. V. H.

Lanigan (*a*), *censent S. Columbanum in Gallias an.* 590 *venisse; cui sententiæ adstipulari videtur Joan. Mabillon* (*b*). *Præcipua ratio est, quia, teste Jonanum.* 36 (*c*), *expulsus est* vicesimo anno post incolatum eremi illius, *id est, ut ipsi quidem interpretantur, vigesimo anno postquam Vosagum incolere cœperit, quod statim post adventum beati viri accidit. Ast, pace tantorum virorum dixerim, per eremum de qua loquitur Jonas, non quæcumque Vosagi deserta hic intelligenda sunt, sed Luxovii solitudinem, de qua proxime locutus fuerat. En verba:* Inter quos *(a S. Columbano derelictos)* venerabilis vir, qui post in eodem monasterio *(utique Luxoviensi)* Pater extitit Eustasius, discipulus et minister sancti viri, violenter avellitur, intendente super eum Mietio avunculo ejus, qui Lingonicæ Ecclesiæ pontifex erat. Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius. *Certe omnino apte* incolatus eremi *Luxovio convenit, ut ad omnem Vosagum extendi non debeat: eoque magis quod etiam ex Vita S. Agili, supra num.* 49, *vicenaria illa periodus per monasterii Luxoviensis fundationem circumscribatur.*

vel accuratius

B

56 *Atque huic argumento tanto fortius insistendum est, quod ipsius Jonæ narratio aliquot annorum intervallum inter Sancti adventum et Luxoviensis cœnobii fundationem interponendum suadet. Nam benigne exceptus a rege, sive Childeberto, sive Guntramno, in Anagratensi primum castro habitavit, ut narrat Jonas num.* 12. *Sequentibus dein pericopis exponit quomodo Sanctus ibidem delituerit, ita ut Caramtocus, abbas monasterii Salicensis* (le Sancys dépt. des Vosges) *tribus tantum leucis ab Anagratibus distantis* (*d*), *de ejus commoratione in deserto instruendus divinitus fuerit, et, ut habet Jonas num.* 14 *Salicensis cellerarius* viam sibi pandendi itineris nequaquam repererit.... Equi ignotum iter ungula terunt, rectoque itinere ante fores B. Columbani ad Anagrates perveniunt.... Cœpit exinde frequentia populi et infirmantium cohortes ob sanitatem redintegrandam ad eum frequentare. *Pergit dein Jonas num.* 16 *in enarrando vitæ genere, quod S. Columbanus in Anagratensi solitudine tenuit:*

circa an. 585,

C

57 Quo in tempore cum in eadem concava scopuli solitariam vitam duceret, sicut erat ejus consuetudinis, ut cum Dominicis festis vel quorumlibet Sanctorum sacratæ solemnitatis appropinquaret adventus, ab aliorum societate segregatus et abditis locis receptus, vel longiori spatio eremi secreta sectabatur, ut solida mente et absque curarum inquietudine solus orationi vacaret, et religioni omni conatu intenderet, erat cibo ita attenuatus, ut vix vivere crederetur. *Hæc vitæ consuetudo, quæ per varia festa Domini et Sanctorum solemnitates decurrit, S. Columbano usitata, satis demonstrat illum diuturniorem in Anagratensi deserto moram traxisse, quam ut ejus in Gallias adventus cum Luxoviensi fundatione coalescere possit. Sed qui aliquandiu ignotus delituit, fama ejus paulatim crescente, tandem ad se magnam attraxit hominum multitudinem, qui sub ejus magisterio vitam monasticam profiteri gestiebant. Atque hæc causa fuit, cur Luxovium instaurare cœperit*: Cum jam, *pergit Jonas num.* 17, multorum monachorum densaretur societate, cœpit cogitare, ut potiorem locum in eadem eremo quæreret, quo monasterium construeret. Invenitque castrum firmissimo munimine olim fuisse cultum, a supra dicto loco *(Anagratibus)* distans plus minus octo millibus, quem prisca tempora Luxovium nuncupabant. D

sub Childeberto

58 *Ex hac rerum gestarum serie manifeste apparet aliquot annorum intervallum a S. Columbani adventu ad fundatum Luxovium statuendum esse. Quare non videtur admittendum, quod Joannes Mabillon* (*e*) *sentit, Anagratense cœnobium* primum tumultuario opere, dein crescente discipulorum numero Luxoviense a S. Columbano constructum fuisse, *quasi subinferre vellet jam ab ingressu in Vosagum de alio monasterio condendo actum fuisse: ut exinde pronum esset judicare, paucorum mensium intercapedine utrumque institutum fuisse. Pauperes erant monachi Anagratibus; sed ita tamen, ut ejusmodi mansionis non tæderet viros omnimodæ pœnitentiæ deditos. Joannes quoque Lanigan, vir accuratioris critices in antiquitatibus Hibernicis investigandis, scribit* (*f*), varias circumstantias et epochas vitæ S. Columbani vix posse conciliari cum opinione eorum, qui Sancti adventum aliquot annis ante *an.* 590 statuunt, *qui scilicet putant Sanctum circa an.* 585 *regnum Burgundicum attigisse. Nihil tamen in Sancti Vita, sive antecedentia sive consequentia spectemus, reperitur, quod non omni ex parte, quantum equidem assequi possum, cum chronotaxi eorum qui Sanctum adventantem circa annum* 585 *statuunt, quam aptissime conveniat.* E

Sigiberti filio;

59 *Aliquot igitur annis adventum S. Columbani præcessisse fundationem Luxoviensem, jure merito censuerunt Pagius in Baronium* (*g*), *D. Bouquet* (*h*), *Albanus Butler in Vita S. Columbani ad* XXI *Novembris, aliique multi; quibus tamen non annumero Hadrianum Valesium* (*i*), *ideo an.* 587 *aut sequenti adventum Sancti affigentem, quia perperam statuit an.* 608 *ejectum fuisse. Ad eruditorum virorum opinionem accedit positivum monumentum, quod ostendit adventum S. Columbani an.* 585 *ponendum esse. Citatur a Joanne Mabillon* (*k*) *excerptum e codice, olim S. Petri Bellovacensis, homilias S. Augustini novem in S. Joannis Epistola continente, in cujus fine legitur uncialibus litteris*: EXPLICITŪ OPUS FAVENTE DN̄O APUD LUSSOVIUM ANNO DUODECIMO REGIS CHLOTACHARII INDICTIONE TERTIA DECIMA ĀN XLSIMO PĪS N̄I FĒL. P̄ACTO: *id est anno quadragesimo Patris nostri Columbani;* qui proinde, *pergit Mabillon in Ann.*, anno supra quingentesimum octogesimo quinto in Vosagum advenisse dicendus est; si quidem annus duodecimus Chlotarii regis II in Burgundia regnantis et indictio tertia decima, quæ duo præsenti anno *(scilicet DCXXV)* conveniunt, Chlotario III convenire non possunt. F

Burgundicæ vero coronæ

60 *Et vero non temere hæc dixisse Mabillonium, ut suspicatur Joannes Lanigan* (*l*), *patet ex eo quod hanc opinionem concordare asserat cum iis, quæ scripserat de adventu S. Columbani circa an.* 590 *in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, l. c.* Tempus quo Columbanus Vosagum incolere cœpit, signavi paulo ante annum quingentesimum nonagesimum. Calculus iste confirmari videtur ex quadem clausula, quæ habetur in fine expositionis S. Augustini, *etc.; affert dein clausulam supra citatam. Ex hoc Mabillonii textu constat, quo sensu intelligenda sint ejus verba, circa an.* 590 *S. Columbanum in Gallias appulisse; scilicet tute intervallum quinque circiter annorum inter ejus adventum et Luxovii monasterii fundationem statuendum esse. Con-*

(*a*) Hist. of Irel., p. 265. — (*b*) Annal. Bened., lib. VIII, § X, tom. I, p. 192. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 20. — (*d*) Mabill. Annal., lib. XIII, § IX, tom. I, p. 191. — (*e*) Annal. Ben., lib. VIII. § X, t, I, p 192. — (*f*) Hist. of Irel., t. II, p. 266. — (*g*) Ad an. 585, § VI. — (*h*) Rec. des Hist.. tom. III. p. L. — (*i*) Tom. II Rer. Francic., p. 542 — (*k*) Act. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. III, part. II, p. 451. Annal. Bened., lib. XI, § XLVI, tom. I, p. 298. De Re diplom., lib. V, tab. VIII. — (*l*) Hist. of Irel. t. II. p. 265.

currunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A currunt itaque conjecturæ et monumenta, ut dicamus S. Columbanum circa annum 585 Galliarum regna attigisse.

sub Guntramno 61 *Unum fortassis huic argumentationi opponi posset, nempe ex Vita S. Agili supra laudata constare Luxovium S. Columbano traditum fuisse brevi post ejus adventum intervallo. Hæc enim leguntur in Vita S. Agili* (*a*) : Dum ergo sedulo meditaretur (*Columbanus*) ac secum quæreret, quem de aulicis palatii adiret, qui se præsentiæ regis sisteret, atque celsitudini illius clementiæ desiderium suum panderet, si quando obtineri posset quod fervore fidei cupiebat, audito vehementi studio præscripti principis Agnoaldi (*patris S. Agili*), eum adire deliberat, se suamque precem illi commendat. Qui mox talis desiderii arcanum, ac si divinitus sibi commissum, suscipiens, quantocyus regi opportune indicat, eumdemque Columbanum illi gratiosum efficit, nec non ut cooptabilem illius precem exaudiat, submissus efflagitat. At rex magnanimitatis modestia jocundans super sermone hujusmodi, postulata libentissime indulget, insuper necdum petita largiri magnifice promittit.

B *patruo* 62 Castrum namque inter vasta eremi septa, quæ Vosagus dicitur, fuerat fanaticorum cultui olim dedicatum, sed tunc ad solum usque dirutum, quod hujus saltus incolæ, quamquam ignaro præsagio *Luxovium* nominavere. Illud quidem considerans Agnoaldus velocius posse restaurari, et cernens situm loci monachorum agmini aptum, immo intelligens, prærogativa fidei et sapientiæ illustratus, eumdem locum Deo sacrari oportere, et ubi olim profano ritu veteres coluerunt fana, ibi Christi figerentur aræ et erigerentur vexilla, atque celebrarentur mysteria, obtinuit suis precibus a sublimitate regis, ut per scripti seriem habitaculum Deo militantium perenniter delegaretur. *Hæc verba manifeste edicunt S. Columbanum statim post suum ad aulam Burgundicam accessum, obtinuisse Luxovium, ibidemque brevi temporis intervallo constituisse cœnobium. Verum ex Actis S. Agili* XXX *Augusti constat ejus Vitam interpolatam pluribus locis fuisse; et hunc ipsum locum expungendum signant Nostri* (*b*). *En textus genuinus, num.* 3 :

plena cum potestate C 63 Qui dum sedule meditaretur ac secum quæreret, quem de aulicis palatii adiret, ut regiæ celsitudini suum panderet desiderium, audito vehementi studio præscripti principis Agnoaldi, se suamque precem illi commendare deliberat. Mox Agnoaldus talis desiderii arcanum, quasi divinitus sibi commissum suscipiens, quantocius regi opportunius intimat, eumdemque Columbanum illi gratiosum efficit, et castrum in vasta eremo, quæ Vosacus dicitur, fanaticorum cultui olim dedicatum, sed nunc ad solum usque dirutum obtinet a Rege, ut per scripti seriem Deo militantibus perenniter delegaretur. *Hic nulla occurrit mentio Luxoviensis cœnobii; sed e contrario concessi loci descriptio apprime convenit Anagratibus, quæ a Jona num.* 12 *in vasta eremo Vosago tamquam castrum dirutum designantur.*

hærede. 64 *Nihilominus fateor auctorem Vitæ S. Agili, etiam interpolationibus purgatum, subinferre tamen Luxovium : nam post verba mox citata legitur cap.* II : Optata dehinc dies advenerat, in qua pius pater sacris altaribus charam sobolem offerret in jam dicto monasterio. *Atqui monasterium, in quo a patre suo Agnoaldo oblatus fuit S. Agilus puer, est certo Luxoviense; unde dubitari vix potest, quin Anonymus de eodem verbis præcedentibus sermonem habuerit : rediret igitur difficultas adhuc solvenda. Sed cum inconcussa maneat Jonæ auctoritas, qua Anonymus quoque nititur, ita hic explicandus est, quasi cœnobia Anagratense, Luxoviense et Fontanense unum idemque monasterium constituissent, utpote quæ ab uno abbate S. Columbano regerentur. Atque hoc ipsum dicit Jonas num.* 17 : *Variis monasteriis suis* dedit gubernatores præpositos, de quorum religione nihil dubitabat. His ergo in locis monachorum plebibus constitutis, ipse vicissim omnibus intererat, regulamque quam tenerent, Spiritu Sancto repletus, condidit. AUCTORE J. V. H.

§ VI. Iter Alemannicum.

Tempore adventus S. Columbani in Gallias stabilito circa an. 585, *non est quod insistamus iis quæ uterque scriptor Vitæ* S. Galli *narrat de rebus gestis in Gallia et causis exilii S. Columbani, ad cujus Vitam,* XXI *Novembris dandam, hæc spectant præcipue. Jam vidimus supra n.* 54 *S. Columbanum expulsum fuisse anno* 610; *eamdem pœnam sortiti sunt socii ejus ex Hibernia advenæ. Hoc insinuat Jonas num.* 37 : *cum enim omnes monachi patrem suum exulantem sequi vellent,* custodes regii inquiunt, nequaquam hunc sequi alios permissuros, nisi quos sui ortus terra dederat, vel qui e Britannico arvo ipsum secuti fuerant; cæteros qui alio essent orti solo, præceptis regiis ibi esse remansuros. *Clarius scriptor Vitæ S. Deicoli* XVIII *Januarii* (*c*) *edicit Scotos ad exilium compulsos fuisse :* inter quos etiam venerandi fratres Gallus atque Deicolus..... patris sui vestigia prosequentes, dispendium propositi itineris uterque volens nolens divino judicio perpessus. *Ex his manifestum fit, Scotis ad exilium adactis, alios regiis præceptis impeditos fuisse. Atque ista fortassis fuerit hujus discriminis causa : cum graves agitarentur quæstiones inter Columbanum et Galliæ episcopos, ut videre est in ejus epistola ad episcopos* (*d*), *illæ componendæ facilius sperabantur, absentibus Scotis, ob patriæ amorem, suorum rituum tenacioribus.* S. Gallus E

Columbanum magistrum suum F 66 *Hinc quoque deducitur, errorem Johanni Muller in Historia Helvetiæ obrepsisse, cum scribit* (*e*) : Gallo oblatam fuisse Abbatiam (*Luxoviensem*); sed maluisse illum cum amico calamitatem perpeti. Gall sollte die Abtey bekommen, er wollte aber lieber mit seine Freunde Ungemach leiden. *Cum in arbitrio Columbani aut* Galli *non fuerit in monasterio remanere, jam ruit illa conjectura historica. Præterea ex illo etiam capite non est admittenda, quod nihil simile in alterutrius Actis occurrat : quin et contrarium insinuat S. Columbanus in Epist.* III *ad suos monachos* (*f*) *Nam nulla de* S. Gallo *facta mentione, dicit antequam S. Eustasio commissa fuisset vicaria potestate administratio monasterii Luxoviensis, oblatam fuisse præfecturam S. Attalæ et Wandoleno; sed hi omnes ex Gallia oriundi erant : ut de SS. Eustasio et Attala constat ex eorum Vita* (*g*) *et de Wandoleno ex Joanne Mabillon* (*h*). *Scriptor quoque Vitæ S. Deicoli ad* XVIII *Januarii* (*i*), *quamvis mire in* S. Galli *laudes effusus, nihil affert quo oblata dignitas utcumque stabiliatur; sed simpliciter dixit S. Columbanum* Eustasio

(*a*) Coint. Ann. Franc. ad an. 568, § XVII, tom. II, p. 103. — (*b*) Tom. VI August., p. 576, lit. *p.* — (*c*) T. II Januar., p. 202, n. 11. — (*d*) Bibl. Max. Patt., tom. XII, p. 25. Edit. Lugd.— (*e*) Gesch. der Schweitz. Eidgenossench., tom. I p. 203. Edit. Frankenthal. — (*f*) Bibl. Patt., tom. XII, p. 27. — (*g*) Act. SS. Ord. S. Ben, sæc. II, p. 116 et 123. — (*h*) Annal. Ben., lib. X, § LIII, tom. I, p. 270. — (*i*) Tom. II Januar., p. 202, n. 10.

AUCTORE J. V. H.

stasio viro probatissimo, paterni nominis simulque officii locum tradidisse et vicarium sibi ad fovendum gregem Domini substituisse : ipsum vero cum paucis, qui cum eo pro Christo peregrinationem acceperant, plenum ora lacrymis, præduce Christo, ad alia tetendisse loca.

in exilio

67 *In Vita S. Columbani Jonas num.* 38 *et seqq. late describit iter ejus Luxovio Namnetas, atque in Alemanniam ; quo tandem, petente Theodeberto Austrasiæ rege et Theodorici fratre, concessit, ita tamen*, ut, *ait Jonas n.* 49, per Theodeberti regnum, si valeret ad Italiam Alpium juga transcendens perveniret. *Item aperte dicit S. Columbanus Theodeberto regi, multa promittenti ut intra limites regni consisteret, ibid. n.* 51 : Si pollicitationis tuæ adminiculum præbueris, et demum falsitatis noxam non opposueris, quantisper me moraturum scias, ac probaturum, si in cordibus gentium vicinarum fidem serere valuero. *Jonas nullo indicio prodit quanto tempore beatus vir in Alemannia perseveraverit. Uterque auctor Vitæ* S. Galli, *anonymus num.* 7 *et Walafridus c.* VI, *statuunt illum per* triennium *in Alemannia mansisse : quod nullatenus*

B

cum Actis ejus concordare potest. Nam S. Columbanus non citius an. 610 *in exilium actus, post peragratam magnam Galliæ partem, in aula Clotarii regis moratus, nonnisi adulto jam eodem hoc anno in Alemanniam pervenire potuit : cum præterea ex Jona num.* 59 *constet Columbanum, audita victoria Theodorici de Theodeberto relata an.* 612, *Italiam ingressum fuisse : vix ultra* biennium *in Alemania remanere potuit.*

secutus,

68 *Quas vir sanctus in Alemannia fecerat fundationes, illæ secundum ejus consilium extemporales et ad breve intervallum duraturæ erant ; sed Deus aliter disposuit. Nam illud quasi in transitu jactum divini verbi semen in amplissimam excrevit messem et fructus tulit in sæcula perennes. Alemanni siquidem, qui et Suevi dicebantur, opera* S. Galli *et sociorum ejus ad fidem erant convertendi, quam antea aliqui sectati insanis fœdaverant superstitionibus. Gentis originem describit Agathias, qui sæculo* VI *floruit, in Lib.* I *de rebus gestis Justiniani Imp.* (*a*) :

in Alemanniam, ab Agathia,

69 Alemanni autem (*latina Vulcanii interpretatione utor*), si Asinio Quadrato homini Italo, qui res Germanicas accurate conscripsit, credimus, convenæ sunt et miscellanei, quod et appellatio

C

ipsa satis indicat. Hos antea Theodoricus Gothorum rex, cum etiam universa Italia potiretur, tributarios fecerat, totamque hanc gentem subegerat. Simul atque vero is e vivis excessit, atrocissimumque bellum inter Justinianum Romanorum imperatorem et Gothos exarsisset, tum Gothi Francis adulantes eorumque amicitiam et benevolentiam, quibuscumque poterant modis, sibi conciliantes, et aliis multis locis ejecti sunt et Alemannicam gentem dimiserunt. Congendas enim sibi tum temporis undequaque vires suas putabant, subditosque quotquot supervacanei neque admodum opportuni viderentur missos faciendos, quippe qui non amplius de principatu et gloria essent concertaturi, sed jam pro Italia ipsa, neve funditus delerentur periculum adituri. Quocirca cum futurum periculum ipsi animis suis præcepissent et prævidissent, voluntatem suam ad necessitatem aggregarunt. Hoc itaque modo etiam Alemannorum nationem a Gotthis dimissam in suam potestatem redegit Theodibertus : quo mortuo, ut supra dictum est, Theodibaldo filio una cum reliquis subditis etiam hi cesserunt.

70 Sunt vero etiam his patria quædam instituta ; in reipublicæ vero administratione Francorum politiam sequuntur ; tantum in iis, quæ ad Deum pertinent, sententia variant. Arbores enim quasdam colunt, et fluminum lapsus et colles et saltus, atque his, tamquam justa facientes, equos aliaque quam plurima, resectis capitibus, immolant. Porro consuetudo quam cum Francis habent, ipsis conducit, in melius transferens et quodammodo pertrahens cordatiores ; et brevi, ut spero, tempore hoc ipsum apud omnes evincet. *Hæc accurate profecto explicant conditionem Alemannorum illo circiter tempore, quo* S. Gallus *Alemanniam incolere cœpit : nam præter institutum esset nostrum in primam gentis originem inquirere, quam videre licet in Alemannicis Antiquitatibus apud Schoepflin* (*b*) : *sufficiat hic observasse Theodebertum, de quo loquitur Agathias, esse Theodorici filium, qui Austrasiæ seu Metensi ditioni imperavit ab anno* 534 *ad* 548.

D

sæculi VI *auctore,*

71 *Ex Agathiæ textu mox allato consequi videtur Alemannos universos Ostrogothis, Italiam occupantibus, paruisse : ait enim* Theodoricum Gotthorum regem, cum etiam universa Italia potiretur

E

(*Alemannos*) tributarios fecisse totamque hanc gentem subegisse. *Agathias, homo videlicet græcus, nescivit a temporibus Clodovæi I potissimam partem Alemanniæ Francici juris fuisse, ut testatur S. Gregorius Turonensis* (*c*) ; *quem sequuntur Rorico* (*d*) *et Aimoinus* (*e*). *Imo ipse Theodoricus Clodovæo Alemannicam victoriam gratulatur, monetque ut moderate victis imperet* (*f*). *Sat magnam tamen Alemannorum multitudinem ad Theodoricum confugisse demonstrat oratio ejus panegyrica, conscripta a S. Ennodio Ticinensi episcopo, de quo actum fuit* XVII *Julii. In hæc autem profatur verba* (*g*) : Quid quod a te Alemanniæ generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est ? Cui evenit habere regem, postquam meruit perdidisse. Facta est Latiaris (*Latini*) custos imperii, semper nostrorum populatione grassata. Cui feliciter cessit fugisse, nam sic adepta est soli nostri opulentiam. *Multa igitur Alemannorum millia Theodoricum adiisse, vel ex* generalitatis *vocabulo conjicere licet, quamvis ipsam vocem hyperbolicam esse facile concedemus.*

dictam non Ostrogothiæ,

72 *Cæterum hæc ipsa pars Alemannorum, a Francis profuga, non ita diu post sub eorum potestatem redacta fuit, uti testatur Agathias loco citato :* Gotthi Francis adulantes.... et aliis multis locis ejecti sunt et Alemannicam gentem dimiserunt. *Hic quidem hærent scriptores recentiores, ut animadvertit P. Daniel noster in Historia Franciæ* (*h*), *eosque redarguit hoc modo :* Interpres Agathiæ, *verba P. Danielis latine reddo,* Hadrianus Valesius aliique recentiores explicant Agathiam, quasi Gothi coegissent Alemannos, ut relictis Alpibus ad antiquam patriam remearent, atque illic sub Theodeberto cum gentilibus suis viverent. *Ipse vero P. Daniel censet Vitigen, Gothorum regem, ut Francos ad se alliceret, ipsam regionem, videlicet Alpes Rhæticas, Franco cessisse. Hanc controversiam, utpote ab instituto nostro alienam, aliis dirimendam relinquimus. Sed hoc certum est, Francos circa hæc tempora, scilicet circa annum* 540, *Rhætiam occupasse. Hoc insinuat Procopius de Bello Gothico, dicens* (*i*) : Θευδίβερτος, ὁ Φράγγων ἀρχηγὸς, οὐ πολλῷ ἔμπροσθεν ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο νόσῳ, Λιγουρίας τε χωρία ἅττα, καὶ Ἄλπεις Κουτίας, καὶ Βενετιῶν τὰ πολλὰ οὐδενὶ πόνῳ ἐς

sed Austrasiæ Regibus

F

(*a*) Hist. Byzant. Agathias, p. 27. Edit. Bonn. — (*b*) Comment. Hist. et Crit., p. 171. — (*c*) Hist. Franc., lib. II, cap. XXX. Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 177. — (*d*) De Gestis Franc., lib. III, ibid., tom. III, p. 9. — (*e*) Lib. I, cap. XV. ibid., tom. III, p. 39. — (*f*) Ap. D. Bouquet, t. IV, p. 3. — (*g*) Sirmond. Oper., t. I, col. 1610. — (*h*) Hist. de France, t. I, p. 161. Edit. Amstelod. an. 1742. — (*i*) Lib. IV, cap. XXIV, tom. II, p 587.

ἀπαγωγὴν

A ἀπαγωγὴν φόρου ὑποτελῆ ποιησάμενος. Paulo ante Theodebertus Francorum rex morbo obierat, cum sibi nullo negotio tributaria fecisset nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias Venetique agri partem maximam. *Quod, ait Ambrosius Eichorn Benedictinus San-Blasianus, in Episcopatu Curiensi* (*a*) : vix fuisset possibile, nisi propiorem prius Rhætiam alpestrem subegisset.

subjectam, 73 *Ex illo tempore Alemannia universa Austrasiæ regno tributa fuit sub prima stirpe Merovingica. Hinc S. Columbanus in Alemannia degens sub tutela Theodeberti II, iram fratris ejus Theodorici Burgundiæ regis effugere potuit, donec hic Austrasia potitus an.* 612, *sanctum virum in Italiam exulare coegit. Pagius in sua Critica in Baronium* (*b*) *dicit :* Tunc annuente eo *(Theodeberto)* elegit ad tempus stationem intra Germaniæ terminos, in oppido diruto ad Rhenum nomine Brigantium : circa quod oberrans et mira multa efficit et Barbaros complures ad Christi fidem traducit. *Columbanus* itaque ditiones adiit, quas *Theodebertus Theodorico* fratricis Rhenum nuper ademerat, qua de re legendus Fredegarius in Chronico cap.
B xxxvii loquens de gestis Theodorici anno x. *Hic error typothetarum obrepserit, nam Fredegarius hæc refert ad annum* xv *Theodorici. Sed alii sunt Pagii errores : nam* Brigantium *ad Rhenum ponit, quum quatuor circiter leucis a flumine distet. Dein Brigantium non* cis *sed* trans Rhenum *situm est : unde si quid* cis Rhenum *Theodebertus Theodorico ademit, Brigantium tamen ad antiquam Austrasiorum regum possessionem pertinebat.*

venit. 74 *Præterea sat obscurus est Fredegarii locus citatus* (*c*) *:* Anno xv regni Theuderici, cum Alesaciones *(Alsatas)*, ubi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, a Theudeberto ritu barbaro pervaditur. Unde placitum inter duos reges, ut Francorum judicio finiretur, Saloissa castro (Seltz, *oppidum Alsatiæ* (*d*)) instituunt : ibique Theudericus cum scaritis *(militibus)* tantum decem millibus accessit. Theudebertus vero cum magno exercitu Austrasiorum inibi prælium vellens *(sic)* committere aggreditur ; quod cum undique Theudericus ab exercitu Theudeberti circumdaretur, coactus atque compulsus Theudericus, timore perterritus, per pactionis vinculum Alsacios ad Theudebertum firmavit,
C etiam et Suggentenses et Turenses et Campanenses, quos sæpius repetebat, amisisse visus est. *Suggentenses interpretatur D. Bouquet l. c. Suntgoviæ in hodierna Alsatia incolas, Turenses Thurgovienses in Helvetia, Campanenses demum populum quemdam adhuc ignotum, superioribus tamen vicinum* (*e*). *Ex Fredegarii verbis, non licet certo deducere, Alemanniam vi per Theodebertum Theodorico extortam fuisse, maxime cum præter Alesaciones, non undecumque certum sit, quos præcise populos per* Suggentenses, *etc. Fredegarius intenderit.*

§ VII. S. Galli res gestæ in Alemannia.

In Alemannia SS. Columbanus et Gallus

Erat Alemannia vetus Rheno, Danubio et Moeno olim circumscripta. Verum senescente Occidentali *imperio, cum fines ejus gentium incursionibus undique paterent, Alemanni quoque præter regiones bello occupatas, Rheno superato, versus meridiem per Helvetiam usque ad lacum, uti videtur ex S. Isidoro Hispalensi Originum l.* IX, *Lemannum dominationem suam extenderunt* (*f*). *Quo tempore S. Columbanus Alemanniam incolere cœpit, scilicet circa an.* 610 *hi populi, teste Fredegario cap.* XXXVIII *supra cit., pagum Aventicensem in Transjuranis hostiliter aggrediuntur, omnia diripiunt,* plurimorum nimiam hominum multitudinem exinde in captivitatem ducunt, reversique cum præda pergunt ad propria. Theudericus ob has injurias deinceps integra assiduitate consilium inibat, quo pacto Theudebertum potuisset opprimere. *Hic igitur erat Alemanniæ status, quam* S. Gallus *cum S. Columbano primum, dein solus excolendam suscepit ; furebat civile bellum, donec Clotarius omnium Galliarum regno potitus fuerit. Fluxit deinceps tranquillior ætas, quæ propagationi et confirmationi religionis Christianæ in illa gente plurimum profuit.*

AUCTORE J. V. H.

primum 76 *S. Colombanus primum circa lacum Turicinum habitare constituit, teste Walafrido in Vita S. Galli c.* IV : Accepta igitur a rege (*Theodeberto*) E licentia eligendi locum ubicumque voluissent, dum loca plurima perlustrassent, venerunt infra partes Alemanniæ ad fluvium, qui *Lindimacus* vocatur. Juxta quem ad superiora tendentes venerunt ad lacum Turicinum. Cumque per litus ambulantes venissent ad caput lacus ipsius, in locum qui *Tucconia* dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. *Lindimacus fluvius est (popularibus hodie* die Limmat, die Linth), *qui e Glaronensi pago in lacum Turicinum atque inde in Arolam* (die Aar) *influit. Ad ostia Lindimaci, proinde ad caput lacus sita est* Tucconia *hodie* Tuggen. *Perperam igitur Joan. Mabillon l. c. et in suis Annalibus* (*g*) *Tucconiam* Tugium, Zug *interpretatur. Auctorem quidem sententiæ suæ citat Goldastum* (*h*), *sed hic ipse dubitare videtur, quum illi incertum sit utrum Lindimacus idem sit fluvius, qui hodie* Limmat *vocatur. Quidquid si* Tugium, *de quo Mabillon loquitur, oppidum est lacui sibi cognomini adjacens ; nostra vero Tucconia, uti supra diximus, sita est ad lacum Tigurinum* (Lac de Zurich).

circa lacum Turicinum, 77 *Muratorius in Antiquitatibus Italicis medii ævi* (*i*), *dum Joan. Mabillonium corrigere tentat, in alium errorem incidit :* Opinatur, *ait,* Clariss. Ma- F billonius nomine *lacus Turicini* intelligendum esse illum qui nunc *Lago di Zurigo* appellatur ; *Tucconiam* vero sive *Tuggen*, non aliam esse regionem, quam quæ nunc *Zug* dicitur, auctoritate innixus Goldasti paria scribentis. Verum an hæc recte se habeant, illorum erit animadvertere, qui intimius norunt chorographiam ac eruditionem Helveticam. Neque enim Zug situm est ad lacum Turegi sive Zurigi ; et contra quam censuerit Goldastus, *Tucconiæ* vocabulum exhibere potius videtur Toggemburgi terram, pro qua paucis ante annis acre bellum exarsit inter Zuriganam rempublicam et abbatem S. Galli, *imo, uti verius habet Martinus Gerbert in sua Historia Nigræ Silvæ* (*k*), Catholicos inter et Protestantes cantones, ob rebelles abbati S. Galli Comitatus Toggenburgici subditos Protestantes. *Sed ut ad rem nostram redeamus, nulla mihi Toggenburgici comitatus occurrit mentio circa hæc tempora ; neque id mirum videtur, si probetur conjectura Ildelphonsi von Arx*

(*a*) p. 10. — (*b*) Ad an. 612, § VIII. — (*c*) Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 427. — (*d*) Cfr Hadr. Valdes. Notit. Gall., p. 495. — (*e*) Cfr Schoepflin Alsat. illustr., t. I, p. 640. — (*f*) Cfr Schoepflin Comment. de Aleman. Antiq., p. 172. — (*g*) Lib. x, § LI, tom I, p. 269. — (*h*) Rer. Alaman. tom. I, p. 250. — (*i*) T. I, p. 277. Edit. Mediol. 1773. — (*k*) Tom. II, p. 466.

AUCTORE V. J. H.

in Historia Pagi Sangallensis (*a*) ; *nomen scilicet illud derivari a viro* Tochone *appellato, ita ut* Tochonis burgum *dicendum sit : quemadmodum in Codice Diplomatico Alemanniæ Trudperti Neugart* (*b*) *occurrit* Tachinwillare, *sive* Tochonis mansio, *hodie* Toggweil *in pago Turicino.*

Wangis habitant,

78 *Sed rem omnem expedit ipsa Charta barbare scripta, atque a Muratorio allata* (*c*) ; *quam habet quoque Trud. Neugart* (*d*) *sub anno* 844 : *Muratorius vero ad an.* 880 *profert. Dicitur in ea S. Columbanus* Wangis *olim habitasse, qui locus hodie* Wangen *adjacet hodiernæ parochiæ rurali* Tuggen. *En verba diplomatis :* Ego in Dei nomine Wolfarth complacuit mihi in animo meo, ut aliquid de rebus meis pro remedio anime mee et parentorum meorum condonare deberem, quod et ita et feci. Hoc est in pago Turgauge, loco qui dicitur *Wangas*, prope marcha (*Neug-marca*) Reciæ, Basilica constructa, ubi sanctus Columbanus olim cum suis habitare volebat, modo Deo opitulante concedit nobis de suo sancto corpore Reliquias adhabere.... Insuper aditiam (*adjiciam*) quidquid mihi de Rikero advenit in marcha *Tuccunnie* cum omni

B intecritate..... Actum in puplice in loco qui dicitur *Wangas*, ubi ipsa ecclesia est constructa in honore Sancti Columbani, præsentibus quorum hic signacula continentur..... Anno v regnante Ludovici rege, et sub Atone comite, octavo idus Augusti. Ego indignus Cunpertus presbiter scrisi et subscripsi. *Nullum igitur dubium superesse potest, quin* Tucconia, *de qua in utraque Vita* S. Galli *agitur, sit locus hodierno vocabulo* Tuggen *appellatus, ad caput lacus Turicini, ubi Lindimacus influit, et Wangis, habitaculo S. Columbani conterminus.*

deinde

79 *Non diuturna fuit sanctorum virorum habitatio in Tucconia ; cum enim hujus loci incolas a cultu idolorum revocare tentarent, discedere coacti sunt. Itaque ad Castrum* Arbonam, *antiquis* Arborem Felicem *dictum, atque in margine meridionali lacus* Potamici (*hodie Constantiensis*) *positum accedunt, excepti a Willimaro presbytero loci : a quo diriguntur Brigantium*, civitatem quamdam dirutam vicinam illis locis *orientem versus.* Columbanus abba, *ait Walafridus in Vita* S. Galli *c.* VI, presbyterum interrogavit, si sciret aliquem in solitudine locum, in quo cellula fieri potuisset, custodiis ali-

C quantulum regularibus opportuna. Hospes Sanctorum huic inquisitioni respondit : In hac solitudine locus quidam est antiquæ structuræ servans inter ruinas vestigia, ubi terra pinguis et fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelsi, eremus vasta et imminens oppido planities copiosa victum quærentibus fructum laboris non negat. Illis igitur illuc ire cupientibus, paravit presbyter naviculam et imposuit remiges. Venerabilis autem abba cum comitibus Gallo et quodam diacono navem conscendens, invocato nomine Domini, ad locum desideratum via recta pervenit.

Brigantii

80 Egressi de navicula oratorium in honorem S. Aureliæ extructum invenerunt, quod postmodum B. Columbanus in priscum renovavit honorem. Post orationem, cum per gyrum cuncta lustrassent, placuit illis qualitas et situs locorum. Deinde, oratione præmissa, circa oratorium mansiunculas sibi fecerunt. *Hæc ex Walafrido citare malui, quia conferri possunt cum Vita Anonymi infra edenda. Videntur autem subsistere non posse cum iis, quæ Jonas in Vita S. Columbani narrat n.* 53 ; *dicit enim :* Dein perveniunt ad locum quem per- D agrans vir Dei non suis placere animis ait, sed tamen ob fidem in eis serendam inibi paulisper moraturum spopondit. *Hunc locum interpretatur Joannes Mabillon* (*e*) *esse* Tucconiam uti, *ait*, ex Walafrido Strabone infra in Vita S. Galli c. IV, memoratur. *Sed pace doctissimi viri dixerim, quæ in sequentibus de eodem loco narrat Jonas*, Tucconiæ *convenire non possunt. In Tucconia enim nullo fructu laboravit Columbanus, dum Brigantina prædicatio uberes protulerit fructus.*

majori cum fructu

81 *Sterilem fuisse missionem evangelicam in Tucconia demonstrat Walafridus in Vita* S. Galli *cap.* IV, *ubi, postquam narrasset deleta fuisse fana, oblationes demersas in lacum, pergit :* Qua causa permoti gentiles, ira et invidia sanctos insectabantur, et communi consilio Gallum perimere voluerunt, Columbanum vero flagellis cæsum et contumeliis affectum de suis finibus proturbare.... Post hæc non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritalis lucri persuasus, contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quam plurimum prodesse interim potuisset. Per- E gens ergo inde cum suis pervenit in castrum, quod Arbona vocatur. *Hæc abunde probant inanes fuisse omnes S. Columbani labores in Tucconia. Verum Jonas l. c. postquam dixisset* non placuisse *viro Dei* locum, *addit tamen :* Multi ergo eorum tunc per beati viri suasum ad doctrinam et ad Christi fidem conversi, baptismum consecuti sunt, aliosque etiam, quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum euangelicæ doctrinæ monitis suis ut bonus pastor ecclesiæ seminibus reducebat sparsis..... Vacante itaque Columbano cum suis penes Brigantiam urbem, duræ egestatis tempus obvenit. *Locus ergo quem* vir Dei non suis placere animis *ait, est Brigantium, e quo amplam messem retulit. Itaque Claudius Fleury qui in sua Historia ecclesiastica* (*f*) *Tucconios S. Columbani prædicatione conversos memorat, aperte Walafrido et auctori Anonymo Vitæ S.* Galli *contradicit.*

evangelium

82 *Verum si Jonas intelligi debet de Brigantino incolatu, alia emergit difficultas, quomodo scilicet Walafridus dicat* placuisse qualitatem et situm locorum, *quos Jonas, ut vidimus*, displicuisse *asserit? Sed hæc facile componuntur, si textum Walafridi et Anonymi consideremus. Omnes enim qui de* F *Alemannico itinere S. Columbani scripserunt, in hoc conveniunt illum nullo pacto voluisse ibidem remanere. Rem accurate exponit Walafridus cap.* III : Cumque et ipsum *(Theodebertum)* rogaret, ut ad Agilolfum regem Longobardorum ejus jussu per Alamanniam duceretur, moleste ferens rex tantorum discessum virorum, pollicitus est eis intra terminos regni sui se reperturum loca venusta, quæ famulis Dei et ad incolendum essent commoda et ad instruendas verbo veritatis circumpositas nationes essent opportuna. Vir Dei semen verbi in cordibus gentium plantare desiderans, aliquantisper moraturum se promisit. *Hæc postrema verba habet quoque Jonas, num.* 51 : Si pollicitationis tuæ adminiculum præbueris... quantisper me moraturum scias, ac probaturum si in cordibus gentium vicinarum fidem serere valuero.

prædicant,

83 *Sed cum hac promissione stabat S. Columbano immotum consilium eundi ad Agilolfum in Italiam : hoc clare demonstrat Anonymus noster num.* 4, *quando dicit S. Columbanum respondisse Theodeberto*, se petitioni ejus velle obtemperare, sed

(*a*) Gesch. des Cant. S. Gall. t. I, p. 245. — (*b*) Chart. CXXXI, p. 114. — (*c*) Antiquit., tom. I, p. 276. — (*d*), Ch. CCCVI, p. 251. — (*e*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 26. — (*f*) Hist. de l'Egl., lib. XXXVII, § VII.

tamen

A tamen firmiter habendo æstimatum iter *(Italicum)* nulla ratione velle dimittere. *Non placebat igitur Columbano Brigantinum domicilium, quia constituerat adire Italiam ; idem autem et placebat pro extemporali habitatione, brevi relinquenda, in qua tamen monasticam quam voverat vitam ducere poterat, et unde ad prædicandum Christi evangelium finitimis populis excurrere poterat.*

et destructis idolis,

84 *Joan. Lanigan in Ecclesiastica Historia Hiberniæ* (*a*) *carpit Claudium Fleury* (*b*) *et Joannem Mabillon* (*c*), *opinantes idem fuisse ædificium et oratorium S. Aureliæ*, circa *quod* mansiunculas *sibi* fecerunt *Columbanus et socii, ac templum, in quo tres imagines deauratæ sive idola affixæ erant.* Quantum, *ait, verba ejus anglica latine reddo*, Walafridum, ex quo hæc narratio desumpta est, intelligo, erat templum istud paganicum, aut saltem, quando Columbanus Brigantium advenit, paganorum usibus deputatum. Fuerit fortassis olim ecclesia Christiana, cui adjacebat oratorium S. Aureliæ. Videtur id Walafridus insinuare, loquens de sacro altari, quod, quamvis neglectum, tamen in templo reperiebatur. Mabillon supponit

B templum fuisse ecclesiam S. Aureliæ dedicatam, illamque a Columbano fuisse reconciliatam. Sed si ita est, quomodo Walafridus dicit Columbanum istic collocasse Reliquias S. Aureliæ? Certe jam illic erant, si vera est opinio Mabillonii. *Hæc Joannes Lanigan.*

Reliquias S. Aureliæ

85 *Meo quidem judicio recte interpretati sunt Walafridum Fleury et Mabillon. Nam postquam dixisset Columbanum et socios* circa oratorium mansiunculas sibi fecisse, *subdit :* Repererunt autem in templo tres imagines æreas deauratas, parieti affixas, quas populus, dimisso altaris cultu, adorabat. *Particula* autem *vi sua refertur ad* oratorium, *de quo sermo fuit. Cæterum omne dubium tollit Anonymus n.* 7, *qui eadem narrando dicit* ecclesiæ Sanctæ Aureliæ honorem pristinum restitutum fuisse. *En ejus verba :* Fraternalis manus domicilia sibi illic præparavit, ac strenue Christum pro illo loco supplicavit. Tres ergo imagines æreas et deauratas superstitiosa gentilitas ibi colebat, quibus magis quam Creatori mundi vota reddendo credebat. Nempe desiderio destruendi eorum superstitionem vir Dei Columbanus jussit

C Gallo ad populum recitare sermonem, quia ille inter alios eminebat lepore latinitatis, necnon et idioma illius gentis.... Igitur videntibus cunctis, sublatas imagines comminuit *(Gallus)* petris, atque in profundum dejecit maris *(lacus)*. Tunc ergo pars populi confitendo peccata sua credidit, parsque irata et indignata cum furore abscessit. Nam et vir Dei Columbanus aquam benedixit, atque sanctificando loca contaminata, ecclesiæ Sanctæ Aureliæ honorem pristinum restituit. *Quæ igitur de templo narrat Walafridus, hæc tribuit Anonymus oratorio S. Aureliæ, ut nullum supersit dubium unum et idem fuisse.*

in altari reponunt :

86 *Quam vero movet difficultatem Lanigan ex eo, quod S. Columbanus dicatur Reliquias in templo posuisse, proindeque aliud templum, aliud oratorium fuisse, facilis solutu est. Walafridus enim non dicit B. virum Reliquias S. Aureliæ* in templum *intulisse, sed* in altari *posuisse, quod prius neglectum, nunc pristino honori redditur. Notari quoque ab archeologis et rei liturgicæ studiosis meretur modus, quo Walafridus c.* VI *refert expiationem templi, a Columbano more quasi pontificali peractam* : Beatus autem Columbanus jussit aquam afferri et benedicens illam, aspersit ea templum, et dum circumirent psallentes, dedicavit ecclesiam. Deinde invocato nomine Domini, unxit altare et Beatæ Aureliæ Reliquias in eo collocavit, vestitoque altari, Missas legitime compleverunt. Omnibus ita rite peractis, reversus est populus in sua cum gaudio. *De S. Aurelia non attinet dicere; in hoc ipso tomo* VII *Octobris die præcedenti accurate Jacobus Bueus noster collegit, quæ ad hanc Sanctam pertinent. Quæ vero Schoepflinus* (*d*) *opposuit, erudite submovit Anselmus Berthod in Vita S. Pantali ad diem* XII *Octobris* (*e*).

AUCTORE J. V. H.

hæc Brigantina fundatio primum extemporalis

87 *Hæc fundatio Brigantina cessit fœminis sanctimonialibus, si fides habenda est iis, quæ Majores nostri referunt ad diem* XXX *Januarii in Vita S. Haberillæ* (*f*). *Hoc monasterium ad Brigantii amnis in lacum Constantiensem influxum, amœnissimo loco situm, vocatur passim* Alba Augia (Weissenau) *et* Major Augia (Mehrerau) ; *quia est altera Alba Augia, quæ ad distinctionem* Augia minor (Minderau) *appellatur. Monasterium Augiæ Majoris duplex olim fuisse, virorum scilicet et fœminarum, scribit subdubitans Bollandus noster, secutus,* E *ut ipse dicit, Crussium Annalibus Sueviæ ad annum* 1097 (*g*) *et Bruschium in Chronologia Monastica* (*h*). *Crusius quidem dicit :* Anno 1098 abolitis monialibus, abbatiam monachorum fecit Udalricus Rhætorum et Brigantiæ comes. *Fundationem monasterii Udalrico adscribit Joannes Mabillo* (*i*), *quasi tunc primum condi cœpisset, quod diu ante hoc tempus extitit, ut videre est in Gallia Christiana* (*k*), *in qua multi numerantur abbates ante hunc annum. Franc. Petrus in Suevia Ecclesiastica* (*l*) *et Bruschius loco citato innovatam dicunt fuisse abbatiam ab Uldarico, non vero fundatam. Cæterum, uti Bruschius et Crusius volunt, fuisse cœnobium monachis et monialibus commune, nullum equidem invenio argumentum, quo opinio fulciatur. Fuerunt, uti fidem faciunt catalogi in Gallia Christiana loco citato initio abbatissæ, post abbates : successionem video, neutiquam vero confusionem.*

sub S. Columbano,

88 *In Historia rei litterariæ Ordinis S. Benedicti Oliverius Legipontius* (*m*), *quem calculo suo approbare videtur Albanus Butler in Vitis Sanctorum ad* XXI *Novembris, facit fundatorem Augiæ Brigantinæ Majoris S. Columbanum, atque vadem suæ sententiæ adducit Apronianum Huber. Brigantini* F *cœnobii priorem ; quia a S. Rituum Congregatione obtinuit, uti festum S. Columbani celebraretur deinceps in suo monasterio sub ritu duplicis primæ classis cum Octava ; insuper et Clemens XII indulgentias plenarias in perpetuum concessit visitantibus Augiensem ecclesiam in ejusdem Sancti festo. Non potui mihi procurare Aproniani Huber scriptum ; sed meo judicio, ex litteris ad Legipontium datis, aliud non probavit Apronianus, quam S. Columbanum incoluisse Brigantium ; et id quidem* triennio, *quod ostendimus supra num.* 67 *saltem ad* biennium *coarctandum esse. Neque aliud obtinuit a S. Rituum Congregatione, quæ permisit, ut in lectionibus* II *Nocturni* XXIV *Novembris post verba :* ad lacum Brigantium consedit, *quæ in monastico breviario habentur, adderentur sequentia :* Sanctæ Aureliæ templum hic inanium deorum cultu profanatum post simulacra ejecta solemni ritu expiavit. Cella exinde prope idem templum constructa, cum suis commilitonibus triennio fere commoratus, ethnicorum superstitiones per ea loca substulit; inde

(*a*) Hist. of Irel., t. I, p. 288. — (*b*) Hist. Eccl., l. XXXVII, § VII. — (*c*) Annal., lib. X, § LII, tom. I, p. 269. — (*d*) Alsat. illust., tom. I, p. 341. — (*e*) Tom. VI Octob., p. 65 et seq. — (*f*) T. II, p. 1033. — (*g*) Tom. II, part. II, p. 297. — (*h*) p. 10 — (*i*) Annal. Ben., lib. LXIX, § LXXXII, tom. V, p. 363. — (*k*) Tom. V, col. 970. — (*l*) p. 129. — Tom. IV, p. 539.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

a gentilibus exulare coactus, in Italiam.... profectus est, *etc. Hæc apprime cum historia SS. Columbani et* Galli *conveniunt : sed nullatenus fundationem Augiensis Majoris monasterii S. Columbano adscribunt.*

evasit dein perpetua opera S. Galli,

89 *Potiori jure Brigantina fundatio* S. Gallo *videtur adscribenda. Nam antiquiora Augiensis cœnobii monumenta hunc indigitant, utpote qui S. Haberillæ sive Habriliæ vestem monasticam dederit, eamdemque cæteris antistitam præfecerit. Bollandus noster ad* XXX *Januarii loco citato scripturam refert* vetustate ita oblitteratam ut legi modo non possit. Sententiam ejus fuisse hanc retulerunt, qui legerant : B. HABERILLA EREMITA, DE POST ORDINIS S. BENEDICTI, ABBATISSA CELLÆ SUÆ CUM MULTIS SACRIS VIRGINIBUS DEO SERVIVIT. HABITUM E S. GALLI MANIBUS, QUI TUNC TEMPORIS CUM ALIIS DISCIPULIS ET SOCIIS BRIGANTII MORABATUR, SUSCEPIT; ET HIC SEPULTA MULTIS CLARET MIRACULIS. S. Gallo *confirmatur quoque Brigantina fundatio ex eo quod S. Columbanus numquam habuerit in animo, ut vidimus supra num.* 83, *manere in Alemannia, imo ne voluisse quidem*

B

ut vel unus e sodalibus illic hæreret, cum solum S. Galli *morbus ejus profectionem impedierit. Quæ cum ita sint, quis putet S. Columbanum, virum prudentem, monasterium fundasse brevi derelinquendum absque aliquo solatio aut consilio, in medio gentis adhuc barbaræ nec ad integrum conversæ ?*

cui proin fundatoris titulus competit.

90 *Hæc rationum momenta mihi tam valida videntur, ut omnem abrogent fidem narrationi Aproniani Huber, si tamen evincere tentarit sententiam, quam profert Franc. Petrus in Suevia Ecclesiastica loco citato,* S. Columbanum novo cuidam et quidem ad normam Luxoviensis illius monasterio condendo manus admovisse pro perpetua (uti tunc putabant) habitatione istic loci stabilienda. *Neque thesi huic patrocinatur decretum S. Rituum Congregationis, concedentis festum, etc. Nam ex praxi Romana certum est, S. Congregationem per concessionem Officii, et Romanum Pontificem per indulgentias, nullatenus habere ratas opiniones historicas expositas in precibus porrectis : ut videre est in Prospero Lambertini de Beatificatione et Canonizatione servorum Dei* (*a*) *et in nostris ad Vitam S. Dionysii Episcopi* IX *Octobris* (*b*). *Ad has gratias obtinendas suffecerit pietas monachorum Augiensium*

C

et populi Brigantini, quæ præcipue movere solet Romanum Pontificem et sacra tribunalia.

§ VIII. S. Gallus eremum incolit, sanat Cunzonis Ducis filiam Fridiburgam, episcopatum Constantiensem recusat.

S. Columbanus, in Italiam proficiscens,

Uterque Auctor Vitæ S. Galli *scribit* : Cum proficiscendi (*in Italiam*) tempus instaret, *verbis utor Walafridi cap.* IX, B. Gallum repentina febris invasit. Unde abbatis sui pedibus advolutus, indicavit se infirmitate vehementi laborare, et ideo iter propositum non posse perficere. Ille vero existimans eum, pro laboribus ibidem consummandis amore loci detentum, viæ longioris detrectare laborem, dicit ei : « Scio, frater, jam » tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fa- » tigari ; tamen hoc discessurus denuntio, ne, » me vivente in corpore, Missam ; celebrare præ- » sumas. » Et cum ei licentiam per se conversandi dedisset, viam ingressus est abeundi. *Eadem quoad sensum habet Anonymus num.* 9 ; *attamen S. Columbanus ipsa vultus serenitate responsi brevitatem atque adeo severitatem mitigasse videtur ; etenim habet Anonymus :* Cum hilaritate animi dixit : « Si laborum meorum particeps fieri » non vis, diebus meis Missam non celebrabis. »

D

92 *Hanc narrationem tamquam fabulosam rejicit Joan. Lanigan* (*c*), *duabus maxime ductus rationibus : quia Columbanus is non erat, qui facile decipieretur, aut de amico tam sancto et caro male suspicaretur ; deinde quia Jonas antiquior et longe majoris auctoritatis quam Walafridus, nihil hujusmodi narrat. Hæc Lanigan : cujus tamen rationes tanti non sunt, ut in dubium vocemus rem, non solum a duobus Vitæ scriptoribus, quorum unus subæqualis erat, narratam, sed etiam in Vita S. Deicoli* XVIII *Januarii* (*d*) *consignatam ; quin et ipse* S. Gallus *hoc S. Columbani interdictum allegat, ne invitus ad sedem Constantiensem assumeretur, uti narrant Walafridus cap.* XIX *et Anon. n.* 19. *Imprimis silentium Jonæ nihil probat, quia nimium probat. Non dicit* S. Gallum *in Alemannia remansisse ; attamen contra mentem ipsius Lanigan concluderetur sanctum virum in Italiam transmigrasse. Deinde hæc a S. Columbano inflicta pœna, cum Acta* S. Galli *potius attingeret, merito ab Jona tacetur, qui cæterum non multa de illo habet.*

S. Gallum infirmum, SS. Sacrificio interdictum

E

93 *Altera ratio, qua insinuatur S. Columbanus non facile decipi potuisse, non magni momenti est : quis enim quantumvis sanctus, sagax, prudens, qui non quandoque aliquid humani patiatur ; exemplo nobis sit controversia S. Hieronymi cum S. Augustino. Quod vero probabile non est S. Columbanum male de amico caro sanctoque suspicatum fuisse, facile concedam, illum brevibus verbis a* S. Gallo *de vera gravique infirmitate convictum fuisse, proindeque in pace et caritate ab illo discessisse ; sed quisquis libros vitæ spiritualis et monasticæ, tractantes de obedientiæ virtute, vel a limine salutarit, sciet ad experimentum et meritum obedientiæ sanctioribus viris non raro graves pœnas imponi, etiam propter defectum non culpabilem : unde mirandum non est inflictam a S. Columbano pœnitentiam etiam post conciliatam pacem perseverasse.*

in Alemannia retinquit :

94 Post discessus, *ait Walafridus cap.* IX, magistri et sociorum, Gallus retia sua et sagenam navi imponens, (*rei enim piscatoriæ vacabat ex officio in extemporali mŏnasterio Brigantino, c.* VI), ad Willimarum presbyterum venit, et cum obtulisset ei retia, inter lacrymas et suspiria retexuit omnia, quæ gesta fuerant circa fratres suos. Deinde infirmitatis suæ causas aperiens, rogavit eum, ut sui curam dignaretur habere. Qui suscipiens eum cum omni charitatis obsequio, domum vicinam ecclesiæ ejus necessitati concessit, et duobus clericis suis Magnoaldo et Theodoro hanc sollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi servirent. Exactis aliquot diebus, Domino, qui medicus est verus, medelam impertiente, cœpit sumere cibos, et per incrementa temporum confortatus, perfectam indeptus est sanitatem. *In Vita S. Magni, qui idem est Magnoaldo hic laudato,* VI *Septembris* (*e*) *dicitur Hibernus ex regio sanguine, et quidem cum S. Columbano jam monachus ex Hibernia transmigrasse. Idem de S. Magno et Theodoro asserit Præfatio cantilenæ de* S. Gallo (*f*). *Hæc jam refutarunt no-*

hic, restituta valetudine,

F

(*a*) Lib. IV, part. II, cap. X. num. 18 et cap. XXV, num. 54. — (*b*) Tom. IV Oct., p. 970, n. 73. — (*c*) Hist. of Irel., t. II p. 291. — (*d*) Tom. II. Januar., p. 202. num. 11 — (*e*) Tom. II Septemb. p. 700. — (*f*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 33.

stri

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *stri in citata Vita S. Magni* (*a*). *Cum Walafrido consentit Anonymus num.* 10, *qui dicit a Willimaro* jussum esse duobus clericis Maginoldo et Theodoro, ut sollicitudinem ejus *(Galli)* habuissent. *Si socii S. Columbani fuissent,* monachi *potius dicerentur, quam* clerici.

et duce Hilteboldo diacono,

95 *Antequam ad incolatum* S. Galli *in eremo propius accedamus, operæ pretium fuerit, ipsam historiam, prout a Walafrido cap.* x *et seqq. refertur, ante oculos ponere : est enim multis difficultatibus impedita, ita ut aliqua tamquam fabulosa a recentioribus respuantur.* Diaconus itaque sæpedicti presbyteri (*Willemari*), nomine Hilteboldus, omnes eremi semitas notas habebat et secessus; solebat enim piscium et accipitrum causa capiendorum sæpius solitudinem pervagari et secreta locorum usu quotidiano perdiscere. Huic cum vir sanctus familiaritatis suæ gratiam præstitisset, quæsivit ab eo, an invenisset umquam in solitudine locum aquis abundantem puris et salubribus, planitie stratum et humanis cultibus opportunum. Desiderio, inquiens, animi ferventis exæstuo, cupiens in solitudine ducere dies huic

B vitæ concessos, juxta quod Psalmista pronuntiat dicens : *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine. Expectabam eum qui salvum me faceret,* et reliqua. Diaconus respondit : Hæc, o Pater, solitudo aquis est infusa frequentibus, asperitate terribilis, montibus plena præcelsis, angustis vallibus flexuosa, bestiis possessa sævissimis.

aptam solitudinem

96 Nam præter cervos et innocuorum greges animalium, ursos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes, rabie singulares. Timeo igitur, ne, si te illuc induxero, ab hujusmodi hostibus devoreris. Ad hæc vir sanctus : Apostoli, inquit, sententia est : *Si Deus pro nobis, qui contra nos?* Et : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Qui Danielem liberavit de lacu leonum, potest et me eripere de manu bestiarum. Cui Diaconus hæc respondit : Mitte in peram tuam cibaria et rete parvissimum, cras enim introducam te in eremum ; et si inveneris locum tibi acceptabilem, age gratias Deo, et præcepti Dominici comple rigorem.... Igitur vir beatus die eodem jejunus permansit, et usque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit.... Dum autem lucifer

C suo processu noctis latibula detexisset... athleta Dei ea, quæ ductor suus dixerat secum adsumens cum orationis benedictione, illo præeunte, viam aggressus est. Cumque per totum diem iter ageret, circa horam nonam dixit diaconus : Pater hora refectionis jam instat, sumamus paululum panis et aquæ. *Noluit vero tunc quidpiam cibi sumere vir Dei, quod pœnitentiæ exemplum imitaturum se diaconus professus est.*

quærit et invenit :

97 His dictis, cœperunt iter agere festinato, quia dies jam declinabat.... Venerunt autem ad quemdam fluviolum, qui Stemaha (*Steinaha*) nominatur ; ambulantesque per decursum ipsius, dum venissent ad rupem, de qua idem cum impetu descendens gurgitem facit spatiosum, ubi viderunt plurimos pisces et imponentes retia sua ceperunt eos. Igne deinde succenso diaconus pisces assavit et panem posuit super peram. Beatus autem Gallus dum orandi gratia modicum ab illo divulsus esset, inter condensa veprium frutecta ambulans, et pede hærens, ad terram corruit. Quod diaconus videns, accurrit ut sublevaret prostratum. Sed vir Dei præscius futurorum : Sine me, ait, hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Et cum post orationem surrexisset, sumens virgam colurneam, fecit crucem et fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capsellam, in qua continebantur Reliquiæ Beatæ Dei Genitricis Mariæ et Sanctorum Martyrum Mauricii et Desiderii. Quam cum in ipsa cruce suspendisset, vocavit diaconum, et prostraverunt se pariter in oratione.... Finita oratione.... cum gratiarum actione cibum sumpserunt, rursumque Deo gratias exhibentes, straverunt se in terra, ut aliquantulum requiescerent....

AUCTORE J. V. H.

98 Nocte exacta.... diaconus ait : Pater mi, quid facturi sumus hodie? At ille respondit : Obsecro te, fili, ne moleste feras quod dico. Quia Dominus nos fecit quod quæsivimus invenire, hunc etiam diem in loco ducamus. *Transacto die,* S. Gallus *cum diacono adhuc per triduum in oratione perseveravit.* Quarto itaque die eremo digrediens, domum revisit presbyteri et inter amicæ salutationis officia, gratias Deo pro omnibus bonis quæ ei ostendit, cum debita laude persolvit. Presbyter autem suscipiens illum cum gaudio, jussit mensam apponi.... Ex illo die et deinceps E habuerunt eum sicut prophetam et virum sanctum, quotidie meritorum ejus magnitudinem per vitæ illius asperitatem et virtutum studia metientes. Interea illis commanentibus, nuntius venit ad presbyterum indicans Constantiensem episcopum, Gaudentium nomine, de hac vita migrasse, Hoc audito, unanimo fervore pro requie defuncti Pastoris precibus et lacrymis institerunt. Septima post hac die Gunzonis ducis epistola venit ad presbyterum, præcipiens illi, ut die duodecimo ad Iburningas villam veniret, et virum Dei secum adduceret. Nam filiam ejus nomine Fridiburgam, quæ illi erat unica, singulari pulchritudine fulgens, spiritus invasit malignus.... Hanc ob causam pater ejus nuntios misit ad regem Sigibertum Theodorici filium, qui eam habuit desponsatam, ut ei nuntiarent quidquid circa puellam agebatur.

sed brevi,

a Gunzone Duce

99 Rex vero cum omni festinatione misit duos pontifices, de quorum meritis potissimum præsumebat, cum bonis regiis ad puellam, ut eam medicamine orationum a furoris vesani languore sanarent. Igitur Willimarus presbyter volens tempore per epistolam definito ad ducem venire, dixit Beatissimo Gallo : Scis ducis mandatum ; F eamus ad illum. Et ille : Tuum est, inquit, hoc iter, non meum. Tu ergo proficiscere. Quid mihi cum principibus sæculi? Nam in eremum unde exivi revertar. Noli, ait, ita agere, sed perge mecum, ne forte dux, qui in vexatione filiæ nimium contristatur, ira commotus mittat satellites, teque vinctum illuc faciat perduci. Vir Deo plenus respondit : Vadam prius ad cellulam meam, ut provideam utilitatem fratrum, qui ibi sunt Domino servituri. Hoc idcirco dixit ne ad principem iret. Et consurgens ad electæ pridem habitationis locum miles Domini tendebat egregius. Sequenti die fratribus qui secum erant interdixit, ne quis eorum cuipiam quo pergeret indicaret. Sed etsi curiosius interrogati fuissent a quoquam, jussit ut eum per epistolam magistri sui ad Italiam dicerent invitatum. His dictis, sumens secum duos de discipulis suis, per solitudinem Rætiam Curiensem commeavit. Cumque proximum montem transcenderent, venerunt in eremum quæ Sennia nominatur, indeque ad proximum vicum qui dicitur Quaradaves digressi, repererunt ibi Joannem diaconum, virum justum et Deum timentem : isque recepit eos hospitio et

(*a*) p. 715 n. 75

omni

AUCTORE J. V. H.

omni fovet humanitatis obsequio. Finxerunt enim se de longe venisse, et apud eum manserunt septem diebus.

licet invitus vocatur,

100 Porro cum supradictus presbyter, hospes Sanctorum, audisset virum Dei de cellula discessisse, navem conscendens, ad ducem transfretavit, et quæ circa hominem Dei facta fuerant, indicavit. Dux vero ut cito reverteretur, illi imperavit et missis post virum Dei legatis, eum advenire devote rogaret *(rogavit?)*. Et adjiciens: Si enim, inquit, per ejus orationem filiam meam Dominus a dæmonio liberaverit, dabo illi pontificatum Constantiensis ecclesiæ, et insuper eum copiosis præmiorum muneribus honorabo. Ille promittens, se ut jubebatur acturum, sicubi eum qui desiderabatur invenire potuisset, ratem petens ad propria remeavit. *Miserat interea rex duos episcopos, qui laboranti puellæ nihil opis suis precibus conferre valuerunt.* Presbyter vero cum secundum jussionem ducis, virum Dei fuisset e vestigio prosecutus, reperit eum in spelunca, animum suum lectionis consolatione pascentem ; et accedens salutavit humiliter, et dixit ad eum:

B Ne timeas, serve dei, ad ducem venire : sub testificatione enim jurisjurandi promisit, se nullam tibi irrogaturum injuriam ; sed et cum posueris manum tuam super caput puellæ, et ab ea per orationes tuas spiritus immundus abscesserit, in sede Constantiensi pontificatus te sublimabit honore. *S. Gallus accedit tandem ad ducem, et post orationem, videntibus qui aderant exivit de ore puellæ quasi avis nigerrima et horrore terribilis. Hora eadem sana surrexit, et a viro Dei gaudens gaudenti reddita est matri.*

et, sanata Ducis filia,

101 His ita patratis, dux jussit ei offerri dona, quæ Rex puellæ transmiserat, et insuper ut apicem pontificatus gradus dignaretur adsumere postulavit. Ad quod vir beatus ita respondit: Vivente Domino et Patre meo Columbano, interdictum altaris officium non usurpabo, nisi ab illo permissus. Quare hujus regiminis pondus, quod offers, subire non possum: quod si hoc indubitanter fieri cupis, sustine interim, donec mittam epistolam ad abbatem meum ad insinuandum illi voluntatem tuam : et si ejus permissum cognovero, tunc demum oblatum curæ pastoralis onus suscipiam. Et dux ad illum : Bene, inquit, dixisti, fiat secundum verbum tuum. Et dimisit eum

C in pace. *S. Gallus distributis in pauperes donis auri et argenti regiis, ædificatoque monasterio opera præfecti Arbonensis,* misit epistolam ad Joannem diaconum, rogans eum ad se venire. Qui cum dilecti magistri litteras accepisset, tulit quod pro benedictione offerre poterat... Cui interroganti virum sanctum de prosperitate itineris ejus *(in Uberlingas)*, ille respondit : Divina nos præveniente misericordia et subsequente, cuncta prospere provenerunt. Nam cum summa gratulatione suscepit nos princeps, et eripuit Deus filiam ejus a dæmonio, et ipse dedit nobis dona non modica, et insuper obtulit mihi episcopatus honorem; ego vero non consensi suscipere ante præceptum abbatis mei. Ergo, fili, acquiesce consiliis meis ; esto mecum, et lege divinæ libros scientiæ, et docebo te, cooperante gratia Dei intelligentiam Scripturarum. Cecidit autem diaconus ad pedes ejus gratias agens, fecitque redire in sua pueros, qui secum venerunt; ipse vero remansit apud virum venerabilem, et ille cœpit eum introducere in cellaria Scripturarum, ostendens ei novi et veteris occulta Testamenti. Superna itaque illustratus clementia tanti magisterii profecit instantia, adeo ut in omni scripturæ divinæ latitudine nobiliter eruditus, laboris paterni fructus ostenderit. D

episcopatum Constantiensem

102 *Narrat deinde Walafridus quomodo Fridiburga ad Sigibertum adducta, ejus accedente consensu, ex consilio* S. Galli *cœlestem sponsum terreno prætulerit :* Per idem tempus, *pergit Walafridus*, Joannes diaconus perseverans apud venerandum patrem, prudentiam quæ in eo cœlitus abundabat, studio sitienti potavit, in absolutione dumtaxat difficilium Scripturæ divinæ quæstionum et intemeratæ fidei ratione.... Gratia illustratus divina, quidquid vel visu vel auditu percepit, altæ memoriæ et (ut ita dixerim) armario cordis celer inseruit, et sub hujus magisterii disciplina cum omni mansuetudinis et humilitatis custodia triennium duxit. Post hæc dux sæpe jam dictus per epistolam suam virum Dei rogavit, ut ad Constantiam oppidum perveniret ad eligendum, qui eidem sedi præficeretur, antistitem. Advocavit autem Augustudunensem et Viridunensem episcopos cum multitudine clericorum. Nemidonæ etiam, quæ a modernis Spira vocatur, venire fecit episcopum ; nec non per nuntios et

E epistolas suas totius Alamanniæ presbyteros, diaconos, universasque clericorum copias generaliter die denominata, proxima Paschæ Dominica, apud Constantiam convenire præcepit; ipse quoque cum principibus et comitibus suis huic intererat conventui.

ad Joannem discipulum

103 Cumque hæc synodus tantæ multitudinis celebraretur accessu, et trium spatio denuntiaretur futura dierum, Beatissimus Gallus divino plenus consilio, adsumptis Joanne et Magnoaldo diaconatus officio sublimatis, perrexit ad oppidum; ingressoque eo locum concilii, Dux.... admonuit Pontifices et omnem clerum, ut juxta saluberrima canonum decreta rectorem Ecclesiæ providerent. Cœperunt autem omnes clerici ad invicem dicere : Gallus iste testimonium habet bonum ab omnibus, qui ejus vitam noverunt ; in Scripturis divinis scientiæ culmen obtinet, et in omni vitæ honestate sapientiæ luce refulget, justitiæ autem vitæ castitatem corporis sociat, mansuetudinem cum humilitate possidet, continentiæ vero salutari patientiam jungit. Largitor est eleemosynarum, orphanorum pater, in viduarum solatiis alacer. Hunc omnium virtutum sectatorem decet esse pastorem populorum. His

F auditis, dux dixit ad illum : Audis, quid isti loquuntur et affirmant ? Sanctus Pater respondit : Bene quidem dicunt, utinam verum esset, quod fatentur! Cum autem ad invicem talia tractant, nesciunt in Canonibus esse prohibitum, ne aliqui, de locis suis commigrantes, aliis facile ordinentur in locis. Est vero mecum diaconus quidam nomine Joannes, vicinorum indigena locorum, cui merito testimonium, quod isti mihi dederunt, potest aptari. Hunc divino credens electum judicio, vobis offero promovendum.

transfert.

104 Cumque hac attestatione vir sanctissimus in Joannem cunctorum concitaret amorem; (neque enim aliud de illo credere poterant, quam quod vir Deo carus adseruit); dux diaconum venire fecit in medium. Tu es, inquiens, Johannes diaconus? Et respondit : Ego plane. Unde, ait, ducis propaginem generis? Et dixit : In Rætia Curiensi mediocri natalium dignitate sum procreatus. Dux vero ad illum : Potesne, inquit, pontificalis infulæ pondus subire? Tunc venerabilis Gallus se pro filio responsurum promisit. Et dum hæc mutuo sermonum commercio pertractarent, subtraxit se diaconus, et fugiens, latibulum quæsivit in ecclesia S. Stephani Martyris,

quæ

A quæ est extra oppidum. Secuti sunt autem sacerdotes cum plebe, et apprehensum lacrymis perfusum felicibus, licet renitentem in præsentiam pontificum pertraxerunt et ducis, et levaverunt omnes pariter vocem, dicentes : Johannem elegit sibi Dominus pontificem hodie. Et respondit omnis populus : Amen. Episcopi itaque duxerunt eum ad altare et solemni benedictionis officio ordinaverunt antistitem. *Refert deinde Walafridus* S. Gallum *ad frequentem clerum et populum verba fecisse, Johanne episcopo vernacule interpretante, et tandem bene longam narrationem concludit his verbis :* Magister paterna sollicitudine, precibus et consilio salutari matheten refovebat, ille vero paterno honore et omni necessitatum subsidio didascalum sublevabat. Sicque sacra piorum societas aucto crescebat honore et multiplicato commendabatur amore.

Fridiburgæ nuptiæ,

105 *Non pauca sunt in hac historia, quæ fabulosi aliquid sapiunt, aut ægre cum chronologia et historia conciliari possunt. Propterea oportuit factorum seriem ob oculos ponere; illamque conferre juverit cum narratione Anonymi, non multum a Walafrido*
B *discrepantis. Imprimis ad fabulas amandant eruditi nuptias Fridiburgæ cum Sigiberto, filio Theodorici, nimium juveni ut uxorem duceret. Deinde ex Walafridi narratione consequeretur sedem Constantiensem saltem triennio vacasse; nam* S. Gallus *in Rhætiam fugiens, ne cogeretur adire aulam Gunzonis, qui episcopatum promiserat, si filiam curasset, occurrit Joanni diacono, quem triennio instructum proponit promovendum ad episcopalem dignitatem. Hæc omnia ita intricata sunt, ut illa* nec viri amplissimi, *ait Trudpertus Neugart* (*a*), Vallesius, Mabillonius, Cointius, Schoepflinus, Gerbertus in ordinem redigere quiverint. *Ita libere opinari fas fuit, quamdiu credebatur Walafridus auctor narrationis; cum enim duobus sæculis a* S. Gallo *distaret, facile sibi quisque persuadere poterat fabulis quibusdam historiam* S. Galli *aspersam fuisse. Sed cum Anonymus centum annis antiquior eadem facta referat, illa neganda non sunt; sed potius tentandum est, ut in eum ordinem redigantur, qui cum reliqua historia conciliari possit.*

exclusis duobus cognominibus,

106 *Summa difficultas est in nuptiis Sigiberti cum Fridiburga Gunzonis filia. De his nuptiis nihil omnino dicit Pseudo-Theodorus in Vita S. Magni*
C (*b*); *sed solum narrat Fridiburgam, Gunzonis filiam unicam, energumenam liberatam. Optime solveret intricatam quæstionem hoc Actorum silentium, nisi eadem tam fœdis mendis scaterent, quoties Walafridum ducem deserunt. Inhærendum igitur est huic scriptori et Anonymo, nisi in manifestum nos errorem inducant. Porro tres erant circa hoc tempus principes regii, nomine Sigiberto insignes : nulli tamen eorum narrata a Walafrido convenire posse autumant eruditi. Mabillon in notis ad Vitam* S. Galli (*c*) *mavult Fridiburgam nupturiisse Sigiberto, Dagoberti filio. Verum cum hæc acciderint ante mortem S. Columbani, scilicet ante an.* 615, *ut ex responso* S. Galli *episcopatum recusantis patet, Sigiberto Dagoberto filio tribui non possunt. Si igitur Sigiberto, Theodorici filio, obstat ætas duodennis, obstare magis debet Sigibertum Dagoberti filium necdum natum fuisse ; teste vero Fredegario in Chronico cap.* LIX (*d*), *in lucem editus est hic Sigibertus anno* VIII *regni patris sui, id est anno* 629 *vel* 630. *Dicit quidem Meurisse, episcopus Madaurensis in Historia episcoporum Metensium* (*e*), *sponsum Fridiburgæ fuisse Sigibertum Dagoberti filium ; hunc omnia Diplomata Monasterii S. Martini designare : sed præter rationes supra allatas nullum diploma citat, unde recte judicari possit. Erat tunc in Galliis alius Sigibertus, postea anno* 631 *orientalium Anglorum rex,* homo, *ait Beda* (*f*), bonus ac religiosus, qui dudum in Gallia, dum inimicitias Redualdi fugiens exularet, lavacrum baptismi percepit, et in patriam reversus, *etc. Sed ut nihil dicatur de ætate hujus Sigiberti, qui natu minor, fratri suo Eorpwaldo in juventutis flore anno* 631, *defuncto, successit rex Anglorum orientalium* (*g*), *obstat etiam id a Walafrido relatum : nempe sponsum Fridiburgæ regem Austrasiæ fuisse, quippe qui, audita ejus mirabili sanatione,* jussit, *cap.* XXI, fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat, per auctoritatem regiam obtineret : *similia habentur aliis in locis, quæ indigitant sponsum virginis Austrasiis imperasse. Erat autem Sigibertus Anglus extorris et fugitivus.*

AUCTORE J. V. H.

107 *Exclusis duobus hisce Sigibertis, restat ter-* *stare possunt*
tius, Theodorici filius. Sed huic quoque præjudicium creat ætas undecim vel duodecim annorum, utpote qui, teste Fredegario in Chronici cap. XXI (*h*), *anno* E
VI *vel* VII *regni patris sui, id est anno* 601 *vel* 602, *natus fuerit. Hæc ætas obstaret quidem consummationi matrimonii, nullatenus vero consensui, qui solus sufficit, ut verum, legitimum ratumque habeatur matrimonium. Dicit quidem Car. Sebastian. Berardi in suis Commentariis in Jus Ecclesiasticum* (*i*) *matrimonia impuberum validari solum cœpisse circa finem sæculi* XII : *qui vero citatur in Decretalibus textus Nicolai I, can.* II, *de Despons. impub.* (IV 2) *videtur corruptus fuisse, adjecta clausula finali :* Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur : nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur. *Non est nostri instituti inquirere quod momentum insit rationibus a doctissimo Berardo allatis tum l. c. tum in Gratiani Canonibus cap.* LXXVII. *Videntur enim negativæ esse, nisi tamquam argumentum positivum afferatur, quod dicit in suis Commentariis l. c.:* Ex jure naturæ conjugium contrahere prohibentur, quicumque caussa ætatis.... coire non possunt vel assensum præstare. *Deinde asserit impuberibus, sive quia iis deest vera perfectaque consensio, sive gene-* F
randi potestas, obesse impedimentum, quod, cum ad matrimonii substantiam referatur, in causa est, ut matrimonium.... irritum penitus sit habendum.

cum Sigiberto Theodorici filio;

108 *Hæc nimium probare videntur : sequeretur enim neque hodie Ecclesiam dispensare posse in hujusmodi impedimento, utpote quod ad essentiam rei, proindeque ad jus naturale pertineret : cum igitur in hodierno jure probentur nuptiæ contractæ ab impuberibus, quorum illa est ætas, ut consensum validum præstare possint, sequitur id genus impedimenti revocandum esse ad legem positivam, quam Ecclesia pro opportunitate temporum, locorum et personarum mutare potest* (*k*). *Certe ipse S. Augustinus matrimonium impuberis impossibile non judicabat, cum scribens ad Benenatum, uti videtur, episcopum, dicit quidem in epist.* CCLIV, *alias* CCXXXIII (*l*) *puellam, quæ in matrimonium petebatur,* in ea ætate esse, ut si voluntatem nubendi haberet, nulli adhuc dare vel promitti deberet; *sed adjungit deinde alia, verbi gratia nesciri utrum nubere velit, habere puellam materteram quam consulere oportuit, tandem,*

(*a*) Episcopat. Constant., p. 34. — (*b*) T. II Sept., p. 741, n. 19. — (*c*) Sæc. II, p. 238. n. *b.* — (*d*) Ap. D. Bouquet, t. II, p. 437. — (*e*) Hist. des Evêq. de Metz, p. 104. — (*f*) Eccles. Hist. Angl., lib. III, cap. XVIII. — (*g*) Cfr Joan. Lingard. Hist. d'Anglet., ch. II. tom. I. p. 104. Edit. Lovan. — (*h*) D. Bouquet, tom. II, p. 421. — (*i*) Cfr Canonistas passim. Schmalzgrueber, lib. IV, Jur. Eccles., tit. II, n. 49. — (*l*) Oper. tom. II, p. 881. Edit. Paris. 1670.

fortassis

AUCTORE J. V. H.

fortassis et apparituram matrem, cujus voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura præponit. *Quibus postremis verbis insinuare videtur, quod si mater consentiret matrimonio, ratum esse posse filiæ infra pubertatis annos matrimonium.*

neque his obstant ætas sponsi duodennis ;

109 *Occurrit etiam hujusmodi matrimonii sive sponsalium exemplum in Vita coæva S. Gertrudis, abbatissæ Nivellensis,* XVII *Martii* (*a*) : Hoc primum, *inquit biographus*, electionis ejus in Christi servitio initium fuit, sicut per justum et veracem hominem comperimus, qui præsens ibi aderat, quia dum Pippinus *(Landensis)* genitor suus regem Dagobertum in domo sua ad nobile prandium invitasset, advenit ibidem unus pestifer homo, filius ducis Austrasiorum, qui a rege et a parentibus puellæ postulavit, ut sibi ipsa puella in matrimonium fuisset promissa secundum morem sæculi. *(Aliud exemplar habet:* jungeretur secundum sæculi dignitatem). Propter terrenam ambitionem et mutuam amicitiam placuit regi; et patri puellæ suasit, ut in sua præsentia illa cum matre fuisset evocata. Illis autem ignorantibus propter quam caussam rex vocaret infantem, interrogatur inter epulas a rege, si illum puerum, auro fabricatum sericis indutum , voluisset habere sponsum. Illa autem quasi furore repleta, respuit illum cum juramento et dixit: Quia nec illum nec alium terrenum, nisi Christum Dominum volo habere sponsum; ita ut ipse rex et proceres ejus valde mirarentur super his, quæ a parva puella ex Dei jussione dicta erant. Ille vero puer recessit confusus, iracundia plenus. *Hæc egit S. Gertrudis decennis* (*b*); *et proinde ætas duodennis Sigiberti non videtur obstare ejus matrimonio cum Fridiburga contracto. Quinimo canonistæ docent esse casus, in quibus* malitia supplet ætatem (*c*), *et annos undecim sufficere, ut quis aptus quandoque ad matrimonium censeatur* (*d*).

B

aut bellorum civilium

110 *Sed præter ætatis præjudicium, alia accumulat argumenta contra Sigiberti nuptias Hadrianus Valesius* (*e*) : Atque etiamsi, *ait*, gratis concederemus eum puberem fuisse, tamen adeo quiete et secure de contrahendo matrimonio cogitare non potuit, statim post Theodorici patris sui mortem a Chlotario oppugnatus, a Brunichilde proavia missus in Germaniam ad Toringos, *etc. Hæc et reliqua, quæ deinde examinabimus tanti non sunt ut auctoritatem Anonymi elevent; maxime si consideremus, quo loco res Sigiberti Austrasii tunc essent. Ex Fredegarii Chronico cap.* XXXIX (*f*) *habemus :* Brunichildis, *defuncto Metis Theodorico,* Sigebertum in regno patris sui instituere nititur. *Mittit legatos ad Clotarium, ut regno Theodorici excederet, respondet Clotarius* judicio Francorum *controversiam dirimendam. Quid igitur miri in his factionibus, patronos sibi quæsivisse Brunechildem et Sigibertum? hunc uxorem sibi petiisse filiam Gunzonis ducis Alemannorum, populi bellicosissimi? cum hisce nuptiis auxilium et refugium sibi paraverit. Certe hic casus occurrit in jure canonico prævisus* (*g*) : Aliqua urgentissima necessitate interveniente,... talis conjunctio toleretur. *Ipse incertus status Sigiberti nuptias conciliare potuit, quæ rebus pacatis et tranquillis in aliud tempus rejici debuissent.*

C

præsens calamitas.

111 *Aliud objicit Valesius* Cunzonem ducem Alamanniæ Fridiburgam filiam suam per manus comitum regi transmisisse. Quasi eam ad principem et dominum suum, cujus socer futurus erat, perducere gravaretur : aut quasi pater, nullo domi bello detentus, Divodurum Mediomatricorum proficisci et filiæ nuptiis tantis et tam illustribus interesse dedignaretur, affinitate regis si non contemta, certe haud magni facta..... *Hæc et alia similia amplificat Valesius; verum ipse se refutat, dum ait Gunzonem ideo absentiam excusare non potuisse, qui* nullo domi bello detentus *erat ; nam ut ex Fredegario l. c. constat, tota controversia inter Sigibertum et Clotarium ad arma spectabat : merito igitur Gunzo dux in Alemannia bellum parabat. Addit demum Valesius :* Sed nimirum Sigiberto, etiamsi pubes fuisset, de bello atque adeo de morte magis quam de matrimonio cogitandum erat. *Si mortem proxime instantem prævidisset Sigibertus, fortassis de matrimonio non cogitasset; ast quis est, quæso, rex, qui bello involutus et prælium commissurus est, qui stragem exercitus, atque adeo mortem cruentam certo prævideat? Certe hujusmodi bellator omnem armorum artem in eo poneret, ut vitaret prælium. Cæterum quamvis bellum instaret, pax* Francorum judicio *adhuc firmanda sperabatur. Hæc sunt quæ Hadrianus Valesius nuptiis Sigiberti, filii Teodorici, cum Fridiburga opposuit; quæque, uti mihi videntur, commode refutata sunt.*

D

E

Joannes episcopus

112 *Cæterum is non sum, ut omnem narrationis seriem Walafridi et Anonymi defendam : sunt enim aliqua quæ cum veritate historica stare non possunt. Imprimis uterque habet,* S. Gallo *promissas fuisse infulas Constantienses, si Fridiburgam sanasset. Verum sedes episcopalis primum post triennium vacavit. Nam S. vir in Rhætiam fugiens, ne aulam Gunzonis adire cogeretur, tunc* primum *occurrit Joanni diacono, postea Constantiensi episcopo, quem* per triennium *circiter ad pastorale munus præparavit. Hæc igitur promissio fieri non potuit a Gunzone ; sed cum traditione sciret Anonymus sanationem Fridiburgæ occasionem præbuisse, ut* S. Gallus *ad sedem episcopalem promoveretur, utpote qui hoc miraculo Gunzoni cognitus fuerit; hinc nata fabula promissionis. Eodem modo errasse puto Walafridum, dum dicit Fridiburgam a sponso suo Sigiberto præfectam fuisse monasterio S. Petri Metensis, cui fortassis adhuc præerat S. Waldrada* (*h*).

circa annum, ut videtur, 615

113 *Expeditis utcumque hisce difficultatibus, alia venit quæstio, de electione Joannis ad Constantiensem cathedram : imprimis dispiciendum est, quo tempore et* S. Gallus *Constantiensem episcopatum recusavit, et Joannes ejus discipulus promotus fuit. Josephus Harzheim in Conciliis Germaniæ* (*i*) *signat annum* 616, *Crusius in Annalibus Sueviæ* (*k*) *annum* 650 ; *Cointius ad an.* 614, *tandem Trudpertus Neugart electionem Joannis* (*l*) *ad an.* 615 *refert. Citant quidem laudati Neugart et Harzheim Eccardum, quasi anno* 622 *illigasset initium episcopatus Joannis* (*m*); *sed perperam, cum nihil hujusmodi habeat, sed sub uno conspectu exhibeat seriem vitæ* S. Galli *absque ulla annorum distinctione. Crusius l. c. habet reapse Joannem episcopum factum fuisse an.* 650; *sed vitium potius typothetæ, quam auctoris est : dicit enim* S. Gallum *circa annum* 640 *obiisse, proinde decennio post mortem magistri, Joannes ecclesiam regendam suscepisset. Quod omnino repugnat historiæ. Restat igitur ut anno* XIV, XV *aut* XVI *sæculi septimi hæc electio facta fuerit. Nulla vero mihi occurrit idonea ratio, cur unum ex his annis alii præferrem, nisi quod annus* XIV *non videatur stare posse cum triennio, quod Joannes audiendo* S. Gallo *impendit. Si ita narrationi Anonymi et Walafridi insistere possemus, ut singulæ fa-*

F

(*a*) Tom. II Mart., p. 594, n. 2 — (*b*) Tom. II, p. 595, not. *c.* — (*c*) c. XIV Desponsat. impub. (IV. 2.) — (*d*) Ferraris Biblioth. Canon. Verbo, *matrimonium*, art. II, n. 22 et seqq. et n. 35 et seqq. Schmalzgr., l. c. 52. — (*e*) Rer. Franc., t. II, p. 571. — (*f*) D. Bouquet. t. II, p. 429. — (*g*) c. II de Desponsat. impub. (IV. 2.) — (*h*) Cfr Act. SS., tom. II Maii. p. 51. — (*i*) T. I, p. 24. — (*k*) Lib. X, part. I, c. VI. — (*l*) Episcopat. Constant., p. 34. — (*m*) De reb. Franc. Orient., tom. I, lib. XI, n. XVIII.

cti

A *cti circumstantiæ momentum historicum efficerent, merito cum Josepho Harzheim an.* 616 *consecrationem Joannis episcopi attribueremus. Nam* S. Gallus *qui prius suseptionem pontificalis dignitatis excusaverat propter patris sui Columbani interdictum, deinde in concilio Constantiensi ideo oblatam infulam recusat, quia sacris Canonibus vetabatur, ne peregrini in episcopos assumerentur, nulla interdicti facta mentione; unde merito concludere liceret anno* 616 *Dominica* I *post Pascha, ut habet Walafridus, seu* XVIII *Aprilis ordinatum fuisse Joannem episcopum. Verum hæc nulla ratione videntur posse admitti: nam ex ipso Walafrido cap.* XXVI *clare constat, S. Columbanum diem supremum obiisse post electionem Joannis, idemque insinuat Anonymus num.* 28. *Quare synodus Constantiensis melius innectitur anno* 615 *et proinde* VI *Aprilis.*

consecratus fuit a tribus episcopis,

114 *Neque suis caret tricis ipse modus electionis, quo Joannes ad cathedram Constantiensem evectus fuit: Walafridus loco supra citato ternos adnotat electioni interfuise episcopos,* Augustodunensem, *Spirensem et Virdunensem; de quo postremo nihil habet Anonymus. Illud etiam observatu dignum est,*

B *ternos episcopos ternis provinciis adscriptos fuisse, cum Augustodunensis ad Lugdunensem metropolim, Spirensis ad Moguntinam, Virdunensis tandem ad Trevirensem pertineret: quin Vesuntini episcopi metropolitani, cui tunc quidem, ut constat e notitiis Galliarum (a), subjacebat sedes Vindonissa seu Constantiensis, nulla fit mentio; attamen decreto Bonifacii I in epistola ad Hilarium episcopum Narbonensem cautum erat (b), ne* in locum decedentis episcopi *alius* prætermisso metropolitano, contra patrum regulas ordinaretur. *Quod quidem confirmatur canone* VIII *Concilii Pariensis* III *anno* 557 *celebrati, quo sancitur (c), ut* nullus civibus invitis ordinetur episcopus, nisi quem populi et clericorum electio plenissima quæsierit voluntate: non principis imperio, *neque* per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel episcoporum comprovincialium, ingeratur. *Ita ut Emerius, Sanctonensis episcopus, ut narrat S. Gregorius Turonensis (d), ab episcopatus depulsus fuerit, quod* decretum regis Chlothacharii habuerat, ut absque metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens.

inter quos Rauracensis seu Basileensis

C 115 *Atqui electioni Joannis neque metropolitanus Vesuntinus, neque aliquis e comprovincialibus episcopus adfuisse videtur. Verum puto omnes qui de hac electione scripserunt, si Cl. Binterim in Historia synodica Germaniæ (e) excipias, cespitasse, quando Augustodunum, sive urbem Francicam Provinciæ Lugdunensis,* Autun, *sive Germanicam in Vindelicia,* Augsbourg, *interpretati sunt. Hic vero* Augustam Rauracorum *significare videtur, cujus cathedra circa medium sæculum quintum Basileam translata fuit, ut monstrat Anselm. Berthod, in Vita S. Pantali ad diem* XII *Octobris (f): ita tamen ut usque ad medium sæculum* VIII *Rauracorum titulum retinuerit.* Augustodunum *autem hic pro Augusta Rauracorum poni, fidem facit fragmentum Vitæ S. Eustasii a Berthodo citatum (g)* : Fuit namque ejus (*Eustasii Luxoviensis abbatis*) studium, ut multos sua facundia erudiret. Nam multi eorum postea ecclesiarum præsules extiterunt; quorum hæc sunt nomina..... Rachnarius Augustoduni et Basiliæ episcopus. *Neque fraudi esse potest, quod Berthodus num.* 69 *et seq. amanuensium culpæ adscribat Augustodunum pro Augustam textui irrepsisse: nam quæ Eustasianæ Vitæ accidisset corruptio, et textum nostrum contingere potuit. His ita positis, quum habeamus unum episcopum comprovincialem, qui etiam primus nominatur, et primarias partes obiisse videtur, quum ex utroque scriptore constet de consensu cleri et populi, nihil est quod contra canonicitatem electionis Constantiensis objici potest, nisi forte absentia Vesuntini metropolitani et Lausannensis episcoporum, qui potuerunt esse impediti aut quorum tunc sedes vacare potuit.* AUCTORE J. V. H.

§ IX. Post S. Eustasii mortem, recusat S. Gallus regimen cœnobii Luxoviensis; moritur.

Mortuo S. Eustasio

S Gallus *post electionem discipuli sui Joannis, Constantia reversus, totus deinceps incubuit, ut socios suos monachos ad omnem vitæ monasticæ perfectionem informaret; atque ope Gunzonis ducis et* E *Joannis episcopi oratorium et officinas fratribus aptas ædificavit. Dum totus in iis erat,* Abba monasteterii, *ait Walafridus, cap.* XXVIII, quod Luxovium dicitur, nomine Eustasius, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab hujus exilio vitæ ad supernam patriam commigravit. Fratres ergo in eodem cœnobio constituti consilium inierunt, ut venerabilem Gallum revocarent, et ejus regimini se subdendo contraderent. *Sed noluit* B. Gallus *tantum onus subire, et* osculo pacis oblato, dimisit eos, et illi benedictione tanti patris armati ad sua remearunt. *De S. Eustasio agunt nostri ad diem* XXIX *Martii (h), atque illum mortuum aiunt anno* 625; *Pagius vero (i) ejus obitum anno* 627 *innectit. Cum ab obitu S. Eustasii pendeat tempus mortis* S. Galli, *ut infra videbimus, non erit inutile ad crisim revocare annum emortualem S. Eustasii.*

circa annum 627,

117 *Tota controversia in eo jacet, quo anno S. Eustasius præfecturam cœnobii Luxoviensis susceperit: nam ex Vita S. Salabergæ ad* XXII *Sept. (k) constat sanctum virum* vita beata functum migrasse ad Dominum, cum curam fratrum post discessum magistri (*Columbani*) tribus non parum minus rexisset lustris. *Prout igitur regiminis initium ordinamur ab anno* 610 *aut* 612, *sic annus* XV *præposituræ annum* 625 *aut* 627 *attinget. Pagius (l) dicit S. Eustasium non ante annum decimum tertium sæculi septimi cœnobii Luxoviensis possessionem adiisse, quia* post dicessum S. Columbani, *ait auctor Vitæ S. Walarici ad* I *Aprilis (m),* nonnulli pastores ad commanendum ibidem convenerant, et B. Walaricus de quadam cellula regrediens, juxta Domini virtutem expulsis sæcularibus, cœpit ipsum sanctum locum restruere. Inter hæc B. Austasius (*Eustasius*) a B. Columbano fuerat destinatus ad hoc ipsum cœnobium regendum, cum adhuc quadam ex parte fines ipsius monasterii quidam utique sæculares possiderent. *Ex his verbis concludit Pagius S. Eustasium non ante annum* 612 *aut* 613 *cœnobium occupasse. Certe hæc pericope e Vita S. Walarici suadet aliquod intervallum temporis inter S. Columbani expulsionem et præfecturam S. Eustasii statuendum esse; verum non continuo sequitur biennium impendendum fuisse, tum*

F

(a) D. Bouquet, t. II, p. 2. — (b) Labbe, t. II, Conc. col. 1585.— (c) Ibid., t. V, col. 817. — (d) Lib. IV. Hist. Eccles., c. XXVI. Ap. D. Bouquet, t. II, p. 215. — (e) Pragm. Gesch. der Deutschen Conc., tom. I, p 28 et 405.— (f) T. VI Octobris, p. 73, § III. — (g) Ibid., p. 80, n. 64. — (h) Tom. III Mart., p. 784. — (i) Crit. Baron. ad an. 627, § XXVII. — (k) Tom. VI Septemb. p. 522. — (l) Ad an. 613, § VI. —(m) Tom. I. April., p. 18, n. 7

AUCTORE J. V. H.

usurpationi, tum expulsioni sæcularium, quum aliquot mensium spatium sufficiat ut hæc peragantur.

obit S. Gallus

118 *Quod vero addit Pagius ibidem :* Non videtur Eustasius ante præsentem annum (613), quo Clotarium universam Francorum monarchiam obtinuisse anno sequenti ostendemus, suæ præfecturæ ut abbatiæ Luxoviensis possessionem iniisse. *Hæc aperte contradicunt Jonæ in Vita S. Columbani num.* 61 *dicenti :* Interea memoratus rex Clotharius viri Dei prophetiæ effectum in se fuisse impletum cernens, venerabilem Eustasium, qui ejus in locum Luxoviense monasterium regebat, ad se venire imperat ; *quem deinde rogat ut pergat post Columbanum, redituque in Gallias suadeat. Hæc clarissime monstrant, ante adeptam a Clotario universi regni monarchiam, jam* præfecturæ suæ possessionem iniisse *Eustasium. Cæterum aliquandiu sanctum virum sub magistri sui Columbani obedientia vixisse Brigantii, habet Jonas in Columbani Vita num.* 54 : Nam Eustasio hoc (*miraculum*) cognovimus referente, qui eo tempore inter reliquos sub viri Dei obedientia tenebatur adnexus.

B *Quibus sane verbis indicatur non tamquam hospes, sed tamquam monachus inquilinus vitam Brigantii duxisse. Quam deinde habitationem reliquerit, quando S. Columbanus, Theodoricum fugiens, illum Luxovio præfecerit ; proindeque cum Pagio censeo, initium præfecturæ ejus anno* 612 *consequentur obitum ejus anno* 627 *adscribendum esse.*

post breve intervallum :

119 *Non diu Eustasio superstitem fuisse* S. Gallum *narrat Wallafridus in ejus Vita c.* XXIX : Nec multos post (*oblatam Luxoviensis monasterii præfecturam*), cum jam bonorum omnium auctor et propagator athletam suum de mundi agone sublatum, præmiorum laureis voluit perrenniter adornare. *Ex his verbis Walafridi statuerent Cointius* (*a*), *Nostri in Vita S. Magni ad* VI *Sept.* (*b*) *et Pagius Critica Baronii* (*c*) *eodem, quo S. Eustasius, anno aut sequenti supremum diem obisse* S. Gallum, *scilicet an.* 625 *aut sequenti, vel ut Pagio placuit, an.* 627 *vel* 628. *Hanc opinionem omnino rejicit Joannes Mabillon* (*d*), *quem deinde secuti sunt Alban. Butler in vitis SS. ad* XVI *Octobris, Joannes Lanigan in Historia Hiberniæ* (*e*), *aliique. Operæ pretium itaque fuerit criticas rationes adducere, quibus Mabillonius suam sententiam, qua annum emortualem* C S. Galli 645 *aut* 646 *statuit, confirmare nititur.* Huic calculo, *illorum scilicet qui obitum* S. Galli *ad an.* 625 *referunt,* multa obstant, *ait l. c. Annalium* ; imprimis S. Galli ætas nonaginta quinque annorum, quam ei Walafridus tribuit. Quis enim sibi persuadeat, Luxoviensibus venisse in mentem, ut mortuo Eustasio tam annosum et decrepitum senem subrogandum censuerint ? Deinde qui fieri potuit, ut homo tam grandævus intra decem ultimos vitæ suæ annos tot labores exantlaverit, quot Gallum in Rætia Curiensi, aliisque finitimis pagis pertulisse Walafridus auctor est ? Ut omittam, quod Talto, vir illustris, Dagoberti Regis Camerarius, Gallum adhuc viventem coluisse dicitur apud Ratpertum.

rationes Mabillonii et aliorum.

120 Hæc omnia exigere videntur, ut Sancti Galli obitum serius differamus, tametsi certus ejus annus definiri non possit. *Consulto hic abstinet Mabillonius ab illa opinatione, qua in Act. SS. Ord. S. Benedicti l. c. dixit, ex c.* XV *clarescere* S. Gallum *Dagoberto supervixisse, utpote cujus filius uxorem duxerit Fridiburgam, Sancti precibus* D *sanatam. Confer supra num.* 106 *ubi monstravimus Dagoberti filio has nuptias tribui non posse ; uti ipse Mabillonius dein fassus est* (*f*). Neque hæc narratio (*nuptiarum Fridiburgæ*) tribui potest Sigiberto Dagoberti filio, qui ineundo conjugio habilis non fuit, vivente Gallo. *Hæ Mabilloni rationes suo pondere non carerent, nisi obstaret chronologia episcoporum Constantiensium : nam ex Walafrido c.* XXX *et Anonymo lib.* II, *n.* 35 *constat Joannem episcopum, sancti viri discipulum, magistro suo justa funebria persolvisse. Jam vero constat Joannem episcopum ante Dagobertum obiisse, nam ejus successor Martianus a Dagoberto obtinuit ut limites episcopatus Constantiensis definirentur, prout legitur in Diplomate Friderici I Imperat.* V *kal. Dec.* (27 *Nov.*) *an.* 1155 (*g*) : Nos presentis scripti privilegio, communimus et imperiali auctoritate corroboramus, imprimis distinguentes terminos parochie inter Constantien. episcopatum et ceteros adjacentes, sicut ab antecessore nostro felicis memorie Dagoberto rege tempore Marciani Constantiensis episcopi distinctos invenimus.

annum mortis 640 *statuentium, refutantur,* E

121 *Sigismundus Calles Societatis Jesu, in suis Annalibus Ecclesiæ Germaniæ* (*h*), *dubitat an non error aliquis irrepserit in Dagoberti et Marciani nomine, quia* fines inter episcopatum Constantiensem et Wirzburgensem, qui sub Dagoberto I necdum erectus erat, hoc in diplomate distinguantur. *Reapse anno* 741 *erectum episcopatum Wirzeburgensem probat Æmilianus Ussermann in libro de Episcopatu Wirceburgensi* (*i*). *Faceret profecto hic anachronismus adversus Diploma citatum, si Dagoberto tribueretur, sed Friderici I tempore existente diœcesi Wirceburgensi, oportuit non solum ratos habere limites, prout determinati a Dagoberto I fuerant, sed insuper accuratius eosdem definire inter episcopatus recentiores, quod præstitit Fridericus imperator. Quando dein idem diploma agit de abbatia S. Udalrici an.* 973 *defuncti, nemo in animum sibi inducet omnia hæc ad tempora alicujus Dagoberti retro trahenda esse. Dagobertus, de quo in diplomate agitur est* primus *hujus nominis, qui regnavit ab anno* 622 *ad annum* 638. *Marcianus autem Constantiensis Episcopus, quem alii Martinum, alii Marianum appellant, sedem occupavit usque ad an.* 642 (*k*). *Non tamen diffiteor in serie episcoporum Constantiensium magnam esse inter eruditos va-* F *rietatem. Gallia Christiana* (*l*), *pro sententia sua laudans Jac. Manlium in Chronico Constantiensi* (*m*), *præponit Martianum Joanni, sed omnino perperam, quum Joannes circa an.* 615 *electus (vide supra* 113*) præcedere debuit Martianum,* sub quo, *teste eodem Manlio (l. c.)* circa annum VI, c. XXXV (635) episcopatus Constantiensis per Dagobertum Magnum, regem Francorum, fuit limitatus, prout in aurea Friderici primi bulla continetur. *Cointius Joannem quidem Martiano præponit, sed inter utrumque intercalatum vult Bosonem, qui* S. Galli *corpus* in sarcofago digno inter aram et parietem sepulturæ tradidit. *In Actis S. Magni cap.* IV *ad* VI *Septembris* (*n*) *dicuntur hæc accidisse* triennio *post mortem* S. Galli : *hinc recte satis conclusit Cointius, inter Joannem et Bosonem non potuisse medium esse Martianum. Sed Walafridus l.* II, *c.* I *et Anonymus n.* 40 *dicunt hanc a Bosone translationem factam fuisse annis quadraginta post transitum* S. Galli. *Hinc patet late spatium, ut Martianus, sub*

(*a*) Ann. Franc., tom II, p. 105 et 747. — (*b*) T. II Septemb. p. 709, num 43. — (*c*) Ad an. 627, § XXX.— (*d*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 247. Annal. Ben., lib. XIII. § XXII. t. I 360. — (*e*) Hist. of Irel., tom. II. p. 437, (*f*) Ann. Ben., lib., XI, § VIII, t. I. p. 277. — (*g*) Trudp. Neugart, Cod. diplom. Alemann., ch. DCCCLXVI, tom. II. p. 86. — (*h*) T. II, p. 4. — (*i*) p. 2. — (*k*) Neugart. Episcopat. Constant., p. 42. — (*l*) T. V., col. 892 — (*m*) Ap. Pistor. Rer. Germ. Scriptt., tom. III, p. 702. — (*n*) T. II Septemb., p. 745, n. 30.

quo

A quo a Dagoberto I limites episcopatus Constantiensis definiti fuerunt, inter Joannem et Bosonem incedat.

tum ex Diplomate Friderici I,

122 *Hæc autem limitum determinatio facta fuerit oportet, antequam regnum Austrasiæ Sigiberto filio suo cederet Dagobertus, quod an.* 632 *aut* 634 *accidit : unde consequitur Joannem episcopum circa annum* 630 *diem supremum obiisse, et proinde* S. Gallum, *quem dictus Joannes sepelivit usque ad an.* 645 *non supervixisse ; sed potius, inhærendo narrationi Walafridi, eodem, quo S. Eustasius anno, aut sequenti, an.* 627 *aut* 628 *vita functum esse* S. Gallum. *Quoad rationes a Mabillonio ejusque sequacibus allegatas, illas utcumque refutarunt nostri in Vita S. Magni ad* VI *Septembris* (*a*). *Verum ut fatear quod rei est, non potuit* S. Gallus, *ante annum* XXX *sæculi septimi moriens, ad decrepitam adeo senectutem devenire, ut nunc paucis ostendemus.*

.um ex epocha

123 *Vidimus supra n.* 24 *et seq.* S. Gallum *vix citius an.* 550 *lucem hanc mortalem adspicere potuisse ; cum igitur circa an.* 627 *mortuus sit, ætatem, ut plurimum,* LXXVII *attingere potuit. Sed obstat huic sententiæ unanimis vox scriptorum de Sancto nostro agentium, qui omnes ætatem illi nonaginta*

B *quinque annorum adscribunt. Sed notum est omnibus, qui antiquos codices tractarunt, quam caducum sit testimonium, quod notis arithmeticis præsertim romanis nititur, quando aliunde facta historica constringunt, ut hujusmodi notas in dubium vocemus* (*b*). *Posito* S. Gallum *ad ætatem* LXXV *plus minus annorum pervenisse, ruunt sponte omnia, quæ Mabillonius aliique objecerunt, ut mortem ejus ad an.* 645 *protelarent. Jam saltem decennio junior fuerit S. Columbano, cui* puer *oblatus fuit a parentibus educationis gratia ; mirabile non fuerit, viro* LXV *annos nato episcopatum Constantiensem a clero et populo oblatum, et undecim aut tredecim annis postea monasterii Luxoviensis regimen a monachis delatum fuisse, quorum maximi intererat, illum sibi constituere abbatem, qui omnium altissime hauserat præcepta disciplinæ monasticæ a S. Columbano institutæ.*

ejus nativitatis.

124 *Ut tam decrepitam ætatem Sancto nostro non tribuam, facit etiam meo judicio Walafridi c.* XXIX *et anonymi n.* 33 *narratio de ultima prædicatione Servi Dei. Si vere annos* XCV *natus fuisset* S. Gallus, *aptissime respondisset, per ætatem illi jam interdictum concionandi laborem, jam mortem instare et quæ his sunt similia ; sed nihil horum obtendit vir*

C *Dei ; apud Anonymum solum respondet :* se usum jam non habere de cella egredi, sed magis solito labore deinceps instantissime debere perfrui. *Hujusmodi certe responsio designat virum solitariæ vitæ assuetum, quem tædet* egredi in popularem conventum ; *nullatenus vero senem decrepitum, qui tantum laborem ferre jam non valeret.*

Brevis chronotaxis totius vitæ.

125 *Ex hactenus dictis chronotaxis vitæ* S. Galli *deducitur. Scilicet circa an.* 550 *natus, imo, ut puer offerri a parentibus in Benchorensi cœnobio potuerit, potius an.* 554 *in lucem editus, ad dictum monasterium adducitur circa an.* 562 *aut* 564. *Sacerdos ætate competenti circa an.* 584 *ordinatus, circa an.* 590 *in Gallias appellit cum magistro suo S. Columbano. Anno dein* 610 *e Galliis a Theodorico expulsus, in Alemannia an.* 612 *solus relinquitur. An.* 614 *sanata Fridiburga, Sigiberti filii Theodorici sponsa, episcopatum Constantiensem recusat. Eodem anno cellam sibi fratribusque construit, et an.* 615 *interest concilio Constantiensi, et brevi post per mortem S. Columbani sacerdotali ministerio redditus, præcipuam curam deinceps in formandis monachis ad omnem vitæ christianæ perfectionem posuit. Fama ejus sanctitatis latius manante, post mortem S. Eustasii, quæ, uti videtur* XXIX *Martii anni* 627 *accidit,* S. Gallo *defertur præfectura Luxoviensis monasterii, qua recusata, moritur servus Dei* XVI *Octobris ejusdem aut sequentis anni.*

AUCTORE J. V. H.

§ X. Sancti Galli sepultura, ejus corporis violatio, Reliquiæ.

Sepulcrum,

Cum audisset, *ait Walafridus cap.* XXX, Johannes Constantiensis Ecclesiæ præsul B. Gallum apud Arbonam infirmari, ascendens naviculam, potuum et ciborum ea secum genera tulit, quæ infirmitate laboranti noverat congruere ; ut videlicet sua visitatione fidelissimum refoveret amicum. Cumque portui propinquaret, audivit in domo presbyteri planctum magnum circa funus viri Dei celebrari, et interrogavit quæ tanti esset causa ploratus. Audiens autem Gallum venerabilem, firmissimum suæ familiaritatis custodem, de hujus sæculi emigrasse periculis, misit se in aquam, (neque enim poterat propter nimium dolorem sustinere, donec navicula littus attingeret), descendensque cum his qui secum venerant, intravit in domum presbyteri, lugubri voce et corporis gestu mœrorem cordis insinuans. Invenit autem corpus viri sancti involutum et in loculo repositum : aperiensque sarcophagum et exanime amici cadaver inspiciens, amariores lacrymas dedit.... Inter hæc presbyter eum ut surgeret monuit, ut pro requie defuncti ambitiosius Dominum precaretur. Intraverunt itaque ecclesiam et episcopus pro carissimo salutares hostias immolavit. E

in quo a Joanne Constantiensi

127 Finito autem fraternæ commemorationis obsequio, respiciens post tergum, vidit fossam, in qua sanctum corpus humare volebant. Acceptaque cruce et his quæ exsequiis exhibentur, intraverunt domum, volentes thesaurum pretiosi corporis ad locum sepulcri deducere. Cumque arcam, qua claudebatur cadaver, feretro impositam, ad fossam sepulturæ conarentur deferre, nullis viribus usquam potuit commoveri. Quod novi genus miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractarent, Johannes episcopus dixit : « In veritate cognosco hanc sepulcri sedem Patri meo Gallo non placere. » Et jussit presbytero ut duos equos inveniret indomitos et faceret introduci.... Episcopus ad feretrum accessit, et ex una parte illud sublevans, presbytero altrinsecus extollente, equis superposuit, et adstantibus dixit : « Auferte frenos de capitibus eorum, ut libertate concessa, quo Dominus voluerit, pergant. » Accepta ergo cruce et candelis, psalmos et melodias concinentes, iter agere cœperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad cellam viri Dei. Quo cum pervenissent depositum est feretrum ante oratorium. Discipuli autem ejus, elevantes pii doctoris Reliquias, intulerunt et ante altare posuerunt. Deinde pariter cum episcopo orationem pro illo facientes, fecerunt fossam sepulcri inter parietem et altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmissis, sepelierunt eum : omnibusque rite consummatis, multitudo quæ ad tanti viri concurrit exsequias, epi- F

(*a*) Tom. II Septemb., p. 709. — (*b*) Cfr Nouv. Traité de Diplomatique, t. III, p. 524.

scopi

AUCTORE J. V. H.

scopi benedictione communita, ad propria commeavit.

conditus fuerat S. Gallus.

128 *Hæc pro more hic citare volui, quatenus Walafridus cum Anonymo conferri possit, eoque lubentius, quod catholicum sepeliendi ritum ad amussim expressum reperiamus.* Meritis Beatissimi Galli *pergit Walafridus, lib.* II, *cap.* I, quotidie per miraculorum signa radiantibus..... cum jam post transitum ejus anni quadraginta fuissent evoluti, venit Otwinus partium earumdem potestate præditus cum exercitu magno et ira intolerabili concitatus, devastavit non minimam partem pagi, qui ab interfluente fluvio « Turgowe » nominatur, Constantiense quoque territorium et Arbonensis pagi confinia depopulari cœpit et igne succendere..... Arbonenses itaque hujus terroris immanitate compulsi, cum omnibus quæ habebant fugerunt in solitudinem et ad cellam viri Dei se contulerunt, Deinde facta in agro fovea, absconderunt ibi, quidquid habebant, et fossum terra cooperientes, ne secretum eorum deprehenderetur, lini semen desuper insperserunt. Cumque jam Arbonensem pagum hostes desolavissent, vestigia fugientium secuti venerunt ad B cellam Sancti Patris, et fugitivos, quos repererunt, vinctos abduxerunt, et juvenes eorum in captivitatem miserunt. Erchonaldus autem præfecti vicarius, cum vicina solitudini inhabitaret loca, habuit res ejusdem cellulæ notissimas. *Erchonaldus ex mendico exquirit, ubi laterent thesauri, et effosso latibulo, repertas divitias cum sociis dividit.* His patratis, putantes passim tale quid occultari, discurrerunt loca singula signis quibusdam sollicite explorantes. Ejusdem rei gratia Erchonaldus, adsumptis secum septem pueris introivit oratorium.

violatur aliquot annis

129 Cumque clausis ostiis pavimenti planitiem pulsarent, ob spem videlicet inveniendæ pecuniæ, unus illorum post altare veniens, pavimentum percussit, et audiens a cavitate tumuli sonitum reddi : « Hic est, inquit, quod oppido desidera» tis. » Accurantes igitur pollinctores infesti cœperunt fodere ; et cum ad loculum pervenissent, extulerunt illum dicentes : « Quia isti Rætiani » calliditate naturali abundant, videamus ne » quippiam sub arca occulti remaneat. » Huic sacrilegio inservientes invasit eos horror immensus. Qui in fugam conversi, dum ostium oratorii C singuli præoccupare niterentur, insania agitati, evaginatis gladiis invicem se conciderunt. Erchonaldus vero hujus auctor sceleris, timore cogente, volens exsilire per ostium, caput superliminari illisit, et ad terram concidens, alienatus mente jacebat. Cumque a suis perduceretur ad propria, nimia infirmitate et novis doloribus cœpit urgeri. Toto itaque ipsius anni curriculo fortissimis maceratus molestiis, capillorum honore et cutis superficie spoliatus, etiam digitorum ungues amisit. Et ut omnibus longo tempore ultionis in eum divinitus collatæ signa paterent, cunctis vitæ suæ diebus hac deformitate notabilis fuit.

post ejus obitum:

130 Audiens Constantiensis Ecclesiæ præsul, nomine Boso, sepulcrum Beatissimi Galli violatum esse ab hostibus, nullumque remansisse in cellula, præter duos fratres Magnoaldum et Theodorum, qui sacri corporis Reliquias tumulo restituere potuissent, venit illuc cum clericis suis, et invenit cellulam desolatam, sancti Patris corpus de sepulcro ejectum, altaria nudata, duosque fratres, qui remanserant, spoliatos jacentes in oratorio, et magnitudinem calamitatis gemitibus et lacrymis protestantes. Et misericordia motus, cœpit eos consolari multiplicibus verbis, illam replicans Psalmistæ sententiam, qua dicit : *In tribulatione invocavi Dominum et exaudivit me in latitudine. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* His dictis, sumens loculum in quo sanctum corpus erat, posuit super terram inter parietem et altare, et desuper, ut moris est, arcam altiorem construxit, fossam vero terra replevit. De suo quoque fratribus vestimenta largitus est, et unde alerentur disponens, ad episcopium remeavit. *Hæc Walafridus, cui apprime consonat Anonymus.* D

quod autem in Vita S. Magni

131 *Hæc autem omnia referuntur accidisse triennio post mortem* S. Galli, *in Vita S. Magni, sub Theodori nomine celebrata* (*a*). Igitur post triennium (*a morte* S. Galli) ut compleretur prophetia sanctissimi Columbani, quam ante prædixerat Beato Magnoaldo, quasi in ultionem sui venturum fore de sepulchro Beati Galli, Otwinus pessimus dux, et Erchonaldus consimilis ejus tamen præfectus, collecta multitudine populi, vallaverunt ipsum cœnobium, evaginatis gladiis... Nec E non oratorium ingressi fregerunt sepulchrum Beati Galli, putantes ibi magnum thesaurum repositum esse. Ut autem in eo nihil invenerunt, relicta ossa Beati Galli inhumata, interfecerunt omnes quos invenerunt, præter Beatum Magnoaldum et Theodorum, quos etiam flagellatos et vulneratos atque spoliatos reliquerunt jacentes in atrio. Audiens hoc Boso nomine sanctæ Constantiensis Ecclesiæ præsul, quod violatum esset, *et reliqua, iisdem verborum elementis, quibus Walafridus. Summa est discrepantia inter utramque narrationem quoad tempus, quo acciderit hæc sepulcri violatio; posito enim* S. Gallum *anno* 627 *mortuum, secundum Walafridum et Anonymum anno* 667, *secundum Pseudo Theodorum anno* 630 *Arbonensis agri vastatio innectenda est.*

dicitur id triennio

132 *Cum inter omnes conveniat S. Magnoaldum et Theodorum, irrumpentibus barbaris, cellæ* S. Galli *adhuc incolas fuisse, ut supra vidimus, lapsus quadraginta annorum nimis longus est, ut cum chronotaxi S. Magni conciliari possit, cum per annos sexaginta sex oportuisset illum* S. Gallo *superstitem fuisse, et proinde etiamsi* S. Gallum *an.* 625 *mortuum concederemus, S. Magnus tamen annum* F 691 *attingeret. Hæc autem omnino improbabilia videntur, utpote quæ S. Magno ætatem centenariam tribuerent, de qua nullus ex antiquioribus umquam locutus est. Nam an.* 612, *teste Anonymo num.* 11, *Maginoldus sive Magnus jam clericus, datus fuit a Willimaro presbytero adjutor* S. Gallo, ut in locis propinquis ecclesiæ ei ministraret, *quod officium supponit juvenem saltem* XX *annorum, maxime cum an.* 615 *a* S. Gallo *in Italiam destinatur jam diaconus, sive ætatis* XXV *annorum, secundum vigentem tunc disciplinam. Confer supra n.* 43. *Hæc omnino suadent tempus incolatus S. Magni post mortem* S. Galli *ad quadraginta annos prorogandum non esse.*

post mortem sancti Viri accidisse,

133 *His rationum momentis adducti nostri Majores maluerunt sequi Vitam S. Magni, quæ ad triennium restringit intervallum inter mortem* S. Galli *et ejus sepulcri violationem. Hæc quidem opinio maxime favet chronotaxi S. Magni, prout illam ordinarunt : quippe quæ incolatum S. Magni ad cellam* S. Galli *contrahit ; sed obstat, quod Boso vix ante annum* 633 *episcopatum Constantiensem adire potuerit, Martiano scilicet ejusdem sedis episcopo*

(*a*) Tom. II Septemb., p. 745. n. 30.

circa

A *circa eumdem annum diploma Dagobertinum obtinente. Deinde verisimile non videtur, regnante Dagoberto I, quem omnes historici strenuissimum prædicant, hujusmodi vastationem accidisse ; deinde Fredegarius, qui in suo Chronico res gestas Dagoberti accurate prosequitur, nullo verbo Arbonensis pagi, aut etiam Alemannicæ regionis populationem attingit. Cæterum Mabillon* (*a*) *hæc contigisse refert circa an.* 687 ; *et probabilius, cum Maginaldum et Theodorum cladi superstites narrat, suspicatus est eosdem non fuisse, qui a Willimaro presbytero adjutores* S. Gallo *an.* 612 *dati fuerunt : alioquin S. Magno ætas* CXIII *annorum adscribenda foret, quoniam post cladem saltem per annos* XXVI *in Faucensi monasterio vixit* (*b*). *Walafridus et Anonymus videntur semper loqui de iisdem personis : nam quos rerum gestarum testes ante adduxerant, eosdem narrant vastationis consortes fuisse : unde id omnino retinendum arbitror, in quod conspirant antiqui scriptores, cladem scilicet ab incolatu S. Magni separari non posse.*

conciliari non potest

134 *Hisce ita constitutis, dubium non est, errorem aliquem in notam numericam ab utroque scri-*

B *ptore positam irrepsisse, et eatenus corrigendum esse, quatenus rei gestæ narratio cum incolatu S. Magni ad cellam* S. Galli *et cum episcopatu Bosonis Constantiensis componi possit. Mallem itaque legi in utroque textu : post quindecim annos* (XV) ; *ita ut Arbonensis direptio inter annos Christi quadragesimum et quadragesimum secundum fluctuaret. Neque prorsus arbitraria est conjectura (nam conjecturam fateor), utpote quæ fundamentum aliquod habet in ipsa forma numeri romani* L (quinquaginta), *cujus membrum ita quandoque assurgit, ut angulum acutum efficiat* V *et proinde facile cum alia nota numerali romana* quinque (V) *confundi queat* (*c*). *Notum quoque est eamdem formam* L *antiquioribus sæculis non multum dissimilem fuisse a figura* I ; *unde quoque, ut vult Ildeph. von Arx, legere licet* post XI *annos. Alterutra correctio assumenda est, prout quis* S. Galli *obitum anno* XXV *aut* XXVII *supra sexcentesimum illigandum censuerit. Si anno* 625 *dicatur diem obiisse extremum, quindecim anni decurrent usque ad annum* 640 ; *si e contrario annus emortualis* 627 *statuatur, post annos undecim deveniemus ad annum* 638 *aut etiam sequentem ; circa quæ tempora turbatam fuisse Turgoviam infra num.* 136

C *monstrabitur. Positis autem illis quindecim aut undecim annis, adesse potuit S. Magnus vastationi, qui ut supra dictum est num.* 133 *viginti sex annos postremos vitæ insumpsit in fundando monasterio Faucensi. Nostri quidem in Commentario prævio S. Magni ad* VI *Septembris* (*d*) *statuunt illum obiisse anno* 655 ; *quod quidem faciunt ex conjectura, quoniam apponunt circa annum* 629 *cellam* S. Galli *reliquisse : unde cogebantur quodammodo ejus mortem ad annum* LV *supra sexcentesimum definire : quemadmodum et Mabillonius serius vitam Sancti prorogat, quoniam illum annis vigintiquinque superstitem facit magistro suo* S. Gallo, *cujus mortem ut supra vidimus num.* 119 *cum* 646 *conjungit : unde Nostri recte observarunt, ut sibi constaret Mabillonius, obitum S. Magni saltem anno* 671 *innectendum esse, quando e contrario illum circa annum* 665 *vita functum scribit* (*e*). *Est vero nobis positivum argumentum, quo S. Magni dies supremus in annum* 666 *incidisse probatur. Citat nempe Ildeph. von Arx* (*f*) *manuscriptum Martyrologium Adonis in codice Sangall. num.* 455, *in quod ad hunc annum Sancti obitus notatur ; credo autem aliis deficientibus probationibus, nos huic instrumento, licet non admodum antiquo, uti posse, donec certiora edoceamur. Atqui tum quidem licebit nobis mansionem S. Magni ad cellam* S. Galli *usque ad annum* 640 *retardare, quoniam supersunt adhuc anni* XXVI *usque ad obitum, proindeque non ita difficile erit quindecim annos inter* S. Galli *sepulturam et pagi Arbonensis direptionem invenire.*

AUCTORE J. V. H.

cum chronologia

135 *Quoad Bosonem, satis constat inter eruditos illum sedem Constantiensem occupasse post Martianum (seu Martialem aut Martinum), qui tempore Dagoberti I, et proinde inter an.* 628 *et* 638 *eamdem rexit Ecclesiam, si fides videlicet habenda est diplomati Friderici I imperatoris, dato Constantiæ* anno dominice incarnat. MIIIO C. L. V. indict. IIII V kal. Dec. regnante duo Frederico Romanorum imperatore Augusto anno regni ejus quarto, imperii vero primo (*g*). *In eo autem diplomate dicitur :* Distinguentes terminos parochiæ inter Constantien. episcopatum et cæteros adjacentes, sicut ab ante cessore nostro felicis memoriæ Dagoberto rege, tempore Marciani Constantiensis episcopi, distinctos invenimus, videlicet, *etc. Cæterum authentiam Fridericiani diplomatis vindicatam reperies apud cit. Trudp. Neugart (Episcopat. Constant. Proleg. Dissert.* II). *Prorogarunt quidem nostri ad Vitam S. Trudperti ad diem* XXVI *Aprilis* (*h*), *vitam Martiano usque ad annum* 642, *quo oratorium a prædicto Trudperto constructum sub honore SS. Petri et Pauli consecrasse dicitur; verum omnino incerta est hujus Sancti ætas* (*i*) : *et Marquardus Herrgott* (*k*) *satis nitide mea sententia monstrat S. Trudpertum potius ad octavum quam ad septimum sæculum pertinuisse : unde sponte sua fluit male interpolatum in ejus Actis Martiani nomen, neque, ubi alia non adsunt documenta, ejus episcopatum ultra regnum Dagoberti I extendi posse.*

E

et historia

136 *Cum itaque circa annum* 640 *duo facta concurrant, præsentia nempe S. Magni ad* S. Galli *cellam et episcopatus Bosonis; restat inquirendum quæ clades eodem tempore Arbonensem pagum, atque adeo* S. Galli *eremum affligere potuerit. Difficultatem feliciter, quantum quidem licet, componit Trudpertus Neugart* (*l*) : *Walafridus Turgoviam ab Otwino vastatam, ait,* anno quadragesimo ab excessu S. Galli ; e contrario Theodorus (*supra num.* 131) id post triennium ab obitu ejusdem Sancti

F accidisse testatur. Verum anno sexcentesimo tricesimo, qui opinione nostra tertius a morte S. Galli est, nec vola nec vestigium belli civilis aut incursionis hostilis apud auctores antiquiores deprehenditur. De Otwino sive duce sive præfecto, atque Erchonaldo ejus vicario, Turgoviæ comite, ut vult Goldastus, monumenta antiquiora perinde silent. Erchinoaldum vero, regis Dagoberti consanguineum, defuncto Ega, an. III Clodovei II, æræ communis sexcentesimo quadragesimo, majoremdomus in Neustria fuisse constitutum, præter Fredegarium (*m*) et Aimonium (*n*) Chronicon Moisiacense (*apud D. Bouquet tom. II, p.* 652) testatur, quo etiam tempore Otto Berone genitus patre sperabat se comitem palatii fieri posse, seu potius majorem-domus in Austrasia, infantiam Sigeberti II quod rexisset. Consilium subodoratus Grimoaldus, Pippini Landensis anno 639 defuncti filius, dignitatem ex meritis paternis sibi vindicare satagebat. Optatos honores adeptus est anno decimo Sigeberti, J. C. quadragesimo se-

(*a*) Annal. Ben., lib. XVI, § LXI, tom. I, p. 539. — (*b*) Tom. II, p. 708, n. 40. — (*c*) Nouv. Traité de Diplom., tom. II, p. 224. — (*d*) Tom. II Septemb., p. 708, n. 41. — (*e*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 505. — (*f*) Gesch. des Cant. S. Gallen, tom. I, p. 21. — (*g*) Neugart Cod. diplom. Alemann., ch. DCCCLXVI. tom. II, p. 86. — (*h*) Tom. III April. p. 426, not. *d.* — (*i*) Cfr Mart. Gerbert Hist. Nigr. Silv., tom. I, p. 49. — (*k*) Geneal. Dom. Habspurg., tom. I, p. 179 et seq. — (*l*) Episcopat. Constant., p. 26 et seq. — (*m*) Cap. LXXXIII. Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 445. — (*n*) Lib. IV, cap. XXXVI. Ibid., tom. III, p. 136.

cundo

AUCTORE J. V. H.

cundo supra sexcentesimum, interfecto jam Ottone a duce Leuthario, quem in æmulum excitaverat. Walafridum itaque ac Theodorum ad hujus facti seriem respexisse puto, quum Otwini et Erchonaldi meminere. Quamvis enim nec Ottoni dignitas præfecti provinciæ aut ducis, nec Erchinoaldo vicarii officium conveniant, facilius tamen circa ejusmodi adjuncta a vero aberrari, quam nomina personarum propria oblitterari posse, criticorum plerique haud inviti admittent. At parum differre Otwinum ab Ottone, ac Erchonaldum ab Erchinoaldo, majore-domus Clodovei II ex Burgundia in Turgoviam sub anno 642 militem eduxisse adversam tamen fortunam expertum, a Leuthario II Alemannorum duce, ad cujus administrationem Turgovia spectabat, cæsum ac interemptum fuisse putem. *Hucusque laudatus Trudp. Neugart. Hæc utcumque solvunt intricatam quæstionem: conciliari etenim possunt cum incolatu S. Magni in cella* S. Galli *et cum epocha Bosonis. Admodum verisimile est, contentionem de majoratu domus inter Ottonem et Grimoaldum sub rege duodenni non absque bello compositam fuisse: nam Fredegarius in Chronico* (*a*) *dicit:* Otto quidam filius Uronis *(Beronis)* domestici, qui bajulus Sigiberti ab adolescentia fuerat, contra Grimoaldum superbia tumens, et zelum ducens, eumque despicere conaretur: Grimoaldus cum Chuniberto Pontifice se in amicitiam constringens, cœperat cogitare, quo ordine Otto de palacio ejiceretur, et gradum patris Grimoaldus assumeret.

R

horum temporum.

137 *Huc etiam facit Ottonem a duce Alemannorum Leuthario, anno* 642 *occisum fuisse, ut habet idem Fredegarius* (*b*): *quod aliquod indicium præbet in Alemannia tunc versatum fuisse Ottonem, vitamque suam pro factione Grimoaldi profudisse. Unum in conjectura historica Trudperti Neugart probare non possum; Erchanoldum scilicet, de quo in Vita* S. Galli *agitur, eumdem esse ac Erchinoaldum, qui major domus in Neustria sub Clodoveo II fuit. Certe nomen aptissime convenit, cum major domus Neustriæ in Erchamberti Breviario Regum Francorum* (*c*) *Erchanoldus vocetur. Sed neutiquam convenit utriusque ingenium: qui enim a Walafrido exhibetur Erchanoldus, expilator sacrarii Sangallensis, omnino distat ab suo cognomine, qui, ut ait Fredegarius in Chronico* (*d*), erat homo patiens,

C

bonitate plenus, cum esset patiens et cautus, humilitate et benigna voluntate circa sacerdotes, omnibusque patienter et benigne respondens, nullaque tumens superbia, neque cupiditate sæviebat: tantum in suo tempore pacem sectans fuit, ut Deo esset placabile. Erat sapiens, sed in primis maxima cum simplicitate, rebus mensuratim ditatus, ab omnibus erat dilectus. *Hæc omnino differunt ab iis quæ de Erchanoldo dicuntur, ut impossibile sit duos hujusmodi viros in unum confundere.*

Reliquiæ S. Galli *variis in locis.*

138 S. Gallum *in oratorio cellæ suæ sepultum fuisse testantur Anonymus et Walafridus; atque illic corpus ejus permansisse, vadimonium præstat constans ejus monasterii traditio, continuata serie diplomatum firmata. Nihilominus* S. Galli *sepulcrum monstratur quoque Fuldæ, Borvici, ignoto mihi in Gallia loco, et in Wangen* (*e*). *Sed hujusmodi sepulcra aut cognominem Sanctum continent, uti fortassis in Gallia, in qua duo hujus vocabuli reperiuntur sancti episcopi Claromontani, aut Reliquias sancti abbatis potius indicant quam integrum corpus, prout probabilius Fuldæ et in Wangen acciderit. Sæculi* XVI *anno* XXIX *die* XXIV *Februarii corpus* S. Galli *e suo scrinio extractum, destructum fuit a Zwingliana factione, quæ in civitate Sangallensi dominabatur. Supererat Pragæ in Bohemia caput et brachium Sancti* (*confer supra num.* 10) *sed cum Sangallenses monachi partem aliquam Reliquiarum S. Patroni sui rogassent, responsum fuit, ut schedæ meæ referunt, nihil hujusmodi reperiri. Attamen in* Diario SS. Reliquiarum, quæ in Metrop. Eccl. Pragensi asservantur, *conscripto a Thoma Pessina a Czechorod, decano ejusdem ecclesiæ hæc habentur sub die* XVI *Octobris:* S. Galli abbatis major pars capitis, brachium et costa, allata per Carolum ex monasterio S. Galli, Diœc. Constantiensis anno 1354. Caput argento et auro circumdatum donaverat idem Imperator ecclesiæ parochiali S. Galli in veteri civitate, quod tempore hæreseos amissum est; brachium et costa dederat ecclesiæ Pragensi, quæ hodieque intacta manent. Extat quoque in ecclesia Pragensi pars de mandibula ejusdem Sancti absque ullo dente. *Joannes Jungius in sua* Lipsanographia *seu* Thesauro Reliquiarum Electoralis Brunsvico-Luneburgensis (*Hanoveræ* 1782) *dicit* involucro subtili textili aureis literis distincto tegi *Reliquias....* S. Galli Confessoris; *sed dubitat num hic* S. Gallus *episcopus Claromontanus designetur* (*f*), *an vero sanctus abbas noster. Verum quum pleræque Reliquiæ in thesauro contentæ aut Romanam aut Germanicam originem habeant, videntur potius ad* S. Gallum *abbatem pertinere. Non est dubium alias particulas Reliquiarum variis in locis delitescere, maxime in ecclesiis et altaribus sub ejus invocatione dedicatis, quas tamen deficientibus idoneis documentis, enumerare nobis non licet. De Cambutta aut pedo ad* S. Gallum *a B. Columbano missa confer Walafridum cap.* XXV, *et Anony. num.* 28, *et late de eo agunt Nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Magni* (*g*). *Nunc Acta* S. Galli *sæpius sub Anonymi nomine laudata subdimus; nam, quod nihil hic loci de abbatia* S. Galli, *ad ejus sepulcrum exstructa, disserimus, ratio est id potius pertinere ad Vitam S. Othmari ejus fundatoris, de quo ad diem* XVI *Novembris late dicetur.*

D

E

F

VITA S. GALLI,

auctore anonymo monacho Sangallensi, sæculi VIII.

Ex monumentis Germaniæ historicis Georgii Henrici Pertz, tom. II, part. 3.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. S. Galli ortus, monachatus in cœnobio Benchorensi, adventus in Gallias et Alemanniam.

AUCTORE ANONYMO. *S. Gallus in cœnobio Benchorensi monachus,*

Fuit vir nobilitate pollens *a*, magisque bona conversatione fulgens, quem reverentia paternalis nobis tradidit Gallum *b* nuncupare. Hic primævum florem in insula Hybernia ducens, cum ab ipsa pueritia sua Deo adhæsisset, studiisque liberalium artium mancipasset, parentum nutu commendabatur viro venerando Columbano, qui

a

b

(*a*) Cap. LXXXVI. Ibid., tom. II, p. 446. — (*b*) Ibid., p. 447. — (*c*) Oper. S. Greg. Turon. Edit. Ruinart, col. 1353. — (*d*) C. LXXXIV, Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 445. — (*e*) Von Arx. Gesch. des Cant. S. Gallen, tom. I, p. 20. — (*f*) Tom. I Jul., p. 103. — (*g*) Tom. II, p. 723, n. 121.

vitæ

A vitæ normam exemplis patrum tenens, vestigiumque humilitatis cunctis prætendens, mellifluam doctrinam secum degentibus oportune tradidit. Inter quos prædictus puer humilitate ac strenuitate pollebat, magistrum suum in studiis divinis sequens, caduca jam mundi respuendo, ac fratribus ubique aditum æterni regni ostendendo. Christo nempe propitio ad ætatem veniens, exortationibus spiritualium fratrum, præfato patre eum compellente, humiliter rennuens adtamen Christi exemplo obœdiens sacerdotii gradum adiit; in quo provectibus pollebat, cum assiduum sacrificium Christo flagrabat *, in quibus et initiis feruntur liquida miracula. Igitur cum de remotis partibus mundi arbiter orbis lumen nostratibus *c* refulgere disposuisset, prædictus vir terrena despiciens et cœlestia quærens, cum præfatis fratribus, qui electio quædam Scoticæ *d* gentis erant, relictis habitis cunctis *, Christum secutus est, patrisque ac matris seu parentillæ cum possessionibus diversis immemor, ut mereretur in ætheris premio centuplici potiri.

* *id est*: immolabat

c

d

* cunctis possessionibus

in Gallias

B 2 Æstimatione etenim cœpta, portum Hybernicum linquebant, prosperisque succedentibus auris sinus Britannicos tangebant; quibus peragratis, tandem optata arva Galliæ introierunt, ubi gubernacula regni Sigiberti *e* diversas gentes tunc domuerunt; statimque confidentes in Christi amore, aulam regiminis ejus adierunt. Quos benigne suscepit, aptaque omnia cum diligentia illis præparari jussit; cœpitque causam itineris eorum inquirere, ac animo suo mellifluis doctrinis eorum delectari; qua per ordinem exposita atque diligenter consuetudine *f* erga peregrinos peracta, regalis clementiæ allocutioni vocantur. Ibi ergo inquiruntur de originis seu conversationis eorum ordine, quo cognito regalis petitio eos adiit, ut in terminis Galliæ conversationis eorum locum eligerent, nec diutius se itineris longitudine fatigarent, regalem tunc clementiam in omnibus voluntati eorum deinceps obtemperaturam. Vir ergo Dei Columbanus respondit: Omnia, quæcumque habui, propter nomen Domini dereliqui, et si nunc aliorum divitias cupio, forsan prævaricator euangelii existo, cujus desiderio actenus militavi; non enim convenit nobis, lucris caducæ hujus vitæ anhelare, sed toto mentis affectu Christi præceptum desiderare, in quo ait: « Qui vult venire » post me, abneget semetipsum, tollat crucem » suam et sequatur me. » Quomodo nosmetipsos abnegamus, si exteriora nostra pro Christo non laxamus *, aut quomodo crucem ejus tollimus, si terrestrem curam quærendo inhiamus? Cui talia obicienti responsum regale obviavit: Si Christum sequendo crucem ejus sumere desideras, heremi secreta elige, in quibus et augmentum tui præmii et oportuna provideas nostræ saluti, tantum ne, nostra dicione relicta, ad alias gentes pertranseas.

e

f

C

* *id est*: relinquimus

cum S. Columbano 3 Regis ergo petitio prævaluit, ac cuneus ille fratrum heremi abdita elegit. Quo difinito, ingressi sunt heremum, quem vulgaris opinio nuncupat Vosagum *g*. Scrutando servorum Dei habitationibus aptum locum tandem ergo reppererunt antiquitus habitationem dirutam, aquarum calore adventantium animos delectantem, quam murorum ædificia antiqua circumdabant, incolæque regionis illius Luxovium *h* eam vocabant. Illic nempe fraternalis manus oratorium in honore Sancti Petri, principis apostolici culminis, ac officina habitationi apta * sibi construxerat. Igitur cum per aliquod tempus illic habitassent, aptaque cœnobialibus * præparassent, multi Burgundiorum gentis, nec non et Francorum *i*, veniebant ad eos propter desiderium æterni regni, ibique mirum in modum crescebat regularis vitæ origo. Cum fluctivagum mundum linquebat nobilium multitudo, Christo laus! creverat passim opinio eorum in finibus Galliæ vel Germaniæ. Nam et maturitas vitæ eorum Theodorichum *k* regem non latuit, qui sæpe ad eos venit, ac orationis eorum amminicula postulavit. Cui sanctus vir Columbanus dulcifluam doctrinam suam impendebat, necnon et pro concubinis quibus indiscrete adhærebat, vehementer arguebat, ortando eum, potius legitimo conjugio uti, quatenus spes regni incautela ejus non destitueretur, sed utilitati populi imposterum servaretur.

g

h

* officinas aptas

* Cœnobitis

i

AUCTORE ANONYMO.

k

4 Multa ergo ammonitionibus ejus agebat, sed instigante inimico humani generis, mentem Brunnihildæ *l*, aviæ suæ, in prostitutionis amissione *m* viri Dei consilium utile rennuebat. Nam sicut Zezabel regnum Ahab perdidit, ita et hæc istum decœpit avertendo eum a legitimo conjugio ac vitam ejus lupanaribus damnando. Tantum timore honoris ac dignitatis suæ in palacio regali, si legitima conjunx versaretur sub sceptro nobili, invidia contra virum Dei augebatur, in tantum ut prædicta filia diaboli a rege impetrasset, ne amplius sub dicione regiminis ejus vir Dei habitasset. Nam et legatio mittebatur, quatenus de regno expelleretur; ille vero movens inde sicut in gestis ejus legitur *n*, pervenit ad Clotharium *o* regem, cumque ab eo benigne susciperetur, eumque divinitus instruxisset, expetivit, ut fultus comitibus ad Theodebertum *p* regem Austrasiorum venisset. Consentitur demum petitioni viri Dei, atque cum cunctis sibi aptis * transmittitur Austrasiorum regi, a quo suscipitur cum magnis gaudiis, eumque divinitus docendo, ibi manet diebus non paucis. Tunc itaque viam seu defensionem * per altam Germaniam *q* ad Italiam petiit, in quo eodem tempore Egilolfus *r* regnavit. Sed prædictus rex obsecrabat virum Dei manere in regno ejus, promittens se repperire loca venusta et congrua servis Dei, in quibus si habitare cœpissent, lucrum animarum inde adferri potuissent. In quibus promissis vir Dei lancem moderaminis tenuit dicendo: se petitioni ejus velle optemperare, sed tamen firmiter habendo æstimatum nulla ratione velle dimittere.

profectus,

l

m

E

o

p

* ipsi necessariis

* commeatum

q

r

5 Igitur optio ei a rege dabatur, si alicubi aptum locum experiretur; in qua inquisitione venerunt ad fluvium Lindimacum *s*, quem sequendo adierunt castellum Turegum *t* vocatum. Inde etenim adierunt villam vulgo vocatam Tucconia *v*, quæ in capite ipsius laci Tureginensis est sita. Placuit ille locus, sed incolarum displicuit pravus usus. Crudelitas et malicia in illis regnabant, namque et superstitioni gentilium inhiabant. Servi ergo Dei cum cœpissent inter illos habitare, docebant eos Patrem et Filium et Spiritum Sanctum adorare. Nam Gallus ad cujus miracula rimanda *, Christo propitio figimus opera, virum Dei Columbanum, ut jam dictum est, ab initio conversionis sequendo ejusque laboribus compatiendo, cœpit illic gentilium fana incendere, diisque consecrata in lacum dimergere *w*. Cum ergo vidissent fana sua combusta, adsumpserunt contra eos invidiæ arma, quæ in tantum corda eorum arripuit, ut consilio acto virum Dei Gallum voluissent interficere, atque Columbanum cum contumeliis de finibus eorum expellere. Sanctus vero Columbanus hæc audiens orabat: Deus rector poli, in cujus arbitrio totus mundus decurrit, fac generationem istam in improperium, ut, quæ inprobe excogitant servis suis, sentiant in capitibus suis. Fiant nati eorum in interitum; ergo

inde in Alemanniam pervenit:

F

s

t

v

* recensenda

w

cum

AUCTORE ANONYMO.

cum ad mediam ætatem perveniant, stupor ac dementia eos adprehendat, ita ut alieno ære oppressi ignominiam suam agnoscant conversi; impleatur in eis prophetia psalmographi dicentis : Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet *x*.

x *ubi in prædicatione evangelica,*

6 Post hæc ergo secedendo apostolicum implevit præceptum, in quo ait : Date locum iræ; atque cum alumnis ad Christi laudem festinantibus pervenit in castrum Arbonam *y*, ubi reppererunt Willimarum *z* quemdam sacerdotem. Quibus ille visis, fertur præ gaudio dixisse : Benedictus qui venit in nomine Domini; Deus Dominus, et inluxit nobis; eique responsum obviasse : De regionibus congregavit nos Dominus. Ipse confestim, adprehensa manu ejus, duxit eos ad orationem. Nam cum pariter orassent, domumque intrassent, ac in convivio spiritalis lætitiæ recubuissent, fertur electus Dei Gallus jussu magistri divina eloquia recitasse, audientiumque animos ad amorem cœlestis patriæ provocasse; quorum auditor præfatus presbyter obstupuit, umectans vultum lacrimis. Erant ergo ibi ad laudem Christi septem diebus læti in divinis consolationibus. Quibus peractis, didicerunt ab eodem presbytero civitatem quandam esse dirutam vicinam illis locis Pregentiam, cujus terræ pinguedo marisque *aa* vicinitas potuissent fieri servis Dei oportunitas. Quo audito, optabant eum toto animo. Nam vir Dei Columbanus una cum Gallo aptissimo discipulo, * seu alio diacono, ascendens navem explorandi causa adiit urbem. Igitur fraternalis manus domicilia sibi illic præparavit, ac strenue Christum pro illo loco supplicavit. Tres ergo imagines æreas et deauratas superstitiosa gentilitas ibi colebat, quibus magis quam creatori mundi vota reddendo credebat *bb*.

y
z
B
aa
* et
bb

destructis idolis,

7 Nempe desiderio destruendi eorum superstitionem vir Dei Columbanus jussit Gallo ad populum recitare sermonem, quia ille inter alios eminebat lepore latinitatis, nec non et idioma illius gentis *cc*. Nam conventio facta est populi ad solitam festivitatem templi, magis spectaculo advenarum perculsi, quam reverentia divini cultus devoti. Quibus congregatis, electus Dei Gallus rigabat corda eorum mellifluis verbis, ortando eos ad creatorem suum converti Jesum Christum filium Dei, qui humano generi in sordibus tepescenti reseravit aditum cœlestis regni. Igitur, videntibus cunctis, sublatas imagines comminuit petris, atque in profundum dejecit maris. Tunc ergo pars populi confitendo peccata sua credidit, parsque irata et indignata cum furore abscessit. Nam et vir Dei Columbanus aquam benedixit, atque sanctificando loca contaminata, ecclesiæ sanctæ Aureliæ *dd* honorem pristinum restituit, ibique egressus * athleta Christi cum clientibus sibi alumnis mansit triennio *ee*. Qui in morem parvissimæ matris apis ingenium exercebant in artibus diversis; inter quos electus Dei Gallus squammigero gregi insidias conponere *, et fratres sæpe, Christo largiente, lætificabat, cum illis apta diligenter præbebat.

cc
C
dd
* ingressus
ee
* *adde*: consueverat

et in vitæ monasticæ officiis

8 Volvente deinceps cursu temporis, electus Dei Gallus retia lymphæ laxabat in silentio noctis, sed inter ea audivit demonem de culmine montis pari *ff* suo clamantem, qui erat in abditis maris. Quo respondente : Adsum! Montanus e contra : Surge, inquit, in adjutorium mihi! Ecce peregrini venerunt, qui me de templo ejecerunt; (nam deos conterebant, quos incolæ isti colebant; insuper et eos ad se convertebant) *gg* veni, veni, adjuva nos expellere eos de terris. Marinus demon respondit *hh*: En usus eorum est in pelago, cui numquam nocere potero. Volui enim retia sua ledere, sed me victum proba lugere. Signo orationis est semper clausus, nec umquam somno oppressus. Electus vero Gallus, hæc audiens munivit se undique signaculo crucis, dixitque ad eos : In nomine Jesu Christi præcipio vobis, ut de locis istis recedatis, nec aliquem hic ledere præsumatis! Et cum festinatione ad litus rediit, atque abbati suo, quæ audierat, recitavit. Quod vir Dei Columbanus audiens, convocavit fratres in ecclesiam, solitum signum tangens *ii*. O mira dementia diaboli! voces servorum Dei præripuit * vox fantasmatica, cum hejulatus atque ululatus diræ vocis audiebatur per culmina *. Livor ergo demonis dolens abscessit, cum oratio fratrum ad Dominum suppliciter ascendit.

ff
gg
D
hh
ii
* *id est* prævenit
* *adde*: montium

9 Laude colendus Christus tunc magis ac magis laudabatur, cum expellere ab eis terrorem demonum dignabatur. Illi vero, qui contempserunt eorum prædicationes, conati sunt adfligere eos propter deorum suorum contritiones *. Nempe adierunt Cunzonem *kk*, ducem partium ipsarum, accusatorias fallacias ferentes, conjuncto spiritu deceptionum, ac dicentes : propter illos advenas venationes publicas illis in locis fuisse desolatas. Qui ad eos nuntium mittere dicitur *, quo eis discedere precipitur. Nam ut adderetur ad injurias servorum Dei, vacca eorum furto ablata ducta est in abdita heremi; cujus requirendi gratia pergentes duo fratres, venerunt ad ipsos latrones; ubi tunc furto homicidium conjugitur *, cum ab eis famuli Christi occiduntur, prædaque eorum diripitur. Peracto ergo scelere, diu quæruntur in solitudine, adtamen quandoque * exanimes inventi, lamentabiliter ad cellam sunt reducti. Deinde Sanctus Columbanus assiduitate expellentium coactus, ac dolore fraternalium funerum perculsus, dixit fratribus : Invenimus hic concam auream, sed serpentibus plenam. Vos autem nolite contristari; Deus enim, cui servimus angelum suum mittet, qui nos ad regem Italiæ perducet, eumque placabilem faciet, ut locum nobis pacificum tribuat. Ex quo itinere athletarum Christi febrium vexatio electum Dei Gallum retinuit. Nam in ipso profectionis articulo abbatis sui pedibus provolutus, professus est, quod nequivit * infirmitate compulsus. Sed vir sanctus, causa retinendi eum secum, cum hilaritate animi dixit *ll* : Si laborum meorum particeps fieri non vis, diebus meis missam non celebrabis. Ergo arbitrio proprio tunc relictus est, qui diu sub magisterio aliorum eruditus est.

se exercet.
* *id est* comminutiones
kk
E
* rogatur
* conjungitur
* tandem
* nequiret
F
ll

ANNOTATA.

a *Quæ de regia S. Galli prosapia habent antiquiores vide Commentarii prævii num.* 31 *et seq.*

b Galli *nomen circa medium sæculum* VIII *prævaluit : ante* Gallo, Galonus, *etc., dicebatur. Vide Commentarium prævium, num.* 1 *et sequentibus.*

c *Id est* Alemannis. *Hæc verba monstrant ex illa gente fuisse biographum nostrum.*

d Scotia *commune nomen erat tum Scotiæ hodiernæ tum Hiberniæ, atque hinc multiplicium errorum origo ad nostra usque tempora. Notkerus in suo Martyrologio habet :* Insulam Hiberniam.

e *Non Sigibertum, sed Guntramnum Burgundiæ gubernacula, quando S. Columbanus in Gallias appulit, tenuisse, monstratur in Commentario prævio num.* 46 *et sequentibus.*

f *For-*

A f *Fortassis alludit hic auctor ad morem lavandi peregrinorum pedes.*

g Vosagus *aliis* Vogesus (les Vosges), *quo nomine non solum veniunt continua montium juga, sed saltus etiam et eremus. Late extenditur per confinia Burgundiæ, Alsatiæ et Lotharingiæ : est celebris propter incolatum virorum numero et sanctitate illustrium.*

h Luxovium (Luxeuil), *in hodierna præfectura Araris superioris* (Département Haute-Saône) *in antiquo comitatu Burgundiæ* (Franche-Comté) *situm, paulatim excrevit in oppidum. Cæterum ex Vita S. Columbani constat primam fundationem Sancti* Anagratibus, *alteram* Luxovii, *tertiam* Fontanis *fuisse. Hic vero sola mentio fit Luxoviensis cœnobii, quia illud caput fuit reliquorum monasteriorum.*

i *Eadem paulo uberius exponit Walafridus c.* II : Illisque ibi conversantibus et ipsum locum excolentibus, multi non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum amore vitæ laudabilis ad ipsos confluxerunt ; et monitis spiritualibus instituti, tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti sunt, ut omnia sua ad ipsum
B contraderent, et coma capitis deposita. monasticæ vitæ habitum voluntaria paupertate susciperent. *Jonas in Vita S. Columbani num.* 17 *dicit :* Ad cujus famam plebs undique concurrere et se cultui religionis dicare curabant.... Ibi nobilium liberi undique concurrere nitebantur. ut et spreta phaleramenta sæculi et præsentium pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent.

k *Theodoricus, de quo hic,* secundus *est hujus nominis, filius secundo genitus Childeberti Austrasiæ regis, anno* 596 *veneno sublati, nepos Sigiberti I Austrasiæ regis, occisi anno* 575.

l *Brunechildis, de qua tam varia atque inter se discrepantia referunt auctores etiam coævi, nupserat Sigiberto I Austrasiæ regi anno* 566; *filia erat Athanagildi, Gothorum regis in Hispania. Quæ vero est opinionum dissensio inter auctores circa Brunechildem reginam, utcumque explicatur a P. Daniel nostro* (*a*).

m Prostitutionis amissionem *interpretatur Ildephonsus von Arx* (*b*) prostitutionis perditionem. *Sensus clarior est, si* amissionem omissionem *dicamus ; ita ut legeretur :* quoad prostitutionis omis-
C sionem viri Dei consilium utile renuebat. *Jonas autem num.* 31 *et Walafridus cap.* III *asserunt per Theodericum non stetisse, quominus S. Columbano monenti obtemperaret :* Theodericus, *ait Jonas loco citato,* quia in termino regni sui B. Columbanum haberet, gratulabatur. Ad quem cum sæpissime veniret, cœpit vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, et non potius legitimæ conjugis solamine frueretur ; ut regalis proles ex honorabili regina prodiret, et non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumque jam ad viri Dei imperium regis sermo obtemperaret, et se ab omnibus illicitis segregare responderet, mentem Brunechildis aviæ, secundæ ut erat Jezabelis, antiquus anguis adiit, *etc. Eadem habet Walafridus loco citato.*

n *S. Columbani expulsionem late describit Jonas a num.* 33 *ad* 48.

o *Clotarius II primum Suessionum, et ab anno* 613 *totius Franciæ rex.*

p *Theodebertus II Austrasiæ rex a fratre suo Theodorico, Brunechilde instigante, occisus an.* 612.

q Altam Germaniam *vocat auctor illam Germaniæ partem, quam Alemanni initio sæculi* VII *incolebant. Ad hunc locum alludit Walafridus in Præfatione, dum auctorem designat, quem præcipue secuturus erat :* Porro dum pridem ipsum opus perlegerem, inveni ab auctore ejusdem conscriptionis terram quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, Altimanniam sæpius nominari ; sed ipsius nominis originem quærens, apud nullum scriptorum, quorum adhuc notitia nos respersit, ejus reperi mentionem. Nisi fallor enim, ab alto situ provinciæ idem vocabulum confictum est. *Quod* Altimanniam *dicit Walafridus* Altam Germaniam *vocat noster : librarii fortassis industria, Altimanniam interpretantis.* AUCTORE ANONYMO.

r Egilolfus, *melius* Flavius Agilulfus *aut etiam Agon, ducta uxore anno* 590 *Theodelinda, Autharis regis vidua, Longobardorum rex, annis* XXV *regnavit. Se regem totius Italiæ dicebat, uti constat ex inscriptione coronæ aureæ quam Modoetiæ obtulit :* AGILULF. GRAT. DI. VIR GLOR. REX TOTIUS ITAL. OFFERT. SCO. JOHANNI. BAPTISTÆ. IN ECLA. MODICIA (*c*).

s Lindimacus *hodie* die Limmat (*nomen compositum ex* Lint *et* Mag, *torrentibus*) *in orientalem partem Lacus Turricini influit.* E

t Turegum, *hodie* Zurich, *una ex primariis urbibus hodiernæ Helvetiæ ad lacum cognominem sita.*

v Tucconia, *hodie* Tuggen, *parochia ruralis, in decanatu Rapperwilano, de qua vide Commentarium prævium, num.* 76.

w *Prosper Lambertini, postea Papa Benedictus XIV, in Opere de Canonizatione Sanctorum* (*d*), *late exponit casus, in quibus excusari potest eversio fanorum et his similia. Erat illo jam tempore lex regni, ut Christiana religio principatum obtineret : unde S. Columbanus, ut habet ejus biographus num.* 51, *cum regiis mandatis inter Suevos advenerat, ipsique Suevi jam magna ex parte baptismo fidei catholicæ initiati erant, ut testatur idem biographus num.* 53 ; *quare non tam gentilismi quam impiæ superstitionis accusantur. Quæ omnia faciunt juxta Prosperum Lambertini, ut factum S. Columbani excusari possit.*

x *Circa verba maledictionis a S. Columbano prolata, attendendum est ad ea, quæ S. Thomas dicit* 2. 2, *quæst.* LXXVI, *art.* 1 : Si aliquis imperet vel optet malum alterius, in quantum est malum, F
quasi ipsum malum intendens, sic maledicere utroque modo erit illicitum, et hoc est maledicere per se loquendo. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni ; sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod imperando, vel optando sub ratione duplicis boni, quandoque quidem sub ratione justi. Et sic judex licite maledicit illum, cui præcipit justam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut etiam prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ : licet hujusmodi imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque vero dicitur aliquod malum sub ratione utilis ; puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset. *In S. Columbani maledictione utrum-*

(*a*) Hist. de France, tom. I, p. 478. Edit. Amstelod., an. 1742. — (*b*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 6. — (*c*) Frisi Mem. della chiesa Monzese. Dissert., I, p. 42. — (*d*) Lib. III, cap. XVII, n. 9 et seqq.

AUCTORE ANONYMO.

que probabiliter concurrit, ut præscius futuri ventura mala denuntiaret, et optaret illa tamquam apta curandæ gentilium cæcitati, quod posterius clare insinuant verba : alieno ære oppressi ignominiam suam agnoscant conversi. *S. Augustinus* (*a*) *maledicta excusat ;* cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. Nam illa quæ de malo voto sunt, prohibentur cum dicitur : « Benedicite et » nolite maledicere ». Hæc autem sæpe inveniuntur in sermone Sanctorum.

y Arbona, *oppidum et* pagus *est, ait Chronicum Gottwicense* (*b*), Ducatus Alemanniæ sub majore pago Durgowe, eoque mediante in principaliore pago Turegiensi seu Zurichgow comprehensus... situs est ad lacum Acronium a sinistris inter binos minores fluvios Salinsach et Steinach, in quo celeberrimum et antiquissimum monasterium S. Galli. *Arbona oppidum antiquis* Arbor felix *dicebatur, ut constat ex Itinerario Antonini* (*c*) *et ex Tabula Peutingeriana* (*d*).

z *Willimarus, quem Walafridus cap.* V *vocat* presbyterum bonitate conspicuum, *erat probabilius*
B *parochus illius tractus, sub Gaudentio Constantiensi episcopo. Istic enim mansit usque ad obitum* S. Galli *anno* 625 *vel* 627 ; *illo invitante, Sanctus noster ultimum ad populum Arbonensem verba fecit : quæ omnia designant presbyterum, qui plebi præpositus erat eruditionis et sacramentorum gratia.*

aa Pregentia *ex familiari Germanis confusione B et P hodie* Bregentz, *antiquis* Brigantium *oppidum est ad lacum et fluvium cognominem Orientem versus situm. Hodie pertinet ad comitatum Tyrolensem, circulum Vorarlberg. Lacus Brigantinus, quem auctor noster paulo inferius* mare *appellat, vocatur etiam* Potamicus, *aut* Constantiensis, *Germanis* Bodensee : *ab eo differt lacus* Acronius, *seu* Cellensis, *estque paulo infra Constantiam, teste Cluverio : hodie tamen a plerisque Acronius et Potamicus lacus passim confunditur.*

bb *Gentiles, de quibus auctor agit, non carebant omnes baptismatis gratia, quamvis idololatricis superstitionibus dediti, ut clare monstrat Jonas in Vita S. Columbani num.* 53 : Multi ergo eorum per beati viri suasum ad doctrinam et Christi fidem conversi, baptismum consecuti sunt, aliosque etiam, quos jam lavacro ablutos error detinebat
C profanus ad cultum euangelicæ doctrinæ monitis suis, ut bonus pastor Ecclesiæ seminibus reducebat sparsis. *Circa eadem tempora Francos similis inficiebat corruptela, ut constat ex epistola S. Gregorii Magni ad Brunechildem reginam* (*e*) : Hoc quoque pariter hortamur, ut et cæteros subjectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, ut idolis non immolent, cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant ; quia pervenit ad nos quod multi Christianorum et ad ecclesias occurrant, et quod dici nefas est, a culturis dæmonum non abscedant.

cc S. Gallus *diuturno incolatu Luxovii, Tucconiæ et nunc Brigantii, facile linguam Teutonicam addiscere potuit.*

dd *Circa expiationem templi S. Aureliæ vide Commentarium prævium, num.* 85 *et sequentibus.*

ee *De triennali incolatu S. Columbani vide Commentarium prævium, num.* 67.

ff Par *socium simul et ejusdem conditionis consortem indicat.*

gg *Uncinis inclusa pro glossa habet Pertz, editor Monumentorum Germaniæ.*

hh *Hic frequentior* Rythmus *auditur, antiquiorem probabilius fontem, rhapsodiam quamdam demonstrans.*

ii Signum tangere *teutonismum dicit Ildephonsus von Arx.* Rühren *enim* tangere, *olim* movere, projicere *significabat.*

kk *De Gunzone duce vix aliud notum est, quam quod ex biographis* S. Galli *habemus. Alemanniæ ducatum, cui Gunzo præerat, describit Shoepflinus* (*f*).

ll *Circa interdictum a S. Columbano impositum* S. Gallo, *vide Commentarii prævii num.* 92 *et seq.*

Caput II. In Alemannia relictus desertum Arbonense incolit, Fridiburgam Gunzonis Ducis filiam a dæmonio liberat.

In Alemannia relictus

Quod credimus divina providentia actum, ut electus Dei Gallus servaretur genti illi ad lucrum sempiternum. Sequestratione* namque peracta *a*, præfatus hospes Willimarus presbyter visitatur a servo Dei Gallo una cum retibus et navi, ibique meroris anxietas innovatur, cum separationis ordo rimatur, inter quæ hospitii sustentationes ac infirmitatis sublevationes ibidem flagitantur. Quo suscepto cum gaudio, pietatisque studio adimpleto, jussum est duobus clericis Maginoldo et Theodororo *b*, ut sollicitudinem ejus habuissent, ac in locis propinquis ecclesiæ ei ministrassent : quibus diligenter patratis, ad majus exercitium Christo propitio sanus factus est. Post hæc Hiltibodus *c* quidam diaconus, præfati sacerdotis fidus socius, cum ante alios cognitione illius heremi polleret, aditus est ab electo Dei Gallo his verbis : Fili ! invenisti umquam in abditis istius heremi aptum locum ad construendum oraculum* habitaculumque congruum? Desiderio desideravit anima mea permanere diebus meis in solitudine, admonente nos psalmista dicente : Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, et expectabam eum qui me salvum faceret. Respondens diaconus dixit illi : Pater mi, est heremus iste asper et aquosus habens montes excelsos, et angustas valles, et bestias diversas, ursos plurimos, et luporum greges atque porcorum. Timeo si induxero te illuc, ne forte inruant super te.

* divisione

a

b

c

* oratorium

11 Vir autem Dei respondit : Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Danihelem de lacu leonum liberavit, ipse potens est, me liberare de manu bestiarum. Videns autem præfatus levites constantiam ejus, ait : Crastina secreta silvarum penetremus, si forte locum aptum inveniamus. Nam confido in Creatoris nostri clementia, ut dignetur nobis prævium* Tobiæ dirigere. Solito ergo more vir Dei in oratione eodem die perstitit sine cibi perceptione. Facto igitur mane, captabant viam cum oratione. Peracta nempe ter terna hora diei*, levites sciscitatur : si voluisset reficere vir Dei ; a quo audivit : non se gustaturum, antequam, Christo propitio, locus ei ostenderetur ad habitandum. Agitantur igitur membra jam lassa, ac demum pervenitur ad fluviolum nominatum Petrosa *d*. Ibi ergo noctis quies demonstratur, cum squammigeri gregis turba conspicitur. Nam pervenitur ad cursum fluvioli de monte, ubi cavatur locus ejus in rupe *e*, adportatum rete immittitur, ac pisciculi non pauci captantur, ignis a levita de silice excutitur, ac refectio præpara-

solitudinem,

* ducem *seu* Angelum

* hora nona *seu* tertia pomeridiana

d

e

(*a*) Contr. Faust., lib. XVI, cap. XXII, tom. VIII Oper. col. 296. — (*b*) Tom. II, p. 547. — (*c*) D. Bouquet, t. I, p. 102. — (*d*) Ibid., p. 112. — (*e*) Lib. IX, epist. XI, tom. II Oper. col. 938. — (*f*) Alsat. illust., tom. I, p. 626 et seqq.

tur.

A tur. Consuetam interea vir Dei orationem quærens, corruit in vepre pedem offendens; quem diaconus nitens sublevare, audivit: Sine me, hæc requies mea in sæculum; hic habitabo, quoniam elegi eam.

duce Hiltibodo diacono, 12 Et cum surrexisset ab oratione, fecit de virga coleria* crucem, in qua appendit capsellam *f* in qua erant Reliquiæ S. Virginis virginum, et Sancti Desiderii *g* almique ducis Mauricii *h*. Ubi denuo preces amborum innovantur. Nempe vir Dei supplex ait: Domine Jesu Christe creator mundi, qui crucis tropheo subvenisti humano generi, da in honore electorum tuorum locum istum ad laudem tuam habitabilem. Oratio ad occasum protrahitur, cibusque cum gratiarum actione percipitur, Nam cum membra quieti dedissent, virque Dei silenter levando in precibus se ante eamdem capsam exercuisset, conviator* ejus occulte intendebat. Interea ursus de monte adiit, ac fragmenta decerpsit; cui ab electo Dei Gallo dictum est: Bestia, in nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, sume lignum et proice in ignem. Ille continuo autem reversus adtulit validissimum lignum, et imposuit in ignem; cui ob mercedem B operis offertur a viro Dei panis, sed tamen hoc modo, et præcipitur: In nomine Domini mei Jesu Christi, recede ad hac valle. Sint tibi montes et colles communes, nec tamen hic pecus ledas aut homines. Quibus inspectis, conviator ejus surgens ac genibus se provolvens, ait: Nunc scio, quia Dominus est tecum, eo quod bestiæ heremi obœdiunt tibi. Qui statim audivit: Cave ne alicui hoc dicas, donec gloriam Dei videas.

quærit 13 Mane autem facto, dixit diaconus ad eum: Pater, quid vis, ut faciamus hodie. At ille dixit: Obsecro te, fili, ne irascaris in sermonibus meis, maneamus hic adhuc istum diem. Sume retia, et perge ad gurgitem, ego veniam post te cito; forte Dominus consuetam misericordiam suam nobis ostendet, ut habeamus aliquid ad porrigendum hospiti nostri pro hujus benedictione. Cui levites ait: Placent quæ dicis; statimque surrexit et ad gurgitem perrexit. Ubi cum niteretur rete laxare, apparuerunt ei duo demonia in mulierum specie nude ad litus stantes, quasi ad balneum ingredi volentes, turpitudinemque corporis sui ei monstrantes, insuper et lapides contra eum jactantes, C dicebant: Tu induxisti virum istum in hunc* heremum, virum iniquum et invidiosum, qui semper nobis in malis prævalet. Quibus auditis, vicino* pede regreditur, resque viro Dei nuntiatur. Quo audito, oratio amborum funditur Christo. Sanctus nempe ait: Domine Jesu Christe, fili Dei, ne existimes meritis meis, sed jube has demones recedere ab hoc loco, ut sit sanctificatus in honore nominis tui. Cumque se ab oratione erexisset et ad gurgitem venissent, demones in fugam versæ sunt per decursum fluminis usque ad verticem montis. Vir autem Dei dixit: Fantasmata, præcipio vobis per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut de hoc loco in deserta recedatis, nec amplius huc introeatis. Tunc namque rete immittentes, cœperunt squammigeros greges. Ubi iterum innovatur dolus hostis antiqui, dum adhuc pisces ad se trahebant, voces quasi duarum mulierum flentium super mortuos suos de vertice montis audiebant, quæ hæc verba rimabant: Quid agimus, vel quo pergimus! Non licet nobis propter istum peregrinum neque inter homines, neque in heremis habitare. Postea vero tribus vicibus ipse diaconus cum laborasset desiderio capiendorum accipitrum, audivit *i* de monte, qui dicitur Himilinberc *i*, demones cum clamore interrogare, si adhuc Gallus in heremo esset, an recedisset*.

AUCTORE ANONYMO.

14 His actis, lustraverunt vallem ac montem, viderunt inter duos rivos *k* silvam, planiciemque desiderabilem. Exemplo Sancti Jacob, futuræ habitationis præscius electus Dei Gallus dixit: Vere Dominus est in loco isto. Ibi et tunc miraculum innovabatur: cum serpentium multitudo illic scatebat, ex illa die non conparebat. Creator angelicæ virtutis magis ac magis adoratur, eique gratiarum actiones aguntur. Conlocutio namque inter illos egredi de heremo agebatur, sed a viro Dei exire levita supplicabatur, eique induciæ usque in diem tertium flagitabantur; quod conviator ejus dure accepit, repetendo: se non ausurum videre faciem hospitis eorum sine illius presentia. Sed sermo viri Dei prævaluit, ac levita repedavit *l*. Sanctus igitur tunc se exercuit, hisque ternis solibus absque corporali sustentatione continuit. Quarto ergo die egreditur. Arbonensisque sacerdos ab eo cum gratiarum actione visitatur, a quo gaudio suscipitur, eique omnis humanitas præparatur, Christo laudem referebant, ac reficiendi gratia consedebant, ubi inter cætera E lætitiæ genera levites ait: Si ursus adesset, forsitan Gallus illi benedictionem porrexisset. Cum ergo sermonis origo a sacerdote inquisitum est, a levita recitabatur, ut gestum est. Exinde habitus est ab eis sicut unus ex patribus antiquis; erat enim vita ejus dura, atque ariditate* consumpta.

15 Dum ibi adessent simul, venit nuntius ad Willimarum presbyterum, dicens, migrasse Gaudentium *m*, Constantiæ urbis episcopum; pro cujus requie ambo laborabant in oratione. Post hæc die septima missa est præfato sacerdoti epistola, in qua continebatur, adesse eum cum viro Dei super duodecim noctes ad Cunzonem ducem in villa nuncupata Iburninga *n*. Hoc ideo agebatur, quia filia ejus Fridiburga disperabatur; quam ingressus spiritus nequam torquebat passionibus incredibilibus cuiquam. Cibos modicos capiebat, volutans in terra spumabat, nec eam continere nisi quatuor poterant; quod genus demonis erat mutum usque ad diem tricesimum; exinde cœpit loqui, Nam eadem Sigiberto *o* filio Theodorichi disponsata fuit. Cui pater ejus per nuntios hæc cum festinatione innotuit*, pro quo amminiculo duo præcelsi pontifices missi sunt. Igitur Willimarus F volens ad difinitum placitum* venire, ortatus est virum Dei secum ire. A quo responsum tale accepit: istud iter non est meum, sed tuum. Tu perge, pater, quid mihi cum principe istius sæculi? Sed revertar ad cellam meam. Cui sacerdos: Nequaquam, inquit, ita fiat; sed perge mecum ob consolationem tristitiæ judicis*, et ne forte invitus ad eum ducaris. Sed conatus ejus prævalebat, qui honorem mundanum fugiebat.

16 Concitus cellulam revisebat, nempe ut magis se ab humana inquisitione occultaret; mane dixit fratribus, ut nullus, certum locum eum requirendi demonstraret, sed si obnixius cogerentur, abbatis sui Columbani epistolam ei venisse testificarentur, quo ad eum citius ad Italiam venisset *p*; et sic commisit se cum duobus alumnis abditis heremi. Ergo transgresso alpe, venit in silvam vocatam Sennius *q*, ubi et adfuit Quaradaves *r* vicus proximus; in quo invenerunt diaconum, Johannem nomine, servientem Domino in justitia et timore: qui eos donum introduxit, necnon et septem diebus quasi longinquis peregrinis ministravit, illis se fingentibus de longinquo esse. Ut secessum viri Dei sacerdos comperit, ad ducem navigavit, atque eventum fugæ recitavit. Ad quem dux dixit:

Cito

* socius

nanc

* festino?

* recessisset. *et invenit.* *k*

l

* austeritate

Suadente Willimaro presbytero, *m*

n

o

* nota fecit

* diem

* Cunzonis

Cunzonem ducem

p

q *r*

AUCTORE ANONYMO.

Cito pro eo legationem dirige, et ei venire ad me suade ; si ergo per illum Deus liberaverit filiam meam, ditabo eum muneribus, et dabo ei urbis Constantiæ episcopiam * episcopatum. In quo conatu presbyter reversus est. Igitur advenientibus pontificibus a regia dignitate directis, ingens tristitia parentum agebatur ; qui tamen munera puellæ præsentabant, sed illa excutiens tenenti eam gladium abstulit, atque eos interficere voluit.

licet invitus 17 A qua et demon locutus est uni ex eis : Tu promisisti regi, ut eiceres me de vasculo isto, cur non adduxisti filiam tuam, quam fecisti in illa sanctæ moniali? Alteri quoque dixit : Et tu fornicatus es cum tribus mulieribus alienis. Per vestrum imperium ego numquam egrediar ; sed est, vir nomine Gallus, qui excussit me de Tuccinia, ubi multum tempus habitavi, et destruxit ibi omnes domos meas, et iterum invenit me in Pergentia *Brigantii, et inde similiter me ejecit; quem dux iste de eo loco expulit, pro qua vindicta ego intravi in puellam istam. Nisi ipse venerit, non egrediar hinc. Unus autem ex pontificibus dedit ei alapam dicens : Obmutesce, sathanas. Qui audiens Gallum nominare, B autumabat, de pullo *s* dici. Sed injuria contra missos regios non cessabat, cum verborum garrulitas se elevabat. Tres dies ibi manebant, et ad palatium remeabant, necnon et regi ordinem rei recitabant. Presbyter vero jussum complens, adinveniens virum Dei in spelunca legentem, consolatoria verba ait ei : Ne timeas, pater, venire ad ducem, quia jurejurando juravit mihi, ne ageret tibi ullum malum, sed ut tantum orando ponas manum super caput puellæ. Nam si ei Christus subvenerit per te, dabit tibi sedem Constantiæ. Adhuc loquebantur, et ecce Johannes diaconus adfuit, qui panes azymos et langunculam vini oleumve et butyrum cum melle et piscibus assis pro benedictione ei obtulit *munere. Christo gratiæ aguntur, atque opulæ incipiuntur.

adit, 18 Igitur vir Dei crastina se profecturum promisit; cui præfatus levites mulum suum cum stratorio *t* vehendi eum gratia adferre voluit ; sed ille, ut solebat, omnem pompam fugiens, necesse se habere in cella visitare fratres adfirmavit, et sic quantocius ad castrum *Arbonam venire. Quem tamen pro condicto sacerdos sacramento constrixit. Johannes cum benedictione regressus est, et vir Dei, via C qua venerat, cellam ingressus est. Ubi transacto spatio noctis, adiit castrum cum duobus alumnis ; ubi et missum alium a duce directum cum sacerdote repperit, qui illos festinare compulit dicendo : Jam triduo esse puellam sine cibo. Navis ingreditur et nocte illa ad ducem pervenitur. Mane facto, dux cum eis cubiculum ingressus est, ubi mater filiam clausis oculis quasi mortuam tenuit, de cujus ore ceu sulphureus odor exivit, ubi et domesticorum multitudo aderat expectando, quod futurum erat. Sanctus ergo se in orationem stravit, atque cum lacrimis dixit : Domine Jesu Christe, qui in hunc mundum veniens ex virgine dignatus es nasci, quique ventis et mari imperasti, et sathanan retro redire jussisti, necnon et per passionem tuam humanum genus redemisti, jube istum immundissimum spiritum de hac puella egredi. Et cum surrexisset ab oratione, adprehensa manu ejus dextera, elevavit eam. Spiritus enim nequam discerpsit eam.

ejusque filiam sanat : 19 Ille vero imposita manu capiti ejus dixit: Impero tibi in nomine Jesu Christi, spiritus immunde, ut exeas et recedas ab hac plasma Dei *v*. Cum hæc dixisset, illa apertis oculis aspexit in eum, spiritusque immundus locutus est ad eum : Tu es Gallus, qui prius projecisti me ; sed ego huc intravi, quia pater meus cum sociis tuis ejecit te ; si me nunc eicis, ubi vadam? Vir Dei respondit : Ubi Dominus te dimersit, in abyssum. Statim enim videntibus illis, exivit de ore ejus quasi turpissima avis, nigra et horribilis. Confestim salva facta puella surrexit, quam vir Dei matri reddidit. Pater vero lætificatur cum amicis, obtulitque ei munera transmissa puellæ a dignitate regis. Nam præfatum episcopatum ei tradidit, quem vir Dei his virbis renuit : Vivente præceptore meo Columbano, ego missam non celebrabo ; si ergo me vis ad hoc sublevare, sine apices meos præceptori meo *venire, a quo si obsolvar, obtemperans tibi inveniar. Ad quem dux : Fiat, inquit, secundum verbum tuum. Electus Dei reversus est cum donis quibus honoratus est. Præcipiebatur tamen a duce tribuno Arbonensi *x*, ut ad ædificium cellæ cum cunctis pagensibus illis adjuvasset* ei. Vir Dei Arbonense castrum ingreditur, pauperumque et egenorum multitudo congregatur, quibus dona a duce data penitus distribuebantur. Sed Maginaldus minister ejus volens servare vasculum unum argenteum celaturis pretiosum ob *industriam sacerdotalis ministerii, E interrogans pro hoc magistrum, audivit exemplum clavigeri poli : Argentum et aurum non est mihi; tu vero eroga eum. His actis, dilectæ solitudini rediit, nec non et in cœlestis regis militia semetipsum mirum in modum exercuit.

multis donatus, quæ in pauperes erogat, 20 Deinde nempe Johanni diacono epistola a viro Dei dirigitur, in qua ei quantocius venire ad eum demandatur. Quam relegens, ac jussum implere cupiens, perrexit cum eologiis festinans, cellam ejus adiit, quem fraternalis manus honorifice collegit*. Quique a viro Dei humanitus* susceptus, investigans prosperitatem itineris, audivit ab eo honorem susceptionis principis ; ergo et additum est de ereptione puellæ, ac muneribus datis, necnon et porrectione episcopiæ. Quam, vir Dei inquit, nolui ante præceptum abbatis mei; sed tu fili capax consilii mei incipe mecum intentionem dare divinæ legi, quam secretis cordis colligens, eris forsan plurioribus * adjuvans. Quod levita audiens, genibus provolvitur gratias agens. Et agiliter comites remisit, ejusque se magisterio tradidit. Cum quo fontem matris philosophiæ adiebat* ; cum enucleatim cognitionem legis divinæ carpebat. Nec dissimilis fore * effectus est euangelico scribæ, cum vetera, novaque rimabat de corde. Rex vero Sigibertus, cum audisset, quod reddita esset sanitas puelle, jussit patri, atque transmittere ad se. Qui eam cum omni apparatu usque ad Renum perduxit, et inde per comites cum honore magno regi transmisit *y*. Quæ gratulanter suscepta, interrogata est pro recuperatione sanitatis, quam nequiverant conferre præsules aulæ regalis.

Fridiburgæ suadet virginitatem, 21 A qua responsum est : Esse ibi Scottum nomine Gallum in heremo, per quem virtutes operarentur a Domino. Hic cum jam esset, inquit, ancilla tua in extremis, rogante patre meo, advenit, atque imposita mihi manu, signo crucis me munivit, necnon et demoni, ut recederet, imperavit. Quo jussu obtemperante, videntibus illis, qui mecum erant in domo, exivit de ore meo, quasi corvus niger et horribilis. Deinceps corpus Domini incolomis accepi. His dictis, provoluta est pedibus regis dicens : Hoc solum inpetrasse me, clementissime rex, sinito, ut gratia tua pro me adveniat eidem Dei viro. Rex autem interrogavit eam dicens : In qua heremo habitatio illius? Puella dixit : In silva conjuncta Arbonensi pago, qui est inter lacum et Alpes. Rex vero jussit scribere

epistolam

* ad præceptorem meum

x

* adjuvaret

E

* usum

* excepit * humaniter

* pluribus

* adibat

* fore *videtur abundare*

F

y

D

A epistolam firmitatis, ut per regiam auctoritatem deinceps obtinuisset* vir Dei cellulam suam, quæ viro Dei transmittebatur cum duabus libris auri, et binis talentis argenti, missis humiliter venientibus, ac regiam dignitatem in ejus orationem plenius commendantibus. Cunzoni ergo duci præceptum est a rege, ut viro Dei ad ædificium cellæ adjuvasset* cum multitudine. Fecit ergo rex nuptiale convivium, vocata non modica turba principum. Qui cum jussisset virginem domum introduci, prostrata est dicens regi : Domine mi rex, ancilla tua est adhuc flebilis propter egritudinem corporis, insuper et tactus membrorum meorum est vilis. Sine me adhuc septem dies, usque dum recipiam vires. Ad quam rex : Fiat, inquit, secundum voluntatem tuam.

* obtineret

* adjuvaret

22 Rex palatium ingressus est, illa cubiculum reversa est. Inter convivium igitur mirati sunt multi : quia regina non aderat regis lateri. Quæ namque celabat animi decretum usque ad diem septimum. Quo inlucescente, ingressa est ecclesiam protomartyris clausis post tergum hostiis ; ubi se exuit regiis vestibus, indutaque est sanctimonialibus. Nempe cornu altaris adpræhendit, et his verbis oravit : Sancte Stephane, qui sanguinem tuum propter Christum fudisti, sis pro me indigna hodie intercessor : ut convertatur cor regis secundum voluntatem meam, ne auferatur velamen istud de capite meo. Quod videntes viri qui eam fuerant secuti, cum festinatione nuntiaverunt regi : qui convocans sacerdotes ac principes, inquisivit inde consilium ; inter quos Cyprianus z, Arlatensis præsul, dixit : Hæc puella, cum esset stricta a demoniis, voto se obligaverat, ne averteretur a sanctitate. Cave, ne eam inde abstrahas, et, ea pejora prioribus patiente, in peccatum incurras.

quam, consentiente sponso,

B

z

23 Quod rex justus et timens Deum audiens, et consilium plurimorum sacerdotum sumens, ingressus ecclesiam, ubi ipsa erat, jussit adferre vestem regalem, et coronam, quæ ei præparata fuerat, dixitque ad illam : Accede ad me. Quæ putans se abstrahi debuisse* de ecclesia, obnixius cornu altaris tenuit. Cui rex clarius dixit : Ne timeas venire ad me ; omnia fient hodie secundum voluntatem tuam. Illa tunc imponens caput altari dixit : Ecce Ancilla Christi, fiat mihi secundum voluntatem ejus. Quam rex Sigibertus sacerdotibus jussit amovere, et ad se deducere, præcepitque eam indui veste regali cum velamine et corona, et his verbis eam Domino commendabat : Sicut mihi fuisti præparata cum ornamentis, sic te dabo ad sponsam *aa* Domino meo Jesu Christo ; et adprehensam manum ejus dexteram inposuit super altare, ob quod fertur egressus flere. Sed eam venire jussit post se, et in palatio fecit decumbere apud se, quam muneribus multis honoravit, et monasterium puellarum, constructum in honore Sancti Petri in Metis civitate, ubi hæc facta sunt, commendavit *bb*. Hæc autem omnia, quæ fecerat puella, per consilium viri Dei Galli facta fuerant, qui eam a demonibus, Domino auxiliante, liberaverat.

Deo vovet.

* debere

C

aa

bb

ANNOTATA.

a *Hæc sequestratio, seu discessio S. Columbani ex Alemannia accidit circa medium annum* DCXII. *Nam audita clade Theodoberti, Austrasiæ regis, qui post mensem Maium hujus anni fugatus est* (*a*), *in Italiam abiit Columbanus. Atque hæc non videntur perpendisse viri clarissimi edendis Sardiniæ monumentis præpositi, cum duo diplomata Bobiensia ad annum* 602 *aut* 603 *referunt* (*b*). *Tunc quiete ac secure agebat Columbanus Luxovii, nec erat, quod a rege Agilulfo peteret. Imo de Bobio tunc primum agi cœptum, quando jam Mediolani versabatur vir sanctus, ut habet Jonas in ejus Vita num.* 60. *Ut igitur sua citatis diplomatibus conciliaretur auctoritas, oporteret corrigi prius addendo* decem *notis numeralibus, hoc modo :* Data Medolianio in palatio sub die nono kalendas Augustas anno regni nostri felicissimi octavo *(decimo octavo)* per indictione quinta *(decima quinta)* feliciter. *Annus* XVIII *regni Agilulfi cum anno* 612 *concurrit ; et circa finem Julii hujus anni Columbanus commode potuit, superatis Alpibus, Mediolanum attingere. Alterum diploma plus facessit difficultatis : signatur quidem :* Actum in palatio Constantiniano, sub die III mense Novembris. *In ipso autem diplomate dicitur :* Anno Deo propitio pontificatus domini Gregorii Summi Pontificis et universalis papæ in sanctissima sede Beati Petri Apostolorum principis IIII indictione III. *Hæc cum chronologia neutiquam concordant : mensis November anni quarti pontificatus S. Gregorii Magni, concurrit cum anno* 593. *Quo tempore Columbanus vix inceperat in Galliis, aut saltem non poterat in potestatem Sedis apostolicæ tradere cœnobium Bobiense, quod multis post annis recepit. Si diploma genuinum sit, irrepserunt certe plura menda, imprimis Gregorio substitui oporteret Bonifacium IV, cujus annus* quintus *non* quartus *currebat mense Novembri anni* 612. *Indictio quoque erat decima quinta. Hæc probabilius irrepserint vitia, quia diploma exscribi debuit ex copia sæculi* XIII. *Cæterum utrumque diploma habet Ughellus* (*c*).

E

b *Magnoaldum et Theodorum Scotos fuisse discipulos S. Columbani dicit Vita S. Magni seu Magnoaldi* VI *Septembris. Sed hæc late ibidem refutantur in Commentario prævio* (*d*).

c *Walafridus cap.* X Hiltiboldum *habet, male : ni fortassis nomen traditione corrigendum didicerit.*

d *Quam* Petrosam *dicit Anonymus,* Stemaha *vocat Walafridus cap.* XI. *Hodie* Steinach, (*a* stein petra *et* ach aqua,) *rivus jam urbis Sangallensis plateas permeans, petrosa dictus, quia præceps in saxa et petras ruit. Ildephonsus von Arx.*

F

e *Hæc excavatio adhuc ante portam urbis visitur. Ildephonsus von Arx.*

f Capsella *pro Reliquiarum theca : confer Du Cange Glossarium, verbo* Capsa. *Hujusmodi capsellas Scottigenæ passim deferebant, ex corio aut alia vili materia confectas.*

g *Agitur de S. Desiderio episcopo Lingonensi ad* XXIII *Maii.*

h *De S. Mauritio, duce Legionis Thebææ scribunt nostri ad* XXII *Septembris et in calce tomi VI Septembris.*

i *Olim* mons Cœlius, *seu Cœlestis, hodie* Mönzeln : *collis in vicinia oppidi Sangallensis.*

k *Rivi duo inter quos erat silva vocantur :* Petrosa *seu* Steinach, *de quo supra ; et* Iram, *hodie accolis* die Irr *aut* die Schwarz.

l *Hic discrimen ponit Ildephonsus von Arx inter Anonymi et Walafridi narrationem, quasi juxta hujus verba, diaconus Hiltibodus remansisset id deserto cum* S. Gallo. *Verum hoc non dicit Walafridus, sed potius diaconum rediisse Arbonam. Nam*

(*a*) Fredeg. Chron., c. XXXVIII. Ap. D. Bouquet, t. II, p. 428. — (*b*) Hist. patriæ Monum., t. I, p. 1. — (*c*) Ital. sacr., t, IV, col. 952. — (*d*) T. II Sep., p. 714.

postquam

AUCTORE ANONYMO.

postquam diaconus dixisset timere se, si Dei servum in deserto solum relinqueret, exprobrationem presbyteri sui, respondet Gallus *cap.* XIV : Vade, fili, ego post vestigia tua quantocius properabo. Quo abeunte, athleta Dei toto triduo *a cibo abstinuit. Manifestum est ex textu Walafridiano, Hiltibodum domum remeasse triduo ante* S. Gallum.

m *Gaudentii prima hæc et unica mentio apud antiquos. Hoc certum est, vivente adhuc S. Columbano, diem suum obiisse Gaudentium, proinde ante annum* 615 (*a*).

n Iburningæ, *hodie* Ueberlingen, *oppidum est in magno ducatu Badensi.*

o *Quis Sigibertus Fridiburgam sponsam habuerit vide Commentarii prævii num.* 106 *et sequentes.*

p *Hæc mendacio satis similia videntur ; tamen nihil mendacii inest sancti Viri dictis, si reapse animum habuerit recedendi in Italiam, casu quo nimium urgeretur ad dignitatem aliquam aut divitias acceptandas.*

q *Vulgo* Sennwald, *in hodierno pago Sangallensi, erat tunc locus desertus.* Alps, *qui hic venit, vox generica est apud Helvetos, significans* montem.

B r *Hodie* Graps *vicus prope Sennwald.*

s *Hæc si vera sunt, indicant,* Galli *nomen jam usurpatum fuisse, vivente Sancto : nam si* Gallo, Gallunus *vocatus fuisset, non potuisset confundi cum pullo.*

t Stratorium *interpretatur Ildephonsus von Arx famulum, cui cura jumenti commissa est. Atque meo quidem judicio, recte : nam quamvis stratorium significet* stramentum sellæ equestris seu stragulum quo illa insternitur, (*confer Du Cange Glossarium*), *melius hic famulum interpretamur, itineri et reducendo equo necessarium.*

v *Hæ preces et exorcismi desumptæ sunt ex precibus et exorcismis baptismi, quamvis* ad verbum *expressa, ut vult Ildeph. von Arx, illa non reperi.*

x *Arbonæ præses in chartis traditionum, nunc tribunus, nunc centenarius, nunc vicarius vocatur. Ildephonsus von Arx.*

y *Ex eo quod transmissa dicatur sponsa Fridiburga, non vero per patrem ad regem ducta, ut fabula subolet Hadriano Valesio : confer Commentarii prævii num.* 112.

z *Sunt qui Cyprianum hunc Arelatensem episcopum fuisse negant : neque est quod in alterutram* C *propendere faciat. Saxius vult S. Virgilium Arelatensem vixisse usque ad annum* 640, *et tunc Cypriano nullum esset spatium. Sed tempus episcopatus S. Virgilii est tam incertum* (*b*), *ut nihil occurrat, quo Cyprianus certo rejici posset.*

aa *Est Teutonismus :* Zur Ehe geben.

bb *Confer Commentarii prævii num.* 112.

CAPUT III. Recusat episcopatum Constantiensem; cellam ædificat; moritur.

Recusato Constantiensi episcopatu,

Johannes igitur præfatus, alumnus viri Dei cum eo perseveravit, atque prudentiam multifariam didicit, interpretationes divinorum librorum, et opera manuum a Viro Dei usitata *a*. Qui in multis disciplinis ibi pro discipulo habebatur; cum Christus in eo donum gratiæ suæ operabatur, ita ut quæ vidisset aut audisset, statim corde percepisset. Ubi mansit triennio *b*, crescens mansuetudine et humilitate in Domino. Misit deinceps præfatus dux Cunzo viro Dei epistolam, ut in Constantiam venisset*, quatenus apud illum dignum pontificem elegisset. Vocavitque Augustudunensem *c* præsulem cum clero et populo, necnon et Spirensem electionis gratia accersivit, pleniterque ex tota Alta Germania *d* presbiteros et diacones, clericos et laicos ad eamdem urbem convocavit, quatenus dignus pontifex eligeretur. Ipso nempe duce cum principibus Suævorum mediante, protracta est tribus diebus synodus cum infinita populi multitudine. Vir Dei Johannem et Maginaldum adsumpsit et ad urbem perrexit. Qui cum introisset concilium, dux prævenit eum dicens : Deus (qui) per Sanctam Mariam incarnari voluit, in cujus honore hæc ecclesia dedicata est, dignetur effundere Spiritum Sanctum super nos, et det nobis pontificem ad regendam plebem, et gubernandam ecclesiam suam.

D

* *lege* veni-rent....eligerent

a

b

c

d

25 Et rogavit pontifices, ut per eorum canones eligerent quem voluissent; ubi totus clerus adunatus est, simul cum eis populo proclamante : Quia iste Gallus vir Dei est, habens famam bonam per universam regionem istam, instructus de Scripturis ac plenus sapientia, justus et castus corpore, mansuetus et humilis, largitor elymosinarum, continens et patiens, pater orfanorum et viduarum; talem decet habere pontificatum. Dux autem dixit ad eum : Audis, quid isti loquuntur? Cui vir Dei respondit : Bene dixerunt, utinam verum fuisset! Isti, qui hoc dicunt, non intelligunt ex canonica auctoritate peregrinum episcopum non debere ordinari *e*. Nam hic est mecum Johannes diaconus de plebe vestra *f*, qui hoc testimonio in omnibus Christo propitio præditus est, cui pondus regiminis apte injungi congruum est. Igitur celeriter in medium synodi vocatus est, et a duce de qua progenie esset, interrogatus est. Quo respondente : in Retia parentum se habere originem; dux dixit ei : Est tibi vis regimen Ecclesiæ sucipiendum*? Ad quod electus Dei Gallus se in respondendo prætulit, laudando maturitatem vitæ ejus. Dum hæc et alia multa pro electione ejus cum viro Dei loquerentur, humiliter se retraxit, atque extra civitatem in ecclesiam Sancti Stephani fugit. Quem sacerdotum et plebis turba prosequebatur, invitusque et lugens reducebatur. Vox multitudinis elevabatur, cum Johannes antistes, concordante populo, eligebatur.

ad quem Joannem discipulum sibi substitui petit;

E

e

f

* Est tibi vis ad...

26 Electione nempe peracta, consecratus est ab episcopis præfatis. Quem statim omnes Missarum solemnia agere, et virum Dei dulcifluis dogmatibus suis populum instruere flagitabant. Qui ob riganda corda fonte divino cupidus, alumnum manu tenens eminentiorem locum adiit, et antistite præceptoris sui verba interpretante *g*, origo fabricæ cœli et terræ, ac expulsio primi terrigenæ cum ortationibus cœlestis hereditatis requirendæ rimabantur. Nam continentia Noe, et fides Abrahæ cum exemplis patriarcharum, necnon et Mosaicis signis recitabantur, legalibus illis gestis ad animarum medellam cunctis redactis. Regum fortitudo fortissimis athletis tyrocinii Christiani comparabantur, qui indesinens bellum cum virtutibus contra vicia exercent. Prophetarum visio ad morum correctionem atque ad stabilitatem rectæ fidei pleniter ab eis convertebatur, transactisque mysteriis veteris testamenti tandem ad novum gaudium Christi clementiæ perventum est, ubi tanto sublimius disputabatur, quanto ibi salubriora repperiuntur. Euangelicis ergo miraculis, passionisque ac resurrectionis sacramentis recitatis, fertur, auditores, qui ibi

in ejus consecratione concionatur;

F

g

(*a*) Neugart Episcopat. Constant., p. 29. — (*b*) Gall. Christ., t. I, col. 151, et t. I, Mart., p. 400.

aderant,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A aderant, propter cœleste desiderium lacrimis vultum rigasse; sicque læti ex compunctione divina remeabant ad propria *h*. Electus igitur Dei Gallus apud alumnum septem diebus commorans, semina consolationis divinæ ei tanto uberius infudit, quanto eum in capessendis exemplis divinis obligatiorem esse conspexit. Jamque sui antistitis benedictione suscepta, revisit cognita heremi secreta. Quem pontifex prosequebatur cum servitio, ac inter cætera humanitatis genera actoribus suis cum plebe jussit ædificio cellæ certatim insistere.

h

et ad solitudinem reversus,

27 Tunc nempe Sanctus solatio fretus oratorium atque officina fratribus apta inchoavit. Ergo bis senis tantum sodalibus secum habitantibus contentus erat. Quibus aliquid extra regulæ tramitem deviare omnino indignum fuerat. Nam quodam Dominico die finitis matutinalibus orationibus, cum repedassent requiescendi gratia, prima luce diei vocavit vir Dei Maginaldum diaconem dicens: Surge velociter, et præpara mihi ad missam celebrandam. Qui respondit: Quid est hoc, domine? Numquid tu missam celebrabis? Cui

i

B ille: Post nocturnam *i* hujus noctis, revelatum est mihi, migrasse præceptorem meum Columbanum, pro cujus requie offeram sacrificium. Statim signum tangebatur, fratribusque congregatis, oratio multiplicabatur, cum pro anima Columbani agenda missarum celebrabatur. Quibus peractis, præfato diacono vir Dei ait: Fili non sit tibi grave, festinans ad Italiam, visita in ea monasterium vocatum Bobium; ubi diligenter investigans de his, quæ acta sunt erga abbatem meum, notato die et hora, renuntia mihi sine mora. Quo jusso levita obstupuit, cum nescire se viam autumavit. Sed electus Dei: Vade, inquit, frater, noli timere, Dominus diriget gressus tuos. Benedictio petitur, et via celeriter carpitur, superno duce ei auxiliante, tandem adiit cœnobium Bobiense; ubi juxta revelationem magistri cuncta repperit, et apud fratres illos noctem mansit. Qui electo Dei Gallo epistolam de gestis

k

sancti Columbani plenam, et cambuttam *k* ipsius transmiserunt, dicentes: Præceptor noster jussit nobis adhuc vivens, ut per istum baculum Gallus absolveretur. Christo nempe propitio octava die rediens, epistolam cum cambutta præsentavit.

C Rebus igitur recitatis, divina clementia obnixius pro requie Columbani flagitabatur, cum in commune missarum sollemnia ac psalmodiæ dulcedo rimabantur.

cellam ædificat.

28 Contigit autem una die, dum operaretur cum fratribus et plebe in oratorio, ut una axis ex pariete decurtata brevior aliis palmarum quattuor apparuisset, quam carpentarii æstimabant proicere. Vir autem Dei in divinum auxilium confidens, ait: Cessate paulisper ab opere vestro, reficientes corpora cum alimento præparato. Ad tempus namque labori induciæ dabantur, atque jussis electi Dei obtemperabatur. Tum domum unanimes introibant, nec non et cum benedictione cibum percipiebant. Prandio ergo auctore Deo peracto, operis gratia avidi redeuntes, invenerunt axem præfatam longiorem aliis mensura pedis dimidii. O mirabilis Deus in Sanctis suis! quod crementum naturale negaverat, fides in absciso jam germine donaverat. Dulciflua laus Redemptori mundi rependebatur, cum elementum contra naturam tractum ad locum suum restituebatur. Nec digne tacendum reor, quid miraculi ibidem postea Dominus Jesus ostenderit. Nam, qui perverso humore fatigati dentium dolore quatiuntur, ex eadem axe usque in hodiernum diem, Christo propitio, medecinam capessunt, ejus meritis adjuvantibus, quem Dominus in tali signo honorare dignatus est.

AUCTORE ANONYMO.

Mortuo S. Eustasio, l

29 Post hæc autem contigit, quod vir Dei Eustasius *l* hoc ærumnosum exilium dereliquit, qui venerabili Columbano in regimine Luxoviensis cœnobii successit. Sed fraternalis societas prioris conversationis non inmemor ob adquirendum magisterium electi Dei Galli tractabat, atque consono consilio sex fratres ex Hibernensibus comitibus ejus cum epistola electionem nuntiantes ad eum dirigebant. Qui divina clementia ductrice ad cellam venerunt, atque humaniter suscepti epistolam ei ostenderunt; in qua cum legationis eorum ordo intenderetur, ad consuetum refugium secreti sui revertebatur. Ego, inquit, natos et predia propter Christum dereliqui, et iterum capiam divitias sæculi? Decreveram, relictis fratribus et extraneus filiis matris factus, fieri propheticus filius, et nunc fiam arator euangelicus, qui retro respiciens non est regno Dei aptus. Jam dicione regiminis vestri moderante libens obtemperabam, sed modo hac solitudine contentus, dies meos absque ambiguitate ducam. His E aliisque dulcifluis verbis repressi sunt, qui eum fore pastorem sibi suspicati sunt, Inter quæ conlationum genera vocavit ad se alumnum, a quo inquisivit: quid habuissent ad reficiendum. Quo respondente: se habere tantum sextarium farinæ, cito jussum est, panem et holera accelerare, viro Dei memoriam agente miraculorum Christi, quibus pascebat populos in solitudine.

Luxoviensis monasterii præfecturam

30 Sed interea propinquus gurges visitatur ab illo cum retibus, uno discipulo cum præfatis hospitibus secum comitantibus. Ubi Christi ad laudem miraculum innovatur, cum inmanis piscis territus a duabus bestiis, quæ luderes *m* nuncupantur, quasi eis avidis preda, conspicitur. Haud igitur mora extenditur rete, et refectio servis Dei trahitur ab amne. Mirum in modum longitudo ejus XII palmarum et latitudo IV inventa est, cum ibi nisi brevis pisciculus antea umquam captus est. Bestiolæ ergo præfatæ quasi subtrahendo se expectabant, quatenus servis Dei in obsequio iterum obtemperarent. Iterum rete immittebatur, et eisdem bestiis magnitudinem squamigerum minantibus ex aquis jam rete ruptum trahebatur, quod electus Athleta Christi conspiciens, partem ex eis natalibus aquis reddidit, partemque dilectis hospitibus præparare jussit, et addidit: Ecce, inquit, merita vestra apparuerunt, quia propter adventum vestrum Christi miracula fulserunt. Illi e contra referebant: non se conscios talis meriti esse, sed ad ejus gloriam Creatorem mundi hæc præparasse; ubi arbiter humilitas extitit, cum utraque pars viliorem se alteri libens egit. Sanctus ergo cum sociis ad cellulam regressus est, cui quidam vir adferens II utres vini, et III modios farinæ in ipsis hostiis obviam factus est. Quæ cum Christi gratia collegebantur, atque convivium divina conlatione permixtum simul dulcedine dilectionis mediante inchoabatur.

m

F

oblatam recusat,

31 Aliquantos exinde dies ob fatigationem itineris, quietis temperamento injuncto, secum illos retinuit. In quibus assidue inter diversas inquisitiones legis divinæ gesta eis venerandi Columbani recitavit; sed haustis pleniter miraculorum ejus insignibus, ac inter cetera humanitatis genera utrisque in osculum sanctum ruentibus, dimissi sunt merentes et gaudentes: — merentes, quia talis patroni non adepti sunt magisterium; adtamen gaudentes, quia tantum ejus a Domino

cogno-

AUCTORE ANONYMO.

cognoverunt adjutorium. Beatus igitur eo magis divinam clementiam placavit, quo securiorem se a mundanis negotiis conspexit. Vigiliæ innovabantur, jejuniaque velut in primo tyrocinio arripiebantur. Ergo si velim rigoris ejus discretionem, districtioribus semper secum retentis, rimare dies, ut opinor, lingua fatigata videtur mihi ante deficere. Sed tantum acta ejus audire cupientibus, quomodo beatum cursum expleverit, dicam, precum ejus solamina implorando, ut ea, quæ veridicorum virorum testimonio comprobata sunt, mei miserrimi viciis non reprobentur. Igitur cum plasmator sæculorum merita ejus jam ostendere voluisset, et multi propter desiderium visus ejus anhelassent, contigit Willimarum, præfatum Arbonensem sacerdotem, ad cellulam ejus venisse propter priorem familiaritatem.

et tandem Arbonæ

32 Qui juxta morem benigne susceptus, nisus est, virum Dei obnixis precibus flagitare, quatenus visitationis gratia domum ejus dignaretur adire. Quod electus Dei penitus rennuit, adfirmando : se usum jam non habere de cella egredi, sed magis solito labore deinceps instantissime

B debere perfrui. Sed ille iterum obnixis precibus supplicabat, autumando se a paternali ejus providentia tunc esse derelictum, si doctrinæ ejus non mereretur jam habere solacium. An ergo, inquit, peccavi in te, electe Dei, quod non dignaris visitare habitaculum famuli tui ? Per eum, cujus ope per tuam doctrinam actenus instruebamur, precor, ut ædificationis gratia venias, plebemque mellifluis dogmatibus tuis doceas, ut gregis anhelantis instrui de labore tuo fructum inmarcisibilem capias in æthrali regno. Vir ergo Dei fixum habens jam nullo modo egredi in popularem conventum, adtamen, ut semper solebat, tractans utilitatem plurimorum, in semetipso

* abnegabat frangebat* ; quod diebus suis firmum se habere posse sperabat, Apostolo dicente : Charitas non quærit, quæ sua sunt. Non ut transitoriarum rerum cupidus raptor, sed ut multorum devotus adjutor, ad castrum cum sacerdote se contulit. Sancta nimirum et Deo nostro grata societas, inter quos nihil regnabat nisi perfecta karitas. Igitur in adventu optato servi Dei conventus popularis agitur, mellifluæque doctrinæ ejus instantissime audiuntur. Tametsi ergo absens esset a

C cella, non minus tamen solito labori insistebat, cum ex divino semine fructifera corda non pauca Christo regi suo conjungebat. Ubi in opere Dei mansit biduo, vi coactus a sacerdote, nec non et a populo.

obiit XVI *Octobris.*

33 Sed tertio die cupiens alumnos revisere, impeditus est febrium vexatione, quarum acredo tantum in eo crassata est, ut nec minimum, quod solebat, alimentum cibi sumeret. Quod haud secus credo divina dispositione actum, nisi ut merita ejus citius declararentur, quatenus si ad horam ei temporale iter denegaretur, cum quanta gloria electus Dei ad locum suum veniret fore, cunctis

E sæculis manifestaretur *n*. Ergo XIV diebus infirmitas corporis crescebat, in quibus athleta clarus Christi conspectibus se præparabat. Jamque

o quarto decimo die veniente *o*, in quo credimus ei laborum suorum mercedem restitutam, imbecillibus membris consumatis et absque cute et ossibus penitus defectis, ab opere tamen Dei non cessans, sed aut cœlo solamina precum dirigens, aut eloquia ædificationum eructans, indefessus in servitio Christi, quod cœperat, nonagesimo

p quinto ætatis anno *p*, XVI die mensis Octobris beatam animam cœlo reddidit. Cujus diei anniversarium pœne jam montes et colles omniaque D ligna silvarum cum diversis creaturis resonant; cum nec signorum in eo ostensorum, nec populi catervatim confluentis numerus repperitur. Jam te ex parte non latet, quicumque hæc legendo tetigeris, quomodo devotus in bono, et cautus in mundo provectam ætatem ducebat. Nunc, si placet, ad ea quæ post ejus transitum ob meritorum suorum declarationem ostensa sunt, veniamus, communis * precibus Christum, qui est mirabilis * communibus in Sanctis suis, supplicando, ut pauca, quæ ex eis comperimus suo sensu dicantur, qui dixit *q* : *q* Ego ero in ore tuo.

ANNOTATA.

a *Regulam S. Columbani professum fuisse Johannem vix est dubitandi locus, atque hæc verba quibus monstratur Johannes præter litteras divinas etiam opera manuum a magistro suo didicisse, sententiam confirmant. Cæterum quanti momenti apud antiquos monachos essent opera corporalia, consulatur S. Augustinus de* Opere monachorum (*a*). E

b *Quo sensu* triennium *illud accipiendum sit, vide in Commentario prævio, num.* 113. *Nam inchoari non potest* post *oblatas* S. Gallo *Constantienses insulas ; diuturnior enim fuisset vacatio sedis : potius Johannes vitam monasticam sub magistro suo professus fuerit, sanctumque virum in Rhæticas solitudines deduxerit, atque ita ad scientias divinas et Christianas virtutes informatus, dignus inventus fuerit, qui episcopalem cathedram conscenderet.*

c *Qui hic vocatur* Augustodunensis *episcopus* Augustanus in Rauracis *seu* Basileensis *intelligi debet. Vide Commentarii prævii num.* 114. *Hujus episcopi nomen ignotum est, nam Rachonem seu Rachnacarium serius sedisse credimus. Virduni illa tempestate episcopus erat* Hermenfredus, *Spiræ* Athanasius.

d *Ex hac etymologia denominationem* hochteutsch *ortam esse putat Ildeph. von Arx : revera passim et ab antiquo nostra lingua flandrica* de nederduytsche tael *vocatur : ex Helvetia scilicet præcipua flumina in Belgium* descendunt.

e *S. Cœlestini I Papæ epistola* II *ad episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis id jubet his verbis* (*b*) : Nec emeritis in suis ecclesiis clericis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, F ad exclusionem eorum, qui bene de suorum civium merentur, testimonio præponantur : ne novum quoddam, de quo episcopi fiant, institutum videatur collegium.

f *Johannes, quamvis Rhætus ex diœcesi Curiensi, videtur tamen ad Alemannicam gentem pertinuisse : Sancti enim* Galli, *sermonem populo latine facientis, interpres fuit Johannes episcopus, uti paulo infra legitur in Vita.*

g *Plusculum hic Sancto nostro conceditur, quam indulgeri solebat presbyteris coram episcopo ad plebem verba facientibus. Honoris causa interpretem agebat Johannes episcopus : nam teutonicæ linguæ peritum fuisse* S. Gallum *jam dictum fuit supra num.* 7. *Alio prorsus modo res transigitur, quando in translatione S. Othmari, cum Salomon Constantiensis episcopus, ut narrat Yso de miraculis S. Othmari num.* 4 (*c*), animadverteret frequentiam populorum, qui diversis ex partibus illo convenerant, aliquid de sanctitate illius *(Othmari)* velle audire, cum propter frigoris subreptionem faucium raucedine impeditus ipse ad eos loqui non potuisset, quemdam archipræsbyterum ambonem

(*a*) Tom. VI Oper. col. 475. — (*b*) Labbe tom. II Conc. col, 1620. — (*c*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 49.

con-

A conscendere ac vice sui sermonem ad populum facere jussit, ita videlicet ut præsbyter ipse altiori paulolum loco consistens, ea tamen proferret, quæ sibi episcopus in vicino positus dicenda insinuaret. *Episcoporum enim proprium esse prædicationis officium, nimis notum est, quam ut multis demonstremus : permittit tamen concilium Vasense* II, *anni* 529, *canone* II pro ædificatione omnium ecclesiarum et pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi darent potestatem. *Attamen anno adhuc* 19 *sæculi septimi concilium Hispalense* II *canone* VII (*a*) *statuebat, episcopo* coram posito, *presbyteris non licere* populum docere vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari.

h *Videre est hunc sermonem apud Canisium in antiquis Lectionibus* (*b*),

i *Per* nocturnam, *designantur hic psalmi et aliæ preces, quæ recitari consueverant media nocte : hujusmodi preces hodie* matutinum *dicuntur, quæ unum aut trinum nocturnum complectuntur.*

k *De* Cambutta *vel* Cambota *vide Du Cange Glossarium et præcipue Vitam S. Magni ad* VI B *Septembris* (*c*), *ubi multa de hoc baculo habentur.*

l *Agitur de S. Eustasio ad* XXIX *Martii.*

m Luderes *hic*, Lutræ, *gallice* Loutres, *flandrice* Otter *interpretandæ sunt.*

n *Sensus hic satis intricatus, ita expediri potest :* Quod ideo credo divina dispositione actum, ut merita ejus citius declararentur ; quatenus si nunc reverti prohiberetur, fore tamen, ut cunctis sæculis manifestaretur, cum quanta gloria ad locum suum fuerit delatus.

o *Ex eo quod* S. Gallus *obierit* XVI *Octobris, post morbum quatuordecim dierum, non absonum fuerit suspicari, sanctum virum concionem ad populum Arbonensem habuisse in festo S. Remigii* I *Octobris; atque hinc facilius devenimus ad* XVI *Octobris, quam quum supponit Ildeph. von Arx* (*d*), *in festo S. Michaelis, Archangeli,* XXIX *Septembris, Sanctum prædicasse per biduum Arbonæ : tum enim toto saltem biduo protelandus esset sancti viri morbus. Verum in monumentis liturgiæ Alemanniæ, quæ multa occurrunt apud D. Martinum Gerbert, nihil reperi quod festum S. Remigii rubricatum exhiberet, quamvis canon* XXXVI *concilii Moguntini anni* 813 (*e*) *præscribat celebrari festum S. Remigii,* C *quod fortassis jam in more positum erat. Cæterum si obiit* S. Gallus *anno* 628, *signato littera dominicali B incidit dies secunda Octobris in Dominicam, quando commode prædicare potuit, atque hinc fluunt recte dies quatuordecim.*

p *Circa ætatem nonaginta quinque annorum, quibus vixisse dicitur* S. Gallus; *vide Commentarium prævium, num.* 123 *et sequente.*

q *Exodi cap.* IV, ℣ 12.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. De S. Galli sepultura, Reliquiarum violatione; et aliquot miraculis.

Johannes Constantiensis Fama nempe aures multorum sublevans, Johanni præfato, Constantiensi præsuli, ejus infirmitatem detulit. Qui non contentus, nisi ut
a magistrum visitasset *a*, quasi ex ejus ope atque doctrina cœlestes terrenasque divitias habuisset;
b eologia *b* digna in navem sumuntur, et ad Arbonense castrum properatur. Cum ergo perventum esset ad portum, audita est vox virum Dei plangentium. Statimque a præsule, quid esset, inquisitum est; cujus cor ex timore desolationis magistri jam perculsum est. Audito igitur transitus eventu, claviger poli imitabatur, cum pontifex se præ dolore ac dilectione non continuit in navi, sed desiderio magistri misit se in aquam. Scio, quia cum velocitate venit ad corpus, qui in tale se periculum pro eo dedit devotus. Ubi tunc luctus et meror innovabantur, cum gemitus sacerdotis sociorumque ejus ad cœlum usque levabatur. Sancti namque corpus jam tunc in loculo erat, quod inconsideratum * pontifex non sustinens, arcam aperuit, ac flere his verbis cœpit : Eu, eu! mi pater! Cur me de domo patris mei duxisti, et jam modo orfanum et desolatum reliquisti; cum tota fiducia mea in te fuit? Diu flendo super eum incubuit, cujus visione satiare * se numquam credidit. Sed tandem eum presbyter cæterique circumstantes levaverunt, ac orare * pro eo potius debere monuerunt. Jam denique amicalibus membris relictis, præsul cum clero ecclesiam ingressus est, nec non et *c* missarum solemnia pro eo agere E conatus est, cæteris omnibus in psalmodia mo- *c* rantibus. Jamque tam pio labore finito *d*, vexil- *d* lum crucis cum omnibus exsequiis aptis tollebatur, atque melodiis cœlestem chorum imitantibus, domus repedabatur, quatenus corpus electi Dei ibidem terræ conderetur. Sed cum tractatur, quid ibi divinum consilium egerit, non dubitatur, nisi eum statim requies æterna susceperit.

35 Igitur cum episcopus cum clero ad corpus *mortui S.* venit, multorum manus loculum levare cœpit, sed Galli *corpus* divina providentia mansit immobilis, ita ut quan- *Arbonæ* to obnixius evehi niteretur, tantum humana virtus in elevatione ejus infirmaretur; ubi miraculum innovabatur, cum mira inquisitio omnium inde oriebatur. Sed inter cæteros præsul ait : Vere scio, quia domino meo Gallo ista sepultura non est acceptabilis; ecce inquirendus est nutus altithroni regis. Confestim equi indomiti adduci jussi sunt. Quos ministri celerrime adtrahere conati sunt. Sed cum nimio labore sunt præsentati, cum majore tamen luctamine parati, ad corpus sunt adducti, ubi præsul cum clero et populo hujuscemodi orabat : Domine Jesu Christe, in cujus amore et honore iste vir Dei reliquit patriam suam, se- F quens præcepta tua, operare humano genere stupidum miraculum, vehente corpus ejus animali indomito, quocumque tibi placeat sub æthrali regno. Cumque omnes respondissent : Amen, Willimarus, electi Dei fidus socius, peragrabat pauperes *e* vestimenta ejus distribuendo, inter quos *e* repperit paraliticum quendam nomine Maurus, qui sic erat conpage membrorum ac nervis contractus, ut gressus proprius ei denegaretur. Cui caligæ viri Dei cum calciamentis porrectæ sunt. Quæ cum propter gaudium statim induisset, resolutæ sunt juncturæ conpagum ejus; qui lætus exilivit, clamans voce magna in laude Christi, qui pro meritis viri Dei hoc agere dignabatur.

39 Quod cernens episcopus cum infinita ca- *ad cellam* terva plebis, magnificabat nomen Domini Jesu facientis mirabilia, qui ad honorem servi sui tam manifestam virtutem ostendere dignatus est *f*. *f* Cereus ergo illi confestim datus est, qui cum aliis feretrum usque ad locum sepulturæ secutus est. Perpende quæso, o lector! qualis meriti vir iste fuerit, ad cujus exsequium tam insolitus pedestris ordinis conviator factus est. Elevato igitur a pontifice

(*a*) Labbe, tom. IV Conc. col. 1680. — (*b*) Ibid., tom. V col. 1666. — (*c*) Tom. I, p. 785. — (*d*) Tom. II Sept., p. 700. — (*e*) Gesch. des Cant. St Gallen, tom. I, p. 18. — (*f*) Labbe t. VII Conc. col. 1250.

AUCTORE ANONYMO.

* non a se visum

* satiari

* orari

AUCTORE ANONYMO.

tifice nec non et a sacerdote feretro, et equis superposito ait episcopus : Tollite frena de capitibus eorum, et pergant, ubi Dominus voluerit. Vexillum ergo crucis cum luminaribus adsumebatur, et psallentes, equis præcedentibus, via incipiebatur. Mira res, et præsenti ævo inusitata ! equi non declinaverunt ad dexteram neque ad sinistram, quoadusque recto tramite pervenissent ad viri cellam. Quo cum subsisterent, occurrit agmen discipulorum levans viri Dei loculum; et humeris sublatum portarunt in oratorium. Ante altare ergo ponebatur, et a pontifice sive a clero pro eo
g oratio innovabatur. Sepulchrum deinceps *g* inter aram et parietem peractum est, ac melodiis cœlestibus resonantibus corpus terræ conditum est; sicque pontifex, data benedictione, reversus est immenso tripudio, gratulante plebe. In duabus ergo candelis, quæ per totum exsequium viri Dei lumen suum non dimittebant, non tacendam reor Jesu Christi virtutem. Una ad caput, altera ad
h pedes ponebatur, sed *h* per triginta dies flamma in eis rutilans experiebatur; ut vere claresceret lumen inextinguibile, quod Gallus diligebat absque mundiali amore.

B

solemniter portat.

37 Quibus ardentibus, dentium dolores ex ejusdem cæræ inpressione fugati sunt, lippes * ablata acredine gavisi sunt, surdi auditu adveniente lætati sunt, diversisque aliis languoribus expulsis plures gratulati sunt. Nam ad sepulchrum ejus quicumque postea languens aut febricitans, sive ex quacumque valitudine detentus veniebat, si ex credulitate orabat, per intercessionem Sancti Dei sanus redibat. Virtutes etenim Christi ibi factæ, quamvis non possint humana lingua conprehendi, tamen per multa spatia arvarum * ad laudem Christi resonant, qui per electi sui merita tam mira populis ostendit. His etenim, qui tanti patris vitam imitari desiderant, intimandum autumo, quibus indiciis asperitas vitæ ejus experta est. Sanctus igitur Dei capsellam ligneam habuit, quam sub clavis custodia, discipulis interiora ejus ignorantibus, usque ad finem vitæ observavit. * Post transitum ergo electi Dei præsul cum alumnis eam aperuit, scire cupiens secretum, quod in ea tamdiu latuit. Ubi repertum est parvum cilicium et enea catena infusa sanguine. Anhelantes tunc ex re certi fieri, prospexerunt ad corpus
C Sancti Dei, in quo cernebant per tracturam cinctorii carnem vulneratam per quatuor loca in modum cinguli gyrante vulnere usque ad interiora ossa, ut conprobaretur, quam occulte se electus Dei Christo regi suo mactavisset, cum nec eis, qui per omnem vitam suam cum illo erant, hoc umquam apparuisset. Sed si in minimis vis majora pensare, innumeris cruciatibus se Sanctum Dei diu afflixisse, poteris pensare. Capsella igitur cum cilicio ad caput viri Dei in feretro suspensa est, sicque in præfato exsequio usque ad cellam deportata est. Rite demum sepultura peracta, suspenderunt eam ad caput in parietem cum catenis et cilicio. Ubi cum petentium fides exigebat, præclaris virtutibus merita sancti Galli fulgebant. Hæc omnia conprobata sunt testimonio
i Meginaldi et Theodori diaconorum electi Dei, qui ejus obsequio, quoadusque beatum cursum explevit, meruerunt perfrui, sed et aliorum innumerabilium qui aut vitam ejus considerabant, aut ex veridicis testibus gesta Sancti didicebant.

Ejus sepulcrum miraculis clarum
k

38 Postquam vero *k* XL annos fuit sepultus, veniens Otwinus præses cum exercitu magno, crudelitate succensus, devastavit aliquam partem pagi Durgaugensis, Constantiam et Arbonam succendit igne, satellitibus ejus multitudinem virorum jugulantibus mucronis in ore, mulieres cum
D parvulis duxere captivas, pecora vero et fruges devastavere innumeras. Quo metu ex Arbonensi pago rerum copia sublevata * est, et in territorio * sublata
cellæ viri Dei sub terram posita est; quam cupientes ab hostium incursione latere, ne spes requirendi ea haberetur, superseminaverunt diversa fruge. Vastatione demum per pagos patrata, veniens hostis prosequendo populi fugientis vestigia promiscui sexus turbam non modicam reppererunt in viri Dei cella. Adprehensi ligabantur, vincti in habitabula sibi non optata trahebantur, ac juventus eorum miserabiliter in captivitatem ducebatur. Quæ per diligentiam *l* Erchanoldi cu- *l*
jusdam tribuni sunt prodita, cui propter vicinitatem omnia ipsius heremi fuerunt nota. Qui sciens ostensa ibidem miracula Domini, non dedit honorem nomini Salvatoris Jesu Christi; sed perversa mente oratorium intravit, ubi paralitici cum quendam cognitum sibi repperit, cui minas et blandimenta inferebat ajendo : Dic mihi, ubi habent isti Arbonenses vestimenta sua, et aurum argentumque plurimum, quam habebant, quia
E cum eos invenimus, pœne nihil retinebant. Cui ille : Si ego, inquit, proditor eorum exsisto, quam remunerationem sperare debeo? Ad quem cupiditate deceptus dixit : Si vere cuncta manifestabis, consortio nostro frui mereberis. Absque mora perducti sunt ad locum, ubi reppererunt subterraneum latibulum, ubi diversi generis pecuniam experti sunt *, quam gratulando inter se * repererunt
partiti sunt, et, ut mos est, cum cupita repperiuntur, sollicitius inquiruntur, silvæ et pratæ * * prata
atque agri pervagabantur.

violatur ab Otwino,

39 Ipse vero Erchanoldus cum VII juvenibus oratorium ingressus est, ubi hostiis clausis pulsando pavimentum investigare thesaurum conatus est; qui quam præclarus ibi ex dono Dei habitus est *, absque dilatione plasmatore mundi * *scilicet* thesaurus
operante, monstratum est. Ergo cum unus ex eis super sepulchrum Sancti Dei pulsasset, atque sarcofagum ex vi impetus resonuisset, gaudendo exclamavit : Hic est, quod quæritis. Qui cœperunt fodere conciti, ac venerunt usque ad arcam viri Dei. Quam sublevarunt dicentes : Isti Romani * ingeniosi sunt, ideo sub loculo bona sua * *Walafridus* Rætiani
absconderunt. Scrutari itaque conati sunt, sed divino nutu velociter repressi sunt. Nam pavor
F nimius super eos inruit, ex quo unusquisque remedium * sibi fugam decrevit. Ostia ergo oratorii * salutem
occupaverunt, ubi mutua cede se in invicem interfecerunt. Sed ipse Erchanoldus evadendi cupidus, volens exsilire, caput inlisit, in superliminare, unde amens cecidit, cum dignam pœnam pertulit. Ergo ad propria ducebatur, sed immensis doloribus corripiebatur *m*, ita ut ipsum an- *m*
num pœnam suam lueret, cum capillos et cutem ungulasque dimitteret, nec in omni vita sua deformitatem dimittere potuit, quam ex offensa electi Dei arripuit. Auditum est igitur a Bosone, Constantiensi præsule, sepulturam viri Dei destructam esse ab hoste, nec in cella ejus præter Maginaldum et Theodorum remansisse, quorum raritas * corpus terræ non quisivisset recondere. * paucitas
Tali miseria episcopus commotus, advenit cum sacerdotibus et clero ad servitium Sancti devotus.

restituitur Bosone Episcopo

40 Considerabatur ergo ab eo corpus sanctum digna sepultura non conditum, ac aræ nudæ, cernentibus prebentes lamentabile aspectum, nec non et prædictorum fratrum jacentium in oratorii loco intolerabilis planctus; consolationis solamen inferebatur ab eo dicente : In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine

Do-

A Dominus. Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo? His aliisque exortationibus finitis, Sancti corporis gleba in sarcofago digno inter aram et parietem sepulturæ tradebatur, atque super illud *n* memoria meritis electi Dei congruens ædificabatur. Ubi innovabatur opus pietatis, cum præsul victum et tegumentum distribuit, ibi manentibus viris timoratis. Sicque peractis quæ Dei sunt, gratulando ob talis patroni meritum ad propria reversi sunt.

n

Puniuntur qui iterum violare tentant.

41 Post multum vero temporis misit *o* Pippinus major domus exercitum suum cum omni furore et iracundia ad Altam Germaniam devastandam, quam circumdederunt angustiis magnis, ita ut jam non *p* rimaretur exuberantia cruoris humani, nec multitudo ex ea populi captivi ducti. Sub quo excidio caterva fugientium in Arbonensem pagum congregata est, ex quibus plurimi ad cellam Sancti Dei festinabant, ubi sibi suffragium de misericordia atque veneratione electi Christi sperabant. Hostis igitur agiliter eos persequabatur, quos in territorio præfatæ cellæ experiebatur. Quorum investigatione subtilius cepta, quinque ex eis oratorium intraverunt, ubi quasdam feminas cum parvulis suis reppererunt. Quas cum interrogarent, unde essent, illæ se dicebant * famulas Sancti illius esse. Qui e contra : Egredimini, inquiunt, nescimus Sanctum vestrum, cujus patrocinio vos adjuvari creditis. Sub tali igitur contemptu meritorum venerandi Patris duxerunt eas captivas in Franciam. Sed divina ultio eos in præsentia hominum impunitos non dimisit, quos amentia in tam reprobum sensum seduxit. Ergo anno, quo hæc acta sunt, ab antiquo hoste adprehensi sunt, cujus inpulsione per civitates ac vicos erraverunt, atque continuis vocibus clamaverunt: Gallus abbas habet nos ligatos. Sic probari poterit, quam graviter deliquerunt, cum in hoc finem vitæ miserabiliter consummaverunt.

c

p

B

* *Walafridus ancillas ejusdem loci*

Ignis non tædit sepulcrum,

42 Isdem igitur temporibus erat ibi quidam diaconus, custos ecclesiæ die ac nocte continuus, qui quodam vespere intulit in basilicam cereum *q*, eum collocans in candelabro juxta Sancti sepulchrum ; sed ut eo magis merita Galli fulsissent, quo miracula sua Christus ibi innovasset, res incerta experta est *. Candela super pallam *r* sepulchri cecidit, quam ignis usque ad medietatem consumpsit, ex quo incendio ceteræ pallæ sepulchri intactæ remanserunt, neque ignes lectum, aut *s* cambuttam in eo pendentem tetigerunt. Quod eadem nocte sequentique die ita omnibus visum est. Sed cum tempore alterius noctis fraternalis cuneus ad opus divinum se præparasset, atque oratorium ex more ingressus fuisset, candelæ juxta sepulchrum inventæ sunt ardere, et duo juvenes quasi ad servitium ibi stare, quorum unus ad caput et alter ad pedes illam exustam pallam tenuit, ex qua sepulchrum Sancti Dei devote cooperuit. Timor nimius considerantes invasit, quos et præpeti gressu ad disposita lecta remisit. Quibus ingressis, cum nec pavore somnus carperetur, nec exercitium vigiliarum *t* ageretur, signum basilicæ resonans audiebant, quod cœlesti tactu factum non difidebant. Sed ut certius adfirmaretur divinam virtutem ibi claruisse, duo chori psallentium confestim auditi sunt, æthrales melodias resonuisse. Eodem igitur die pavor eos ab introitu ecclesiæ compescuit, sed die altera ad januam oratorii congregati sunt, ubi diutissime in oratione prostrati sunt. Qua completa trepidi ingressi sunt, inveneruntque pallam integram, quam ante dolebant igne consumptam. Et ut certius crederetur divinitus actum, longitudo ac latitudo ejus tribus digitis major apparuit. Salvator sæculorum devotis mentibus laudabatur, qui per merita servi tui talia ostendere dignabatur.

q

* *id est* : factum inserendum comprobavit

r

s

C

43 Multa etiam audita prætermissa sunt, dum ad ea festinatur, quæ visu conprobata sunt. Tempore ergo Carlomanni majoris domus *v* homo fuit in Perahtoltes-para *w* rebus pauperculus, qui cum orationis causa ad cœnobium Sancti Galli una cum conjuge venire desiderasset, illa pallulam ordita est, ne vacui apparuissent, quam pro expectatione itineris circa tortellam * ceræ involvit, atque in arcam suam posuit. Sed interea non secundis eventibus domus ejus exarsit, in qua omnia cum eadem arca ignis devoravit. Sed miro arbitris * poli judicio igne exctincto, cum priores sedes gyrarentur, pallula una cum cera in cineribus inlesa reperta est, in quibus nec minimum quid ignis absorbere ausus est, inaudito modo resistente cera incendio, quousque crematur in Sancti Galli servitio. Miraculum multis notum est, cum laus Christi in populis dilatata est. Illi igitur juxta votum adierunt electi Dei cœnobium, ferentes munus de excidio servatum. In quorum ore merita electi Christi *x* opinabantur, cum venerando viro Audomaro *y* abbati fratribusque res gesta rimabatur * ; jam tot testibus miraculi existentibus, ad quod hæc pervenire poterant in locis circumquaque jacentibus.

nec pallam Sancto offerendam.

v

w

* placentam

* arbitri *

E

x

y

* diligenter inquirebatur

Puniti qui votum

44 Fertur et aliud miraculum tempore Pippini gloriosi regis *z* actum. Willimarus quidam valido languore vexabatur, qui vovit, se ad ecclesiam electi Christi unum equum ac duos boves daturum, si ex misericordia Dei recepisset sanitatis remedium. Recuperatio eum ex illo die subsecuta est, sed votum quod clade cogente actum est, sospitate veniente dilatum est. Nam post hæc contigit, quod temporalis dominus ejus Pirhtilo *aa* causa orationis ad ecclesiam electi Christi perrexit ; cum quo et idem Willimar eidem devotato * insidens militiæ obtentu advenit. Suffragia sanctorum supplice dextra flagitabantur, atque susceptiones digne a fraternali manu exercebantur. Redeundi demum definita sententia, cum non longe essent ab ecclesia, Willimari equus substitit, nec sessori suo eundi consensum præbuit ; calcaribus diutius cruentabatur, nec diversis ictibus punitus de loco movebatur. Quod præcelsus vir Pirhtilo videns, et qui cum eo erant mirantes, quid causæ esset, ab eo investigare cœperant. Qui non valens delictum abscondere, compulsus est cum confusione, prout actum erat, prodere, confitendo peccatum, quia pro equo non implevit votum. Cum celeritate igitur rediebant, atque ad venerationem Sancti Dei promissum equum offerebant. Sicque accepta benedictione, reversi sunt cum Dei glorificatione.

z

aa

* votivo

F

45 Ergo, et quod nunc inserendum est quarto anno regni Carlomanni *bb* actum est. Fuit in eodem pago vocato Perahtoltes-para vir quidem in fisco regali Rotunda villa *cc*, qui intercessionem Sancti Dei quærere cupiebat, sed quid ferret præ paupertate non habebat. Deliberatione etenim acta, ut aliquid ad offerendum Deo adquireret, ex instinctu diaboli debitum * sibi cumulaverat. Nam perversa mente atrium dominicum intravit, atque examen apium furto abstulit. Quo domi recluso, apes extinxerat, necnon et melle separato, tortam ceræ facerat, quam cum vicinorum caterva comitatus perrexit aditibus * sancti Galli delaturus. Sed rex regum, cui electus Christi servivit, in hoc virtutem suam exhibuit, necnon et fraudolentiam seducti hominis prodivit. Cum aliis igitur orantibus intravit ecclesiam et quasi

male sotvunt.

bb

cc

* culpam

* ad templum

oblaturus

AUCTORE ANONYMO.

oblaturus extraxit ceram, sed in manu ejus tam durus lapis apparuit, ut in naturalibus petris vix ei æqualis in duritia reperiri potuisset. Qui reatus sui timore perculsus, adsistenti sibi confessus est, cujus sceleris vindictam perpessus est. Ille notum fecit custodi ecclesiæ innotuit *, quod absque mora plurimis claruit. Laus Creatoris inmenso tripudio levabatur, qui elementa ibi mutare dignabatur. Nam in honore Salvatoris ipse lapis ibi in hodiernum servatur, quatenus ex visione ejus fraudulentis metus, nec non et devotis ædificatio generetur. Innumerabilia enim per electum suum Christus ibi ostendebat in præsentique ævo, cum * quæ si quis petentium fides exigerit, quæ si * cuncta recitare cœperit, dies, ut opinor, ei ante quam sermo cessabit. In his tantum paucis Salvator sæculorum laudetur, adoretur regnans cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

B a *Magis latine :* non contentus, nisi magistrum visitaret. *Cæterum purus Teutonismus, qui etiamnum apud nostrates vigit :* Niet te vreden, ten ware dat hy zynen meester zoude bezocht hebben.

b Eologia *seu* Eulogia, *quamvis frequenter pro ipsa sacro-sancta Eucharistia aut pro pane in Missa offerendo sumatur, significat etiam quævis munera, ut constat e Regula S. Benedicti cap.* LIV, *quo interdicitur monachis* a parentibus suis nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias vel quælibet munuscula accipere.

c *Præcipuum semper fuit pro defunctis officium, offerre sacrificium Missæ, quo privari post mortem grandi pœnæ erat, teste S. Cypriano epistola* LXVI (*a*)*:* Episcopi antecessores nostri..... censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.

d *Videmus hodiernum Catholicæ Ecclesiæ morem in efferendis Christianorum cadaveribus ad amussim hic servari. De* funere Christiano *tres libros egregios scripsit Jacobus Gretserus noster* (*b*).

e *Quæ distribuit Willimarus presbyter vestimenta* C S. Galli, *ideo superflua erant, vel quia Sancti corpus sola sindone indutum, vel quia sacerdotali amictu compositum erat : utrovis enim modo defunctorum corpora ad inhumationem parabantur. Confer citatum Gretserum lib.* I, *cap.* V.

f *De cereis et facibus quibuscum funera ducebantur, vide laudatum Gretzerum lib.* II, *cap.* VII.

g *Quamvis varia fuerit Ecclesiæ, præsertim latinæ, disciplina circa sepulturam fidelium* intra *vel* juxta *templum, illud tamen manifesti honoris significatio est, quod Sancti nostri corpus prope aram conditum fuerit.*

h *Videtur mihi insinuari consueta triginta dierum expiatio, quæ pro fidelibus defunctis celebrabatur. Hic ritus plerumque ad S. Gregorium Magnum refertur, ut narrat Joannes diaconus in ejus Vita lib.* I, *cap.* XV (*c*) *: ejus tamen vestigium reperitur in Testamento S. Ephrem Syri* (*d*)*, qui agens de morte sua :* Comitamini, *inquit*, me in psalmis atque orationibus vestris ; et assidue pro mea parvitate oblationes facere dignemini : et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis.

i *Jam actum supra num.* 10 *de Maginaldo, seu* D Maginoldo, *alias* Magno *et Theodoro. Obiit S. Magnus post medium sæculum septimum* (*e*)*; de Theodoro vide nostros inter Prætermissos ad diem* IX *Octobris.*

k *De tempore quo cella* S. Galli *vastata fuit, ejusque sepulcrum violatum, vide dicta ad num.* 130 *et seq. Ildephonsus von Arx* (*f*) *ponit vastationem sub annum* 780 : *tum quia Walafridianam narrationem de quadraginta annis ratam habebat, tum quia obitum Sancti cum anno* 640 *conjungebat : neutrum cum chronologia recte convenire, multis fuit monstratum.*

l *Erchanoldum, de quo hic sermo, non fuisse majorem-domus in Neustria, sat probabiliter videor monstrasse num.* 136.

m *Duravit morbus e pavore contractus per annum, sed deformitas e calvitie, etc. permansit per totam vitam.*

n Memoria *varios habet significatus : vide Du Cange Glossarium ad hoc verbum. Walafridus c.* II, *vocem interpretatur dicens : Boso* sumens loculum in quo sanctum corpus erat, posuit super terram inter parietem et altare, et desuper, ut moris est, E arcam altiorem construxit, fossam vero terra replevit. Memoriam *itaque Walafridus explicat per arcam altiorem ; recte igitur quisque monumentum sepulchro impositum interpretabitur : quod vero addit Walafridus,* ut moris est, *ad evelationem corporis refero ; hoc enim ritu moris erat populo Sanctos honorandos proponere : siquidem ad communem inhumationem non pertinebat, alioquin Erchanoldus pulsando pavimentum scrutari non debuisset locum, ubi Sancti corpus conditum fuerat, ut narrant tum Anonymus, tum Walafridus.*

o *Agitur hic de Pippino Heristallio, qui ab anno* 680 *ad* 714 *Austrasiam occupavit, et reliquam Galliam majoris-domus titulo ab anno* 687. *Nam de Pippino rege,* Brevi *dicto, sermo esse non potest, ut existimasse videtur D. Bouquet secutus Mabillonium* (*g*)*, dum Walafridianæ narrationi appingit notam chronologicam anni* 645. *Etenim infra, dum* festinat *auctor noster ad ea, quæ* visu comprobata sunt, *citat Carolomanni, fratris Pippini regis, qui tandem ultimus nominatur. Unde manifestum est, non alium supra posse intelligi Pippinum quam Heristallium, qui cæterum ab anno* 709 *ad* 712 *quater exercitum duxit in Alamanniam, uti habemus ex* F *Chronico Floriacensi* (*h*) *et Chronico S. Benigni Divionensi* (*i*)*. Annales breves* S. Galli *addunt anno* 715 Alamanniam rebellantem *domitam fuisse a Carolo Pippini filio* (*k*) *Ad hæc igitur tempora revocari potest vastatio.*

p *Quod hic adhibetur verbum* rimari, *passive sumitur et in sensu diligentis inquisitionis, apud medii ævi scriptores ; unde hic significat tantam fuisse* cruoris humani exuberantiam, *sive effusionem, ut investigari etiam a diligentissimo quoque non posset.*

q *Recurrit perseverans ad nostra usque tempora consuetudo accendendi luminaria ad sepulcra et Reliquias Sanctorum.*

r *Pallæ illa tempestate multiplex erat usus, ut docet Du Cange Glossarium ad hoc verbum. Adhibebatur enim ad altaris et ecclesiæ ornamentum, quo sensu recte* Aulæum *interpretatus fueris. Palla altaris vocatur* lineus pannus consecratus, qui super altare ponitur, super quem extenditur corporale, *imo ipsum quandoque corporale significat. Erant etiam* pallæ sepulcrales, *quibus Sanctorum et ho-*

(*a*) Edit. Venet. Baluz. p. 446. — (*b*) T. V Oper., part. I, p. 84. — (*c*) T. IV Oper. col. 27. — (*d*) Act. SS., t. I Februar., p. 64. n. 17. — (*e*) Tom. II Septemb., p. 708, n. 40. — (*f*) Gesch. des Cant. St Gallen, t. I, p. 21. — (*g*) Rec. des Hist., t. III, p. 663. — (*h*) Ibid., p. 315. — (*i*) Ibid., p. 318. — (*k*) Ibid,, p. 316.

noratorum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *noratorum sepulcra tegebantur. Atque de eo quidem pallæ genere hic sermonem fieri, textus indicaret satis tute, nisi obstaret textus Walafridi, qui cap.* IV, *cum sepulcrum vocasset* aram sepulchri, *dicit exustam pallam nihil* aliis linteaminibus super sepulchrum expansis intulisse læsionis. *Unde merito infertur plura fuisse linteamina sepulcri, quippe cui altare ad sacrificandum impositum fuerat. Licet cæterum ad nonum sæculum referant aliqui* (*a*) *usum multiplicis mappæ ad sacrificium, nihilominus hic usus longe antiquior est : etenim, emisso decreto Pii I, can.* XXVII, *D.* II, *de Consecr., certum est eumdem canonem jam reperiri in Capitulis Theodori Cantuariensis* (*b*). *Præterea post* S. Galli *elevationem a Bosone factam, mirum nemini ejus sepulcrum sacris altaris usum habuisse.*

s *De Cambutta, quam baculum interpretatur Walafridus loco citato actum supra nota* k, *ad cap.* III.

t *Quæ hic de* exercitio vigiliarum *dicuntur, collata cum* fraternali cuneo *paulo superius laudato et reliquis multis, satis monstrant* S. Galli *eremum jam tum ad justi monasterii formam redactam fuisse; S. Othmari vero studium fuisse, ut regula S. Be-*
B *nedicti inter monachos introduceretur.*

v *Carlomannus juxta notam* o *supra, filius est Caroli Martelli, frater Pippini regis, qui ab anno* 741 *ad* 747 *supremam potestatem cum fratre exercuit : factus dein monachus Cassinensis. Male subnectit Walafridus cap.* VII, *donaria illa servata fuisse* in testimonium post futuris usque ad tempora Otmari abbatis; *cum ejus tempore prodigium contigisse referatur.*

w Perahtoltes-para, *alias etiam* Beroltisbara, Bertoltisbara, Bertoldesbara, Bara, Para, *pagus est ducatus Alemanniæ ad Nigram Sylvam, prope fontes Danubii.* Est, *ait Chronicum Gottwicense* (*c*), hodiernus Landgraviatus Baarensis ad Nigram Sylvam ac Danubium, ubi adhuc hodie castra et civitates *Furstenberg, Hafingen, Nydingen, Blomberg, Geisingen, Moringen, Lupfenberg, Hohenberg, etc,* sita sunt (*d*).

x Opinabantur *passivo sensu pro* celebrabantur; *Du Cange in Glossario habet,* Opinatus, *id est* probus, bonæ famæ, celebris. *Sic in Vita S. Boniti episcopi Claromontani, ibidem legitur :* Pergit ad quemdam opinatissimum Dei famulum.

y Audomarus *hic pro* S. Othmaro *ponitur :*
C *obiit anno* 759; *de illo agendum erit* VI *kal. Decembris* (XXVI *Novembris).*

z *Pippinus rex, pater Caroli Magni, obiit anno* 768 *die* XXIV *Septembris. Cum auctor dicit tempore Pippini quidpiam accidisse, satis insinuat, jam præteriisse illud tempus, ita tamen ut æqualis fuerit. Vide Commentarii prævii num.* 15.

aa Pirhtilo *ut recte advertit Ildephonsus von Arx, qui* vir præcelsus *vocatur et equites vasallos secum ducebat, haud dubie est comes hujus nominis, qui hoc tempore pago Bertoltespara præerat* (*e*).

bb *Quartus annus Carlomanni, Pippini regis filii, Caroli Magni fratris, in annum Christi* 771 *incidit, quo ipso anno etiam vita functus est : eidem obtigerat Austrasia, ad quam Alemannia pertinebat.*

cc *Hodie* Rothwil, *urbs olim imperialis, nunc ad regnum Wirtembergicum pertinet, ad caput fluvii Neccari : olim* Rotunvilla *aut* Rotunwillare *appellabatur* (*f*). Fiscus regalis *hic significat villam regiam, prædium dominicum, juxta Du Cange in Glossario, verbo* Fiscus.

(*a*) Richard Biblioth. sacr. v. *Nappe.* — (*b*) Berardi Gratiani Canones, tom. II. p. 71. — (*c*) Tom. I, part. II, p. 559.

AUCTORE WALAFRIDO.

CAPUT II. Miracula a S. Gallo patrata ad conservationem eremi, quam vivens incoluerat.

Breviter præfatus

Descriptis his *a*, quæ priscorum sollertia de vita, fine et virtutibus B. Galli ad nos usque scripto transmisit, hinc ea stilo comprehendere temptavimus, quæ a fidelissimis testibus indicata a carissimo fratre *b* Gotzperto literis sunt mandata. *b*
In quibus primo quomodo vel quando in cœnobio B. Galli *c* regularis vitæ instituta servari cœpissent, liquido declaratur; deinde quibus miraculis ejusdem patris virtus cunctis effulserit, probabiliter exponitur, commemoratis pariter singulorum, quæ introducuntur, assertoribus. Quæ idcirco novis dictionum positionibus ordinare vôluimus, ut cum prioribus aliquam similitudinem locutionis habeant, et brevitatis compendio succincta fastidiosis lectoribus onerosa non fiant *d*: siquidem nomina eorum, qui scribendorum testes sunt vel fuerunt, propter sui barbariem, ne Latini sermonis inficiant honorem, prætermittimus scientes de ve- E
ritate dictorum a fidelibus non esse dubitandum, quippe qui norunt, nihil horum, quæ referimus, Deo impossibile esse, in quo fit, quicquid per sanctos mirabiliter et laudabiliter fit. Sed et si quis earumdem rerum testes nosse desiderat, in conscriptione, quam sequimur, poterit invenire. Inserimus quoque huic operi nonnulla, quæ non scripturæ testimonio, sed veracium vivorum relatione didicimus. In quibus omnibus quantum ad nos attinet, veritatis lineam servare studebimus, neque per amorem falsi aliquid de nostro inserentes, neque per invidiam veri quippiam ex voto celantes. Et quia nos scripta vel dicta sequimur aliorum, ad illos veritas rerum, ad nos pertinet abbreviatio dictionum et adunatio rationum.

c *d*

explicat auctor

47 Post venerandi patris, Beati videlicet Galli Confessoris, gloriosam depositionem cottidianas excubias apud sacri corporis ejus Reliquias quidam religiosi clerici, vel discipulatus ejus memoria, vel divino amore succensi, per multa annorum curricula, scilicet quasi a temporibus Dagoberti regis usque ad *e* Karolum patrem Carlomanni *e*
et Pipini, ad laudem Christi administrabant. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per Con- F
fessoris sui merita pie quærentibus exhibere dignatus est, longe lateque circumpositorum mulceret aures populorum *f*, cœperunt undique alacri *f*
devotione ad tanti patris suffragia postulanda concurrere, eumdemque locum ob suæ diurnitatem memoriæ multiplicibus substantiæ et possessionum amplificare donariis. Cumque res hac largitate fidelium collatæ aliquantulæ monachorum congregationi viderentur suppetere potuisse *g*, *g*
Waltrammus quidam, ad cujus paternam possessionem termini vastæ solitudinis, in quibus vir Dei cellam construxerat, pertinere videbantur *h*, *h*
videns res collatas a quibusdam præsumptoribus inordinate tractari, religiosum quemdam presbyterum Othmarum nomine, cui summam earundem committeret rerum, a Victore *i* tunc Curiensium *i*
comite impetravit, et ei cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit. Postmodum consilio cujusdam ducis nomine Nebi *k* persuasus ad *k*
præfatum principem Karolum cum eodem duce properavit *l*, ipsique eamdem cellam proprietatis *l*
jure contradidit, et ut Othmarum presbyterum

(*d*) Cfr Neugart. Cod. diplom. Ch. XCVI, t. I, p. 86. — (*e*) Ibid. Ch. XLIX, t. I, p. 49. — (*f*) Ibid. Ch. CXIX, t. I, p. 105.

eidem

AUCTORE WALAFRIDO.

eidem loco præficeret, exoravit. Annuens petitioni ejus princeps Othmaro ad præsentiam suam vocato locum commendavit, et ut regularem inibi vitam instituere studeret præcepit. Qui regressus, arripuit statim boni pastoris initia, et undique versum habitacula monachorum usibus congrua disposite construens ejusdem sancti statum loci utilitatibus diversis aptavit. Sed cum jam dictus princeps temporaliter regnandi et vivendi finem fecisset, duobus filiis Carlomanno et Pipino administrationem regni reliquit.

donationem monasterii S. Othmaro factam;

48 Carlomannus itaque paucorum decursibus evolutis annorum, ob amorem regni cœlestis secularis gloriæ pompam deposuit, et cum causa quietioris vitæ Romam tenderet, in viciniam supradicti loci deveniens, ad idem monasterium causa orationis accessit, audiensque assiduis signorum virtutibus eumdem *m* locum pro beati viri meritis a Domino illustrari, dixisse fertur: « Tenuis quidem hic locus est facultate, sed pro meritis B. Galli celebri diffamatus rumore. » Cumque vellet ibidem degentibus aliquod suæ largitatis conferre solatium, sed retractaret a negociis se regni disjunctum explere non potuisse, quod voluit, fratri rescripsit, ut sui amoris intuitu eidem monasterio aliquod regiæ largitionis solatium dignaretur impendere. Cum igitur ab Othmaro abbate præsentatam Pipinus princeps accepisset epistolam, annuens petitioni fraternæ, libellum *n*, quem Benedictus pater de cœnobitarum conversatione conposuerat, eidem abbati tradidit, et alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei sub omni diligentia injunxit, ut in loco sibi commendato ad supplendas B. Galli excubias regularis ordinem instituere vitæ, atque ut melius posset quod jubebatur efficere, concessit illi quosdam tributarios de eodem pago, ut et illis conlaborantibus officinas fratrum usibus necessarias construeret, et vectigalia, quæ annuatim regiis redditibus inferre debebant, ad sustentationem fratrum sub commemoratione largitatis ejus haberet. Inter cætera quoque suæ munificentiæ donaria, rogante abbate, unum campanum ad sancti loci dedit ornatum, quod ad usque nostræ ætatis tempora in cœnobio eodem pro memoria beneficiorum ejus permansit, et ne cujusquam avaritia tanti incrementis obsisteret boni, diuturnæ firmitatis epistolam fecit conscribi *o*, et ut moris est circumspecta roborari cautela, quo deinceps tam ipse qui aderat, quam successores ejus idem monasterium per regiam obtinerent auctoritatem, et nullius violentia pressi solis rerum principibus subjacerent. His regiæ pietatis Othmarus abba donatus solatiis, et sublimatus honoribus, monasterium lætus regreditur, et ex illo tempore monasticæ vitæ in cœnobio S. Galli exordium *p* quidem cœpit, augmentum autem et profectus hodieque laudabiliter dilatari non desinit.

dein transit ad miracula

49 Præmissa narratione, qua comprehensum satis vere credimus, quomodo sacer locus emunitatis privilegium meruerit, et quo in tempore cœnobiali dignitate sit adornatus, liberius jam ad miraculorum B. Galli commemorationem stilum convertimus *q*. Victor Curiensis Retiæ comes, cujus superius mentionem fecimus, cum innumerabiles apud tumulum S. Galli per merita ipsius virtutes ostendi creberrime didicisset, invidia perurgente, tanta novorum generositate virtutum nostram gentem insigniri perdoluit, et ut tunc fama vulgaverat, latenter voluit per abdita heremi supervenire, et preciosi thesaurum corporis si quo pacto potuisset, auferre. Qua maliciosi raptoris intentione comperta, hi qui in circuitu cellæ viri Dei commanebant, custodibus vicissim per turmas deputatis, eumdem locum ab hostili incursione, ne videlicet tam cari fulgore margariti * carerent, omni sagacitate defensare studebant. Igitur cum quadam nocte custodes in summitate montis, qui monasterio superimminet, ad suspectos incursus armati residerent præcavendos, casu lucem e cœlo venire ac totius ecclesiæ perfundere mœnia conspexerunt. Immensitatem itaque luminis admirati, ad ecclesiam citius concurrerunt, et dum trepidi stupentesque ibidem constituti eumdem intuerentur splendorem, paulatim se lux submissa recolligens, astris inseritur. At illi, viso miraculo, agentes Domino gratias, securi ad propria remearunt, credentes corpus viri Dei per vim ab eo loco minime auferri posse, quem illi Dominus ante sæcula prævidit, et suæ illustrationis honore temporibus illis decoravit. Unde datur intelligi, quanti apud Deum meriti vir iste fuerit, cujus sepulturæ locum cœlitus contigit illustrari, ut videlicet lumen, quo ejus anima perfecte fruebatur in cœlis, etiam mortuo corpori non deesset in terris.

50 Audiens itaque comes prædictus a cella S. viri discessisse custodes, cupiens suos conatus explere, virorum turbam assumpsit, ut, quod male cogitaverat, repentino et latenti perpetraret accessu. Verum quia non suæ devotionis utilitati prospiciens, sed alienæ felicitatis profectibus invidens id moliebatur, Dei nutu cito repressus fuisse cognoscitur. Nam eodem momento, quo iter illud agressus est, de equo, cui insedebat, corruit, coxaque illius eo casu confracta est, Domino beati viri merita in hoc quoque remunerante, ne a loco, quem ipse elegerat, auferretur, quem de ultimis Hiberniæ finibus ad salutem multorum Retiæ vel Germaniæ destinavit. Et vicini quidem exhibuerunt excubando suæ devotionis obsequia; Deus, vero cunctorum custos bonorum, ibi etiam ad coercendum raptorem vigilavit, ubi sollicitudo alternantium non affuit populorum; et hoc quidem egit, ut credimus, ne fideles populi thesauro, quem ferventibus studiis ambiebant, fraudarentur, et ne is, qui per maliciam hoc decus attingere voluit, suæ perversitatis potiretur effectu, præcipueque præcavens, ne ablatis sancti viri Reliquiis monachorum catervas, quæ inibi laudibus Dei serviturae erant, deesse contingeret. Itaque comes correptus, et domum a famulis reportatus, per multa tempora nimiis doloribus est agitatus, ut intelligeret saltim ex pœna, quam superbe id cogitaverit, quod suis viribus effici potuisse credebat.

intercessione patrata

51 Quia igitur Domino custodiente pii pastoris corpus a devotarum septis ovium auferri non potuit, dignum fuit, ut miraculis fidem facientibus, virtus meritorum ejus ibidem cunctis manifeste claresceret. Quidam namque de vicino territorio, cum diuturna ægrotatione vexatus lecto decumberet, subrepente humore nocivo oculorum lumen auriumque sensum amisit. Deinde plantis pedum retortis ad nates, tanta depressus est infirmitate, ut de solo pectusculo vitæ manerent fugacis indicia. Qui a suis ad monasterium vehiculo delatus, dum petentibus amicis in ecclesia B. Galli unius spacium noctis ducere permissus a custode fuisset, solusque ibidem pernoctaret, circa gallorum cantum in subito mentis excessu quatuor viros candidissimis indutos vestibus oratorium introire conspexit. Qui dum altari appropiantes diutissime dulci modulaminum alternatione concinerent, unus eorum, laudibus finitis ad lecticam, in qua clinicus decumbebat, accedens: Quid, inquit,

causæ

* margaritæ

A causæ est, o homo, quod hic pernox tenebrarum transigis solus horrorem? Crede tantum, et ab hac infirmitate deinceps eris securus. Qui protinus surgens et omni debilitate summota egressus, ad suos sanus abscessit.

ad conservationem

52 Igitur Otmarus abba cum multis annis idem cœnobium strenue rexisset, possessiones ipsius loci religiosis * quibusque circumquaque degentibus ob amorem mercedis æternæ plurima suæ largitatis dona conferentibus in tantum amplificavit, ut infra paucos annos suppetente exterarum copia rerum, et vitæ ejus clarescente mundicia, multorum pater existeret monachorum. Comites vero quidam Warinus et Ruodhardus *r*, qui totius tunc Alamanniæ curam administrabant, cum infra ditionis suæ terminos ecclesiasticarum non minimam partem rerum suæ proprietatis dominio per potentiam subicere niterentur, maximam de ejusdem monasterii possessionibus partem sibimet vendicarunt. Nam tributa, quæ bonæ memoriæ Pipinus eisdem fratribus concesserat, abstulerunt, aliaque quam plurima, quæ ex donatione quorundam religiosorum eidem

B cœnobio fuerant contradita, suæ rapacitatis abstraxere protervia. Insuper etiam ipsum abbatem, cum pro hac re apud principem illos accusasset, vinculis injecerunt, et in quamdam Reni

s fluminis insulam juxta locum, qui Stain *s* dicitur, in custodiam relegarunt, ubi cum aliquantum temporis sub artissima districtione mansisset, de carcere hujus vitæ ad lætitiam commigravit cœlestem, expletis non minus quadraginta regiminis sui annis, quo sancti illius loci statum et gloriam nobiliter amplificavit et auxit.

eremi,

53 Hoc itaque ita rebus humanis subtracto, prædicti comites, sublatas sancti loci possessiones

* Augia divite

retinentes, Johannem *t* quendam monachum * de proximo monasterio in ejus locum subrogaverunt, ac deinde, ut suæ tyrannidis crimen augmentarent, Sidonium Constantiensis Ecclesiæ præsulem instigarunt, ut idem monasterium episcopii partibus subicere studeret. Et hoc idcirco fecerunt, ut eo licentius, ipso machinationibus eorum favente, ea, quæ injuste abstulerant, retinere potuissent. Pontifex igitur cum suasionibus eorum libenter præberet assensum, monasterium in-

C gressus, fratres opprimere, et eundum locum episcopii rebus subicere molitus est. Porro fratres dum potentiæ illius resistere non auderent, maluerunt ejus ditioni parere, quam tot adversitatibus implicari. Sed sequentia probant, quam perverse egerit, qui per avaritiæ morbum sacri loci privilegium ausus est violare.

quam

54 Fertur siquidem eundem episcopum aliquando ad iter hostile sibi de ipsius monasterii sumptibus viaticum præparari jussisse. Quod dum fratres prætermittere non auderent, ea quæ jussa fuerant navi imposita per quorumdam manus fratrum ad episcopium transmiserunt; cumque, qui missi fuerant, navigare cœpissent, avis quædam, ut sæpe isti testati sunt, ante eos apparuit, et quasi ducatus eis officium esset præbitura, facili præibat volatu, et dum per totius lacus vastitatem ipsius incognito uterentur ducatu, prospero tandem successu ad portum venientes, quid hæc novæ ducis obsequia portenderent, mirabantur; illisque quam partem peteret diligenter notantibus, domum quandam littori contiguam, in qua res præfato itineri aptæ servabantur, intravit. Mirum dictu! mox eandem cellam flamma corripiens in altum prorupit, et omnia, quæ ibi congesta fuerant, penitus consumpsit, ut nihil eorum omnino huic incendio superesset, fiebatque justo Dei judicio, ut qui aliena per potentiam rapuerat, suis per supernam justiciam fraudaretur.

AUCTORE WALAFRIDO.

55 Tempore quoque alio idem episcopus ad mo- *incoluerat.*

nasterium veniens, dum quadam violentia eundem locum episcopio subicere, suæque tyrannidi non consentientes monachos quasi justo rebelles injuriis multiformibus afficere temptavisset, Tello *u* *u*

quidam, Curiensis Ecclesiæ præsul, misit ad eum humiliter deprecans, ut sui amoris causa, quoniam eorundem fratrum aliqui consanguinitatis vinculo illi erant conjuncti, ab eorum cessaret injuriis, nihilque incommodi Dei famulis irrogaret. Quam petitionem furore dictante superbe contemnens, remandavit se illius precibus nullo pacto consensurum, verum resistentibus sibi celerem pro contemptu illaturum vindictam. Et mox oratorium B. Galli Confessoris quasi oraturus ingreditur, et ante aram ipsius nomini consecratam consistit, quique ad salutem non merebatur audiri, afflictiones, quas aliis se irrogaturum juraverat, convenienti satis talione recepit. Nam intestina ejus more sartaginis igni superpositæ fervere cœperunt, et tam diræ viscerum tor-

E tiones illum invaserunt extemplo, ut sine aliorum adminiculo nequaquam egredi potuisset; sed, quod dicere pudet, egestio naturæ turpi impetu prorumpens cum astantes nimio fœtore gravaret, sine mora ab ecclesia ejectus, vehiculo, quo decedere monasterio posset, sicut rogaverat, est impositus. Sicque immoderato fluore naturæ consuetudine carens, vasi in quod egesta defluerent supersedens, egressus est, et ad vicinum monasterium *v*, quod Augia nominatur, cui et tunc *v*

præerat, perductus est: ubi etiam ingravescente languore tantum sibimet famulantibus ob nimium fœtorem intolerabilis factus est, ut ei jam pæne nullus obsequia impendere solito potuisset. Tali itaque pœna multatus, cum hoc factionum suarum præmio post aliquot dies de cloaca corporis spiritum exhalavit.

ANNOTATA.

a *Quæ adhuc edidimus, scripta sunt ab auctore Vitæ* S. Galli; *etiam librum secundum seu Miraculorum ejusdem manus esse, monstrat imprimis nexus inter utrumque librum, quoniam posterior incipit per verba:* Fama « nempe » aures multorum sublevans: *dein stylus quodammodo rythmicus idem est in utroque libro. Quæ vero hic ex editione Goldasti et Henrici Pertz subjicimus, auctorem habent Walafridum Strabonem, qui obiit anno* 849. *Videtur porro Walafridus scriptis aliorum elegantiam quamdam addidisse, magis quam e propria scripsisse scientia, ut ipse fatetur dicens:* Ad alios veritas rerum, ad nos pertinet abbreviatio dictionum et adunatio rationum.

F

b Gotzbertus, de quo hic sermo, diaconus erat et ex fratre nepos Gotzberti abbatis Sangallensis ab anno 816 *ad* 837, *quo officium deposuit*, cum jam ætatis gravitatem corporisque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum. *Ratpertus in libro de Casibus* S. Galli *num* 7 (*a*). *Erat Gotzbertus nepos* calvus et claudus ac eximius patronorum cultor, *ait Ildephonsus von Arx* (*b*) quos ut honoraret, S. Galli miracula litteris consignavit, Vitam S. Otmari conscripsit, ac alpes Rhæticas transgressus, de Bobio Lombardiæ monasterio S. Columbani Reliquias attulit, e lacu Cumano in quem de navi prolapsus

fuerat,

(*a*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 67. — (*b*) Ibid., p. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A fuerat, feliciter emersus. Cum ejus patruus structuram novi templi moliretur, ipse delineationem templi ac universi monasterii per architectos regios sibi adumbrari obtinuit, ut hæc ichnographia, huc (*ad* S. Galli) anno 830 missa e palatio et Gozberto huic inscripta, fidem facit adhuc superstes. *Vide monasterii ectypon apud Mabillonium* (*a*) *et secundis curis accuratius editum a Ferdinando Keller. Gotzberti opuscula non amplius supersunt, nisi quatenus a Walafrido interpolata. Quæ supra retulimus de Gotzberto, maxima ex parte desumpta sunt ex fragmento coævi, Ermenrici monachi Augiensis, de Grammatica* (*b*).

c *Per regularem vitam, intelligendum puto introductam fuisse a S. Othmaro regulam S. Benedicti: nam ad finem usque vitæ*, S. Gallum *sectatum fuisse regulam patris sui, S. Columbani, ad illamque etiam discipulos suos informasse, nimis manifestum est, quam ut probatione indigeat: cap. præc. annot.* t *monastici instituti apertissima vestigia indicavimus.*

d *Damno nobis est hic Walafridi scrupulus, quum omissis testibus, multa obscurentur antiquitatis documenta. Dubitandum non est hujusmodi latini*
B *sermonis sollicitudine periisse suam quandoque antiquorum narrationibus auctoritatem.*

e *Carolum Martellum hic indicat Walafridus, qui ab anno* 715 *ad* 741 *Austrasiam summa cum potaste gubernavit. Quod hic dicitur :* Quasi a temporibus Dagoberti regis usque ad Karolum, *non ita intelligi oportet, ut vox* quasi *significet* post obitum Dagoberti; *sed refertur ad* multa annorum curricula, *de quibus paulo superius egerat auctor.* Discipulatus memoria *confirmat, quæ supra annotatione* c *de monastico instituto diximus.*

f *Varias donationes cellæ* S. Galli *ante S. Otmarum factas exhibet Codex Diplomaticus Alemanniæ a Trudperto Neugart editus.*

g *De Waltrammo, ejusque majoribus hæc habet Ratpertus in Casibus* S. Galli. *num* 1 *et* 2 (*c*) : Religiosos etiam viros, qui eumdem Sanctum *(Gallum)* in sua susceperunt, ejusdemque heremi jus hereditarium illi potestiva manu (*vide* Du Cange *Glossarium verbo* potestas) concesserunt subternotare curavimus; quorum nomina hæc sunt: Willibertus videlicet presbyter, et Talto vir inlustris, Tagoberti scilicet regis Camararius et postea comes ejusdem pagi, a quibus idem San-
C ctus cum in corpore viveret, cum augmentatione loci non parva, maxima veneratione habitus est. At postquam de corpore spiritum transmisit ad astra, a successoribus istorum locus iste ob amorem Sancti similiter augmentatus est usque ad tempora Caroli *(Martelli)*. Taltonis vero filius fuit Tiotolt, cujus filius Pollo, Pollonis autem filius Waldpertus, qui genuit Waldrammum. Ipse vero Waldrammus locum istum in omnibus ob amorem S. Galli augere desiderans regularemque inibi vitam instituere cupiens, Otmarum sanctum virum a Victore, Rhætiæ Curiensis comite, impetravit, eique cellam præfatam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit, abbatemque constituit, ut in Vita ipsius plenissime continetur. *Inter cætera Waltrammi donaria citat Ekkehardus* IV, *in Casibus* S. Galli *num.* 1 (*d*), *montes cœnobio donatos, qui a Waltrammo nomen habebant, scilicet* Waltramsberg, *hodie* Rosenberg. *Exstat quoque in Codice Diplom. Aleman. ch.* LXXII, *charta Waldradæ, filiæ Theotuni, uxoris Waltrammi tribuni*, data anno undecimo regnante domno Carlo gloriosissimo rege (779)... sub die quod fecit Feb. dies II. *Utrum hæc Waldrada uxor fuerit Waltrammi, de* D *quo Ratpertus et Walafridus, dubium facit temporis spatium satis longum inter traditionem Sancto Othomaro circa annum* 720 *a Waltrammo factam et donationem loci* Rumanishorn (Romishorn *in Turgovia ad lacum Bodamicum anno* 779; *sed temporis intervallum tantum non est, ut eadem persona esse non possit : dein potuit Waltrammus secundas nuptias celebrasse. Erravit porro Alban. Butler in Vita S. Othmari ad* XXVI *Novembris* (*e*) *quando Waldradam* filiam *facit Waltrammi, cum ipsa se filiam Theotuni comitis, uxorem vero Waltrammi profiteatur in charta donationis* (*f*).

h *Videtur Walafridus pugnare cum Ratperto citato : illic enim dicitur Taltonem* heremi jus hereditarium S. Gallo potestiva manu concessisse, *dum Walafridus dicit ad Waltrammum Taltonis atnepotem* possessionem termini vastæ solitudinis pertinuisse. *Uterque scriptor ita conciliandus est, ut dicamus Taltonem* precariam S. Gallo *eremum dedisse, Waltrammum vero* proprietatem *seu* dominium. Precarium *vocatur* quod utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit, *cap.* 3 *de Precar.* (III. 14) *seu ut habet S. Isidorus lib* V *Originum cap.* 25 *(quem cito e Glossario* Du Cange *ad hoc verbum)* : Precarium est, dum creditor rogatus permittit debitorem in possessione fundi sibi obligati, et ex eo fructus capere. Jus *vero* hereditarium *a Taltone concessum interpretor tempus utendi fruendi fuisse indefinitum, donec revocaretur : ita ut discipuli* S. Galli *succederent juri magistri* : potestivam manum, *de qua Ratpertus, definit Du Cange verbo* Potestas : Qui rem, cujus potestatem habet seu cujus dominus est, alteri concedit; (*addendum censerem definitioni*) *sive ut propriam, sive utendam fruendam. Tali ratione puto Walafridum et Ratpertum conciliari posse ; imo et ipsum secum Ratpertum, qui dicit paulo infra*, monasterium adhuc hereditario jure in sua tenuisse potestate Waltrammum. E

i Victor *de quo hic sermo, est ejusdem nominis* secundus, *cognomento* Illustris *propter factorum gloriam; floruit medio sæculo octavo* (*g*).

k Nebus *alias* Hnabus, *avus Hildegardis reginæ, conjugis Caroli Magni, pater Rotberti comitis, qui* V *Id.* (IX) *Augusti* 773 *tradidit S. Gallo villam* Auvvolvincam, *hodie* Aulfingen (*h*).

l *Hæc traditio Carolo Martello facta videtur juxta formulam Lindebrogianam num.* XLIX (*i*), *in qua* F *dicit rex, quod veniens abba de monasterio suo* tam se quam et ipsum monasterium cum omnibus rebus suis *ad regem* plenius commendavit ; et *ipse rex* postea : Gratante animo ipsum venerabilem abbatem cum ipso monasterio vel hominibus suis et omnes causas suas amabiliter sub nostro recepimus mundeburde vel defensione. *Totam transactionem optime explicat Ratpertus in Casibus* S. Galli *num* 2 (*k*) : Postea vero tempus procedente, atque statu monasterii in melius proficiente, præfatus Waldrammus eumdem abbatem Otmarum Pippino regi præsentavit, ipsique regi monasterium, quod adhuc hereditario jure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter abbate contradidit : ea videlicet causa, ut ipse abbas ejusque successores idem monasterium regia auctoritate retinentes, nullius deinde violentia premerentur, sed tantummodo regum jussionibus obedirent. Quod benivolus princeps benigne suscipiens, statim hujus causæ conscriptionem fieri præcepit: scilicet ut monachi ejusdem loci deinceps potesta-

(*a*) Annal. Ben. lib. XXXI, § XXXVII, t. II, p. 532. — (*b*) Mabill. Vet. Analect., p. 421. — (*c*) Pertz, t. II, p. 62. — (*d*) Ibid., p. 92. — (*e*) p. 95. Edit. Lovan. — (*f*) Neugart Cod. diplom., ch. LXXII, t. I, p. 67. — (*g*) Eichlorn Episcopat. Curiens. Cod. prob., p. 4, seq. et 222. — (*h*) Neugart Cod. diplom., ch. LIII, t. I, p. 52. — (*i*) Ap. D. Bouquet, t. IV, p. 551. — (*k*) Pertz, t. II, p. 62.

tem

A tem haberent abbatem eligere sibi, atque solis tantummodo regibus subjacerent. Quam conscriptionem suæ auctoritatis signaculo confirmavit, atque abbatem ipsum in sua remisit; qui idem monasterium per annos XL feliciter rexit, Waldrammo prædicto XX annis solatium illi præstante. *Ex hisce verbis videtur deduci posse Waltrammum circa annum Christi* 740 *diem supremum obiisse, quoniam quadragenarium regimen Othmari die* XVI *Novembris anni* 759 *concluditur. Dolendum est documenta, de quibus Ratpertus agit, jam non superesse : fortassis lumen aliquod intricatissimæ quæstioni* de Advocatiis *affunderent.*

m *Anno* 747 *Carlomanus tonsus, abdicato principatu, habitum Benedictinum apud Cassinenses induit. Ejus elogium vide apud Erasmum Gattulam in Historia Cassinensi* (*a*) *et in Actis SS. ad* X *Februarii.*

n *Hic videre licet, quanti fierent octavo sæculo libri, cum regula S. Benedicti manuscripta inter regia donaria præ cæteris indicetur. Erat tamen illo etiam sæculo magnificentia non minima in libris exarandis, ut fidem nobis facit S. Bonifacius in sua*
B *epistola* XIX (*b*) *ad Eadburgam abbatissam, quam ita rogat :* Mihi cum auro conscribas epistolas Domini mei Sancti Petri Apostoli, ad honorem et reverentiam sanctarum Scripturarum ante oculos carnalium, in prædicando. *Sic et in epistola* CXXVIII (*c*). *Cœna episcopus scribit S. Lullo non alia apud se exemplaria,* nisi picturis et litteris permolesta.

o *Litteræ Pippini jam perditæ erant anno* 828, *ut habemus e diplomate Ludovici Pii, quo dicit* (*d*) : Sed quia super hac concessione præceptum avi nostri Pippini regis conscriptum non habebant, jussimus Liuthario comiti hanc causam diligentius, si ita esset, inquirere. Qui juxta veritatis et æquitatis ordinem diligenter perscrutatum, renunciavit nobis : quia, sicut per illos pagenses, et veraces homines per sacramentum invenire potuit, ita esse verum, sicut superius comprehensum est..... Hirminmars notarius ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi. Data pridie Idus (XII) Februarias. Anno Christo propitio, XV imperii domni Hludowici imp. et Hlotharii sexto, Indictione VI. Actum Aquisgrani palatio regio (*e*).

p *Exordium vitæ monasticæ hic, ut supra dixi*
C *annotatione* c, *intelligendum est de initiis regulæ S. Benedicti apud Sangallenses.*

q *Dubitat Ildephonsus von Arx in adnotationibus ad Walafridum in Monumentis Germaniæ, num ille Victor vere fuerit comes Rhetiæ, quia deficiunt chartæ antiquiores. Defectus chartarum tanti non est, ut dubiam reddere possit Walafridi vix sæculo antiquioris narrationem omnino limpidam. Adigi ad id facinus Victor poterat spe divitiarum, ob præsentiam corporis* S. Galli *affluentium.*

a Warinus *comes erat Thurgoviæ, ut habemus e variis diplomatibus in Codice Diplomatico Allemanniæ ch.* XVIII, XXIV, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXV, XXXVII, XLII, LVIII, LXII *seu ab anno* 754 *ad* 775; *filium habuit Isanbardum, qui varia contulit monasterio* S. Galli, *die* IV *kal. Junii* 806. *Ibidem ch* CLX. Ruodharnus, *alias* Ruadhartus *comes occurrit in charta* XLVI, *Argengoviæ præerat, qui pagus confundendus non est cum Argovia* (*e*). *Videntur vero hi egisse, instigante Sidonio Constantiensi episcopo, qui jam Augiæ Divitis dominus, monasterium Sangallense conabatur* in potestatem episcopatus redigere, *ut narrat Ratpertus num.* 2 (*c*). *Discutit pluribus Martinus Gerbert* (*g*), *num Warinus et* D *Ruthardus Gibellinæ et Guelficæ familiæ conditores fuerint.*

s Stain, *hodie* Werth, *quod antiqui insulam interpretabantur, Castellum est apud Schaphusium, uti etiam indicat mappa geographica tomo posteriori Gottwicensis Chronici præfixa. Apud Nostrates quoque vox* Steen *domum munitam designat, uti Gandavi* Gravensteen, *Palatium comitum.*

t *Johannes ante abbas Sangallensis, quam Constantiensis episcopus fuit : nam cum* I *Martii* 739 *donatio adhuc in scripta fuisset* Audomaro *sive Othmaro* (*h*), *sequens donatio Warini fit* Johanni abbati (*i*), *qui dein ch.* XXVIII, *id est,* XX *Augusti* 760 *vocatur* episcopus cum suis monachis ibidem (*ad* S. Galli) consistentibus. *Sidonius obierat* IV *Non.* (II) *Junii ejusdem anni* (*k*).

u *Tello episcopus Curiensis sedit ab anno* 758 *ad annum* 773 (*l*).

v *Antilogiam inter Hermannum Contractum et Walafridum putat invenire Trudpertus Neugart* (*m*), *quia quem Augiæ defunctum scribit Walafridus, eumdem Hermannus in suo Chronico ad annum* 760 *ante altare* S. Galli *obiisse dicit* (*n*). *En verba :* E Cujus *(Othmari)* abbatiam cum Sidonius episcopus et abbas *(Augiensis)* temerario ausu invasisset, ante altare S. Galli profluvio ventris percussus interiit. *Posset Hermannus excusari ex eo, quod vere ante altare* S. Galli *percussus ad mortem fuerit Sidonius; sed cespitat quoque dicens Johannem eidem in* utroque *monasterio* successisse.

CAPUT III. Continuantur miracula S. Galli.

AUCTORE WALAFRIDO.

Miraculum in sagina porcorum,

Peracta superioribus sententiis relatione, qua nos satis vere comprehendisse credimus, quomodo sacer locus per merita B. Galli diffamatus et possessionibus dilatatus, nec non quibus sit malivolorum quorundam molitionibus impetitus, et quæ quosdam humiliaverit ultio : nunc replicandum esse censemus, quanta beatus vir præsidia sibimet famulantibus ad res suas custodiendas vel defendendas accomodet, quaque auctoritate se postulantibus et de se præsumentibus multiformi genere virtutum succurrat, Domino meritorum ejus F magnitudinem signorum assiduitate mortalibus declarante. Quodam tempore dum sterilitas terræ fructus arborum non solum porcis, sed etiam silvestribus feris vel animalibus* denegaret, ita ut in proximi heremi pastibus nusquam sagina posset inveniri, qua sues qui in *a* usus monasterii nutriebantur, pasci potuissent, occulto quodam impulso* grex suillus per silvarum avia celeri cursu cœpit abscedere, transvadatoque Reni fluminis alveo, remotioris heremi secreta penetravit. Subulcus autem, subitam sui pecoris fugam miratus, e vestigio insequitur, et gregem quem pessum ire putabat repperit copiosissimis pascuis immorantem. Cumque viam redeundi nesciret, mansit ibi fructibus arborum et carnibus victitans, donec grex totus affatim carnibus gravaretur obesis. Itaque domum redire cupiens, cœpit anxie cogitare, quo ingenio ignotum iter aggredi potuisset. Nocte igitur quadam vidit in somnio senem quendam reverendi habitus et vultus canicie venerabilem, dicentem sibi : Quia, ut video, porci quos sequeris ubertim sunt saginati, jam redire parato. Qui

* *alias* animantibus

a impulsu

(*a*) T. I, p. 22. — (*b*) Würdtwein, p. 48. Serrar., ep. XXVIII. — (*c*) Ibid., p. 315. Serr. XCIX. — (*d*) Neug. Cod. diplom., ch. CCXXXIV, tom. I, p. 196. — (*e*) Cfr Chron. Gottwic., tom. II, p. 547 et 549. — (*f*) Pertz, tom. II, p. 63. — (*g*) Hist. Nigr. Silv., t. I, p. 63. — (*h*) Neug. Cod. diplom., ch. XXIV, t. I, p. 29. — (*i*) Ibid., ch. XXV. — (*k*) Neug. Episc. Const., p. 78. — (*l*) Eichh. Episc. Cur., p. 24. — (*m*) Episc. Const., p. 78. — (*n*) Ussermann. Germ. Sacr. Prodrom., p. 122.

AUCTORE WALAFRIDO.

dum responderet, se viam nescire, dixit illi : Scrofam quam totus grex quasi ductricem sequi solet, cædito, et quocunque illa præcesserit, tendito gressum. Quod dum ille faceret et præeuntem diligenter sequeretur, sine errore ad monasterium, cunctis aliud suspicantibus, ex inopinato pervenit. Qua in re quid aliud quam C. Galli merita claruerunt, dum ad usus sibi famulantium ignotum animantibus pastum ostendit, et ea rursus mirabili ordine ad propria revocavit?

in supplicio incendiarii,

57 Frater quidam ejusdem monasterii possessiones quasdam sub cura habens, in quodam remotiori loco ob nutrimenta pecorum stabula construxit, et illic quam plurimum fœni recondidit. Duo itaque homines diabolica instigati persuasione, eadem repositoria cum omnibus, quæ inibi congesta erant, noctu igni apposito succederunt. Sed dum jam pæne toto anno hujus auctores facti laterent, unus eorum, arreptus dæmonio, cœpit per vicina discurrere loca, publice proclamans : Stabula pecorum B. Galli succendi, et ideo versa vice ab ipso invisibiliter incendor. Cum itaque divinum in eo continuatum judicium patesceret, pluresque importunis ejus clamoribus concitati per loca singula ad hoc miserabile spectaculum convenirent, rogavit omnes, ut ejus incendia restinguerent. Illis autem certatim in eum aquam mittentibus, pœna divinitus illata humanis viribus extingui non potuit. Non paucis deinde diebus exactis in hoc miserabili genere tormentorum, insanus vitam finivit. Alter vero cum sui sceleris socium tali cruciatu vidisset damnatum, ad *b* præpositum supra dictum venit, ultroque divinum perhorrescens judicium, delictum confessus est, duosque boves pro debito obtulit ac se voto constrinxit, quod deinceps nunquam rebus S. Galli damnum inferret. Frater autem idem pœnitudinem ejus agnocens, boves non suscepit, sed abire eum cum suis ad sua permisit.

B

b

furis

58 In possessione quadam ejusdem monasterii quædam silvula ob porcorum pastum custodiebatur, ne passim a multis consumeretur incisa. Hanc pauper quidam occulte solebat adire, et furtim multa inibi præcidendo grande damnum inferre. Itaque die quadam cum juxta morem suum latenter intraret et pauca succideret arbusta, gladius quem tenebat tam valide manu ejus adhæsit, ut illum deponere nullatenus potuisset. Agnoscens igitur, cujus rei causa multatus sit, ad basilicam *c* in honore B. Galli constructam festinavit, diuque in orationibus decumbens, manu resoluta, gladium ante altare dimisit. Egressus vero cogitare cœpit nihil obesse, si ligna quæ præciderat domum deferret, non autem prodesse si putrefacta perirent. Subjunctis ergo bobus carpento, ad silvam remeat, et præcisa in unum comportat, quæ cum vehiculo vellet imponere, dolore quodam prævalido ceu stimulis urgeretur, in posterioribus attractus est. Quo cum sine mora manum protenderet, gladium quem coram altari dimiserat fortuito recepit; digitis autem manubrium constringens detestabile munus tam valide retinuit, ut articulorum juncturæ invicem laxaxi putarentur. Tum miser dolore compulsus ad ecclesiam recurrit, ibique prostratus veniam pro commisso et absolutionem manus deposcit. Cumque diu in oratione persisteret, et gladium nequaquam dimittere potuisset, juramento tandem ac voto promissit nunquam deinceps se damnum B. Galli rebus illaturum. Mox manus aperta gladium deposuit, qui ob testimonium miraculi in eodem loco suspensus, multo tempore ibi permansit, invasoribus Ecclesiasticarum rerum grande timoris pondus incutiens.

C

c

59 Frumoldus quidam nomine de possessione quadam ejusdem monasterii ancillas duas vi abstulit et suæ servituti subjecit. Is ab advocato pro eisdem fœminis sæpius interpellatus, tandem censura judicium coactus est, ut eas vel monasterio redderet, *d* vel suo juri cum sacramento in altari B. Galli peracto firmaret. Itaque avaritia impellente, juramentum parvipendens monasterium cum suis adiit, et ut dijudicatum fuerat, audacter peregit. Sed pro contemptu Sancti Dei ultio eum festina prævenit. Nam juramento expleto, ad propria iturus, basilicam egressus est, jumentoque adducto cum super illud saliendo vellet ascendere, mente captus faciem suam ad posteriora equi insidendo convertit. Æstimans itaque id per famulorum contigisse neglectum, iratus resiliit, et caballum regirari citius jussit. Cumque secunda ac tertia vice ascendere cupiens pari luderetur errore, tandem clientium adminiculo equo superpositus, monasterio cum rubore discessit. Non longe autem inde positum subito eum dirus oculorum dolor invasit, ac deinde per momenta singula decrescente visu, cæcitatis horrore damnatum materiali funditus luce privavit.

D

et perjuri.

d

E

60 Invocatus etiam venerabilis Gallus quam promptum impendat auxilium, sequenti liquebit exemplo. Quidam vir dum per silvam quandam iter ageret, ac circumspecte incursus latronum, qui in ea solebant commorari multisque nocere, festinando devitare conaretur, tantus eum subito sopor invasit, ut vix incedere potuisset ; cumque periculi metu suspectos haberet itineris casus, et dormiendi causa paulisper divertere vellet, rusticum quendam obvium habuit, eumque rogare cœpit, ut interim custos sui existeret, donec importunitatem somni parumper quiescendo depelleret. At ille pacem simulans, fidem spopondit. Itaque modicum divertens pallium capiti supponit, et se prosternens Beati viri suffragia his verbis implorat : S. Galle, tua me protectione custodi. Signaculo crucis deinde munitus cum obdormisset, infidus custos sponsionis immemor, sumptis armis, soporatum quasi perempturus aggreditur, de collo vestem subtrahit quo facilius uno ictu perimat dormientem. Sed cum gladium in ictum vellet deponere, artubus rigore stupefactis inflecti brachia nequiverunt. Interea dormienti quidam astitit et in somno dixit : Quid somno deprimeris, quem ab imminenti interfectione modo tutatus sum? At ille evigilans et fidelem * socium nudato gladio cernens capiti imminere, exilit et comprehensum, qua pro causa hoc scelus vellet admittere, percontatur. Qui cum pro spoliis ipsius accipiendis se id facere voluisse fateretur, continuo brachia, quæ divina obriguerant jussione, deposuit. Perpendens itaque alter se divina misericordia per merita B. Galli a nece servatum, pacem cum illo fecit et illæsum abire permisit.

Vir a nece liberatus.

F

* infidelem

61 Præterea tam multi a furore dæmonum per ejusdem sancti patris merita sunt liberati, ut si omnium curationem commemorare velimus, fastidiosis lectoribus occasionem murmurandi tribuamus. Unum ergo e pluribus replicamus, ne hoc virtutum genus viro sancto defuisse putetur. Puella quædam, sævissima hostis antiqui vexatione detenta et non ignobilium labore parentum ad monasterium perducta, cum oratorium B. Galli Confessoris intrasset, statim horribili dæmonis infestatione agitata ad terram concidit, et miserabiliter se discerpens, horrendo clamore spurcissima verba cœpit effundere. Qua causa unus e fratribus, Stephanus nomine, miseriæ illius compassus, tamdiu super eam exorcismum recitavit, quod ad us-

Puella a dæmone liberata.

que

A que eadem vexatio finiretur. Resipiscenti autem
e puellæ *e* modos pœnitentiæ indixit, seseque pro
illa in orationibus ac jejuniis exercere cœpit. At
misera fœmina, ut de prohibitis escis quidlibet
usurpavit, tam acriter eam continuo dæmon in-
vasit, ut vix a multis teneri potuisset. Cumque
f identidem ad eumdem locum perducta esset, et *f*
Stephanus supra dictus iterato super eam exor-
cismum recitasset, animal parvulum in modum
bruchi nigerrimum ab ejus ore prolapsum est. Hoc
viso, cum idem frater attentius adjurationi insi-
steret, tribus vicibus singulorum similitudo bru-
chorum ore excidit fœminæ. Quæ animalia dum
astantes manu capere niterentur, subito dispar-
uerunt. Puella autem eadem hora surrexit incolu-
mis, et reliquum vitæ suæ tempus absque ulla
demonis infestatione transegit.

Oleum prodigiosum.

62 Illud quoque libet ostendere evidenti mi-
raculo, quomodo vir sanctus quosdam in servitio
suo de penuria rerum trepidantes corripuerit, et
modicæ fidei pusillanimitatem confortarit. Eccle-
siæ ejus custos dum quodam tempore olei copiam
B ad luminaria instruenda non haberet, lumen quod
in crypta omnibus ardere noctibus solebat, qua-
dam nocte extinxit, quia lumen, quod ante sup-
rius altare et tumbam ardebat, per quandam fe-
nestram radios suos ad altare infra eryptam po-
situm dirigebat, et sufficere utrique loco crede-
batur. In eadem autem lampade vitrea, quam ex-
tinctam a custode retulimus, aqua inferius et olei
pinguedo desuper erat. Mirabilem rem dicturus
sum : ita totum oleum per rimam in fundo re-
pertam guttatim ad terram defluxit, ut nil aquæ
deesse videretur : idemque liquor per terram us-
que ad altare decurrens, pallam ejus lineam a-
scendendo occupavit, et ita usque ad medietatem
infecit, ut nunquam deinceps ablui potuisset. In
quo quid potissimum mirer, invenire non potero :
utrumne quod oleum subtus aquam depressum
est, an quod aqua per eandem fracturam non de-
fluxit, vel certe quod oleum de pavimento in pal-
lam sursum ascendit? In quibus tamen omnibus
et virtutem sancti viri ostensam et stultam par-
* addit Pertz: *ministri increpatam* citatem * non ambigo.

Fugitivus reductus.

63 Sileri non debet, qua virtute servitium
C suum dimittentes et fraudolenter abscedentes
beatus pater reprimat, et vel lapsos revocet, vel
pertinaces in malo feriat. Frater quidam de eo-
dem monasterio fugam molitus, equum furto ra-
puit et per noctem abscessit. Cumque ad Reni
* *alias* flu- fluenta * fugax venisset, transvadare in equo tem-
vium ptavit, et a medio alvei nescius ad locum ubi in-
travit, caballo deferente, reversus cum magna
festinatione ad monasterium rediit, putans se in
alias longe partes abscedere. Mane facto, cum se
recognovisset frustra laborasse, confusus inter-
diu delituit ; noctu vero fugam arripiens, in flu-
vio sicut prius salubriter errorem passus est, et
* circuitu fa- strofa facta *, per eandem viam nesciens remea-
cto vit. Confusioni igitur obstinationem jungens, ipsa
etiam se occuluit die, et nocte insecuta tertio no-
tum iter carpens, modo quo diximus itidem revo-
catur. Cumque jam tædio victus se die tertio so-
pori in campo dedisset, a quibusdam equum cog-
noscentibus captus est et loco suo restitutus, et
quia effectum voluntatis suæ non invenit etiam
nolens, sancti viri virtute victus, ad viam perve-
nit. Solent autem plures testari, cunctos, qui de
familia ipsius Sancti aufugerint, aut emendatio-
nem quantocius subire, aut manifestæ ultioni de-
bere succumbere, neque cuiquam impune cedere,
qui fidem illi plenam servare contempserit.

64 Quod Dominus flagello suo quosdam a pec-
catis coerceat et pro commissis affligat, testis est
paralyticus, cui ante sanationem Salvator peccata
dimittit ; sic autem aliquando percutit, ut eos San-
ctorum suorum meritis suffragantibus sanitati re-
stituat, ut et divinæ operationis sit indicium, cum
interius homo per flagellum a peccato compesci-
tur, et virtus Sanctorum liquido comprobetur,
cum pro illorum meritis exterius sanitas exhibe-
tur. Fit etiam interdum, ut qui Dei occulto judi-
cio non uni, sed pluribus infirmitatibus subjacet,
non pariter omnia, sed diversis temporibus et in-
tercessoribus debilitatis amittat incommoda, ut
dum alicujus remedium mali per unius merita
Sancti conceditur, redintegratio sanitatis alterius
precibus et honori servetur. Quarum omnium
rerum evidens indicium dabit subjecta narratio.
Quidam violentia fulminis ictus post ægrotatio-
nem diuturnam ita totius formam corporis et
membrorum officia perdidit, ut monstruosum
quiddam potius quam hominem videretur exprí-
mere : si quidem et statura flebili contractione
deposita, et gradiendi facultas ablata est. Facies
vero tanta combustionis est fœditate corrupta, et E
oculorum sedes ita sunt carne et cute superductis
complanatæ, ut inspicientibus horribile ingereretur miraculum. Adminiculo igitur parentum Ro-
mam perductus corporis quidem reliqui resolutis
nexibus pristinum vigorem recepit et statum, in
cæcitatis autem squalore permansit. Is a suis re-
ductus, cum ad cœnobium B. Galli venisset et *g* *g*
quadam Dominica nocturnis laudibus interesset,
sopore depressus, quasi duas ardentes sagittas
ab altari vidit emissas et sibi in oculorum loca
defixas, statimque tanta visione perterritus ex-
clamavit, et tremens ad terram concidit. Cumque
diu in pavimento volutaretur, cute quæ oculis
supercrevit velut gladii sectione recisa, continuo
de luminis amissi restitutione gavisus est. Tem-
pore deinde procedente oculorum ejus acies tam
pura inspectantibus apparuit, ut pueri perspica-
ces vincere videretur obtutus. Potuit quidem, ut
indubitanter credimus, ille Apostolorum eximius,
cui a Domino ligandi atque solvendi potestas col-
lata est, meritis et precibus suis omni eum debi-
litatis genere liberare, sed divinæ providentia
virtutis constat actitatum, ut in ejusdem novitate
miraculi venerabilis Gallus apostolicis actibus æ- F
quaretur, quatenus hoc quoque modo meritorum
ejus magnitudo clarescerat universis.

A fulmine cæcus sanatur.

65 In sequenti quoque Dominica surdus qui-
dam et mutus, multorum ibi fratrum cognitioni
notissimus, utpote qui idem monasterium solitus
fuerat frequentare, cum nocturnis interesset ex-
cubiis, repente impulsu valido in pavimentum de-
jectus est, statimque cum ab ejus ore et auribus
plurimus sanguis prorumperet, sine mora utrius-
que membri munia recepit, et sanus abscessit.
Videtur huic operi inserendum, quantum Dei fa-
mulus invigilet ad eorum res defendendas, cum
ejus suffragia devote postulare contendunt. Puer
quidam, qui postmodum, corpori ejusdem congre-
gationis insertus, hæc eadem attestari solebat,
cum adhuc primævæ ætatis flore gaudens inter
scholasticos monasterii cujusdam Dominicæ no-
ctis sollemniis interesset, quidam e vicinio terri-
torio mansionem ejus irrupit, ipsiusque codicem
et quæcumque inibi reperire poterat furatus abs-
cessit. Puer de basilica regressus, damnum quod
illatum est largo fletu perdoluit. Porro fratri
ipsius, foras monasterium posito, senex quidam
eadem nocte vultu placido in somniis assistens,
cuncta quæ erga puerulum acta fuerant, indica-
vit, nomen etiam furis locumque ubi commora-

Surdus curatus, furtum indicatum.

retur

A retur edixit, tempus pariter ejusdem furti depromens. Ille fidem visioni accommodans, monasterium regressus, quod in somniis audierant factum invenit, moxque indicia, quæ perceperat, secutus absque difficultate furem deprehendit, et omnia quæ ablata fuerunt recepit. Alio quoque tempore sanctimonialis quædam de episcopio Constantiensi, cujus brachia ad mamillas cum rigore contorta ad nullius operis usum deflecti poterant, cum advenisset et ante sepulchrum S. Galli aliquantisper orasset, sanitatem indepta, gaudens abscessit.

ANNOTATA.

a *Quamvis sues hic nutriri dicantur in usus monasterii, non tamen inde concludere licet permissum fuisse monachis esum carnium, qui solis infirmis concedebatur* (*a*). *Carnes suillæ ad usum monasterii ita deputatæ intelligantur, ut famulis, opificibus et agricolis appositæ fuerint.*

b Præpositi *dicebantur, qui villarum et redituum curam habebant, quique proin excurrendo negotiis*
B *sibi commissis invigilare debebant ; quandoque ob præpositorum commodum habitatio condebatur, quæ lapsu temporis cœnobii cujusdam inferioris formam obtinebat.*

c *Hic non videtur intelligenda basilica juxta monasterium* S. Galli, *sed ecclesia quædam sub invocatione ejusdem Sancti dedicata, et sita* in possessione quadam monasterii : *id enim innuunt frequentes itus et reditus ad dictam ecclesiam.*

d *Alluditur hoc loco ad legem Alamannorum tit.* VII (*b*) : Si negare (*furtum*) voluerit, secundum qualitatem pecuniæ ita juret cum suis sacramentalibus (*conjuratoribus*) in ipso altari, cui res furtivas abstulit, coram sacerdote vel ministro ejus, quem pastor ecclesiæ jusserit audire sacramentum. *In præcedenti autem titulo solemnitas jurisjurandi hujusmodi ita describitur :* Ista sacramenta debent esse jurata, ut illi conjuratores manus suas super capsam (*Reliquiarum*) ponant, et ille solus cui causa requiritur verba tantum dicat, et super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet vel illæ Reliquiæ ad illas manus quas comprehensas habet, ut de illa causa, unde interpellatus est, culpabilis non sit. *Secundum numerum conjuratorum dicebatur cum* tertia, septima, duodecima manu *jurare.*

C e *Moris erat pœnitentias corporales energumenis imponere, ut docet nos Edmundus* Martene *lib.* III, *cap.* IX (*c*) ; *ubi reperitur rubrica :* De jejunio dæmoniacis imponendo, *quæ concluditur his verbis :* Et si firmiter istud jejunium cum oratione et pura confessione *(confessio sacramentalis ante omnem exorcismum præscribebatur* (*d*)), servaverit ; credimus de misericordia Dei et vere confidimus, quia de omnibus incentivis diabolicis, Domino largiente, liberabitur. *Energumenis liber non concedebatur accessus ad sacra, sed statis solum temporibus, ut docent nos* Responsa canonica *Timothei Alexandrini episcopi* (*e*) : Si quis, cum sit fidelis, a dæmone corripiatur, debetne esse sanctorum mysteriorum particeps, an non? Responsio. Si mysterium non enunciat *(pertinet ad disciplinam arcani)*, nec ullo alio modo blasphemet, sit particeps ; sed non singulis diebus : sufficit enim si statis solum temporibus. *Videntur aliqui jam sæculo* VII *simulasse se energumenos, ut tradit Concilium Trullanum anno* 692 *celebratum ; quare vult ut puniantur canone* LX (*f*) : Eos ergo, qui se dæmone correptos esse simulant, et morum improbitate eorum figuram et habitum simulate præ se ferunt, visum omnimodo puniri ; et talibus afflictionibus et laboribus eos subjici oportere, quibus ii, qui vere a dæmone correpti sunt, ut a dæmonis operatione liberentur, jure subjiciuntur. D

f *Stephani nomen occurrit in charta anni* 761. *Codex Diplomaticus Alemanniæ ch.* XXIII.

g *Consueverant tunc fideles, maxime Dominicis festisque diebus, officiis etiam nocturnis interesse.*

CAPUT IV. Alia miracula.

AUCTORE WALAFRIDO.

Quidam non simplici, ut postmodum claruit, animo adveniens, dum quosdam monasterii operario a diurno agricolandi labore disjungentes ferramenta in aratris per noctem dimisisse perspiceret, tempus tenebrosum fraudibus suis oportunum ratus, tot ferramenta sustulit, quot oneri sufficere proprio credidit. Cumque fugam celerans, tota nocte vacuo laboraret conatu, in ipso lucis exortu ad portam monasterii ex improviso pervenit, et quia factum latere non potuisse cognovit, confessione spontanea patefecit, quod præsumptione pestifera in rebus S. Galli diabolo suadente commisit. Sicque reddens quod auferre molitus est, petita venia, vacuus repedavit. E

Furtum indicatum.

67 Debilis quidam ita membris omnibus contractus, ut nullo pacto per se quoquam progredi potuisset, ad memoriam B. Galli a suis perlatus et cottidie juxta sepulchrum *a* in crypta collocatus, dum usque ad vesperam ibidem orationibus insisteret, ab eisdem ad hospitium reportabatur. Quod dum aliquot ageretur diebus, presbyter quidam ejusdem congregationis die quadam in ipsa ecclesia non longe sacris oblationibus operam dedit, subitoque præter illos cum nullus adesset æger, cœlitus per merita, ut credimus, S. Galli, cujus suffragia sedulo flagitabat, visitatus, confusa horribiliter cœpit voce perstrepere, ita ut idem sacerdos inter sacra Missarum sollemnia, sicut sæpius testari solitus erat, non minimo quateretur terrore et metu. Cumque circumspiciens oculis cuncta lustrasset, et per alicujus præsentiam magnitudinem timoris desideraret evincere, membris miseri ad statum suum redeuntibus, crepitum quasi virgarum in ariditate fractarum audivit, et huc illucque se præ angustia vertens, post paulolum eum qui debilis fuerat, sanum de crypta prodire conspexit, cui etiam tanta mox sanitatis accessit perfectio, ut sine infirmitatis obstaculo optato deinceps potiretur incessu. F

Debilis sanatus.

a

68 In eadem Alamannorum provincia quidam dives tantum valetudine contraria tabefactus est, ut pæne per annum integrum fastidio laborans deficeret, et solatia alimentorum, ut sanitatis recuperatio poscere videbatur, percipere vel continere non potuisset. Is ad cœnobium B. Galli pro hac eadem causa perductus est. Post diuturnas igitur preces et suspiria cum sacræ oblationis consummaretur officium, *b* benedictionis panem de manu sacerdotis accepit. Quo comesto caruit fastidio, et desiderio victualium congrue percepto, benedicens Domino et merita S. Galli miratus, sanus cum gaudio ad propria remeavit.

A fastidio alter,

b

69 Pauperculus quidam presbyter, propter homicidii reatum circulis ferreis tam in collo quam in utroque constrictus brachio, quam gravibus cottidie suppliciis afficeretur, per sulcos quos ferrum carnibus ejus inflixerat, videntibus fidem fecit. Qui cum multa Sanctorum loca pro ejusdem cruciatus remedio et admissi sceleris abolitione lustrasset, divina tandem miseratione respectus,

alter a vinculis liberatus.

c

(*a*) Cfr Mabillon Ann. Ben., lib. III, § VIII, tom. I, p. 52. — (*b*) p. 366. Edit. Lindebrog. — (*c*) T. II, p. 354. Edit. Venet. — (*d*) Ibid., p. 349. — (*e*) Labbe, t. II Conc. col. 1791. — (*f*) Ibid., t. VI col. 1169.

nexus

A nexus quibus in collo vel uno brachio stringebatur amittere meruit, et cum forte in vicinia cœnobii S. Galli venisset, per visionem ei (sicut referre solitus erat) præceptum est, ut sancti viri patrocinia quærens monasterium adiret, pariterque indicatum, quod ibidem circulum quem uno adhuc ferebat in brachio, amissurus et optatæ gratiam sanitatis esset adepturus. At ille desiderio promissæ salutis ardescens, utpote qui tanto tenebatur cruciatu, ut totum jam brachium ferro immerso * esset conversum, iter ad monasterium maturavit. Cumque nocturnis ibidem vigiliis interesset, alto sopore depressus senem assistere videt canicie venerandum, casula indutum sibique dicentem : Quid tu, o homo, cæteris laudem Domini celebrantibus somni torpore deprimeris? Cujus præsentia perterritus cum responsum reddere non auderet, baculo senex, quem manu gestabat, locum ei vulneris tetigit. Dissiliente itaque longius ferro, præ dolore, quem ex attactu persensit, horrendis vocibus astantes perterruit. Quibus percontantibus, qua pro causa psallentes inquietaret, cuncta per ordinem quæ videbat retexuit. Et licet recenti adhuc vulnere non careret, pro amissione tamen ferri, cujus nexibus cruentabatur, quia sanitas in promptu erat, gaudio replebatur ingenti.

* Pertz recte addit : *in tumorem*

B

70 Alio quoque tempore frater quidam, qui in eadem Ecclesia custodis fungebatur officio, cum farum *d*, quæ ante altare S. Galli pendebat, pro incendendis luminaribus ad inferiora deponere debuisset, * incaute funem, quo ipsa farus dependebat retraxit, qui statim e manu dilapsus paxillum cui insertus erat de pariete extraxit. Cumque eadem farus sub nimia celeritate solo appropiasset, repente substitit, et absque ullo humanæ retinaculo artis in aera suspensa remansit. Custos igitur miraculi stupore perculsus, allato igni lampades omnes accendit, et plurimis hoc factum cernentibus, absque pinguedinis effusione seu diminutione lucernarum altius ipsam farum quam pendere solebat retraxit. Deo itaque laudes a cunctis, gratiæ referuntur ab omnibus, qui ad declaranda patris eximii merita stupendi novitate miraculi lumen sanctis aptatum usibus vel ad horam loco venerabili deesse non passus est. Idem frater dum alio tempore lucernas vitreas in eadem lavaret ecclesia, alius quidam ibi incaute deambulans cum se alio repente vertisset, quasdam juxtapositas veste attactas pavimento dejecit, ita ut violento ejusdem dejectionis impulsu usque in ecclesiæ cancellos ferrentur; sed miro divinæ operationis modo absque læsione repertæ, suis continuo non sine admiratione restitutæ sunt locis.

Miraculum in lampade.

d

* Addit Pertz : *ibi*

C

71 Frater quidam ejusdem congregationis, medicinali scientia *e* non ignobiliter instructus, dum quodam tempore incidi flebotomo venam fecisset, et præpropera festinatione post modicum quippiam operis incaute faceret, statim non solum brachium, cujus venam incisio vulneraverat, verum etiam totum corpus ejus distensum est tumore. Qua ex causa accidit, ut mortem suspectam habere cœpisset, quippe quia viderat suæ sibi artis industriam studiosius adhibitam nihil prodesse. Sequenti itaque nocte vidit in somnio placidæ gravitatis senem sibimet assistere, causas infirmitatis blandis inquirentem sermonibus. Cumque interroganti totius ex ordine rei replicaret eventum, senex dixit ad eum : « Memento, fili, » ut luce terris reddita, oleo quod in crypta ante » altare consuevit ardere, vulneris locum perun- » gas : nam continuo sanitatem recipies. » Itaque facto mane, quod in somnio audierat, custodi ecclesiæ retulit, pariterque cum illo basilicam ingressus, ut edoctus fuerat, certus de promissione peregit : nec mora, sacro perunctus liquore, toto corpore detumuit et integerrimam assecutus est sanitatem.

Medicus, e

72 Mulier quædam unicam filiam ab ipsa, ut ipsa referebat, cæcam nativitate propriis humeris monasterio advexit * ; eamque ante altare S. Galli deponens, solo prostrata pro illa diutius incubuit. Illaque orante devotius, subito puella huc illucque in pavimento volutata miserabiliter exclamat, et inter angustias ac gemitus optato visu donata, gratissimum omnibus, qui aderant, præbet signi perspicuitate spectaculum. In eodem monasterio inter scholasticos tunc temporis erat quidam puerulus, pauperculis licet parentibus oriundus, studio tamen discendi satis intentus. Cumque immatura morte utriusque parentis solatio nudaretur, quamvis cottidianum victum suis laboribus assidue quæritaret, nequaquam tamen boni studii, etiam necessitate compellente, instantiam dereliquit. Is lateris quodam dolore percussus, usque adeo gravi per longa temporum spacia infirmitate contabuit, ut in uno latere ab humero videlicet usque ad extremam corporis partem, ulcera saniem emittentia paterent quam plurima. Qua infirmitate in tantum gravatus est, ut jam vix sine aliorum adminiculo quoquam gressum movere potuisset. Sed cum corporale medicamentum quamvis sæpissime adhibitum nihil illi prodesset, et jam jamque desperaretur a cunctis, custos ecclesiæ in festivitate B. Galli cineres de sarcofago illius collegit, et oleum quod ante ipsum altare ardebat admiscuit, adductique corpus pueri ea parte perunxit, quam dolor possederat. Qui die altera, ulceribus jam superductis, sanus inventus, ob memoriam redditæ sibi sanitatis reliquum vitæ tempus in ejusdem sancti loci excubiis fideli devotione transegit.

cæca et scholasticus sanati.

* Pertz : *adduxit*

D

E

73 Post aliquantum temporis puella quædam jam multos per annos manus aridæ et curvatæ pondus ferens inutile, ad monasterium cum matre pervenit. Cumque pio voto manui torpenti globulum lini superponens, ad altare sancti confessoris accederet, et impositura quod attulit, continuo manus ipsa restituta est sanitati. Tempore vero alio rusticus quidam in eadem beati patris basilica ceræ particulam suis aptandam usibus ab altari occulte diripuit. Inde regressus ad hospitium, dum de sinu ceram ad quodlibet opus ex ea faciendum protraheret, in duritiam lapidis conversam invenit, continuoque recurrens ad ecclesiam loco suo quod abstulerat restituit, et astantibus suam salubriter confessus proterviam, quod factum fuerat indicavit. Qui rei novitate stupefacti dum inter admirationem eandem particulam certius rem cognituri tollerent ab altari, mirum dictu! in pristinam suæ naturæ molliciem reperere mutatam.

Fur punitus.

F

74 Juvenis quidam pauperculus orationis causa monasterium adiens, fratrem suum jam dudum amissæ vocis dispendia deplorantem secum adduxit. Cumque altari S. Galli appropinquasset, presbyterum quendam inibi sacrosancta tractantem mysteria conspexit, et consummationem sacræ actionis opperiens, ejusdem sacerdotis ab officio redeuntis genibus advolvitur, et ut pro misero dignaretur aliquas fundere preces ad Dominum, instanter exorat. Et ille hujusmodi desiderio satisfaciens primo orationem pro misero fecit : deinde crucis eum munivit signaculo, ac sic Dominici corporis et sanguinis sacramento firmavit. Quo

Mutus,

facto

facto, resolutis linguæ vinculis, qui mutus advenerat, pristinæ locutionis recepit officia.

contractus, 75 Puerum quendam membris omnibus ita contractum, ut per se nullatenus quoquam progredi potuisset, non longe in itinere quod monasterium ducit, hi, qui eum ferre solebant, solum dimiserunt. Armamentarius * autem quidam per eandem viam de silva monasterium tendens, dum jacentem miserum conspexisset, ait ad eum : Quomodo et unde, o flebilis, advenisti, quove securitatis genere in hoc solitudinis horrore non timuisti remanere? Quo itaque venire desiderasti? Et ille : Pro his, inquit, calamitatibus, quarum me numerositate septum vides, ad B. Galli patrocinia multo jam ex tempore pervenire cupiveram. Sed ecce hi, quorum me labore illuc deferri sperabam, modo viæ longitudine fatigati, me miserum in hac solitudine reliquerunt fame cruciandum et bestiis lacerandum. His ille quæstibus per compassionem ad misericordiam flexus, puerum humeris impositum per unum miliarium ad monasterium portat. Quem deinde frater, cui suscipiendorum pauperum cura commissa est, assumens, congrua mansione refovit. Nocte itaque quadam circa nocturnas vigilias cæteris, qui similiter suscepti fuerant, ad ecclesiam festinantibus, cœpit idem puer omnes attentius exorare, ut ad basilicam deferretur. Cunctisque id quod petebat denegantibus, cœpit crebris B. Galli nomen invocare clamoribus, deinde etiam horribilius perstrepere, ita ut non parvum audientibus terrorem ingereret. Itaque quibusdam ut causas angustiarum ejus agnoscerent introeuntibus, sanus inventus est, et cum gratiarum actione ad ecclesiam properavit.

* armentarius

paralytica, 76 Puellam paralysi multo tempore laborantem sui ad monasterium detulerunt. Quæ ad ecclesiam deportata ad lectionem Euangelii, quæ in nocturnis secundum consuetudinem regularis officii recitatur excubiis, circumstantes, ut se a terra sustollerent et inter manus sustentarent, cœpit rogare. Cumque sublevata fuisset, dimitti se postulavit : illis autem id facere metuentibus, ne forte casu subito læderetur, valere se confidentius affirmavit. Igitur dimissa per se stetit, ac deinceps totius corporis resumpto vigore sana recessit. Cujusdam patrisfamilias non longe a monasterio commanentis ancilla dum fortuito * domus januas aperiret, turbo venti pulverem et paleas in faciem ejus et oculos projecit *f*, statimque crescente molestia, paulatim ei visus decrevit, donec horrendis pœnitus tenebris cingeretur. Hæc ad ecclesiam B. Galli perducta, cum ejus suffragia primo ingressu devotissime precaretur, recepto quod amiserat lumine, gaudens abscessit. Non multo interjecto tempore, dum festivitas octavarum Epiphaniæ annuo celebraretur officio, cunctis tempore sacrificii ad ecclesiam convenientibus, luminaria et candelæ incendebantur ex more. Una autem candela sine lumine inter cæteras ardentes dimissa, inter sacra Missæ sollemnia principalis primo cœpit paulatim fumo tenui vaporare, deinde videntibus non paucis flammam concipiens, et cæteris clarius rutilans signi effectum splendoris singularitate commendavit.

Pertz: *subito*

f

et Scotus liberati. 77 Nuper quoque de natione Scotorum, quibus consuetudo peregrinandi jam pæne in naturam conversa est, quidam advenientes, unum e suis conviatoribus multiplici peste possessum in eodem monasterio dimiserunt. Qui cum aliquantis ibidem moraretur diebus, et cottidie infirmitatis suæ remedium plena fide deposceret, nocte quadam senem sibi per somnium vidit assistere gestu et habitu venerandum, quem quis esset interrogans, B. Gallum fuisse perdidicit, et protinus ad illum : Cernis, inquit, o Domine, toto me corpore dissolutum, meritorum tuorum cottidie evidentiam præstolari. Noli ergo, quod te aliquando credo facturum, differre diutius. Ad hoc enim huc usque me reservatum esse cognosco, ut sicut his barbaris virtus tua latissime claret, ita etiam gentis tuæ hominibus meritorum tuorum fulgor innotescat et claritas. Scis ipse, scis, inquam, a natali solo quam longe sim disjunctus, quantaque inter peregrinationis angustias corporis debilitate compressus : succurre citius, opitulare quantocius. Qua ille motus querimonia, vultu placido paucis ita respondit : Die mortalibus reddita ecclesiam petito, et videbis divino te melius sublevari consilio, quam patriæ vel parentum solatio. Mane facto, summo animi gestientis ardore basilicam properat, et juxta tumulum B. Galli promissionis memor, precibus insistit. Post orationem et lacrimas angulo sarcofagi adnixus, cœpit se sensim erigere, nec prius lecti angulum cui innitebatur deseruit, quam statura erecta et accepto robore, per se ire et redire potuisset. Qui tempore præcedenti plena sanitate donatus, in eodem monasterio precibus et sanctæ vitæ deserviens hactenus conversatur.

Epilogus. 78 Hæc de copiosissima segete B. Galli virtutum memoriæ horreis grana libuit commendare, et nostris et aliorum pastibus profutura : poterunt enim hæc plurimam diligentibus justiciam ædificationis conferre, quia et morum honestatem insinuant, et ad laudem Domini, qui ita Sanctos suos glorificat, devoti lectoris animum vel auditoris inflammant. Cæterum tot et tanta sunt ejusdem sancti Patris miracula, ut nec a studiosis scriptoribus propter copiam sui possint comprehendi, nec a fastidiosis lectoribus sine tædio et rugata fronte percurri. Ea vero huic operi tantum inserta sunt, quæ et veracium relatione testium veritatem custodiant, et moderata brevitate nullius quamvis etiam utilia nausiantis mentem offendant.

ORATIO WALAFRIDI : Obsecramus itaque te, B. Galle, Christi Confessor, ut sicut sanitatem corporum meritis tuis multis te contulisse retulimus, ita nostris mentibus divinæ miserationis medelam implorare digneris. Amen.

ANNOTATA.

a *Componendus est textus his cum iis, quæ supra num.* 62 *legimus : quæ enim hic habemus satis indicare videntur sepulcrum S. Confessoris in crypta delituisse :* Cottidie juxta sepulchrum in crypta collocatus ; *sed* juxta *ponitur pro* subter *cum e num.* 62 *constet in ipsa ecclesia superiore fuisse repositum corpus sancti Galli ; en verba :* Lumen quod ante superius altare et tumbam ardebat, per quandam fenestram radios suos ad altare infra cryptam positum dirigebat, et sufficere utrique loco credebatur. *Cæterum vide delineationem antiquæ basilicæ Sangallensis apud Mabillon in Annalibus Benedictinis* (*a*).

b Benedictionis panis : *ipsa mentio incruenti sacrificii dubium facit, num dives hic sacram Eucharistiam perceperit, an solum panem oratione aliqua sanctificatum ; utroque enim sensu* benedictionis panis *accipitur apud antiquos. Confer Du Cange Glossarium verbo* Panis *et* Benedictio ; *et S. Augustinum in Libro* II De peccatorum meritis et remissione *cap.* XXVI (*b*), *qui dicit* cibos, quibus

(*a*) Lib. XXVI, § XXXVIII, t. II, p. 532. — (*b*) T. X Oper. col. 62.

ad

A ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus *(Paulus)* dixit per verbum Dei et orationem, qua oramus utique nostra corpuscula refecturi.

c *Id publicæ pœnitentiæ genus optime explicat Joannes Mabillon e Ms. codice miraculorum SS. Floriani et Florentii* (*a*) : Consuetudine antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quisquis propinquiorem sibi parentem gladio jugulaverit, et postea pœnitentia ductus, ad pontificem crimen admissi facinoris detulerit, ipso decernente pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus componantur, et collum peccatoris venter atque brachia strictim innectantur ex ipsis ferreis vinculis ; sicque de propria patria et solo patrio pellatur. Interim quousque divina pietas eadem vincula solvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diversa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando, peregre proficisci cogitur. *Hæc eadem ad diem* XXII *Septembris in Vita S. Florentii ediderunt nostri* (*b*), *monstrantque in Commentario prævio num.* 5 *et* 6 *hæc scripta fuisse sub initium sæculi noni ; quæ epocha cum nostra historia optime concurrit.*

d Farus *seu* Pharus *lucerna erat orbicularis cum certo lucernarum aut candelarum numero cujusmodi passim in templis nostralibus adhuc visuntur : sic dicta, quod instar phari sit ejusque speciem referat. Du Cange in Glossario verbo* Pharus.

e *Ad hunc locum dicit Ildephonsus von Arx* (*c*): Si conjecturæ locus dandus est, Isonem magistrum, quem medicinæ peritum fuisse scribit Ekkehardus IV, hunc flebotomum exstitisse crederem. *Conjecturæ assentire non possum, sive cum ipso Ildephonso statuam Isonem anno* 829 *natum* (*d*), *sive cum Benedictinis scriptoribus Historiæ Franciæ litterariæ* (*e*) *ortum ejus usque ad annum* 841 *differam ; in utraque hypothesi junior fuit Iso, quam ut a Walafrido sub annum* 849 *defuncto citari potuerit.*

f *Pertz habet* : turbo venti pulverem levavit et in oculos projecit. D

(*a*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, Præf. n. 41, p. XXX. — (*b*) T. VI Sept., p. 431, n. 19. — (*c*) Pertz. Mon. Germ., t. II, p. 93. — (*d*) Gesch. des Cant. S. Gallen, t. I, p. 89. — (*e*) Hist. lit. de la Fr., t. V, p. 399.

B E

DE S. BALDERICO, CONFESSORE,

IN MONTEFALCONIS IN AGRO REMENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Fasti sacri ; monumenta historica, quæ de S. Balderico supersunt.

ANTE MEDIUM SÆCULUM VII.

Colitur S. Baldericus *in Montefalconis in Campania Gallica,*

Plurima esse loca, quibus non secus ac oppido, ubi S. Baldericus *potissimum colitur, nomen Monsfalconis adhæret, eruditum lectorem non latet ; ut enim sileamus homonyma oppida et vicos, quæ vel in Italia, vel in Belgio, aut in Germania jacent, exhibet nobis Gallia sedecim Montesfalconis ; aut forte plures, nisi in Dictionario Geographico Galliæ d'Expilly, et in Dictionario universali Geographico, Statistico et Historico Galliæ, anno* 1804 *Parisiis excuso, exhausta fuerit series oppidorum et vicorum, quibus id nomen inditum fuit. Ex ingenti autem hac Montiumfalconis multitudine ortus est quorumdam error, confundentium* S. Baldericum *cum S. Galderico seu Gauderico, in meridionali Galliæ tractu multa pietate culto. Non est tamen cur hic latius recenseamus, qui sint Montesfalconis, quibus male adscriberetur* S. Balderici *annua religio ; cum satis sit indicasse, quis locus eum recte ut patronum suum et incolam sibi vindicet. Monsfalconis porro, qui, curante* S. Balderico, *ex silva cœnobium et dein oppidum factum est, jacet in agro Remensi* (dépt de la Meuse) *quinque leucis a Viroduno, totidem a Claromonte, sex fere a Fano Sanctæ Manechildis et duabus a Mosæ ripa : capiebat sæculo superiore exeunte focos circiter trecentos quadraginta. Plura de eo in citatis Dictionariis legere est, atque ipsi inferius explicabimus.*

C

ut ex permultis Fastis sacris liquet,

2 *Nomen autem* S. Balderici, *quod apud veteres Germanos seu Teutones* virum audacia spectabilem (Balde *audaciam,* ric *divitem, spectabilem notante*) *designat, apud nullos classicos martyrologos occurrit ; at contra ingens est numerus Auctariorum, similiumve fastorum, in quibus memoratur. Imprimis Auctaria Usuardi Luxoviense, Lubeco-Coloniense, Greveni, et Molani produnt :* In Montefalconis Beatissimi Balderici Confessoris, cujus merita crebris miraculis declarantur, *vel* cujus sanctitati crebra miracula attestantur. *Canisiani Martyrologii scriptor hæc in germanicum idioma transtulit, reddendo* Monsfalconis *per* Falckenberg ; *sed dubio num id nomen, quo designari solet Monsfalconis in Belgio* (Fauquemont), *recte competat oppido, de quo agitur. Martinus Weissbacher* (*a*), *male P. Girii Vitas Sanctorum intelligens, confudit* S. Baldericum *Remensem cum S. Valderico, immo Galderico aut Gauderico, Canigonensi seu Mirapicensi, de quo ad præsentem diem inferius agimus. Martyrologium Parisiense cardinalis de Noailles meminit quoque* Remis S. Balderici presbyteri, fratris S. Bovæ abbatissæ, et monasterii Montisfalconis versus Virodunum conditoris. *Martyrologium Ebroicense, Menardus, Bucelinus, Saussayus, Wion, Schonleben in Anno Sancto, Ferrarius in Catalogo Universali, Antonius de Heredia in Vitis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Trithemius* (*b*) *aliique* S. Balderici *festum ad* XVI *Octobris referunt. Verumtamen Claudius Chastelain tritum deseruit iter,* S. Baldericum *in Martyrologio suo Universali annuntians ad diem* VIII *Octobris ; quod absque dubio a sagacissimo viro fuit factum, quoniam in Vita SS. Bovæ et Dodæ* (*c*) *repererat, earum fratrem et patruelum* Baldericum *die* VIII *Octobris obiisse : in indice autem SS. apposuit Sancti nostri nomini eum non die tantum* VIII, *sed et* XII *coli ; qui novus error haustus videtur ex nævo typographico, quo in Historia Remensi Marloti perverse dicitur* S. Baldericus Remis ultimum sui cursus diem clausisse XII Octobris, quo festum ejus celebratur. *Vix est quod moneam Cl. V. de Saint-Allais, Castellani vestigia ubique prementem, in eosdem incidisse errores. Martyrologium vero Autisiodorense, jussu Caroli de Caylus editum, ad diem* VII *Octobris* S. Bal-

E

(*a*) Legende der H. Petriner, ad XVI Oct. — (*b*) De Viris Ill. Ord. S. Bened., lib. III, cap. CLII. — (*c*) Act. SS., t. III Aprilis pag. 289.

dericum

A dericum *laudat ; in nota autem subdit :* Ex Martyrologio D. Chastelain hac die ; *quæ annotatio citatiori calamo adscribenda videtur.*

nec distinctus est a S. Valdrico Hispanorum.

3 *Neque hic errorum meta figi potest, cum videam hac die annuntiari ab uno eodemque scriptore* S. Baldricum monachum in Montefalconis *et* S. Valdricum Confessorem in territorio Rhemensi. *Hæc Ferrarius, qui priorem memoriam se mutuatum esse testatur ex Martyrologio Monastico, ex additionibus Usuardi, editi a Molano, et ex Natalibus SS. Belgii ejusdem scriptoris ; alteram vero annuntiationem a se acceptam esse scribit ex monumentis Montisfalconis diœcesis Remensis. At prorsus infidus est martyrologus ille in monumentis, kalendariis, tabulis, etc. citandis : quod generale de ejus accuratione judicium hic luculenter obtinet ; quandoquidem Molanus in suis Natalibus omnino* S. Balderici *non meminit, et credibile non est a Ferrario visa fuisse Montisfalconis monumenta, in quibus præter hujus regionis usum* Valdericus *loco* Baldericus *scriptum esset ; quin immo ex nescio quo Hispano libro illud hauserit : Hispani quippe, ut liquet ex Antonio de Heredia in Vitis SS. Ordinis S. Benedicti,* Valde-

B ricum, *non* Baldericum *Sanctum nostrum nuncupant ; quæ litterarum mutandarum consuetudo satis eis communis est.*

Vita S. Bovæ, innate culpata

4 *Monumenta historica, quæ antiquitas sua veneranda faciat, quina numero de* S. Balderico *latius agunt. Primum est Vita S. Wandregisili, secundum Vita SS. Bovæ et Dodæ, tertium Historia Remensis Flodoardi, quartum Ms. codex citatus a Calmeto, quintum demum Chronicum Alberici Trium Fontium ; quarum scriptionum auctoritatem expendere juvat. In præsentia tamen mitto de S. Wandregisili Vita disserere, cum* § III *aptior ad id recurret locus ; hoc tantum annotandum videtur, constare ex ea, medio sæculo* IX *aut multo etiam tardius circumlatam fuisse* S. Balderici *Vitam, adeo ut in agro Rothomagensi probe cognosceretur ; unde liquet eo potiori fide esse digna ea scripta, quæ cum illa adhuc legeretur, condita fuerunt. Porro secundum monumentum, seu Vitam SS. Bovæ et Dodæ, quam Henschenius noster ex codice Ms. Reginæ Sueciæ edidit* (*a*), nullius auctoritatis *esse pronuntiat Mabillonius* (*b*) ; *quod judicium num justo severius sit, expendendum est. Re quidem vera non omnino authentica est hæc scriptio et patentem errorem admisit ; verumtamen*

C *secundum critices regulas, quas ipse Mabillonius ejusque sodales secuti fuerunt, non minoris facienda est hæc Vita, quam reliqua de* S. Balderico *monumenta, ab eodem annalista citata et laudata. Audiantur scilicet quæ de opusculo suo præfatur anonymus scriptor* (*c*) : Nemo miretur si nos per multa periclitemur, actus SS. Bovæ atque Dodæ Virginum denuo retexentes, cum priorem librum qui de vita earum editus ad volumen usque magnum excreverat, neque viderimus, neque qui vel quæ eum se vidisse testaretur, valuerimus invenire. Verumtamen auditu didicimus a pluribus sororum, quod in eodem monasterio, in quo supradictæ Virgines requiescunt, armarium quoddam fuerit, in quo volumina librorum permulta exstabant recondita simulque opum divitiæ maximarum ; pallia scilicet holoserica.... Inter quæ ipsa etiam liber ille, qui Beatarum actus Virginum continebat et ortus, diversarumque signa virtutum, flammis odibilibus perustus est. *Initio vero Prologi tradit hanc a se susceptam fuisse provinciam, quoniam sæpius monitus fuerat a duobus monialibus monasterii S. Petri Superioris,* Eva scilicet atque Gertrude, quæ earumdem Vitam Virginum ei palam fecerunt, a pluribus quæ obierunt relatam sibi sororibus. *Jam vero nonne evidens est tam facile servari potuisse per sexaginta circiter annos (nam plures non admittendi sunt) memoriam gestorum sanctæ cujusdam monasterii fundatricis et patronæ, quam quæ reperirentur in quibusdam privilegiis, in archivio custoditis, priusquam flammis abolerentur ? Atqui Mabillonius laudat privilegia, quæ propter combustionem renovanda fuerant, cum in opere De Re Diplomatica* (*d*) *ita disserit :* Alia confingendorum originalium causa fuit, ad supplendam veterum jacturam ex bellis, incendiis, aliisque modis. AT QUI RECTIUS SE GEREBANT, a principibus episcopisve privilegia chartasque suas resarciri flagitabant, petito generali privilegio, in quo ecclesiæ aut monasterii generatim confirmabantur possessiones omnes, aut omnium possessionum juriumque accurata fiebat enumeratio. *Et quidem ipse suis operibus plura istiusmodi specimina inseruit ; atque adeo hominum memoriæ nimium fidens, hoc pacto probare studuit Solemniacense monasterium semper sub S. Benedicti regula militasse*

E (*e*). *Porro, cum prima critices regula in eo sit, ut quis sibi constet (qua in re multus est P. Honoratus a S. Maria in suis de critice animadversionibus), fatendum est notam multo atriorem, quam par erat, a Mabillonio inustam fuisse Vitæ SS. Bovæ et Dodæ. Multo rectius egit D. Bouquet suive socii, partem hujus Vitæ inserentes Collectioni Scriptorum Historiæ Galliæ.*

et medio forte sæculo IX, *priore combusta, scripta, plura de* S. Balderico *meminit.*

5 *Verum si tempus, quo hæc Vita conscripta fuit, expenditur, palam fiet hanc Vitam vetustiorem esse scriptis Flodoardi, quem tamen Mabillonius unicum ducem sibi admittit, cum* S. Balderici *gesta prosequitur. Composita quippe fuit hæc Vita, cum in monasterio S. Petri Superiori Remensi* S. Balderici. *Reliquiæ una cum Reliquiis SS. Bovæ et Dodæ servarentur ; quod testatur ipse anonymus* (*f*) *his verbis* : Hæc igitur de sanctissimis pignoribus, Sancto videlicet Balderico, et ejus sorore Beatissima Bova abbatissa, et eorum dulcissima nepte castissima videlicet Doda, templo Dei vivi, a sororibus ejusdem monasterii, IN QUO IPSA JACENT, nobis relata. *At anno* 882, *cum Normanni provinciam Remensem ingressi sunt, jam pridem alibi servabantur* S. Balderici *pignora, ut inferius ab ipso Flodoardo explicabitur. Unde liquet hanc scriptio-*

F *nem exeunte sæculo* IX *antiquiorem esse. Nescio tamen an vetitum foret, eam ad sæculum* VIII *referre, cum anonymus biographus scribat* (*g*) : Jam omnino opificium illud *(intelligit monasterium S. Petri Superius, ab ipso* S. Balderico *exstructum)* pene cerni destructum, *et* (*h*) ecclesiam Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ extra muros Remorum civitatis, *(in qua ecclesia* S. Baldericus *primum sepultus fuerat),* a fundamentis propter vetustatem annorum et maxime ingruentiam paganorum penitus cerni destructam : *quæ sane non ita præ vetustate collabi et destrui potuere, nisi unum alterumque sæculum interfluxisse supponatur. Qui vero hic indicantur pagani, Normanni esse non possunt, siquidem, ut modo dictum fuit, advenerunt illi tantum postquam conscripta fuisset hæc SS. Bovæ et Dodæ Vita : de ea vero hactenus.*

Recensentur alii scriptores ; sed Vita primitiva interiit.

6 *Historia Ecclesiæ Remensis, sæculo circiter post memoratam SS. Bovæ et Dodæ Vitam a Flodoardo conscripta, ubique fere huic consonat ; et quidem ubi ab ea discedit, persuasum mihi est, plerumque non Anonymum, sed ipsum cæterum lauda-*

(*a*) Act. SS., t. III April, p. 283. — (*b*) Annales Ord. S. Benedicti ad annum 629, n. 10. — (*c*) Prolog., § 2. — (*d*) Lib. I, c. VII, n. 6. — (*e*) Cfr Annales Ord. S. Bened. ad annum 866, § 56, et Acta SS. ad diem IV Octob., p. 482 et seqq. — (*f*) Vit. SS. Bovæ et Dodæ, c. V, n. 24. — (*g*) Ibid., c. I, n. 5. — (*h*) Ibid., c. IV, n. 20.

tissimum

A *tissimum historiagraphum errare, quod oscitanter ausus est Anonymi opusculo. Insuper vix dubium est, quin ei quoque præluxerit Vita* S. Balderici, *cognita, ut diximus, in agro Rothomagensi. Quæ autem de* S. Balderico *commemorat, rediguntur fere ad Reliquiarium translationes et ad miracula; quorum relationem apud Falcomontanos exstitisse docet ipsemet. Et quidem Calmetus in Historia Lotharingiæ* (a) *codicem Falcomontensem Ms., ad* S. Balderici *gesta pertinentem, in testimonium adducit; verum vix aliquid ex eo refert, quod a Flodoardo non memoretur. Litteras dedimus in hunc tractum, ut hujus codicis apographum nobis procuraretur; at cum hoc opusculum anno* 1793 *flammis absumptum fuisse tradatur, inutilis fuit hæc nostra cura. Quintum opusculum, in quo de* S. Balderico *agitur, seu Chronicon Alberici Trium Fontium, editum est a Leibnitzio in tomo II Accessionum Historicarum; at monet Albericus se Flodoardi scriptis usum fuisse. Recentiores scriptores plurimi de* S. Balderico *egerunt; verum cum brevem tantum synopsim de* S. Balderici *gestis conscripserint, non est quod plurimum nos morentur. De duobus tantum*

B *dicam : Marlotus in Historia Remensi* (b) *adducit ex quodam* S. Balderici *biographo adjuncta quædam de adventu Reliquiarum S. Germani in Montemfalconis tempore Caroli Magni; sed quis ille auctor sit, nusquam indicat. Suspicor eum esse P. F. Dominicum a Jesu, Ordinis Carmelitani; in cujus opere, Monarchia Sancta, etc., e latino in gallicum idioma verso a Modesto de S. Amabili, Vitam* S. Balderici *reperiri, docet Bibliotheca Galliæ P. Lelong; quod opus pulchrum sibi præfixum habere titulum, sed parum valere pronuntiat Langlet du Fresnoy, severus, immo sæpe iniquus Religiosorum criticus. Quidquid vero sit de hujus operis pretio, facile mihi persuadeo, nihil in eo occurrere, quod Mabillonem, Cointium, Calmetum aliosve fugerit, aut quod notatum non fuerit a Marloto, qui Monarchia Sancta usus videtur. Ex epistola Falcomontani canonici, quem inferius pluribus laudabo, nobis innotuit anno* 1715 *ex licentia archiepiscopi Remensis typis subjectam fuisse aliquam* S. Balderici *Vitam, canonicis et paræcianis usui futuram; quæ quoniam vix quidquam doceret, quod Officio Ecclesiastico deesset, ad nos non fuit transmissa. His porro in historicos fontes præmissis animadversionibus, ad*

C *ipsa* S. Balderici *gesta gradum facio.*

§ II. Synopsis vitæ; quo tempore monasterium S. Petri Remense a S. Balderico conditum sit; tempus natale S. Balderici; est hic Sanctus, non secus ac aliquot alii, filius Sigiberti I regis.

Ex Breviario Remensi anni 1630 paucis exponuntur S. Balderici gesta.

Ut tempus, quo S. Baldericus *vixerit, statui queat, paucis præmittenda sunt ejus gesta; quæ malo in gratiam rerum liturgicarum indagatorum ex Breviario Remensi anni* 1630, *ubi tertia lectio propria est, describere, quam synopsim a meipso confectam exhibere.* Baldericus presbyter, cum sosore sua Bova, regali genere orti sunt, regis Sigiberti scilicet liberi. Remis monasterii puellarum, quod Superius a loci situ nuncupatur, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxerunt, cujus postmodum Bova facta est abbatissa. Constructo monasterio, Baldericus secessit in locum quemdam, quem Montemfalconis D dicunt, densis opertum et horridum sylvis : quas ipse succidens, proprio sibi labore in illo condidit habitaculum. Ubi et diu Deo devote et quiete servivit, et nonnullis piis et Deum timentibus, et eidem Balderico facultates suas conferentibus, cœnobium sub honore Beati Germani ædificavit : quibus peractis, tandem Remos ad sororem suam Bovam reversus, ibidem ultimum sui cursus diem clausit, et sepultus non modico tempore requievit. Cujus corpus tandem ad dictum Sancti Germani cœnobium translatum est. *Collecta hæc sunt ex Flodoardo; et si excipias loca quædam, de quibus dicturi sumus, extra controversiam ponenda sunt.*

8 *Ex recitatis liquet ætatem* S. Balderici *nosci posse, si compertum fuerit, quo ævo monasterium S. Petri Superius conditum sit : porro certum est, id jam exstitisse ante annum* 596, *quo Childebertus II, Austrasiæ et Burgundiæ rex, supremum diem obiit. Etenim Flodoardus* (c) *de Romulfo, Remensi episcopo, hæc inter alia multa testatur :* Villam vero Lautiniacum super fluvium Caltajonem contulit monasterio puellarum Remis in honore S. Petri constructo, quam villam dato pretio se memorat comparasse.... Cujus adhuc testamenti pagina in archivo Remensis Ecclesiæ reservatur, cum auctoritate Childeberti regis, qua petitus idem rex a præfato præsule per Sonnatium diaconem, virum venerabilem *(et postmodum episcopum Remensem)* hoc testamentum confirmare decrevit. *Imo ex sententia Cointii tribus saltem annis id tempus antevertendum esset, quandoquidem ipse* (d) *mortem Romulfi anno* 593 *exeunti alligat; at contra Galliæ Christianæ editores* (e) *ejus vitæ certum terminum non reperiunt, nisi anno* 613, *quo Sonnatius ejus successor res quasdam commutavit cum regina Brunichildi, quæ hoc anno mortua est. Sed malo certis stare, quam digladiari pro re nostra de tribus dubiis annis.*

Quoniam monasterium S. Petri Remense ante annum 596 *a S.* Balderico *ædificatum jam erat, ut ex Romulfi testamento,*

E

9 *Verum Marlotus* (f) *affirmat ambigi posse an monasterium, cujus in prædicto testamento fit mentio, vetus illud sit, cui Susanna præfuit tempore Sancti Remigii, et de quo Flodoardus in sua egit historia* (g). *Quod Marloti dubium sic impugnat Mabillonius in Annalibus sui Ordinis* (h) : Scio quibusdam videri hoc esse monasterium, quod Susanna abbatissa, cujus in Actis Sancti Theodorici abbatis mentio est, Beati Remigii pontificatu rexerit; sed nullo fundamento : imo vero contrarium elicitur ex testamento Sancti Remigii, qui cum omnibus, quæ tunc apud Remos erant, ecclesiis aliquid conferat, nullam prædicti monasterii mentionem facit; quod certe subsequentes post Romulfum antistites, Sonnatius, Lando et Nivardus, quorum testamenta Flodoardus laudat, non prætermiserunt. Ex quo intelligitur, Superius Sancti Petri monasterium, aut pontificatu Romulfi, aut paulo ante, id est sub finem sæculi sexti, conditum fuisse. *Verum vehementer dubito, an hæc ratiocinatio placitura sit non his tantum, qui damnant testamentum S. Remigii, in quo exstant eæ donationes, ad quas alludit Mabillonius; sed etiam illis, qui id approbant, cum mere negativum sit. Me judice, res confecta foret, si constaret tempore Romulfi unum tantum S Petri monasterium Remis exstitisse, atque illud idem esse ac monasterium S. Petri, deinceps dictum* Superius.

quod de hoc monasterio et non de alio S. Petri parthenone agit, comprobatur,

F

10 *Et quidem admittendum est vel in memorato Romulfi testamento agi de monasterio S. Petri Superiore; vel, si de altero, hoc alterum destructum*

certe natus est S. Baldericus *ante annum* 570.

(a) T. I, p. 466. — (b) T. I, p. 262. — (c) Hist. Remens., lib. II, cap. IV. — (d) Ann. Eccl. Francor., t. II, p. 406. — (e) T. IX, col. 18. — (f) Hist. Remens., t. I, lib. II, c. XXXIII, p. 254. — (g) Ibid., lib. I, c. XXIV. — (h) Ad annum 629, § 10.

A *fuisse, priusquam Sonnatius, qui anno* 631 *aut certe ante annum* 633 *obiit* (*a*), *testamentum suum condidisset. Ex his enim, quæ inferius de S. Wandregesilo disseremus, satis superque liquebit, monasterium S. Petri Superius ante annum* 630 *conditum fuisse : porro Sonnatius in testamento suo, quod ex Flodoardo* (*b*) *notum est,* ad basilicam S. Petri in civitate auri solidos III *largitus est. Jam vero* basilicam *hoc loco monasterium significare, luculenter patet ex ipso testamento, ubi eadem vox eodem sensu sæpius evidentissime usurpatur : præterea ostendit Valesius in peculiari de Basilicis opusculo frequentissime olim hoc nomen monasteriorum ecclesiis inditum fuisse. His positis, quæro an credibile sit, testamenti codicillum a quopiam confectum iri, quin in eo determinaretur utrivis monasterio fieret donatio, et mere diceretur* basilica S. Petri, quæ est in civitate, *cum duæ basilicæ S. Petri in civitate conspicerentur ? Liquet itaque Sonnatii tempore unum tantum S. Petri monasterium exstitisse Remis ; et proinde præmissa propositio tamquam certa habenda est. At prorsus a verisimilitudine aversum est, monasterium, quod satis*

B *floreret, ut ei Romulfus testamento suo dedisset villam, jam tempore sui successoris deletum fuisse. Quapropter superest, ut statuatur S. Petri monasterium Superius ante annum* 596 *ædificatum fuisse. Ne vero quis objiciat S. Nivardum similiter non distinguere in suo testamento monasterium S. Petri Superius a monasterio S. Petri Inferiori, satis est monuisse, non tantum, apposito abbatissæ nomine, id sufficienter fuisse indicatum, verum etiam monasterium S. Petri Inferius tempore S. Nivardi nondum conditum fuisse, ut aptiori loco adversus Galliæ Christianæ editores manifestum apparebit. Quæ ut claudam ad* S. Baldericum *regrediens, conclusio esto* S. Baldericum *natum fuisse ante annum* 570, *quandoquidem supponendus est saltem viginti quinque annos natus, cum ante annum* 596 *monasterium S. Petri condidit, eique præfecit sororem suam Bovam, aut potius, si usus ferret, Bobam.*

Refelluntur errores plures

11 *At si quæritur quinam* S. Baldericus, *ejusque soror S. Bova, et mater aut pater ejus neptis S. Dodæ, qui Sigiberti regis liberi dicuntur, fuerint ; denuo non una atque eadem sententia obviat. Primum apud plures fuit fixum persuasumque* S. Baldericum *filium fuisse Sigiberti III, Sancti agnominati ; Antonius de Heredia in hac opinione versatus est, et ante eum alii plures, de quibus Mabillonius in Annalibus Benedictinis* (*c*). *At toto suo*

C *pondere ruit is sentiendi modus ; quoniam, Fredegario teste* (*d*), anno VIII regni sui (*anno Christi* 629) Dagobertus... Ragentrudem stratui suo adscivit, de qua eo anno habuit filium nomine Sigibertum. *Et quidem cum hic Sigibertus III hujus nominis sit, fieri omnino non potuit, ut, qui anno* 629 *natus est, liberos habuerit, qui anno* 596 *monasteria jam ædificassent. Ridicula itaque est opinio eorum, qui nostrum* Baldericum *eumdem faciunt ac Dagobertum II ejusve fratrem, filios Sigiberti III. Qua de re vide Marlotum* (*e*), *Historiam abbatiæ regalis S. Audoeni Rothomagensis* (*f*) *et Historiam Francorum Valesii* (*g*). *Breviarium Remense anni* 1630, *superius citatum, duplicem prodit sententiam : in lectione quippe de* S. Balderico, *dicuntur hic Sanctus ejusque soror Bova Sigiberti filii ; in lectionibus vero de S. Bova ad* XXIV *Aprilis, S. Bova a Sigiberto adoptata perhibetur ; cujus assertionis Saussayus videtur inventor fuisse et Cointius adstipulator : jam pridem a Remensibus sublata fuit hæc*

D *contradictio, ut colligo ex breviario anni* 1759, *in quo non sine adjecto dubio æstimantur regis Sigiberti liberi. Merito a contradictione cautum est : et e duobus dubiis electum est illud, quod quibusdam saltem testimoniis fulcitur ; rejectum alterum, quod verisimiliter sola Saussayi auctoritate, tot fabularum inventoris et propagatoris, nitebatur.*

de patre SS. Balderici et Bovæ et parentum S. Dodæ;

12 *Tertiam sententiam proponit Henschenius in annotatis ad Vitam SS. Bovæ et Dodæ* (*h*). *Postquam enim Flodoardi testimonium et Breviarium Remense citavit :* Quidni, *inquit,* potius (*S. Bova*) ejus (*S. Sigiberti*) neptis cum S. Balderico, ex aliqua filia Dagoberti I nata? *Responsio esto : quoniam hæc explicandi ratio non tantum gratuita est, sed pugnat tum cum exsistentibus monumentis historicis, tum cum chronotaxi,* S. Balderici *gestis adhærenti. Nam ut alia multa taceam, ipse Dagobertus I, Meroveo fratre suo natu minor, ortus non censendus est ante annum* 600, *quo ejus pater Clotarius II vix sextum decimum ætatis annum attigerat : dimidio itaque saltem sæculo erravit Henschenius. Hoc ergo pacto jam præcisos esse arbitror aliquot errores, quos de* S. Balderici *genere vulgatos*

E *norim. Marlotus* (*i*) *atque Joannes Mabillonius in Annalibus* (*k*) *alias sententias aperiunt ; priorem audiamus Marlotum :*

de eadem re exponuntur sententiæ

13 Inquirendum superest quis tandem Balderici et Bovæ parens fuerit. Sigibertus primus, vel secundus : et hic quidem licet brevis potentatus, si prolem tamen ex uxore reliquit, haud inepte censendus est Balderici, et Bovæ pater ; fieri enim potest ob fortunæ casum, subversamque a Chlotario, Brunichildis odio, familiam, ut infantuli a quodam in monasteria detrusi fuerint : at cum historiæ id taceant, imo ex his habeatur spuriam Theodorici regis penitus extinctam prosapiam, et hic Sigibertus Theodorici posterioris filius impubis obierit, hæret hic animus, nec quicquam pro hac opinione occurrit. *Et re quidem vera Fredegarius cap.* XXI *testis est,* anno VI regni Theuderici (*qui annus* 601 *Christi est*) *huic regi* de concubina natum esse filium, nomine Sigobertum, *qui anno* 613, *ut idem cap.* XLII *testatur, cum fratribus interemptus est : non potuerunt itaque Sigiberto II tres nati esse liberi.*

Marloti et Mabillonii.

14 Unde probabilius dici posset, *sic pergit Marlotus,* prædictum Baldericum, et Bovam ex Sigi- F berto I prodiisse. Refert enim Gregorius Turon. lib. IV cap. XLI ad Sigibertum, Parisios regressum a Rotomago, Brunichildem conjugem cum filiis venisse, et lib. V, cap. I (prædicto Sigiberto interfecto apud Victoriacum) Brunichildem reginam, Parisiis cum filiis agentem ac vehementer conturbatam, a Childerico pulsam in exilium, filias vero Meldis teneri præcepisse, ac præter Inguindim et Chlodosuindam, aliam fuisse quæ historicos forsan præterierit, latueritque alicubi in Austrasia cum Balderico, donec pacatis rebus, velut e latebris emergentes primo Remis monasterium juxta portam Basilicarem extruxerint, aliud in loco qui Monsfalconis dicitur ab eventu, quem Frodoardus explicat. *Sic Marlotus. Dubitare mavult Mabillonius his verbis :* Si Baldericus et Bova patrem habuere Sigibertum regem ; id non de alio, quam de Sigiberto Chlotarii senioris filio censeri potest. Sane Ordericus Vitalis Bovam Deo sacratam virginem, Sigiberti ac Brunechildis liberis annumerat ; quamquam illud obstat, quod neque a Gregorio Turonensi episcopo, nec a quovis illorum temporum auctore inter hujus

(*a*) Gallia Christ., t. IX, col. 20. — (*b*) Lib. II. cap. V. — (*c*) Ad annum 629, § 10. — (*d*) Chronic., cap. LIX. — (*e*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXIII. — (*f*) Lib. II, cap. II. — (*g*) L. XX, p. 187 et seqq. — (*h*) Act. SS., t. III Aprilis, p. 286. — (*i*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXIII, p. 255 et seq. — (*k*) Ad annum 629, n. 10.

Sigiberti

A Sigiberti liberos censeantur. An vero hujus Sigiberti naturales proles fuerint, an ex alio regiæ stirpis Sigiberto nati, aliis divinare per nos licet. *Hæc ille. Atque hæc Mabillonii dicta non nihil urgeri possunt ex carmine S. Venantii Fortunati* (*a*), *quod tum in Gallia Christiana* (*b*), *tum in Bibliotheca maxima Patrum Lugudunensi* (*c*) *legitur, quodque conditum fuit, cum Plato archidiaconus anno* 592 *episcopus Pictavensis sacratus est; in eo occurrit sequens distichon :*

Floreat arce decens rex Childebertus in orbe
Cum genitis, populo, matre, SORORE, jugo.

Qui autem hic laudantur geniti, *sunt Theodobertus II et Theodoricus II*, mater *Brunichildis*, jugum *seu uxor Faileuba*, soror *vero unica Chlodesuinda; nam Ingundis, altera soror, anno* 585 *in Africa exul obierat. Unde liquet, si aliæ sorores fuerunt Childeberto II, eas nothas aut spurias fuisse, et proinde Marloti dicta prorsus ruere.*

Probatur Sigiberto I præter Childebertum II, Clodesuindam, et Ingundim,

B 15 *At, inquiunt, Sigiberto neque nothos liberos fuisse, arguit S. Gregorii Turonensis, Fredegarii aliorumque silentium; quam rem penitius inspiciamus oportet. Jonas, monachus Bobiensis, discipulus S. Columbani, laudatissimusque biographus, in Vita S. Columbani, quæ excusa est in sæculo* II *Benedictino* (*d*), *hæc narrat :* B. Columbanus... a Leopario illius urbis *(Turonum)* invitatur ad esum : ire non abnuit... Tunc unus e convivis Chrodovaldus nomine, qui AMITAM THEODEBERTI REGIS in conjugium habebat, regi tamen Theodorico fidelis erat, viro Dei humili voce respondit : Si melius esset lacte potari quam absynthio? Cui vir Dei : Cognosco, ait, te regis Theodorici fœderis jura servare velle. At ille fatetur se fœdus fidei promisisse, et quandiu valeret observaret. Si regis, inquit, Theodorici junctus es fœderi, amico tuo et domino lætus eris a me legatus directus. Hæc ergo auribus ejus infer, et ipsum et suos liberos intra triennii esse circulum delendos, radicitusque stirpem ejus Dominum eradicaturum... Quod postmodum omnes Galliæ nationes sensere impletum. *Talia perhibet Jonas : quæ prophetia cum anno* 613 *adimpleta fuerit, sequitur extitisse circa annum* 610 *amitam Theodoberti II, seu filiam Sigiberti I, diversam a Chlodesuinda, jam nuptam Chrodovaldo, neque tamen nominatam a Gregorio Turonensi et Fredegario, et exclusam e legitimis*

C *Sigiberti liberis Fortunati disticho. Qui vero censeret objici posse hanc* amitam *filiam esse Brunichildis, ante suum in Gallias adventum forte nuptæ, legat is Fortunatum, qui, in carmine* (*e*) *de nuptiis Sigiberti regis et Brunichildis reginæ, hanc ter quaterve a sua virginitate laudat; satis fuerit hos excerpsisse versiculos :*

Sigibertus amans Brunichildæ carpitur igne,
Quæ placet apta toro, maturis nubilis annis,
Virginitas * in flore tumens...

* *lege* virginitate

Unde consequens est Theodoberti amitam filiam fuisse Sigiberti, non Brunichildis.

alios liberos fuisse, sed nothos;

16 *Ob recitatos num.* 14 *Venantii Fortunati versus eam non legitimo thoro a Sigiberto procreatam fuisse jam dictum est. Aliunde summe probabile est ex scriptore coævo plures nothos Sigiberto natos esse ante suam cum Brunichilde connubium. Hic scilicet anno* 535 *natus, et anno* 566 *tantum matrimonium iniens, et proinde* 31 *annos præter omnem morem regum Francorum, anno* 14 *ætatis sæpius uxorem ducentium, in cœlibatu transgressus, a laudato S. Venantio Fortunato, plurimum in aula regia versato, atque hujusmodi rerum teste maxime idoneo, his celebratur carminibus :*

Sigibertus ovans ad gaudia nostra creatus D
Vota facit, QUI NUNC ALIENO LIBER AMORE,
Vincula chara subit; cujus, moderante juventa,
Connubium mens casta petit, LASCIVA RETUNDENS
AD JUGA CONFUGIT; cui nil sua surripit ætas,
Corde pudicus agens, rector tot gentibus unus,
ET SIBI FRÆNA DEDIT; sed quod natura requirit,
Lege maritali AMPLEXU EST CONTENTUS IN UNO.

Hæc Fortunatus in citato epithalamio. Quis itaque mirabitur, si Sigiberti vulgo memoratis legitimis liberis tres saltem nothos adjiciendos esse arbitramur? Quin immo, si prorsus historicos laterent, hæc Fortunati carmina tam clara sunt, ut ob hæc ipsa excogitandi forent. His positis, proferendæ sunt genealogicæ tabulæ.

quos inter Chrodovaldi uxor, S. Baldericus, S. Bova,

17 *Theodoberti amita, uxor Chrodovaldi, ex citata S. Columbani Vita extra controversiam jam est. De S. Bova autem hæc ex non ita diuturna monialium traditione refert anonymus ejus biographus* (*f*) : Exstitit... rege Sigiberto patre progenita, qui fuit nobilissimorum oriundus Cæsarum prosapia. *Passim vero in eadem Vita dicitur* S. Baldericus *frater S. Bovæ; dives in ea apparet, et major natu : unde colligitur eum non tantum uterinum S. Bovæ fratrem fuisse, verum etiam ex filiis*

E *fuisse ejusdem Sigiberti. Quod confirmatur ex eo, quod ab eodem Anonymo* (*g*) *non modo* frater, *sed et* germanus *S. Bovæ dicitur; quæ vox identitatem utriusque parentis etiam illo ævo implicabat, ut liquet ex his Hucbaldi, in Vita S. Rictrudis, verbis :* Habuit autem Dagobertus fratrem Aribertum *(Charibertum)* non tamen germanum, *quoniam alia matre editus erat. Deinde Flodoardus* (*h*) *hæc a se apud alios scriptores fuisse testatur :* S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova... regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigeberti. *De hac nepte inferius. Tertius testis est Ordericus Vitalis a Mabillonio, ut num.* 14 *exhibui, citatus; atque hic cum Bovam tantum memoret,* Baldericum *omittat, non descripsisse videtur hoc loco Flodoardum, sed nescio quo alio monumento usus esse. Quod vero S. Bovam dixit Brunichildis filiam fuisse, error facilis fuit, quandoquidem unam Brunichildem Sigiberti legitimam uxorem noverat. Mitto referre testimonium Alberici Trium Fontium,*

F *quod in Accessionibus Historicis Leibnitii* (*i*) *exstat, quoniam pro more suo ipse Albericus testatur se sua hoc loco mutuatum esse ex Historia Remensi. Quod hic loci denuo a lectore animadversum velim, Flodoardi temporibus exstabat* S. Balderici *latior Vita, ut sæpe monui.*

et forte mater aut pater S. Dodæ:

18 *Ut cum anonymo SS. Bovæ et Dodæ biographo pergam,* superest de ingenuitate nobilis Dodæ, neptis scilicet Sanctorum Balderici et Bovæ, calentis propositi abbatissæ, aliqua suggeramus. Hæc Beata siquidem Doda nobilissima virgo, ab infantia dicitur desponsata cuidam ingenuissimo et sagacissimo viro, regia stirpe (ut fertur) progenito, quemadmodum et ipsa regali oriunda exstiterat prosapia. Sed interim ut diligenter educaretur, suæ traditur prænotatæ amitæ Bovæ abbatissæ ab avunculo Sanctissimo Balderico. *Fueritne hæc S. Doda filia prædictæ amitæ Theodoberti, non habeo unde edisseram : quod si non fuerit, quatuor saltem nothi liberi assignandi sunt Sigiberto, videlicet :* S. Baldericus, *S. Bova, amita Theodoberti seu uxor Chrodovaldi, et mater S. Dodæ, si stricto sensu accipitur appellatio* avunculus

(*a*) Lib. x carm. 17. — (*b*) T. II, col. 1149. — (*c*) T. X, p. 519. — (*d*) p. 22 et seq., n. 42 et seq. — (*e*) Bibl. Patr., t. X, p. 558, lib. VI, carm. II. — (*f*) Act. SS. ad XXIV April., p. 284. — (*g*) Ibid., cap. II, n. 9. — (*h*) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXVIII. — (*i*) p. 44.

S.

A S. Balderico *data; sin autem vox* avunculus *vocis* patruus *locum occupat, pater S. Dodæ. Atque hæc eo securius amplectenda sunt, quod constat, prælu-xisse Flodoardo, de hac Sancta agenti, alia quoque documenta quam ipsam ejus Vitam : scribit scilicet Anonymus S. Dodam*, velatam religionis peplo, sponso furibundo præsentatam fuisse; *qui cum* templum castitatis per vim ad se traxisset, manus quæ castam attigerat vestem, diriguit. Mox *vero* pristinæ sanitati redditus, quidquid chartis ante assignatum exstiterat sponsalibus sui patrimonii idcirco Christo concedit Deo. Contulit siquidem eidem monasterio hæc supradicta, et plura alia donaria, quæ adhuc eadem retinet ecclesia, *quæ inter* Noviantus, villa pulcherrima, et Vallis-monasterii potestas scilicet magna. *Hæc ille* (*a*). *Flodoardus* (*b*) *autem prorsus alia hac de re acceperat; apud eum nempe sponsus* sponsam innitens eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoque modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, traditur interiisse. *Non est cur hic lectori Anonymi narrationem comprobem; id unum notandum Flodoardum egisse de*

B *his Sanctis ex aliis monumentis quam ex Vita SS. Bovæ et Dodæ; quæ testimoniorum pluralitas validum fulcimentum est in præsenti quæstione.*

Virisimiliter S. Balderici *natus est inter annum 560 et 566.*

19 *Quamobrem historice certum censendum est,* S. Balderici*m cum germanis supra enumeratis computandum esse inter liberos Sigiberti I : quod prorsus consonat cum his, quæ num.* 8 *et sequentibus de tempore, quo monasterium S. Petri Superius a* S. Balderico *conditum fuit, diximus. Illic quippe deduximus* S. Balderici*m cum sororibus natum esse saltem ante annum* 570; *at ex his quæ num.* 16 *ex Fortunato et tempore Sigiberti matrimonii, anno* 566 *iniit, collegimus, quatuor aliis saltem annis ejus ortus antevertendus est; atque hæc stricta sunt. Cum autem* S. Balderici*us ob patrimonii sui situm non procul a Remis natus esse atque ante vitam suam cœnobiticam illic habitasse videatur, ejus ortus verisimiliter includendus est inter memoratum annum* 566 *et annum* 561, *quo primum Sigibertus* sedem Remensem, *teste* Gregorio *Turonensi* (*c*), habuit, *Austriæ caput; apud quam urbem, ut monet Ruinartius in nota ad hunc locum*, certum est Sigebertum habuisse regiam. *Qua admissa chronotaxi, reliqua* S. Balderici *gesta sine negotio dilucidabuntur.*

C

§ III. S. Baldericus exstruit Remis sorori suæ S. Bovæ monasterium, ad quod pertinebat templum S. Mariæ extra muros urbis; condit Falcomontanum monasterium, ubi discipulum habet S. Wandregisilum, uti, excussis hujus Sancti Actis, probatur; nova chronotaxis gestorum SS. Balderici et Bovæ texitur; moritur S. Baldericus.

S. Balderici *ante monasterii Remensis ædificationem*

Flodoardus in Historia Remensi (*d*) *hæc narrat* : Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt intra urbem puellarum monasteria : quorum unum (quod Superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxisse traditur... Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippone eidem postmodum obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidem venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reverentia puellarum. *Probant hæc Marlotus* (*e*) *et Mabillonius* (*f*). *Verum ex SS. Bovæ et Dodæ biographo nonnulla animadvertenda videntur de hoc* extra muros *monasterio.* D

non exstruxit monasterium S. Mariæ extra Remos;

21 *Hic enim cum pluribus explicuit* (*g*) *S. Bovæ consilium de servanda virginitate, sic pergit* (*h*) : Quo sororis castissimo Baldericus cognito desiderio, INFRA REMORUM MUROS non longe a basilicarum porta, pretiosum condidit monasterium : E de cujus mirabili structura, quia ad alia properamus, vel quia nostris temporibus jam omnino opificium illud pene cernitur destructum, omittimus in præsentiarum disserere; sed suo iterabimus in loco, prius enarratis quæ pertinent negotium. Quo igitur monasterio ad unguem ædificato, et multis ornamentis ditato, gregeque sanctarum Virginum inibi collocato, et quæ necessaria intrinsecus et extrinsecus videbantur diligenter explicitis, prædictus vir Baldericus sororem suam cum aliis locum incolere fecit puellis. *Verum Ms. codex, unde Henschenius hanc Vitam edidit, hujusmodi conditionis erat, ut ante cap.* IV *aut num.* 15 *multa deessent : quod etiam illic annotatum erat, tamquam id culpa descriptoris contigisset. Hanc autem lacunam implendam his ipsis, quæ* suo iteranda in loco *promittuntur, colligitur ex indicibus titulorum, inter quos hic habetur :* Qualiter S. Baldericus monasterium, in quo sororem suam, Sanctam videlicet Bovam, abbatissam constituit, honorabiliter ædificaverit, et patrimonii sui hæreditatibus ditaverit. *Verum ex modo recitatis, et ex testamentis Romulfi et Sonnatii jam adductis et ex testamento Landonis inferius citando, satis superque constat monasterium puellarum S. Petri semper fuisse infra seu intra non autem extra muros Remorum.* F

verum Remensis parthenon possidebat extra muros ecclesiam S. Mariæ.

22 *Suspicari licet unde prodierit Flodoardi assertio* extra muros urbis... primum puellarum fuisse monasterium; *et hæc altera, hoc cœnobium* in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri constructum fuisse. *Audi scilicet Anonymum sexto numero post lacunam (quod ob dicta notandum est) hæc disserentem :* Dehinc venerabilis Pater honorificenter sepulturæ traditur, in ecclesia Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, extra muros Remorum civitatis.... Quæ ecclesia, quia a fundamentis propter vetustatem annorum, et maxime ingruentiam paganorum penitus cernitur destructa, omisimus de ea prolixius loqui. *Unde manifestum fit ecclesiam B. Mariæ, non monasterium B. Mariæ exstitisse; illic, non in civitate sepultum esse* S. Baldericum; *illi datum fuisse titulum B. Mariæ, non monasterio intra muros exstructo, quod in omnibus testamentis, de quibus sermo fuit, semper cum* S. Petri *nomine, numquam cum*

(*a*) Act. SS. ad XXIV April. Vit. SS. Bovæ et Dodæ, cap. XI, n. 10 et 11. (*b*) Lib. IV, cap. XXXVIII. — (*c*) Hist. Franc., lib. IV, cap. XXII. — (*d*) Lib. IV, cap. XXXVIII. — (*e*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXIII, p. 254 et seq. — (*f*) Annal. Bened. ad annum 629, § 10 et seq. — (*g*) Cap. I. n. 4. — (*h*) Ibid., n. 5.

nomine

A *nomine* B. Mariæ *occurrit. Præterea in opere P. Guyeti Societatis Jesu, Heortologia appellato, frustra inquires ecclesiam aut monasterium, cui vagus patronus aut titulus sit, qualis disjunctivus ille* Sancta Maria vel Sanctus Petrus; *et quidem cum vere plures patroni sunt, sumuntur per modum unius. Confundendo itaque Anonymi aut alterius dicta, consarcinavit Flodoardus suam narrationem. Fieri quoque posset, ut hæc admiserit Flodoardus, quoniam reditus ecclesiæ B. Mariæ adhuc recipiebantur a monialibus S. Petri Superioris; et propterea festum patronale servabatur: qua de re vide Guyetum* (a).

S. Baldericus auctor est S. Bovæ, ut admittat abbatiale munus, et erga S. Dodam tutoris partes agere videtur;

23 *Porro postquam Remense S. Petri monasterium ædificatum esset, et aliquandiu cum suis sociabus S. Bova illic vixisset, ut Anonymus* (b) *testis est,* sorores... conciliabula cœperunt efficere castissima, tractantes quatenus sanctam Virginem Bovam super se ponerent... Quod audiens beata Virgo cœpit refutare pondus honoris... Cum *autem* frater præfatæ Virginis Baldericus hanc sororum unanimem persensit voluntatem, dulcibus verbis et sanctissimis adhortationibus, persuadere cœpit suæ germanæ divinis non contraire

B consiliis, et potius aliarum quam suam pensare voluntatem... Quibus auditis, a rigida obstinatione summovit propositum, et jugo obedientiæ animum ante ad hoc cervicosum substraxit *. *Fueritne* S. Baldericus *tutor S. Dodæ, ambigo; verum apud Anonymum* (c) *de hac Virgine legitur:* Ut diligenter educaretur, suæ traditur prænotatæ amitæ Bovæ abbatissæ ab avunculo Sanctissimo Balderico, ut nobiliter nobilis erudiretur et sancta sanctis institueretur institutis. Docetur enim parvula litteris a primævo divinis, post hinc humanis. *Et inferius* (d), *ubi adventus juvenis, cui ab infantia desponsata dicitur, enarrandus est, sic prosequitur biographus:* Quibus acceptis, Sancta Mater *(Bova)* respondisse fertur: nihil horum sua interesse; quorum interesset, magis interpellarentur; sibi puellam a fratre commendatam, et multis sudoribus apprime eruditam, nulli sine eo reddendam.

* *lege* substravit

ædificat monasterium Montisfalconis,

24 *Verum cum Flodoardo* (e) *pergamus:* Sanctus autem Baldericus post hujus *(Remensis)* monasterii constructionem, locum quærens, ubi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conversari. Deoque devote ac quiete servire valeret,

C tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem Falconis, locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem, avem quam nuncupamus falconem, præviam et quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, ubi nunc habetur altare in honore S. Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu sic vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulerunt; sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione; atque idem sub honore Beati Germani *(Autisiodorensis, ut docent Calmetus in Historia Lotharingiæ* (f), *Mabillonius in Annalibus* (g), *ejusque sodales in Gallia Christiana* (h) ædificavit monasterium. *Quo autem anno hæc gesta sint, nihil novi unde id certo statuatur.*

25 *Verumtamen hæc acta sint oportet jam pridem ante annum* 629, *quo circiter tempore S. Wandregisilus secundum Mabillonium* (i) *ad Montemfalconis accessit, aut etiam ante annum* 627, *cui Cointius* (k) *mavult illigare S. Wandregisili adventum: quæ utraque sententia secundum Boschium nostrum* (l) *admitti potest. Porro de hoc adventu, quantum ad* S. Baldericum *pertinet, plurimum disputatum jam est. Prius itaque exhibenda videntur veterum scriptorum testimonia. In priore Sancti Wandregisili Vita, confecta ab auctore, qui* multa a semetipso visa expressit stylo *barbaro, hæc occurrunt* (m): Post quod ipse vir Dei *(Wandregisilus)* relinquens mundi istius oblectamenta, cupiebat in sancto cœnobio sub religionis habitu conversari. In primitiis cum quodam sene in loco, qui cognominatur Montefalco, habitavit non multo tempore; qui erat homo multum index *(id forte* insignis *est)*, oculos speciosos, faciem liliabilem, manus prolixas, et frequenter per laticem cupiebat eas abluere, qui erogatas *(intellige* erogatis, *etc.)* omnes facultates suas, in camino paupertatis petiit assidendum. *Ad hæc vero inter alia notat Boschius, ex textu vix colligi, ad quem referendus sit* E *ille sensus* qui erat homo, *etc. Vita posterior et interpolata S. Wandregisili, partim ex priore a cœvo quoque collecta, ea ad S. Wandregisilum refert; quod vero contra est, dicitur S. Wandregisilus, in priori Vita paulo inferius, cellam* de facultatibus suis *exstruxisse: quod cum præmissis verbis ægrius consonat. Quare hæc in medio relinquimus. Audiamus jam posteriorem biographum, cujus opella a Mabillonio et Boschio item edita fuit.*

D *quo advenit S. Wandregisilus circa annum 629,*

ut uterque biographus et chronicon Fontanellense tradit.

26 *Sic ille* (n): Postquam autem ut superius indicatum est, ipse vir sanctus mundi hujus oblectamenta deseruit, optabat in sancto cœnobio divinæ insistere philosophiæ, ac monasticæ regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primum in loco, qui dicitur Mons Falconis, cum viro sancto, nomine BALTFRIDO, non multum temporis habitavit; CUJUS ACTUS ET VITAM IN GESTIS DE EO SCRIPTIS, si qui noscere velint, facile invenient. *Mitto reliqua, ad chronicon Fontanellense, circa annum* 835 *scriptum, et Acheriano spicilegio insertum, transgrediens; ubi sequentia reperio* (o): Igitur ad locum qui vocatur Monsfalconis secedit, cuidam magnarum virtutum viro, CUJUS NOMEN MODO MEMORIÆ NON OCCURRIT, ad-

F hærens, plurimumque temporis cum eo conversatus, innocentis vitæ admirabilis cultor comprobatur. Inde a rege præfato *(Dagoberto I)* accersitus, atque ad regiam domum properare jussus, pro habitus mutatione increpatione primo, sed post honorifice prosecutus... *Quæ postrema latius explicata vide in præcitata utraque S. Wandregisili, abbatis Fontanellensis, Vita.*

Probatur S. Baldericum tum illic versatum esse,

27 *Verum quæstio est, num ille* senex, vir sanctus, nomine Baltfridus, *et* magnarum virtutum vir *idem sit ac Sanctus noster* Baldericus. *Mabillonius prius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti affirmavit, deinde in Annalibus negavit; et quoniam Annalium facilior usus est, mirabile non est, si negans sententia apud historicos, qui post Mabillonium scripserunt, secura ubique ferme obviat. Interea jam pridem noster Boschius* (p) *duplex proposuit argumentum, quo istum Baltfridum seu Waltfridum a nostro* Balderico *non distinguendum esse, me judice, invicte statuitur:* Certe, *inquit ipse,* de

(a) Heortolog., p. 108. — (b) Cap. I, n. 5. — (c) Cap. II, n. 7. — (d) Ibid., n. 9. — (e) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXIX. — (f) T. I, lib. X, col. 466. — (g) Ad annum 629, § XII. — (h) T. IX, col. 177. — (i) Annal. Ord. S. Bened. ad annum 629, § X. — (k) Annal. Eccl. Francor. ad annum 627, num. 3. — (l) Act. SS. ad XXII Julii, p. 256. — (m) Ibid., cap. I, n. 8, p. 266, et Sæcul. II Benedict., p. 527. — (n) Cap. I, n. 5. — (o) T. 10, p. 264, novæ editionis. — (p) Act. SS. ad XXII Julii, p. 257.

A Baltfrido hoc, nulla uspiam, quod noverim, præterquam hoc loco fit mentio (Saussayum enim nihil moror), cum tamen debeat fuisse vitæ sanctitate notissimus, ut ibidem asseritur his verbis: « Cujus actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile reperient. » Parum autem verisimile videtur, ut, cujus Acta omnium versarentur manibus, ejus omnino neglecta sit in vicinis Ecclesiis sive Virodunensi, sive Remensi, memoria. S. Balderici quidem Acta perierunt, si paucula quædam excipias, quæ laudatus modo Flodoardus annotavit; at viget etiamnum apud Remos recordatio, eorumque Breviariis ejus festum quotannis præscribitur die XVI Octobris. Firmat hoc sane conjecturam eorum, qui nullum agnoscunt Baltfridum a S. Balderico diversum. Adde, quod monasterium S. Germani S. Baldericus in Monte Falconis versus initia Dagoberti condiderit, ut colliges ex Mabillonio Annal. Benedict. lib. XII a num. 10: potuit ergo facile illi etiam tum præfuisse, cum accederet S. Wandregisilus. Denique in exemplari Ms. Thosano Vitæ secundæ S. Wandregisili, non WALTFRIDUS, B sed BALDRICUS legitur, uti notavit Rosweydus noster, qui nostra cum illo contulit.

eumque male distingui a Baltfrido, cujus nomen

28 *Quibus pauca subjicienda videntur; imprimis postulat veritatis studium, ut Saussayo duo alii addantur scriptores, qui Baltfridi, Montisfalconis cœnobitæ, tamquam a* S. Balderico *distincti, meminerunt: prior est Trithemius, qui in opere de Viris Illustribus ordinis S. Benedicti* (*a*), Balfridum, monachum in Montefalconis in Gallia, vitæ cultorem eremiticæ, multis clarentem, ut aiunt, miraculis tam in morte quam in vita *producit; alter vero est Arnoldus Wion in appendice ad Martyrologium Monasticum* (*b*), *qui hæc a Trithemio mutuatus est, et sua fecit. Quæ si conferantur cum iis, quæ num.* 2 *hujus Commentarii citavi ex Trithemio et Wione loca, in quibus* S. Baldericum *commemorant, facile constabit Baltfridum et* Baldericum *ab eis distinctos habitos esse. Verumtamen Trithemius et Wion recentioris ætatis sunt, quam ut eorum assertiones, quarum fons Vita S. Wandregisili verisimiliter est, adversus rationes superius a nostro Boschio productas subsistere queant.*

post annum 835 male interpolatis S. Wandregisili Vitis insertum fuit; exstabat tum S. Balderici *Vita.* C

29 *Altera quæ facienda videtur animadversio, hæc est: superius dictum jam est in posteriore Vita S. Wandregisili legi* Baltfridi *(immo secundum Ms. Thosanum* Balderici) actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile repertum iri. *Porro summe verisimile est, hæc post annum* 835 *interpolata fuisse. Etenim ut mittam Baltfridum illum mortuum dici a Wione anno* 660 *(sed demus eum anno* 640 *mortuum esse), et Vitam posteriorem sancti Wandregisili, qui anno* 667 *obiit, scriptam fuisse non ita multo post annum* 680 *(vide de hac re Boschium ad* XXII *Julii); neque proin credibile esse gesta Baltfridi, qui numquam sane fruitus est fama, qua S. Martinus, S. Germanus aliique hujusmodi, ita vulgata fuisse, ut monachus non Remensis, sed Rothmagensis pagi, quadraginta annis post mortem præmissis verbis usus fuerit: aliunde omnino apparet illud* Baltfridi *nomen interpolatori debitum esse: sin minus, quo pacto chronologus Fontanellensis, qui Vita posteriore manifeste usus est, (confer inter alia quæ de S. Wandregisili Bobiensi itinere asserit, cum his quæ in duabus Vitis de eodem itinere occurrunt), scribere potuit* cujus nomen modo memoriæ non occurrit? *Sane nondum hæc de putatitio illo Baltfrido intrusa erant, sed oralis tantum exstabat memoria; et proin quam facilis post duo aut tria sæcula similis lapsus! Quod vero hanc interpolationem anno* 834 *recentiorem feci, ratio est, quod circa hunc annum chronicum suum absolvit Fontanellensis Monachus (vide monitum quod apud Acherium ipsi chronico præmissum est); et dein quod Mabillonius vel Ruinartius in Observationibus præviis ad S. Wandregisili Vitas ostenderunt, posteriorem Vitam ex chronico interpolatam fuisse; et demum quæ quidem ipsi de intruso Baltfridi nomine modo præmisimus, satis evincunt corruptionem Vitæ dicto anno posteriorem esse. Ex quibus consequitur hæc vera absurditas, (si ille Baltfridus a* S. Balderico *distinctus admittitur), Fontanellensibus notam fuisse vitam et gesta alicujus Sancti agri Remensis, qui iisdem fere temporibus latuisset Flodoardum Remensem, reliquos agri Remensis Sanctus laudantem, de hoc vero alto tacentem silentio: quocirca statuendum est Ms. Thosanum melius interpolatum fuisse; et* senem, *quem S. Wandregisilus convenit in Montefalconis circa annum* 627 *aut* 629, *nostrum esse* S. Baldericum. D

Refelluntur argumenta Cointii et Mabillonii, E

30 *Atque ex his denuo stabilitur chronotaxis, qua sanctum* Baldericum *num.* 19 *hujus Commentarii prævii non secus ac suas germanas, inter annum* 561 *et* 566 *natum fuisse diximus. Sed hæc et alia plurima a Cointio et Mabillonio concutiuntur, et præterea fides servanda est nostrorum decessorum promissis, qui, Cointii et Mabillonii argumenta recensentes, hæc in Commentario prævio de S. Nivardo num.* 17 *scripserunt*: Cointius in Annalibus Francorum ad annum 627 num. 6 recitat verba Breviarii Remensis, quibus dicitur, monasterium Remis ædificatum a Balderico presbytero, eique præfuisse abbatissam S. Bovam Balderici sororem. De ejusdem monasterii consecratione hæc ibi dicuntur: « Quod Deo in honore Beatissimæ semper Virginis Mariæ atque Sancti Petri Apostoli dicari curavit, Sancto Nivardo pontifice. » Putat Cointius ad annum 649 num. 10 consecrationem illam contigisse circa initium pontificatus Nivardi, vivente adhuc Sigiberto rege. Mabillonius in Annalibus ad annum 629 ostendere nititur monasterium istud conditum esse ante annum 630, quo certe necdum episcopus erat Nivardus, ita ut dubitari possit, an consecratio per Nivardum sit peracta, quod nec Flodoardus asseruit, nec Acta habent. Verumtamen constat, sanctum antistitem in idem monasterium fuisse beneficum: nam Flodoardus cap. VII hæc habet: « Item F (dedit Nivardus bona sua) Remis ad monasterium puellarum, ubi Boba præesse videbatur abbatissa. » Laudatus Mabillonius de hac donatione sic loquitur: « Nivardus Remorum antistes sub finem sæculi septimi quædam largitus est monasterio puellarum Remis, ubi Boba præesse videbatur abbatissa; quæ distinguenda videtur a Sancta Bova ex præmissis: alias plus quam centenaria fuisset. Si quis vero unam et eamdem esse velit, consequens est ut etiam neget, vel Sanctam Bovam fuisse primam Sancti Petri parthenonis abbatissam, aut Balderici sororem; vel certe Baldericum non fuisse conditorem monasterii Montisfalconis, quod conditum erat ex dictis ante annum sexcentesimum trigesimum et quidem post constructionem parthenonis Sancti Petri. » *Quo Mabillonii ratiocinio permoti, Galliæ Christianæ editores statuerunt puellarum monasterium, cui præerat abbatissa Boba, cum S. Nivardus bona quædam ei largitus est, esse monasterium S. Petri Inferius, a S. Guntberto exstructum. Ex his itaque triplex in controversiam reducitur quæstio; quæ sol-*

(*a*) Lib. III, cap. CXLIV; ita citatur a Wione. — (*b*) Lignum Vitæ, t. II, lib. III, p. 411.

venda

A *venda hic nobis est, cum Stiltingus noster ibidem scripserit* : De S. Balderico agi poterit ad XVI Octobris, quo coli dicitur, ibique investigari, an argumenta Mabillonii ad distinctionem utriusque necessario cogant. Certe si monasterium exstructum est non diu ante annum 630, poterat adhuc facile superesse S. Bova, cum isti monasterio benefecit S. Nivardus, longe a fine sæculi VII, cum defunctus sit circa annum 673.

universum hunc Commentarium impugnantia,

31 *Imprimis certum mihi est monasterium cui bona contulit S. Nivardus esse monasterium S. Petri Superius, quoniam monasterium S. Petri Inferius tantum post mortem S. Nivardi constructum esse aperte innuit Vita S. Guntberti, edita absque interpolationibus a Papebrochio* (*a*). *Secundo, certum mihi est abbatissam Bobam eamdem esse ac Sanctam Bovam : de nomine scilicet non potest esse quæstio, cum nemo sit qui nesciat litteras* B *et* V *litteras esse μεταβολάς, ut loquitur Schilterus in Glossario ad litteram* B ; *præterea in ipsa Vita S. Bovæ cap.* I, *num.* 4 *dicitur* Bova ex nomine vocitata, quasi multorum ADJUTRIX est appellata : *cujus etymi ratio repetenda est ex veteri voce* Bub, Bube, ser-

B vum, *præter alia significante, ut elicere licet ex exemplis, quæ confert Schilterus in Glossario Teutonico ad vocem* Baba ; *quæ vox etiam remanet in præsenti lingua theotisca seu flandrica vel hollandica, in qua habemus* Boef ; *sed hæc vox non secus ac* Schalk, *primitus* famulus, *in perversum abiit. Cur hæc latius notanda fuerint, cognoscet lector, si adeat quæ Henschenius diduxit ad citatum locum Vitæ S. Bovæ. Verum non tantum ex nominis identitate, sed aliunde quoque comprobatur abbatissam Bobam eamdem esse ac* S. Balderici *sororem. Etenim ex plurimis episcoporum donationibus, a Flodoardo servatis, satis evincitur id temporis unum tantum parthenonem Remis fuisse : quare si S. Bova a S. Nivardo non designatur, alia quædam ejus monasterii abbatissa, quæ S. Bovæ successit, indicata fuerit oportet ; sed ex Flodoardo* (*b*) *novimus S. Dodam ei successisse ; et firmum Flodoardi testimonium est ; quoniam vidit præceptum immunitatis huic concessum a Pippone seu Pippino Heristalliensi, qui jam anno* 680 *in Austrasia dominabatur ; præterea in catalogo abbatissarum S. Petri Superioris, Galliæ Christianæ* (*c*) *et Marloti Historiæ Remensi* (*d*) *inserto, frustra quæretur altera Bova, aut Boba, quæ monasterio S. Petri Superiori præfuerit. Verum duplex hæc quæstio appendiculæ tantum sunt præcipui Mabillonii argumenti, chronotaxin nostram perturbantis.*

C

et dicta denuo confirmantur,

32 *Tertio itaque adstruo S. Bovam centenaria majorem dicendam non esse, cum ejus monasterio benefecit S. Nivardus ; licet S. Petri cœnobio abbatissa jam præfuerit non tantum circa* 630, *ut vult Mabillonius, sed tringinta quatuor saltem annis ante, ut num.* 8 *et seqq. late stabilivimus. Quod ut constet, sufficit ut S. Nivardi donatio fieri potuerit ante annum circiter* 666 : *(S. Bovæ scilicet ortum inter annum* 561 *et* 566 *retulimus num.* 19 *hujus Commentarii). Porro, ut Stiltingus noster ostendit ad diem* I *Septembris* (*e*), *S. Nivardus Remensis archiepiscopus factus est anno fere* 650 *et forte citius. Quare nihil nos cogit S. Nivardi donationem temporibus multo posterioribus assignare. Sed vult Mabillonius ejusque sequaces hanc ad finem sæculi* VII *referendam esse : utinam tam novæ assertiones certis niterentur probationibus ! sed omne fundamentum Mabillonii videtur in eo esse, quod credidit sæpe dictam donationem testamento S. Nivardi esse contentam ; quod si verum foret, non quidem hinc concludere liceret hoc benefactum anno* 673, *quo fere secundum Stiltingum S. Nivardus obiit, obtinuisse : cum potuerit is Sanctus testamentum suum condere diu ante mortem ; quod, (ut obvium citem testimonium), in Romulfo Remensi præsule admittunt adversus Cointium Galliæ Christianæ editores* (*f*). *Secundo, hæc testamenti hypothesis non tantum gratuita est, sed prorsus caduca ; quoniam Flodoardus, qui S. Remigii, Romulfi, Somnatii et Landonis* testamenta *memorat, nihil hujuscemodi de S. Nivardo adstruit ; quod confirmatur silentio Almanni monachi, S. Nivardi gesta prosecuti* (*g*). *Tertio, hoc ipso loco, ubi Flodoardus meminit concessionis bonorum, de qua quæstio est, agit de aliis donationibus, a S. Nivardo diu ante mortem factis : satis fuerit nominasse largitiones monasterio Altivillari collatas, quas ipse Mabillonius in Annalibus* (*h*), *Gallia Christiana* (*i*), *et nos in præsenti tomo in Vita S. Bercharii ad annum circiter* 662 *retulimus. Stare itaque potest universa nostra chronotaxis, si S. Bovæ anni circiter* 95 *assignentur. Quam ætatem bene multi Sancti, probante ipso Mabillonio, prætergressi sunt.*

D

E

Latet annus emortualis S. Balderici, *qui anno* 629 *senex erat ;*

33 *Quam vero ætatem attigerit* S. Baldericus, *quo tempore mortuus sit, atque alia hujusmodi non ita dispicimus. Wion, qui Baltfridum anno circiter* 660 *mortuum scribit, testatur se nescire quo tempore obierit* S. Baldericus, *qui nobis idem est ac Baltfridus. Castellanus et Martyrologium Autisiodorense generatim ejus mortem annectunt sæculo* VII ; *Martyrologium Parisiense annum* 628 *vel* 664 *assignat ; sed incertum quibus fundamentis hæc nitantur. Ex S. Wandregisili Vita id unum nobis constat, eum circa annum* 629 *adhuc vixisse, sed viribus jam fractum fuisse, cum* senex *dicatur ; deinde ex Flodoardo et ex sæpius citata Vita S. Bovæ eum ante hanc Sanctam migrasse e vivis. Cæterum integrum cap.* IV *Vitæ S. Bovæ in enarranda* S. Balderici *morte est ; satis mihi est descripsisse synopsim, quam margini apposuit Henschenius his verbis :* S. Baldericus abiturus *(e monasterio S. Petri Remensi, quo negotiorum ergo devenerat),* ob tempestatem ad preces Sanctarum *(Bovæ et Dodæ)* excitatam retinetur in monasterio ; gravi morbo tentatur ; timet ne monasteriis malum immineat ; F SS. Bovam et Dodam confortat : seipsum piis votis excitat, ascipiens coronam sibi a Christo oblatam, pie moritur ; odor suavissimus et cadaveris nitor cœlestem ejus gloriam indicant ; obitum ejus maxime lugent S. Bova soror et S. Doda neptis. S. Balderici corpus expositum claret miraculis, sepelitur IX Octobris.

sepelitur in ecclesia S. Mariæ extra muros Remorum.

34 *His adstipulatur Flodardus, caput de* S. Balderico *sic claudens* (*k*) : Quibus patris *(Montefalconis ordinato),* ad sororem suam reversus Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico quievit. *Quæ postrema verba intelligenda non sunt, quasi* S. Baldericus *ipsis Remis sepultus fuisset ; qua in re errant scriptores gravissimi. Etenim capite superiore scripsit Flodoardus* corpora *SS. Bovæ et Dodæ* in ecclesia extra muros urbis... diu tumulata quievisse, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam

(*a*) Act. SS., t. III April., p. 623. — (*b*) Lib. IV, c. XXXVIII. — (*c*) T. IX, col. 271. — (*d*) T. I, lib. II, cap. XXXIV. — (*e*) Act. SS., t. I Sept., p. 270. — (*f*) T. IX, col. 18. — (*g*) Cfr Act. SS., t. I Sept., p. 278 et seqq. — (*h*) Annal. Ord. S. Bened. ad annum 662, § 23. — (*i*) T. X probat., col. 1. — (*k*) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXIX.

(intra

A *(intra urbem)* perlata... *Quæ verba conferenda sunt cum his, quæ Vita* (*a*) *SS. Bovæ et Dodæ exhibet : S. Dodam* odorum muniis diversorum... venerabiliter compositam juxta Sancti Patris Balderici sinistri lateris partem honorifice sepelierunt VIII kalendas Maii, in supradicta ecclesia Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ : ubi merita eorum trium, per multa floruerunt tempora, quousque destructa penitus exstitit illa ecclesia propter rationes superius a nobis tractatas. *Alibi autem dicitur* (*b*) *S. Bova* tumulata ad partem dextri lateris fratris, ad quietem in basilica Sanctæ Dei Genitricis extra muros Remorum, *idemque aperte de* S. Balderico *affirmatur* (*c*). *Secundum hanc vero S. Bovæ Vitam sepultus fuit noster Sanctus* VII *Idus Octobris, seu die* IX *hujus mensis. Marlotus* (*d*) *ex Flodoardo refert* S. Baldericum *die* XII *Octobris obiisse : qui lapsus calami seu memoriæ est, cum nusquam hic auctor* S. Balderici *emortuale tempus notaverit. Quamdiu extra muros Remorum manserint nostri Sancti pignora ; non est unde edisseramus. Attamen num.* 5 *hujus Commentarii prævii planum factum fuit, eas ante annum* 882 *jam*

B *pridem aliorsum asportata fuisse, prius ad monasterium S. Petri Remense, ut ex dicto num.* 5 *liquet, dein ad Montemfalconis, ut late docet Flodoardus in hac historiæ suæ parte, quam ad calcem hujus Commentarii, annotatis instructam, subjicimus. Quod autem* S. Baldericus *in ecclesia S. Mariæ extra muros Remorum, non in ecclesia S. Petri sepultus fuerit, ratio est, nondum id temporis satis invaluisse morem sepeliendi in civitatibus, ut inferius ex Vita S. Mummolini et adjectis notis patet : qua de re non expedit plura hic conferre. Frustra objiceretur testimonium Flodoardi* (*lib.* I, *cap.* XVII) *de sepultura S. Remigii dicentis ; cum potius ille locus indicet pristinum morem sepeliendi mortuos intra muros Remorum abolitum fuisse tempore S. Remigii et ipsius Flodoardi ævo nondum fuisse restitutum. Pergimus jam ad fata cœnobii Falcomontensis, quod* S. Balderico *origines suas debere sæpius diximus.*

§ IV. Elucidantur aliquot puncta historica ad cœnobium Montisfalconis spectantia.

C

n Montefal-onis succes-serant jam temporibus Hincmari canonici loco monacho-rum ;

Quæri primo potest num S. Baldericus *monachus Benedictinus fuerit : mitto repetere responsa Wionis aliorumque, quos num.* 2 *citavi ; unus hic Mabillonius prodeat, qui in indice prætermissorum Secundi Sæculi Benedictini insignit* S. Baldericum *asterisco, qui* designet eos qui germani Benedictini esse videntur ; *sed norunt docti hoc effugium fuisse, quo placaret sodales, qui eum violati canonis Sanctorum Ordinis postulabant, dum alii e suis sociis eum tamquam faciliorem traducebant. Quantum vero ad me attinet, caducis conjecturis indulgere nolo : aliis indagandum relinquens, num quid elici queat ex disciplina et gestis S. Wandregisili, qui* S. Balderico *magistro usus est. Quidquid vero hac de re statuatur, non ita diu in Montefalconis habitarunt monachi, quibus canonici successerunt. Nam, licet hæc Flodoardi verba* (*e*) : Processu denique temporis D diligentia clericorum, prænotatum ipsius beati viri monasterium incolentium, ejus est illuc furtim corpus.... Remis ablatum, *non certo innuunt hos* clericos *jam canonicos fuisse, tempore tamen Hincmari sine dubio illic jam degebant hujus instituti viri ; quod constat ex Flodoardo* (*f*) *asserente* ad tempora Caroli regis et Hincmari archiepiscopi,... Nordmannorum... terrore compulsos *fuisse* canonicos ejusdem loci, *et ex verbis Hincmari* (*g*) *in synodo apud Remos habita anno* 874 : Presbyteri nostræ parochiæ *(diœcesis)* dicuntur ecclesias suas negligere et præbendam in monasterio Montisfalconis obtinere ; sed et canonici ipsius monasterii ecclesias rusticanarum parochiarum occupare. *Quod utrumque cum ex auri cupiditate fieret, et multa procrearet incommoda, severe vetuit. Atque ab hoc tempore usque ad superioris sæculi gallicanos tumultus permanserunt illic canonici. At lubet paulo altius in Montisfalconis historiam inquirere, quam hucusque ab historico aliquo factum fuisse sciam.*

forte invisit Carolus Magnus hunc locum et liberaliter habuit.

36 *Superius ex Flodoardo didicimus monasterio, in Montefalconis a* S. Balderico *ædificato, inditum fuisse titulum S. Germani. Neque id mirabile est, cum hujus Sancti cultum jam tempore S Remigii in diœcesim Remensem introductum tradat S. Hericus Autisiodorensis* (*h*). *Verum neque S. Hericus, neque alius ullus mihi cognitus antiquus scriptor, qui vitam, miracula et translationes S. Germani prosecutus sit, tradit, quæ, teste Marloto* (*i*), *a recentioribus S. Germani et* S. Balderici *biographis asseruntur, et quæ in Officio Falcomontano partim quoque reperio, Carolum Magnum ab Autisiodorensibus petiisse et adeptum esse Reliquias S. Germani, in Germaniam deferendas : eas ad Montemfalconis fuisse translatas ; capulum, quo inclusæ erant tanto pondere fuisse aggravatum, ut inde intellexerint ordinatum altiori nutu, ut prædictæ Reliquiæ cœnobialem* Balderici *ecclesiam adornarent, quæ ob id B. Germano dedicata est ; imperatorem haud multo post hujus rei certiorem factum per nuntios, ecclesiam, et* Balericum *visitasse, cui multos impertiit reditus, quibus decem aut octodecim præbendæ dotatæ, etc. Certum est hic fabulas non deesse :* S. Baldericus *quippe duobus fere sæculis Carolo Magno anterior est ; et translationem Reliquiarum S. Germani tempore hujus imperatoris commentitiam esse manifestum est, cum ex dicto S. Herici libro, tum ex his quæ hac super re commentati sunt decessores nostri ad* XXXI *Julii, vel Lebeuf in Historia Autisiodorensi* (*k*), *aliique complures. Quorum errorum, origines detegere mihi videor in Historia fundationis monasterii Gladbacensis, quam primus edidit Lucas d'Archery in Spicilegio ; ubi in tomo II posterioris editionis hæc leguntur* (*l*) : Fertur ab antiquioribus Caroli Magni temporibus Baldericum quemdam ex regni primoribus in isto monte fabricasse ecclesiam, et cum pretiosissimis Sanctorum Reliquiis, eamque sufficientibus reditibus velut sponsam dotasse pulcherrimam... *Cujus montis situs dignoscitur ex his quæ ibi obviant verbis* (*m*) : Ultra terminum diœcesis *(Coloniensis)* appropriaverunt Molensium fines. In ipsis ergo finibus mons erat incultus... *Et inferius* (*n*) *late exponitur illum eumdem montem esse, in quo Gladbacense S. Viti monasterium ædificatum est. Ut autem excusem eos, qui Gladbacum cum Montefalconis confu-*

E

F

(*a*) Cap. V, n. 24. — (*b*) Ibid., n. 22. — (*c*) Ibid., n. 20. — (*d*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXV. p. 263. — (*e*) Lib. IV, cap. XL. — (*f*) Ibid. — (*g*) Labb. Collect. Concil., t. VIII, col. 587. — (*h*) De Miracul. S. Germani, lib. I, cap. XLVI, ap. Labb. Bibl. nova Mss., t. I. — (*i*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXV, p. 262. — (*k*) T. I, p. 74. — (*l*) p. 656. (*m*) Cap. VI. — (*n*) Cap. VIII.

derunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *derunt, notabo hunc (ut paulo inferius videbitur) in comitatu* Dolinensi *aut* Dolmensi *situm esse : quod nomen a pago* Molinensi *non prorsus dissonat; et præterea de hoc pago innumeras propositas fuisse sententias : vide chronicon Gotwicense ad vocem* Moilla *et opus Cl. VV. Binterim et Mooren de veteri et præsenti diœcesi Coloniensi (a), ubi ille pagus perbene illustratur. Ut jam redeam ad propositam quæstionem, imperatoris transitum et liberalitatem probat Marlotus (b); quæ sententia fulciri potest ex jure, quod in hoc cœnobium deinceps adepti sunt Caroli Magni successores.*

Certe penes ejus successores fuit, a quibus datus est Virdunensibus episcopus ;

37 *Jus scilicet, quo in abbatias regales gaudebant reges imperatoresve, sæpe repetendum esse ex eo, quod illorum munificentiæ abbatiæ fundatio aut reædificatio debebatur docet cum aliis Thomassinus (c). Porro in divisione regni, inter Carolum Calvum et Ludovicum Germanicum anno* 870 *facta, obtinuit Carolus inter varia monasteria* Montemfalconis. *Circa annum vero* 890 *videre est hoc cœnobium penes Arnulfum, regem Germaniæ, filium nothum Carlomanni, Bavariæ regis, nepotem Ludovici Balbi, et pronepotem Caroli Calvi. At circa memoratum*

B *annum* 890 *abbatia seu collegiata ecclesia Montisfalconis e regali facta est episcopalis; ut liquet non tantum ex testimonio Flodoardi (d), sed imprimis ex ipsius Dadonis Virdunensis episcopi, qui eam accepit, scriptione. Hic scilicet, ut ipse præfatur,* anno ab Incarnatione D. N. J. C. DCCCXCIII, regnante vero domino Arnulfo rege anno V, *confecit epitomam gestorum Attonis et Berhardi, qui eum in Virdunensi sede præcesserant, quod prius edidit Wassenburgius in Antiquitatibus Galliæ Belgiæ (e) et dein Calmetus inter probationes Historiæ Lotharingiæ (f). Hæc porro illic occurrunt verba, ad ipsum Dadonis tempora referenda :* Arnulphus quoque gloriosissimus rex dedit in proprium per authoritatis suæ præceptum supradictæ ecclesiæ *(Virdunensi)* abbatiam, quæ vocatur Montisfalconis, quæ est in honore S. Germani constructa, et in comitatu Dolinensi (Dolmensi *legit Calmetus)* est sita, cum omnibus et sibi pertinentibus, *etc.*

qui in eum jurisdictionem temporalem, et spiritualem habuerunt.

38 *Marlotus (g) commentatur hanc donationem, culpatque Wassenburgium, quod exinde contendit (ubi locorum id faciat equidem non reperio) prædicti Montisfalconis ecclesiam Virdunensi fuisse subjectam; et secundum ipsum citatum diploma probat*

C *Argoniæ ulteriorem partem, in qua jacet Monsfalconis, partem imperatorum fuisse dominii, quamvis inficias ire nolit episcopis Virdunensibus prædictum monasterium in commendam fuisse collatum : et quidem Flodoardi testimonio stabiliri posse videtur jam tempore Dadonis usum commendæ apud Montemfalconis obtinuisse ; hæc sane prodit Flodoardus (h):* Præfatus præsul Dado, postquam hanc S. Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum sitas ab Adelardo abbate ad idem dudum monasterium datas pro villa Gerlani monte, super Mosellam conjacente, mutavit. At quam villam dum sanciendi sibi causa, proficisci fratres hujus congregationis PRÆCEPISSET,... profecti sunt EXEQUI JUSSA. *Præterea ex Vita B. Joannis Abbatis Gorziensis, ad* XXVII *Februarii in Opere nostro edita (i), hoc alterum eruere est testimonium : narratur nempe B. Joannes a pluribus fuisse visitatus;* inter quos... quidam vir natione Britto, Andreas nomine, liberalibus apprime studiis eruditus, sed et animi virtute præpollens, et quod his majus est, in divina admodum studiosus. Hic de patria insula, infestatione Normannorum, cunctis ejusdem incolis aut occisis aut fugatis, cum pluribus aliis doctis æque ac sapientibus viris pulsus, a reverendæ sanctitatis episcopo Dadone, cujus supra mentio facta est, in Montefalconis cum nonnullis, qui cum eo advenerant, Brittonibus exceptus et satis liberaliter est procuratus. *At non suavis fuit Montisfalconis canonicis hæc Virdunensium episcoporum potestas : jam anno scilicet* 941, *ut asserit Flodoardus in Chronico,* canonici Montisfalconis oppressione Virdunensis episcopi prægravati, deserentes cœnobium suum, corpus Sancti Balderici patroni sui deferunt Remis. *Hugo Flaviniacensis, qui hanc Flodoardi scriptionem ab anno* 919 *ad annum* 966 *contraxit, in suo Chronico Virdunensi idem factum admittit, innuens tamen oppressionem potius prætensam quam veram fuisse. Sed recentior est Hugo, quam ut ei standum sit.*

D

Inde turbæ, quæ dein sedatæ; quod tamen non liquet ex epistolis, male alicui Montisfalconis abbati attributis.

39 *Quamdiu extorres e suo monasterio degerint canonici Montisfalconis, non in promptu edissere est. Res sane jam composita erat, cum Adalbero, Virdunensis episcopus, ab sua sanctitate laudatus, hoc cœnobio non anno* 980, *ut male statuit Marlotus (k), sed inter annum* 984 *et* 988 *potiretur, ut ex Gallia Christiana (l) constat, idque paulo ante mortem resignaret Rodulfo, fratris seu sororis filio, qui usque ad tempora S. Richardi, abbatis S. Vitoni, vixit, quemadmodum adstruitur a Wassenburgio (m). Citius etiam hanc litem absolutam fuisse statuendum esset ex quorumdam sententia, qui volunt, ut habet Gallia Christiana (n), a quodam abbate Montisfalconis ad Wicfridum, Virdunensem cathedram ab anno* 959 *usque ad annum* 983 *adeptum, scriptas fuisse duas epistolas, in Spicilegio Dacheriano (o) editas. Verum Martennius in Amplissima Collectione (p) easdem cum alia inscriptione edidit, et in adjecta nota satis ostendit eas scriptas fuisse a Remigio Autisiodorensi monacho ad Dadonem, quem supra memoravimus. Martennii argumentis addi potest, Hungaros, qui in priori epistola diœcesim Virdunensem dicuntur vastare, post annum* 935 *in hunc terræ tractum non incurrisse ; quo anno posterior est episcopatus Wicfridi. Amicitia itaque, quæ in hac epistola inter Virdunensem episcopum et congregationem S. Germani vigere dicitur, ad canonicos S. Germani de Montefalconis non spectat.*

F

Dudo primicerius Virdunensis et abbas Montisfalconis,

40 *Ex quo tempore Adalbero Rodulpho nepoti Montisfalconis cœnobium resignavit, non videtur abbatis munus continuo ad episcopum Virdunensem rediisse. In catalogo enim primiceriorum Virdunensium Galliæ Christianæ inserto (q) apparet vir quidam nomine Dudo, de quo sequentia illic leguntur :* Dudo simul erat primicerius et abbas Montisfalconis anno 1032 mense Septembris in charta fundationis prioratus Ameliæ. *(Excusa est hæc charta in Gallia Christiana (r) ; sed* primicerius *illic tantum audit).* Subscripsit litteris Brunonis episcopi Tullensis pro monasterio S. Apri anno 1034. *Quæ litteræ reperiuntur inter probationes Historiæ Lotharingiæ (s) ; at inde discimus tantum eum* primicerium Virdunensem *fuisse. Assertio tamen Galliæ Christianæ certa est, quandoquidem ex archivio Metensi erutum fuit diploma Conradi II*

(a) T. I, p. 230 et seqq. — (b) Hist. Remens., t. I. lib. II, cap. XXXV, p. 262. — (c) De la discipline ecclésiastique, edit., 1725, part. II, lib. II, cap. XXVIII, n. 1. — (d) Hist. Remens., lib. IV, cap. XLI. — (e) Fol. rec. 174. — (f) T. III, col. LXXVII. — (g) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXV, p. 263. — (h) Ibid. lib. IV, cap. XLI. — (i) Cap. III n. 23, p. 694. — (k) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXV, p. 263. — (l) T. XIII. col. 1182 et seq. — (m) Antiq. de la Gaule Belgique, fol. vers. 206. — (n) T. XIII, col. 1181. — (o) T. I, p. 398 poster. edit. — (p) T. I, col. 230. — (q) Gall. Christ., t. XIII, col. 1238. — (r) Ibid. inter instrum., p. 557. — (s) T. II, col. CCLXVII.

A *imperatoris, quo roborat permutationem factam inter Heymonem episcopum Virdunensem, vita jam functum, et Dudonem primicerium Virdunensem simulque Falcomontanum abbatem; quod diploma, excusum in Collectione Historicorum Galliæ* (a), *nuncupat Dudonem* primicerium et abbatem de loco Sancti Germani. *Ejus partem reperiet lector intextam annotatis, Flodoardi narrationi de miraculis* S. Balderici *subjungendis. Ex nullo autem fonte eruere licet, quo anno Dudo primum occuparit abbatialem Montisfalconis sedem; sequitur tantum ex Heymonis emortuali anno* 1024, *Dudonem hoc saltem anno utraque Virdunensis primicerii et Falcomontani abbatis dignitate fruitum esse. Verum non duravit is rerum status; sequenti enim tempore factum est denuo hujus ecclesiæ regimen penes Virdunenses episcopos, ut inferius ad annum* 1168 *videbimus.*

Ab anno 1037, non abbas, sed præpositus Montifalconis præest; castrum dein ædificatum et destructum; jus Virdunensis episcopi.

41 *Interea, triginta circiter annis post Dudonis tempora, abolitus erat* abbatis *titulus, et in* præpositi *nomen, quo Milo ante annum* 935 *jam usus fuisse traditur* (b), *abierat. Quod docemur rescripto Godefridi Gibbosi, ducis Lotharingiæ et Godefridi Bullionensis avunculi, dato diebus sanctis Pentecostes anni* 1057, *de reformandis subadvocatis Ecclesiæ Virdunensis; quod plures abbates et* præpositus etiam de abbatia Sancti Germani *jam pridem efflagitabant, ut apud Wassenburgium legitur* (c). *Neque hæc interventio mira esse potest; quod Monsfalconis feudum seu beneficiarius fundus erat, quem is qui abbatis seu præpositi gerebat munus, sive is episcopus, sive primicerius Virdunensis aliusve foret, a Lotharingiæ duce tenebat. Cujus rei testis est Laurentius de Leodio, scriptor Historiæ episcoporum Virdunensium, Dacheriani Spicilegii tomo II posterioris editionis insertæ; ubi Monsfalconis intra episcopium, seu temporalem jurisdictionem episcopi Virdunensis situs dicitur, et simul mentio fit castri, quod ibidem dux Lotharingiæ tamquam dominus habebat:* Idem dux *(Godefridus Bullionensis), ait Laurentius* (d), castrum Falconis montis, quod in episcopio *(Virdunensi)* firmaverat, ne in posterum noceret, abiens fecit everti. *Quod vero reddidi, vocabulum* episcopium, *cujus varias significationes in Glossario Cangii videre est, per* temporalem episcopi jurisdictionem, *auctor mihi fuit La Martinière in Dictionario suo Geographico ad vocem* C Montfaucon. *Et reapse hæc recta interpretatio videtur, quandoquidem inter pagos, vicos, aliave hujusmodi, in quæ solitam jurisdictionem temporalem per investituram Nicolaus Psalmæus, Virdunensis episcopus, ab imperatore Carolo V anno* 1548 *Bruxellis adeptus est, recensetur ex antiquo more Monsfalconis* (e). *Quod vero spectat ad jurisdictionem spiritualem, video graves, sed recentiores, historicos Montemfalconis ante sæculi superioris tumultus episcopo Virdunensi subjicere, eumque a diœcesi Remensi decerpere. At cum nusquam aliquid mihi occurrat, quod in eamdem me inducat sententiam, arbitror hanc litem dirimi posse, si distinguatur jurisdictio in cœnobii incolas a jurisdictione in accolas vicinos seu Montisfalconis cives; et si illa tribuatur Virdunensi præsuli aliive ejus locum tenenti, hæc vero archiepiscopo Remensi adscribatur. Quidquid id est, archiepiscopi Remensis auctoritas non semper inutilis fuit ipsis Virdunensibus, qui Montefalconis potiebantur. Exstat scilicet in Amplissima Collectione Martennii* (f) *et in Collectione scriptorum Historiæ Galliæ* (g) *epistola Alexandri III Papæ, data Beneventi anno* 1168 *vel* 1169 *ad Henricum Remensem archiepiscopum; qua eum exorat, ut Richardum de Crissa Virdunensem electum, Romanæ Ecclesiæ devotum, defendat a vexationibus* Gideri de Sarnai possessiones ecclesiæ Montisfalconis invadere ac devastare præsumentis, et homines ejus diversis afficientis detrimentis, *quoniam* jam dicti filii sui damna propria reputare debet. D

Archidiaconi Argonæ interdum sunt Montisfalconis præpositi; quinam ex his Virdunenses episcopi facti sint.

42 *Haud scio an diu ante annum* 1224 *archidiaconatus Argonæ (illius nempe Argonæ partis, quæ archidiœcesi Remensi claudebatur), cum præpositura Montisfalconis unitus fuerit; neque similiter satis mihi patet, an hæc beneficiorum conjunctio ab ineunte sæculo* XIII *semper perstiterit: id tantum mihi certum est, Henricum de Malapete utroque hoc munere gavisum esse, cum scissio facta est in capitulo Virdunensi anno* 1224, *saniore capituli parte Radulfum de Torota eligente, (quæ electio post biennium confirmata est,) altera parte eligente ipsum Henricum de Malapete. Latius enucleatum vide hoc negotium in Gallia Christiana* (h). *Similiter Nicolaus Bousmard, qui curante Carolo III Lotharingiæ duce anno* 1576 *bullas suas, quibus Virdunensis episcopus declarabatur, non sine canonicorum quorumdam simultate adeptus est, archidiaconus Argonæ, major præpositus Montisfalconis et decanus ecclesiæ collegiatæ S. Magdalenæ ante suum episcopatum erat* (i). *Inter Henricum et Nicolaum tertius innotescit præpositus Montisfalconis, qui pariter archidiaconatu fruitus est, et anno* 1456 *a majori capituli parte in episcopum electus fuit; quod officium anno sequenti ex nominatione summi Pontificis est adeptus: cujus laudes et nævos late declarat Gallia Christiana* (k). *Ast quoniam in his disquirendis scopus noster fuit, aliquatenus tantum supplere absentiam historiæ abbatiæ Montisfalconis; non est quod investigemus, quo tempore ædificatum fuerit castrum, quod Henricus IV, cum Campania penes Galliarum reges devenit, exscindendum jussit, et de quo Beaugier in Commentariis de Campania* (l) *et d'Expilly in Dictionario Geographico agunt, similiave congeramus ad historiam politicam spectantia.* E F

§ V. Amissio omnium fere S. Balderici Reliquiarum; cultus in diœcesi Coloniensi et in Montefalconis, cum exstaret capitulum et postquam destructum est.

S. Balderici Reliquiæ, quarum pars tantum Remis et in Montefalconis servabatur.

In superiori § *siluimus fere de* S. Balderici *Reliquiis earumque cultu: tum quoniam ea, quæ ante Flodoardi obitum, seu potius ante scriptam ab eo Historiam ecclesiasticam Remensem contigerunt, sedulo annotavit hic historiographus; tum quoniam ea, quæ ejus secuta sunt tempora, omnimodis tenebris involuta jacent adeo ut ipsum corpus jam pridem in ignoto quiescat loco. Remis quidem ut habet Marlo-*

(a) D. Bouquet Recueil des Hist. de France, t. XI, p. 558. — (b) Flodoardi Hist. Remens., lib. IV, cap. XLII. — (c) Antiquit. de la Gaule Belgique, fol. vers. 261. — (d) Spicileg, tom. II, p. 246 nov. edit. — (e) D. Calmet Hist. de Lorraine, t. VII, col. 112. — (f) T. II, col. 761. — (g) D. Bouquet, t. XV, p. 869. — (h) T. XIII, col. 1210. — (i) Ibid., col. 1244. — (k) Ibid., col. 1235 et seqq. — (l) Mémoir. histor. sur la Champagne, t. II, p. 14.

tus

A tus (a), *in gazophylacio S. Petri Superioris servabatur olim* os sat longum S. Balderici *(Marloti verba sunt), quod inter Gallicanos tumultus forte perierit: (nam nihil nobis de eo sciscitantibus responderunt Remenses;) et in Montefalconis aliquot quoque ossicula pia habebantur veneratione: ast reliquæ sacræ exuviæ diuturna sepeliebantur oblivione. Constat id scilicet ex epistola canonici Falcomontani; qui, ut mortem aut sacrilegam vitaret perfidiam, in Coloniensem diœcesim emigraverat. Reverendi autem DD. Binterim et Mooren in suo opere de veteri et præsenti Coloniensi diœcesi (b), ubi Librum valoris Coloniensis diœcesis commentantur, inseruerunt eam ad locum, nomine* Wieslich *in decanatu Arcuensi, qui nunc* Wesseling *aut potius* Wesling, *olim vero* Waslicia *dictus est. Sonant autem in hæc verba circulares illæ litteræ:* Capitulum insignis ecclesiæ collegiatæ Sanctorum Germani et Balderici Mon-

* *lege* Gallice tisfalconis, Galliæ * Montfaucon, Remensis Diœcesis in Gallia, ab imperatore S. Carolo Magno sæculariter fundatum, jam a primis temporibus circa ann. 820, a quodam Adhælardo ecclesiæ suæ abbate seu præposito quoddam dominium ac-

B ceperat, villam nempe Wasliciam, vulgo Wesseling, supra Rheni ripas, Coloniam Agrippinam inter et Bonnam oppidum sitam. Prædium istud canonici Montisfalconis per 600 et amplius annos rexerunt, et per unum e suis fructificare fecerunt ad hoc deputatum, donec mediante sæculo XV, attentis ex majori distantia resultantibus impedimentis, illud canonicis SS. Cassii et Florentii civitatis Bonnensis vendiderunt mediante certo et conducto florenorum aureorum numero; quibus alia sibi viciniora prædia comparaverunt. Extant hujus venditionis, capitulo Bonnensi factæ, instrumenta in archivis ecclesiæ Montisfalconis et actus, per quem nomine sui capituli deputati Cassiani promittunt, se perpetuum in ecclesia sua Bonnensi celebraturos anniversarium pro benefactoribus ecclesiæ Falcomontanæ, iis præcipue, qui eidem dictam Wasliciam dederunt.

videntur olim in diœcesi Coloniensi deperditæ fuisse, ut constat ex epistola hic recitata;

44 Prioribus existentiæ suæ sæculis canonici Montisfalconis, primum a Nortmannis fugati; dein ab Hungaris, qui has Galliæ partes invaserant et infecerant; demum a vicinis magnatibus oppressi, ut eorum se vexationibus subducerent, toties suam Wasliciam petebant, secum auferen-

C tes corpus patroni sui Sancti Balderici; cujus ad exuvias turmatim concurrentes et prostrati, Rhenenses incolæ multas a Deo sanitates impetrarunt multaque sunt admirati miracula, quæ fuse narrat Flodoardus Remensis sæculi X scriptor. Unde S. Balderici cultus non modicum in his Rhenensibus regionibus invaluit. Sed heu! jam ab XI sæculo corpus sui patroni desiderat ecclesia Montisfalconis, cujus tantummodo quasdam possidet particulas; et non absque fundamento conjicere datur, præcipuam corporis partem apud Wasliciam, vel in vicinia, post in supra memoratas translationes esse derelictum. Accedit quod a multis inde sæculis specialis cultus habeatur in eadem collegiata Montisfalconis ecclesia Sanctorum Gereonis et Soc. Martyrum, non alia sane causa introductus, quam ex occasione supra dictarum corporis S. Balderici in archidiœcesin Coloniensem translationum, quemadmodum ex vice versa ex antiqua capituli Montisfalconis possessione patronatum Sancti Germani sibi vindicat parochialis ecclesia Wesling.

45 Quocirca ego Ludovicus Maria de Rosne, D presbyter et ejusdem Falcomontensis ecclesiæ canonicus et historiographus, pro fide nunc et rege in hisce Germaniæ partibus exulatus, nomine dicti mei capituli quoscunque rogandos rogo et obtestor, quatenus me doceant si quid ad eorum notitiam de Sancto Balderico abbate pervenerit. Utrum v. g. apud eamdem Wasliciam vel in vicinia corpus ejus conservari noscatur et cultus ejus vigeat; et si res se ita habeat, certiora per scriptum testimonia largiri dignentur petenti perpetuas tum a me, tum meis confratribus, gratias in terris, sed majorem in cœlis accepturi mercedem ab eo, qui est mirabilis Deus in Sanctis suis. — Coloniæ Agrippinæ 20 Novembris 1793, Derosne, can. Montisfalc. — Præsens manuscriptum per manus authoris tempore sui exilii mihi infrascripto in abbatia Brauwilerensi traditum esse testor, Spenrath.

46 *Paucula de his litteris animadvertisse juverit.* *in quam ali quot faciendæ videntur censuræ:*
Affirmatur initio ab imperatore Carolo Magno Montisfalconis cœnobium sæculariter fundatum *esse: quod aliis verbis sonat id temporis* canonicos sæcu-

E lares *substitutos fuisse monachis primitus illic a S.* Balderico *institutis; verum huic asserto nobis refragari liceat, dum persuasum habeamus tempore hujus imperatoris, si quæ mutatio tunc facta sit, canonicos regulares, non sæculares, illuc introductos fuisse. Re quidem vera regula Aquisgranensis, permultum a Carolo Magno promota, æstimatur a pluribus, quos inter Zunggo (e), numquam suos canonicos inter alios quam inter* sæculares *habuisse; verum inde non certo inferas ubique temporibus Caroli Magni hujusmodi canonicos monachis successisse nam iisdem temporibus regula canonicorum S. Chrodegangi, certe religiosorum, invaluit: quare, cum Hincmarus Remensis in synodo Remensi anni* 874 *capitulum ediderit, quo plane supponit canonicos Montisfalconis vere religiosos fuisse (quod legere est apud Labbeum (d), ubi inter alia mentio fit* professionis libelli), *multo magis nobis placet Zunggo sententia, qui censet (e), sæculo tantum duodecimo canonicos sæculares illuc introductos fuisse, licet tamen ex dictis satis liqueat sæculo nono disciplinam regularem in hoc cœnobio graviter jam labasse. Quæ vero præterea de Montefalconis Zunggo (f) asserit, quot verba tot fere commenta sunt. Quæ qui legere*

F *voluerit, comparet cum his quæ* § *superiore diduximus, et durissima hæc nostra censura mitior forte videbitur. Verum ad* S. Balderici *cultum pedem referamus.*

47 *Monet nos citatum laudatumque opus Binterim et Mooren, in libro* III, *syntagmate* 75 *de Colonia Agrippinensis Magnitudine mentionem fieri de ruderibus ecclesiæ olim* S. Balderico *sacræ. Et quidem in indicato opere (g) legitur, videri conditum a S. Philippo Benitio, anno* 1273 *per Germaniam itinerante, monasterium Servitissarum, quod aliquandiu juxta Bonnam exstitit sub titulo* S. Balderici, *vulgo* Sanct Baldrich, nunc unitum, *ut addit Gelenius anno* 1645 *scribens,* Collegio Ditkirchensi in cujus vinea adhuc videntur rudera S. Balderici. Titulus ecclesiæ tamen videtur exstitisse ab exilio S. Balderici *(Falcomontensium sane canonicorum)* in Wesseling. *Collegium Ditkirchense idem est ac ecclesia collegiata S. Lubentii in Dietkirchen, sita in diœcesi Trevirensi ad fluvium Loganam. Frustra vero plura inquisivi de hoc Servitissarum monasterio, cujus ne mentio quidem fit in Annalibus* *hinc in illa regione cultum obtinuit S. Baldericus.*

(a) Hist. Remens., tom. I, p. 256. — (b) Die alte und neue Erzdiozese Koln, t. I, p. 136 et seqq.— (c) Prodromus Histor. Canonic. Regular., t. 1, p. 100. — (d) Collect. Concil., t. VIII, col. 587 et seq. — (e) Prod. Hist. Canon. Reg., t. II, p. 93. — (f) Loc. cit. — (g) Gelenius de Admiranda Coloniæ Magnitudine, p. 588.

Ordinis

A *Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, neque in operibus, quæ de diœcesibus Trevirensi et Coloniensi habemus, si allata loca excipias.*

Quæ reliqua monumenta ad cultum,

48 *Quod vero ad cultum, Reliquias aliaque hujusmodi Falcomontensia attinet, nihil satius mihi occurrit, quam latino idiomate exhibere binas ad nos datas litteras. Rev. adm. Dominus Houzelot, decanus et parochus Falcomontanus, sic scilicet ad nostra postulata rescripsit*: I. Codex MS., cujus meminit Calmetus, anno 1793 flammis traditus est, non secus ac reliqua monumenta, quæ in archivio Montisfalconis servabantur. II. Pristinæ canonicorum ædes prorsus destructæ sunt; superest unum templum, quod servatum est, ut vices suppleret pristini S. Laurentii parochialis templi, in quo S. Balderici sepulcrum exstabat, et quod omnino nunc dirutum est. III. S. Baldericus patronus non est Montisfalconis, sed S. Laurentius; æstimatur ille tantum ut fundator; verum patronus est in Spanulfi villa *(Epinonville)* et Septargues, exiguis parœciis, quæ dimidia leuca a Montefalconis disjacent. Nulla exstat pia peregrinatio in S. Balderici honorem. IV. Nostra

B ecclesia nullis S. Balderici Reliquiis gaudet; inveni solummodo in sacristia cranium et duo ossa anterioris brachii *(cubitos itaque aut radios)*, authentiæ monumentis destituta. Ea collocanda curavi in altari, non ita pridem in honorem B. V. M. a Septem Doloribus erecto. Æstimat vulgus ea ex corpore S. Balderici olim desumpta fuisse. *(Videat lector quæ num. 44 ex litteris D. Derosne recitavi, judicetque num umquam cranium et duo majora ossa* particulæ *vocari quiverint)*. V. In Montefalconis neque imago, neque statua, neque aliud momenti cujuspiam monumentum, ad S. Baldericum spectans, exstat; si excipias puteum, qui vulgo dicitur LE PUITS DE S. BAUDRY, licet hodie hic Sanctus vernacule non BAUDRY, sed BALDERIC audit; similiter alius puteus prope pristinam ecclesiam collegiatam puteus Sancti Germani dicitur. VI. In hoc tractu non alia noscuntur miracula, quam quæ a Flodoardo referuntur. VII. Missa et Officium hujus Sancti propria sunt; iisque etiamnum utimur, licet Monsfalconis diœcesi Virdunensi nunc capitur, in qua Officium de Communi abbatis usurpatur. *Hæc laudatus Dominus Houzelot in litteris* XXIII *Aprilis anni* 1842 *datis.*

C *cœnobium,*

49 *Mediante eodem Rev. adm. Domino, aliam multoque longiorem assecuti sumus notitiam de pristino* S. Balderici *cultu, et Falcomontanæ ecclesiæ statu. Quoniam hujus notitiæ auctor testis gravis atque ocularis est, et, quantum ex ejus scriptione colligere queo, prudentia non minus quam genuina pietate floret, rem lectori gratam a me factum iri autumo, cum jam ipsas has litteras, tamquam historicum monumentum, integras fere exhibebo. Is est R. D. Radière, hodie canonicus honorarius Virdunensis, et parochus atque decanus Claromontanus in Argona. Paucis itaque præfatus se ab anno* 1778 *canonicum capitularem Falcomontanum fuisse, nunc vero solum pristinis suis sociis superstitem esse, sic pergit* : Capitulum Falcomontanum decem abhinc sæculis *(regulari sub disciplina, intellige)* conditum, constabat præposito, decano, præcentore et viginti octo canonicis; quorum unus in ecclesia metropolitana Remensi canonicus simul erat et archidiaconus. *(Ex quo tempore id obtinuerit, neque apud Marlotum in Historia Remensi, neque ex Gallia Christiana assequi potui.)* Qui his dignitatibus ornandi essent, canonicorum calculis eligebantur. Canonicatus autem et plurimæ parochiæ erant penes liberam nominationem canonici, cujus erant beneficia conferendi vices: D omnes enim canonici pro antiquitatis ordine in tabella AD CONFERENDA BENEFICIA inscribebantur; et per eos ita in orbem ibat hæc facultas, ut quodcumque beneficium, sive canonicatus, sive parochia, intra duas unicuique attributas hebdomades vacaret, pro sola sua voluntate conferret: quod insigne et rarum erat privilegium.

Reliquias,

50 Perpulchra ecclesia collegiata Falcomontana, imperantibus sacrilegis qui tum rerum potiebantur, occlusa est die XX Novembris anni 1790; et abbatia S. Petri Remensis, quæ a S. Balderico suam similiter repetebat originem, paria fata eodem fere tempore perpessa est. Prædictæ ecclesiæ collegiatæ imago nulla exstat; item frustra inquirerentur icones quatuor lipsanothecarum, quas argenteæ laminæ aliæque ex cupro deaurato ambiebant, et in quibus multo honore servabantur sacræ Reliquiæ ex corpore S. Germani, Autisiodorensis episcopi, et hujus collegiati templi patroni, item ex corpore S. Balderici fundatoris, item ex exuviis S. Alpini, Catalaunensis episcopi, et S. Gereonis Martyris. Omnia hæc pia pignora anno 1793 projecta fuere in imum vetus E armarium sacrarii; unde anno 1803 ea collegit R. D. Parochus, ut ea mixtim in capsa lignea clauderet, cum nesciret ad quem Sanctum unumquodque os pertineret. Præter lipsanothecam S. Balderici, honorabatur ibidem ejusdem Sancti statua, alta metro circiter et dimidio, ex lapide sculpta, et picta variegato colore. Reliquarum autem iconum sortem tulit, malleorum vim perpessa. Cum capitulum nondum destructum foret, mos invaluerat circumferendæ tribus Rogationum diebus S. Balderici reliquiariæ thecæ. Multa hæc erat solemnitas: sacras exuvias bini portabant canonici, et chorus inferior ecclesiæ collegiatæ; sed clerus quoque universus tum parœciæ Falcomontanæ, tum subjacentium vicorum, in quibus statio facienda erat, frequens comitabatur. Multus in his vicis tum ardor: incolæ omnes cujusque ætatis et sexus avebant ter subire reliquiariam capsam; cui suos libros, rosaria, aliaque hujusmodi, quin immo lintea ad ægrotos deferenda applicabant. Falcomontani cives simili modo suam in S. Baldericum fiduciam prodebant, cum sacer supplicantium ordo in ecclesiam collegiatam foret redux. *In Vita S. Vitalis, huic* F *tomo inserta, similem pietatis usum observare licet.*

sepulcrum,

51 Historica monumenta, *ita pergit R. D. Radière*, nondum signare potuerunt, quæ exeunte superiore sæculo illic contigerunt et quorum ego ocularis testis sum. S. Baldericus, ut ex lectionibus, in ejus Officio recitandis, atque ex Flodoardo eruere est, ecclesiam parœcialem, S. Laurentio sacram, sibi in sepulturæ locum delegerat. (*Vide Annotatum* e *ad subjectam Flodoardi narrationem.*) Huc delatum est ejus corpus Remis, et in assignato sepulcro conditum, donec canonici, necessitate multiplici compulsi, cum pio hoc onere quoquoversus vagati sint, aliquam tantum partem domum relaturi. Ejus sepulcrum usque servatum fuerat in parœciali S. Laurentii templo; verum anno 1778 vetusta hæc ecclesia destructa est, ut ei nova, eodem fere in loco ædificanda, substitueretur. Sed quoniam ex eo tempore S. Balderici sepulcrum non amplius substernebatur altari, eidem Sancto dicato, curavit capitulum, cujus ipse pars eram, ut hoc sacrum conditorium terra extolleretur; illudque anno 1780 solemnitate multa inter psalmorum cantus transtulit ad novam ecclesiam. Aderam ego ipse;

et





Imp Brévᵉ Georges Hurtrel 11. Place S.t André des Arts. Paris

A et perbene mihi conscius sum a me visum hoc sepulcrum, e magno lapide in alveum cavato constans, et capiens reliquias sandaliorum et hujusmodi alia. Instrumentum publicum, quo testata manerent quæcumque tum erant gesta, misere interiit cum reliquis chartis, quæ turbarum tempore in archivio remanserant. Anno 1795 nova ecclesia parœcialis eversa est, et ecclesia collegiata per fas et nefas in parœcialem commutata. Remansit S. Balderici sepulcrum eo ipso in loco, quo translatum fuerat et reconditum anno 1780. Habes nunc illic forum publicum.

imagines 52 Ad te mitto ectypum sigilli Falcomontani capituli : cernere in eo est S. Germanum episcopum cum pastorali pedo, et Baldericum, monachica veste indutum, exscindentemque securi arborem cui insidet falco : natum inde est nomen Monsfalconis. Eodem modo iidem Sancti depicti sunt in cujusdam sacelli tabula. Medius hic inter eos est S. Laurentius : tres quippe hi Sancti coluntur tamquam patroni ecclesiæ collegiatæ, nunc parœcialis. *Atque hic loci memoratum Montisfalconis sigillum, buxo insculptum, imprimendum curavimus ; quod unicum monumentum sit, quod de* S. Balderico *potuerimus reperire.*

B



Monet dein R. D. Radière alia plura, de quibus superius late jam diximus; doletque quod nullum penes se habet catalogum præpositorum, qui, Argonæ archidiaconatu simul ornati, præfuerunt celeberrimo huic capitulo; penes quod oppidi Montisfalconis et septem subjacentium vicorum ditio erat.

et Officium S. Balderici pertinent, recensentur. 53 *Officium vero proprium* S. Balderici *Falcomontanum, ritui Remensi accommodatum, nihil insigne habet ; et lectiones, quæ infra Octavam recitandæ veniunt, partim ex Flodoardi Remensi Historia, partim e Vita S. Wandregisili et ex quadam de Carolo Magno incerta traditione conflatæ sunt : quocirca eas hic missas facimus. Quæ vero pauca de Vita, plurima vero de miraculis et translationibus* S. Balderici *ex Flodoardi Historia Remensis Ecclesiæ hic subjicimus, ex tomo XVII Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis secundum lectiones Colvenerii desumpta sunt : quæ editio cum satis superque cognita sit, supervacaneum est ut eam pluribus describamus.*

C

VITA,

MIRACULA ET TRANSLATIONES S. BALDERICI.

Ex Historia Ecclesiæ Remensis Flodoardi, lib. IV, *cap.* XXXVIII *et sequentibus, edita in Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensi secundum recensionem Colvenerii.*

D

CAPUT I.

Sanctus Baldericus Remis exstruit cœnobium puellarum, et in Montefalconis monasterium virorum.

S. Baldericus ex regio genere SS. Bovæ et Dodæ Remis exstruit cœnobium

Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo *a* non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt infra urbem puellarum monasteria : quorum unum (quod Superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri *b* construxisse traditur. Qui regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege *c*, habentes neptem, nomine Dodam *d*, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigeberti : quamque præfata ipsius amita Bova instituens ad serviendum Deo, servandamque perpetuo virginitatem, ab amore terreni avertit sponsi. Qui cum sibi adversaretur, sponsam innitens eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, traditur interiisse *e*. Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippone *f* eidem postmodum obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium *g*, tumulata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidemque venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reverentia puellarum.

a

b

c

d

E

e

f

g

et alterum sibi in Montefalconis.

2 Sanctus autem Baldericus, post hujus monasterii constructionem, locum quærens, ubi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conversari, Deoque devote ac quiete servire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem falconis locum. Qui locus tunc temporis, inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem avem, quam nuncupamus falconem, præviam et quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, ubi nunc habetur altare in honore Sancti Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu sic vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulere ; sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione ; atque idem sub honore Beati Germani ædificavit monasterium. Quibus patratis, ad sororem suam reversus Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico requievit *h*.

F

h

ANNOTATA.

a *Hæc monasteria et basilicæ destructæ fuerint oportet ante annum* 948, *cum Flodoardus Historiam suam ante hæc tempora scripserit, ut conjiciunt Sirmundus*

A *mundus et Colvenerius. Confer annotationem Colvenerii ad Flodoardi prologum.*

b *Colvenerius ad hunc locum hæc scribit* : Sirmundus recte notat in margine VEL poni pro ET. Quod et aliis quibusdam locis contingit, præsertim in summariis capitum. *Verum, utut sit, æstimo in Commentario prævio num.* 22 *satis manifestum fuisse factum, ecclesiam B. Mariæ extra muros Remorum fuisse, monasterium vero S. Petri intra muros; cui si aliquando B. Mariæ titulus accessit, id factum sane fuerit, quod, destructo B. Mariæ templo, ejus reditus a Remensibus monialibus adhuc accipiebantur.*

c *Hic Sigibertus primus hujus nominis est, ut* § II *Commentarii prævii probatum fuit.*

d *De SS. Bova et Doda, quæ die* XXIV *Aprilis Remis coluntur, dixit jam ad hanc diem decessor noster Henschenius.*

e *Paulisper aliter id explicatur in Vita SS. Bovæ et Dodæ, ut num.* 20 *monuimus.*

f *Hic Pippo idem est, qui Pippinus Heristalliensis vulgo nuncupatur, et ab anno* 680 *in Austrasia dominatus est. Vide num.* 31 *Commentarii*
B *prævii.*

g *De monasterii hujus ecclesia, cui B. Maria titulus erat, deque ipso prætenso monasterio dictum est in Commentario prævio num.* 22.

h S. Baldericus *sepultus fuit in ecclesia S. Mariæ extra Remorum muros, ut num.* 34 *Commentarii prævii vidimus; sed dein, ut numeris* 5 *et* 34 *dictum fuit, ad Remense S. Petri Superioris templum delatum est ejus corpus.*

CAPUT II.

Miracula et translationes usque ad finem fere sæculi IX.

Clerici Falcomontenses Remis abripiunt S. Balderici *corpus;*

Processu denique temporis diligentia clericorum, prænotatum ipsius Beati viri monasterium incolentium, ejus est illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis *a* ablatum. Quos dum insequerentur quidam cives Remenses, eo usque sunt persecuti, donec eos visu quidam deprehenderent. Dumque turbarentur horum adventu sacri latores pigneris *, inter
* pignoris C utrosque densa dirimens nebula divinitus creditur illata, qua sequentes obtenebrati, et errore in devia rapti, vestigia præcedentium servare nequiverunt. Evectores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiavit, donec ad proximam cœnobio possessionem, quæ dicitur villa *b* Spanulfi *, infatigabiles pervenerunt. Ubi
b * *alibi* Spamulfi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est ecclesia. Quibus abinde
* pignore cum sacro promoventibus pignere *, ubi monasterio propinquare cœperunt, ecclesiæ signa *c* cœnobii sponte, absque humano scilicet impulsu, sonuisse feruntur. Quod audientes fratres obviam
c sunt egressi ; sicque diu desiderata suscipientes munera, dum in ecclesiam Sancti Germani ea connantur inferre, tanto persentiunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, ut hæc nequaquam potuerint ulterius emovere, cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine
d perpetrare. Sic demum tecto *d* super defixa con-
* *forte* condito ditio * membra Confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur.

e 4 Quo temporis peracto spatio, ad ecclesiam Sancti Laurentii *e*, ubi vivens ipse sibi sepulchrum paraverat, celebrato per triduum jejunio, venerabile corpus ejus perlatum, et in suo reverenter est depositum sarcophago; ibique constat venerabili cultu servatum, usque ad tempora Karoli regis, et Hincmari archiepiscopi, quando Nordmanni *f* hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi, canonici ejusdem loci corpus hujus patroni sui de sepulchro levatum super altare Sancti Laurentii posuerunt. Quod dum fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxerunt, ita recentes et calidæ, ac si de vivente profluerent corpore. Sicque delatum est Virdunum *g*. Unde relatum, in ecclesia est Sancti Germani locatum. Interim dum suo abesset monasterio, Nordmanni ad id pervenerunt ; sed Domino illud protegente, nec ecclesias incenderunt, nec homines, nisi unam duntaxat mulierem, occiderunt. Ut autem recesserunt, altaria muneribus suis cumulata dimiserunt. Altera vice dum Nordmanni ad eumdem locum rursus accederent, quidam canonicus loci, nomine Ottradus, corpus Sancti accipiens, reliquis fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quamdam conscendit arborem. Quem insecuti pagani usque ad ipsam perv enerunt arborem, et respicientes sursum, E neminem potuerunt eamdem conscendisse deprehendere. Idem vero frater per novem dies inibi permanens, nihilque victus, præter unam solummodo sumens glandem, neque famem, neque sitim passus fuisse memoratur. Iterumque tunc locus idem meritis hujus beati viri a cædibus et incendio paganorum liberatus est. Postea contigit, ut quidam prædones, *h* regiæ majestatis in-
h fideles, ad eumdem devenirent locum, et non invenientes ibi manum repugnantem sibi, desolatum prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa ecclesiæ Sancti Laurentii, nemine pulsante, sonare cœperunt, et duo cerei supero sunt igne divinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis et aufugientibus, unus eorum prolapsus ad ipsam monasterii portam corruit, tamque ipso quam superbo ejus equo ruina contrito, utres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Cæteri hoc videntes, donis ecclesiam muneraverunt, metuque affecti recesserunt.

D *quod præ Normannorum metu alio vehunt, sibique adversus prædones præsidium habent.*
f
g

Propter penuriam transferunt illud Wasliciam in diœcesi Colonienst.

5 Hujus venerabilis loci canonici, famis quondam necessitate compulsi, sumptis a corpore venerandi patroni sui Reliquiis, ad suam quamdam villam, supra ripam Rheni sitam, cognomento Wasliciam *i*, quam quidam eorum abbas, nomine Adelardus, eidem contulerat cœnobio, profecti sunt. Ubi dum pagenses, alma venerantes pignera *, sua dona deferre cœpissent, abbas quidam
i
* pignora
k monasterii, quod vocatur Bunna *k*, pergens ad
l Willebertum *l* Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare devotionem, nec re vera Sancti alicujus pignera * illuc adstruens esse delata.
* pignora Timentes autem canonici, qui advenerant, ne forte constringerentur, et discuterentur ab episcopo, quoniam totum ipsius Sancti corpus secum haberi ferebant, mox ut hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere centum rediere monasterium : assumentesque cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatio leucæ fere distantibus, ecclesiæ signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi, qui remanserant in eodem loco, clerici hoc audientes, et patronum suum advenire intelligentes, obviam cum crucibus pergunt, et honore digno tutorem suum suscipiunt. Quibus missarum solemnia celebrantibus, tria mihi repente mira contigerunt. Con-

tractus

A tractus unus erectus, cæcus quidam illuminatus. et loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat a visitatione Sancti avertens. Quæ dum gereret, febre correptus, ita graviter est vexatus, ut nec manducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris hujusce coactus *, tandem peccatum suum recognovit, et sella se gestatoria usque ad Rhenum, indeque navigio usque ad prædictam villam, sicque ante corporis almi præsentiam perferri fecit ; ibique culpam suam confessus, absolvi se petiit, et quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit ; factisque votis annuatim solvendis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, et sic pedibus suis ad sua sanus recessit. Demorantibus hic præfatis per anni spatium cum patrono suo clericis, nulla ut ferunt dies præteriit, quo non ibidem Dei miracula patrarentur. In ipsis autem vigiliis Sancti Johannis Baptistæ, confluentibus de Saxonia *m* pluribus et a longinquis etiam regionibus, decem et octo insignia probantur ostensa : vixque aliquis æger accessit, qui non sospes alacerque recesserit. Ubi tanta rerum delata est copia, ut et ipsi clerici exinde viverent, et cæteros qui remanserant in monasterio sustentarent, ecclesiamque ipsius villæ amplificarent vel decorarent.

* *alias* excoctus

B

6 Postea contigit, ut propter aquæ indigentiam foras extra monasterium suum idem sacrum corpus efferretur, et obviam Sancti Jovini *n* pigneribus portaretur. Cujus dum fuisset in occursum perlatum, mox ut simul venerunt, obnubilato cœlo, cum magna siccitas existeret, copiosa pluviarum vis effusa est ; et dum humectarentur imbre omnium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra Sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt a pluvia. Ibi quidam luscus lumen amissi recepit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, ut erat jocularis, ingratus recessit : at ubi domum pervenit, lumen quod receperat, iterum perdidit. Dum vero perventum est ad monasterium cum utriusque Sancti corpore, ita Sancti Balderici pignus est aggravatum, ut nullatenus moveri posset, donec Sancti Jovini usque ad cœnobium præcedere membra fecisset. Cum autem domnus Dado Virdunensis episcopus *o* hanc a rege impetrasset abbatiam, et hæc mira cœpisset audire, constituit ut omnibus annis trium monasteriorum sacra pignera simul in quemdam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum *p* : de sede scilicet urbis Virdunensis Sanctus Vitonus *q*, et Sanctus Agericus *r*, Sanctus vero Baldericus de monasterio suo, et Sanctus Roduicus *s* de Wasloio *t*. In quo conventu innumera post modum sunt patrata miracula, ut vix præterierit hujusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus : maxime tamen illi, qui patrocinia Beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conventu quidam locutus est mutus, quem Virdunenses arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod Sanctorum virtus, quos detulerant, hoc miraculum perpetrasset. Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tanto Sancti Balderici pondere aggravata sunt ossa, ut penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stuporem recurrentibus multis, dum quæruntur sui, cur inibi vellet immorari, et quid ibidem disponeret operari, accidit ut requireretur ille, qui locutus fuerat mutus. Tandemque revocatus, ubi ad locum defixi perductus est pigneris, mox absque difficultate sublatum, et ad suum sacrum corpus gratanter est cœnobium reportatum.

In conventu corporum SS. Balderici, *Jovini, Vitoni et Agerici,*

n

C

o

p

q r

s t

AUCTORE FLODOARDO.

7 Præfatus præsul Dado postquam hanc Sancti Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum, sitas ab Adelardo abbate ad idem dudum monasterium datas, pro villa Gerlani monte *u*, super Mosellam conjacente, mutavit. Ad quam villam dum sanciendi sibi causa, proficisci fratres hujus congregationis præcepisset, illi assumentes secum patroni sui domni videlicet Balderici membra, profecti sunt exequi jussa. Qui dum ad villam, quæ Deva *x* dicitur, pervenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignera, ut progredi nequaquam valerent ulterius ea ferentes : initoque consilio, ut ad ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore Sancti Martini dicatam, perferendi recipiunt possibilitatem. Quo perlatis pigneribus, ut post orationem ab ecclesia est relatum, iterum Sancti aggravatur corpusculum ; mirantibusque cunctis, et quod aliqua inibi Deus pro Sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibusdam ferentibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Advenientibus autem læsis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, et fœmina quædam brachiis ab octo annis contracta resolvitur, duæque fœminæ cæcæ sunt illuminatæ, et infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, ubi postea duæ fœminæ lumen oculorum receperunt, et candelæ divinitus accensæ, multique diversis sunt ab infirmitatibus liberati.

et in vico Deva plurima fiunt miracula.

u

x

E

F

ANNOTATA.

a *Num.* 5 *Commentarii prævii docuimus* S. Balderici *sacras exuvias tum servatas fuisse in monasterio S. Petri Superiori Remensi.*

b Villa Spanulfi *aut* Spamulfi *nuncupatur hodie* Epinonville ; *colitur illic etiamnum ut patronus. Vide num.* 48 *Commentarii prævii.*

c *Hi signorum sonitus, Reliquiarum aggravationes, etc., apud Remenses et maxime apud Flodoardum tam communia sunt, ut cum Claudio Chastelain non facilem fidem eis adhibendam esse censeamus.*

d *Flodoardi textum hoc loco corruptum esse, neminem præteribit. In versione gallica anni* 1531 *hic locus vertitur ac si mere diceretur, Reliquias coopertas fuisse. Calmetus in Historia Lotharingiæ tom. I, col.* 466, *citat codicem Ms. Montisfalconis, non indicans essetne Ms. Historia, Chronicon aut Vita, etc. : unde hæc citatio aliquantum dubia mihi fit. Porro hæc inde se colligere testatur* : Corpus delatum fuisse in Montemfalconis ; sepultum in ecclesiæ atrio ; et super illud ædificatum esse tectum seu tuguriolum.

e *Videat ipse lector an credibile sit duplicem ecclesiam a* S. Balderico *in monte constructam fuisse. Ecclesia quidem S. Laurentii, de qua hic agitur, populo recipiendo patuit cum Monsfalconis ab aliis quam a monachis habitaretur ; verum nulla ex parte liquet, vivente* S. Balderico, *alios quam suos discipulos incoluisse hunc locum, antea* inhabitabilem et densis opertum silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum, *ut Flodoardus ipse loquitur. Nescio quoque an rejiciendum sit,* S. Baldericum *sibi ipsi elegisse sepulturam ad ecclesiam seu in atrio ecclesiæ, ut habet Calmetus ; quandoquidem hæc ultima ejus voluntas adimpleta non fuisset, quin ulla hujus neglectus probabilis ratio cognoscatur.*

f *Ad determinandum hujus irruptionis tempus, episcopatus Hincmari, ab anno* 845 *usque ad annum* 882 *excurrens, præsto est, et regnum Caroli Calvi, quod sæpius auctum et mutatum, anno* 877 *ipsius morte*

A morte cessavit. Spatium itaque temporis sat latum, et quidem vix est unde id constringatur, cum medio sæculo IX Carolum Calvum Normannis repellendis occupatum jam videmus ; anno tamen 876 magis formidabiles eorum invasiones factæ sunt.

g *Quamdiu Virduni sacra pignora quieverint, non patet : nuspiam quippe securitas : nam anno* 889, *ut ex Annalibus Metensibus et Sigiberti Gemblacencis Chronico ad hunc annum colligo, Virdunum et Tullum eorumque agros depopulati sunt Normanni. Bis meminit Flodoardus ad Montemfalconis Normannos accessisse : prior adventus anno* 882 *verisimillime assignandus est , quandoquidem ex Annalibus Sambertinianis et Metensibus hoc anno in agrum Remensem irrupisse et ad Axonam a Carlomanno fusi fuisse statuendi sunt ; posterior vero adventus anno* 889 *illigandus fors videbitur ; et sane in ipso Montefalconis victi fuerunt hoc anno Normanni, quam tamen cladem Sambertiniani Annales anno proxime superiori annectunt. Abbo monachus sancti Germani Parisiensis lib.* II *de bellis Parisiensibus late celebrat hanc cladem, qua eos affecit rex Odo. Fuerunt quidem scriptores plurimi, qui arbitrati sint hanc pugnam in Montefalconis prope Lutetiam Parisiorum commissam fuisse ; ast jam pridem Pater Daniel noster in Historia Galliæ, Dom. Bouquet aliique, variis Chronicis Annalibusque usi, ostenderunt de Montefalconis Remensi hic agi ; de qua universa controversia legendus est D. Du Plessis in Annalibus Parisiensibus et annotatis ad Abbonis poema* (*a*). *Annus tamen ille* 889 *propter episcopatum Williberti, de quo in seq. num. et in nota* 1 *fit mentio, eam difficultatem patitur, ut admittere cogamur, vel Flodoardum temporis ordinem hic neglexisse, vel Bunnensia jurgia ad ultima Williberti tempora spectasse, vel utrumque Normannorum adventum de quo Flodoardus, circa annum* 882 *contigisse.*

h *S. Hericus in libro de Miraculis S. Germani recitat plures castigationes impactas invasoribus bonorum Montisfalconis ; hujus tamen non meminit.*

i *De Waslicia vide Commentarii prævii num.* 43.

k Bunnam *nunc, littera mutata,* Bonnam, *vocamus ; jacet hoc oppidum ad Rhenum inter Coloniam Agrippinæ et Confluentes* (Coblentz). *De hac abbatia, deinceps ecclesia collegiata facta, hæc ex opere D. Rev. Antonii Binterim de veteri et præsenti diœcesi Coloniensi mutuor verba ; quæ descripta ab ipso sunt ex synodo Bonnensi anni* 1629 : Circa annum 310 inter alias plures in vicinia nostra fundatas ecclesias aliam prægrandem etiam SS. Cassio, Mallusio, Florentia et trecentis aliis sub S. Valentino Tongrensi episcopo Bonnæ ædificavit *(S. Helena imperatrix)* et liberaliter dotavit, fundando ibi insigne monasterium, nunc autem a multis sæculis et quantum colligere licet, circa annum 883 in canonicorum collegium conversum, qui numero 32 præter præpositum et decanum se institutos a S. Helena etiamnum gloriantur.

l *In serie episcoporum Coloniensium edita a P. Georgio Kolb Societatis Jesu occurrit Willibertus, XXX inter episcopos, IX inter archiepiscopos Colonienses. Electus est anno* 863 *et anno* 870 *consecratus, alios deinde* 20 *annos gubernaturus.*

m *Libenter crederem hic non agi de Saxonia ducali, utpote remotiore, sed de Westphalia, quæ a Saxonibus occidentalibus occupata fuit et ab eis suum accepit nomen.*

n *De S. Jovino, eremita in agro Pictaviensi, dixit in Opere nostro Henschenius ad* I *Junii ; qua die in abbatia sui nominis illic colebatur.*

o *Num.* 37 *Commentarii prævii dictum est, quo tempore Montemfalconis adeptus sit* Dado, *qui anno* 923 *obiit.*

p *Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum* (*b*) *unius tantum Gaudiaci, vici in Carnutibus siti, meminit ; licet alios multos commemorare potuisset, ut constat ex Dictionario Geographico, etc., Parisiis anno* 1804 *excuso, ad vocabulum* Jouy, *quod idem ac Gaudiacus est. Ex hoc itaque statuendum videtur hic agi de loco* Jouy, *in agro Virdunensi jacente* (Département de la Meuse, arrondissement de Verdun, canton de Clermont) ; *nam vetustissimus est hic vicus, ut liquet ex charta Angelrami, episcopi Metensis, qua Gorziensibus monachis dedit* villam... sitam in pago Wabrince, cognominatam Gaudiaco (*c*) ; *qui pagus certo ad diœcesim Virdunensem pertinebat, ut testis est Valesius in citata Notitia* (*d*), *ubi plura allegat loca, quæ ex vetustis monumentis jam* in pago Wabrinse, in comitatu Scarponinse, jam inter duos torrentes Lotosam et Horontem in pago Wavrinse et comitatu Scarponinse , *jam* in pago Wabrinse, in comitatu Virdunensi *jacere dicuntur. De situ comitatus seu pagi Scarponensis mentio fiet in annotato* u.

q *S. Vitonus, episcopus Virdunensis, gallice dictus* S. Vanne, *colitur die* IX *Novembris.*

r *S. Agericus, item episcopus Virdunensis, gallice* S. Airy, *colitur die* I *Decembris ; de hoc et de S. Vitono vide Galliam Christianam* (*e*).

s *S. Rodvicus, seu Rodingus vel Chraudingus, fundator Bellilocensis monasterii, a Suyskeno nostro illustratus fuit ad diem, qua colitur,* XVII *Septembris.*

t *Wasloium idem est ac Belluslocus ; quæ nominum commutatio sæculo* XI *facta est, ut docet Vita S. Popponis abbatis, in Opere nostro ad diem* XXV *Januarii edita :* Abbatiam insuper S. Mauritii, *hæc illic leguntur verba* (*f*), Wasloi dictam, cum omnibus ejusdem loci appendiciis ei (*Popponi*) delegavit *(Richardus, abbas Wasloensis)*... Qua suscepta, quia eam, quam situs loci jucunditate sui commendabilem dedit, in officinis, monasteriique brevissimis claustris vilescere invenit, funditus monasterium cum adjacentibus illi receptaculis eversum, majori, quam fuerat, elegantia reædificavit, atque pristino nomine mutato, ex honestate sui Beloacum denominari dictavit.

u Gelani *seu* Gerlani mons (*gallice* Gillamont *a Calmeto in Historia Lotharingiæ* (*g*) *dictus*) *idem est locus, in quo postea sæculo* XI *exstructum est templum et capitulum seu monasterium S. Laurentii, Deus-Louvart* (Dieu-Louart) *nuncupatum : quæ constant ex Continuatione Historiæ Episcoporum Virdunensium et ex Conradi imperatoris diplomate anni* 1028, *secum invicem collatis. Continuatio enim illa habet* (*h*) : Duo etiam præpositus (*Virdunensis et Montisfalconis abbas*) apud castellum d'Eilauvarth ecclesiam in honore Sancti Laurentii constituit *(seu potius dotavit, cum episcopus Virdunensis Heimo, qui sedit ab anno* 988 *ad* 1024 *jam aliquandiu ante id exstruxisset* (*i*)), canonicos ordinavit, ordinatis necessaria disposuit, magnisque operibus cum magno labore et miro decore castrum illud ad effectum usque perduxit. *Conradianum autem diploma sic sonat* (*k*) : Notum esse omnibus cupimus, quod non interventu ac petitione... Ramberti Virdunensis Ecclesiæ venerabilis episcopi (*sedit ab anno* 1024 *ad* 1038 (*l*)), quoddam monasterium, in honorem Sancti Laurentii Martyris consecratum, situm in loco Gellani montis juxta castrum Deus-Louvart, in pago Scarponensi (*Sarponne, Scharpeigne,* seu *Charpeigne*), in comitatu Richiani, ab antecessore suo beatæ memoriæ Heimone a fundamentis constructum... sed quod idem monasterium super proprietatem potestatem sancti Germani de Montefalconis erat constructum. *Ordinatur dein ut compensatio quædem fiat Dudoni, Montisfalconis abbati ; scilicet ut persolvant sancti Laurentii clerici*

(*a*) Nouvelles annal. de Paris et poëme d'Abbon, p. 340. — (*b*) p. 251. — (*c*) D. Calmet Hist. de Lorraine, t. II, preuv. col. CIX. — (*d*) p. 579. — (*e*) T. XIII, col 1166 et seqq. — (*f*) T. II Janua., p. 643, cap. VII, n. 26. — (*g*) Probat., t. II, col. CCLV. — (*h*) Ibidem, col. XIV. — (*i*) Ibidem, col. CCLV. — (*k*) Ibid., l. c. — (*l*) Gall. Christ., t. XIII, col. 1185.

nonam

A nonam decimarum; *verum ut Virdunensi episcopo ut domino subsint, et episcopo Tullensi* ut proprio pastori. *Ineunte sæculo* XVII *unita fuit hæc ecclesia collegiata primatiali Nanceensi, cujus canonici cesserunt usum et dominium illius templis monachis Benedictinis Anglis* (a). *Jacet vero ad Mosellam, inter Tullum et Metas, infra Mussipontem; ut ex tabulis geographicis Cassini colligimus.*

x *Extra terræ tractum, in quo versamur, alia loca fuisse, quibus nomen* Deva *fuit, apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum ad vocabulum* Diva *videre est. Locus vero, de quo hic agitatur, idem mihi est, ac qui nunc* Dieuve *dicitur. Distat hic sesqui leuca a Virduno meridiem versus; atque hac transeundum est, cum a Montefalconis ad Castrum Gellani, aut* Dieu-Louart *pergendum est.*

CAPUT III.

B *Reliqua miracula et translationes S. Balderici usque ad medium fere sæculum* X.

Ad Reliquias S. Balderici, *devectas in Gellani montem, quem quis injuste sibi usurpabat,*

Ecclesiam Sancti Romani *a*, in præfata villa Gellani monte *b* constructam, dudum Milo *c* præpositus canonicorum hujus loci ab eis auferébat : quam dum, Bosone *d* comite sibi eam reddente, recepissent, et Sancti Balderici membra illuc retulissent, audientes multi ad ipsius cœperunt confluere patrocinia. Inter quos duæ cæcæ nobiles fœminæ deductæ sunt, et quædam perlata paupercula omnibus fere membris contracta. Nocte vero vigiliarum Sancti Romani *e*, dum de more privigiles * in ecclesia celebrarentur excubiæ, subito tantum cœlitus est lumen effusum; ut omnia, quæ fuerant accensa, videretur luminaria superare. Altare tantum, supra quod Sancti erant ossa deposita, densa tegi videbatur nebula, ipsumque sacri pigneris quasi moveri cernebatur gestamen : cum repente una cæcarum primum, moxque altera sese videre proclamant. Tum media jacens contracta, ubi cœpit clamare, C auxiliumque Dei et Sancti Balderici deprecari, paulatim resolvitur, primum brachiis, et inde poplitibus, donec erecta stetit in pedibus. Quæ postmodum sana effecta, clericorum stipe hucusque sustentatur. Igitur dum præfato morarentur in loco clerici cum pignere sacro, contigit quadam vespera, cum simul residerent, ut cujusdam * Milonis amici * homo, ebrietate atque furore succensus, cœpisset ad eos dicere, quid ibi facerent, et quare in villam Milonis ingressi fuissent? Quibus respondentibus, quod Sancti Balderici, non Milonis, eædem res essent; illoque contradicente, quod non Balderici, sed Milonis haberentur, comminantibus eum clericis, recessit, et in eminentem villæ contiguam rupem conscendens sese in præceps dedit, sicque attritus jacuit ut mortuus, vel morti videretur proximus : indeque sublatus ante sancti corporis præsentiam est deportatus, ibique tandem se culpabilem reddens * insperate sanatus, et integræ in brevi restitutus est sospitati.

9 Item dum nuper ad præmemoratam villam Wasliciam *f* hujus Sancti membra relata fuissent, quoniam Godefridus *g* principis Henrici *h* comes palatii eamdem pervaserat villam, quidam clericorum Sancti Balderici ad eumdem Godefridum pro hac causa perrexerunt; et cum nullam dignam potuissent apud eum percipere responsionem, nec magis se pro eis inde quam pro suo cane facturum respondisset, clericus quidam ex his intentando subjecit, quod calidum proinde sudorem sudaturus esset, nec canis suus adjuturus eum foret. Ille furibundus ad hæc eos a suo præcepit ejici conspectu. Quibus recedentibus ipse mox divina plectitur ultione, validaque correptus febre cœpit gravissime vexari, nimiisque succendi ardoribus, atque ferventissimis effluere sudoribus. Mittens igitur ad episcopum Coloniensem Wicfridum *i*, hunc ad se venire petiit, eisque rem retulit atque id ab eo consilii percepit, ut ad præfatos clericos mitteret, eosque ad se venire faciens, et errata corrigens, ab eis de sua infirmitate consilium et pariter auxilium quæreret. Quod ille obaudiens, et ad eos mittens, ad se venire mandavit. At missus ejus typho, ceu videbatur, inflatus superbiæ, cœpit, ut ad suum dominum, mox clerici pergerent, imperitando præcipere. Quibus renuentibus, sed eum caritatem secum facere rogantibus, E ille contempsit, eoque recedente, in ipso egressu equus ejus, incitatus ab ipso, prosiliens ruit, et collo fracto interiit. Sic ille humiliatus ad fratres rediit, caritatem quam spreverat egit, et ita correctus recessit. Hinc iterum tertioque vocati atque petiti, hujus tandem viri compertis incommodis, ad eum tum demum veniunt, patientis compatiuntur cruciatibus, et confitentem peccatum suum, emendationemque promittentem, precibus suis absolvere student. At ille statim se melius habere professus, ubi recessere fratres, convaluit, res quas invaserat reddidit, ac deinceps ab earum se læsione continuit. Verum tanta domus ejus affecta clade fuisse perhibetur, ut vix aliqui remanserint, qui eisdem rebus usi fuerant : ipsi etiam equi et canes interierint, et ipse pervasor, perditis cum cute capillis et ungulis, vix evaserit.

10 Tunc ob infestationem Hungarorum *k* quæ primitus eo tempore in hoc emerserat regnum, consilio inito, canonici Sancti Balderici Rhenum cum domino suo transmeant. Inde quadam vespera remeantes, in fluminis medio navem jactis defigunt ancoris. Relictisque paucis in navi cum sacro pignere custodibus, ipsi ad prædictam schapha properant suæ possessionis villam. Tres vero quidam latrones, comperto quod pauci resedissent in navi custodes, ibique thesauros vel ornamenta Sancti remansisse rati, conscensa tendunt illo * cymba. Sed antequam pertingerent ad ipsam quam petebant navem, cæcati divinitus, perditoque sensu, remigare non valentes, impetu fluminis ferri cœperunt. Sicque navicula eorum navi, qua * Sancti corpus servabat, impacta contritaque, mediis eos in fluctibus dereliquit. Quorum duobus fluvio mox absorptis, tertius, qui etiam famulus erat Sancti Balderici, jacta manu, navem Sancti arripuit, et taliter evadens mortem, clericorumque perductus in præsentiam, nihil eorum, quæ passus fuerat, edicere valuit, donec in crastinum refocillatus, sensuque recepto, tandem quæ gesta fuerant enarravit. Postquam vero a præfato loco hujus beati viri ad suum monasterium sunt ossa relata, multa inibi feruntur ostensa miracula, quæ præ multitudine non habentur scripta. Illuc nuper *l* quidam pauper candelam deferens in circulo devolutam, paulo ante horam vespertinam supra loculum sacrorum hanc

AUCTORE FLODOARDO. *et in Wasliciam, ubi debito destituebantur earum bajuli præsidio,*

i

et in flumine Rheno, quem prædones infestabant, miracula et prodigiosæ pœnæ cernuntur.

k

F

* *forte* quidam
* *forte* amicus
* *id est* confitens
* illuc
* quæ
f
g h
l

(a) D. Calmet, Hist. de Lorr. t. II, col. 180 et seq., et ibid. inter probat., col. CCLV et seq.

AUCTORE FLODOARDO.

posuit ossium; qui dum, data oratione, recederet, subito candela, supero accensa igne, cœpit ardere. Quæ donec custos ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda venit signa, pallio, cui superjecta jacebat, illæso, deflagavit, nec ullam pallio læsionem, cui adhærebat, aggessit. Multa præterea sanitatum, clarificationumque ibidem creberrime ad declaranda Sancti sui merita Dominus ostendere dignatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis sui, quod est benedictum in sæcula.

ANNOTATA.

a *Cum ecclesia hæc jam ineunte sæculo* XI *templo S. Laurentii suppleta videatur* (*a*), *colligi nequit quis illic S. Romanus coleretur cum plures sint homonymi. Verisimile tamen est eum abbatem Jurensem esse, cujus Acta vide in Opere nostro ad diem* XXVIII *Februarii.*

B b *Vide annotatum* u *ad præcedens caput.*

c *Milo ille, Montisfalconis præpositus, mihi alibi non occurrit.*

d *Boso, cujus hic meminit Flodoardus, videtur idem ac Boso, Richardi Burgundiæ ducis filius, frater Rodulfii Regis, bene notus annalistæ Remensi; cum in suo Chronico* (*b*) *ejus mortem referat ad annum* 935.

e *Cum hic S. Romanus, ut diximus, versimillime abbas Jurensis in Burgundia sit,* S. Romani D vigiliæ *in diem* XXVII *Februarii inciderint oportet.*

f *Vide Commentarium prævium num.* 43 *et seq.*

g *Godefridus, qui hic dicitur* principis Henrici comes palatii, *signatur* Godefredus *inter* comites (*c*) *qui ex parte Henrici anno* 921 *interfuerunt concilio Troslejano ad pactum inter Carolum et Henricum reges sanciendum.*

h *Cum Henricus, qui et Auceps cognominatur, hic loci non* rex, *sed* princeps *appelletur, nescio an inde concludi possit, id accidisse ante annum* 919; *quo, ut habent Casus monasterii S. Galli* (*d*) Heinricus Saxonum et Francorum consensu elevatur et ungitur in regnum. *Quæ deductio si placeat, oportet ut non impedierit ille morbus, quin Godefridus anno* 921 *concilio Troslejano interesset : et ut tardius ad Wicfridum, Coloniensem antistitem, nuntios miserit, quandoquidem ille Agrippinensibus infulis ornatus est anno* 925, *ut volunt Galliæ Christianæ prosecutores* (*e*), *et Gregorius Kolb in sua Coloniensium præsulum recensione.*

i *De Wicfrido, qui ab anno* 925 *usque ad* 953 *Coloniæ sedit, vide præcedens annotatum.*

k *In Chronico S. Vincentii Metensis* (*f*) *ad annum* 917 *leguntur* Ungari primitus regnum Lotharii ingressi. E

l *Plura miracula, ut animadverterit lector,* nuper *facta perhibentur a Flodoardo; quocirca in memoriam revocare juverit, quæ in annotato* a *ad* I *caput ex Sirmundo et Colvenerio proposuimus de anno* 948, *quo Remensis historicus librum suum jam absolvisset.*

(*a*) D. Bouqnet Recueil des Histor. de France, t. VIII, p. 190. — (*b*) Ibid. — (*c*) Ibid., t. IX, p. 324. — (*d*) Ibid., p. 90. — (*e*) T. III, col. 641 et seq. — (*f*) D. Bouquet, T. IX p. 88

DE S. MAGNOBODO EPISC. ET CONF.

ANDEGAVI IN GALLIA.

C

J. V. H.

F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti memoria; cultus.

CIRCA ANNUM DCLX.

Andegavum, provinciæ olim Andensis, nunc præfecturæ, quæ a Medua *et* Ligeri *fluminibus* (Maine-et-Loire) *nomen sortitur, plurimos sanctitate et miraculis insignes episcopos habuit : inter quos etiam numerandus venit* S. Magnobodus, *quem* Magnebodum, *aut* Magnobonum (*gallice* S. Maimbeuf *aut* Maimbeu) *veteres appellarunt. Hujus Sancti nomen in Romano Martyrologio non occurrit; tacent quoque de illo Ado et Usuardus genuini : quin tamen propterea cultus ejus in dubium vocari possit. Etenim Sanctum nostrum memorat in suis Auctariis ad Usuardum Molanus his verbis :* Andegavis, Sancti Magnobodi, episcopi et confessoris, qui tempore Dagoberti vita et signis late claruit. *Quæ postrema verba ita intelligenda sunt, ut complexum quidem dicant* S. Magnobodum *universam Dagoberti I ætatem, sed simul indicent Sanctum episcopum et eumdem regem diu præcessisse, atque eidem longo tempore superstitem fuisse : alioquin ejus erroris Molanus arguendus esset, qui falso insinuat, initium episcopatus* S. Magnobodi *cum regno Dagoberti innectendum esse, ut infra latius demonstrabitur.*

S. Magnobodus, *quem Ado et Usuardus prætereunt,*

2 *Cultum Sancti cæterum probant Kalendaria Ecclesiæ Andegavensis, et duplex Sancti Vita, sæculo, ut tardissime, duodecimo conscripta, uti infra videbimus. Uterque autem biographus ita de* S. Magnobodo *loquitur, ut illum virtutibus et miraculis insignem, et populorum concursu celebrem describat. Martyrologium Autisiodorense anni* 1751 *sequentibus verbis Sancti festum annuntiat :* Andegavi, Sancti Magnobodi episcopi, qui Vitam Beati Maurilii decessoris sui scripsit, ut ejus exemplo se suosque ad pietatem vehementius incitaret. *Sancti mentionem desumpserat auctor, ut infra in nota dicit,* ex Martyrologio Parisiensi et D. Chastelain, et Kalendariis Ecclesiæ Andegavensis. *Et reapse,* *variis tamen in Martyrologiis et Breviario Andegavensi celebratur.*

ut

A *ut omittam Martyrologium D. Chastelain, quod sancti præsulis nomini annectit tantum, sub ejusdem invocatione exstare collegiatam ecclesiam in suburbio, Martyrologium Parisiense anni* 1727 *hoc habet notatu dignum, quod memorat Reliquias Sancti insignes Parisiis quiescere* : Andegavi, *inquiens*, Sancti Magnobodi episcopi, cujus capitis pars insignis apud Sanctum Maglorium in suburbio colitur. *Ebroicense Martyrologium, jussu Petri de Rochechouart anno* 1752 *editum, Sanctum nostrum recolit his verbis* : Andegavi Sancti Magnobodi episcopi, qui conscripta Sancti Maurilii Vita, hujus formam moribus exhibuit, cujus virtutes litteris commendaverat. *Coronidis loco sit tandem ipsum Breviarium Andegavense, quod anno* 1623 *Carolus Miron, (qui anno* 1616 *demissam sedem, mortuo Guilielmo Fouquet, anno* 1622 *resumpsit) ad* Romani formam *edidit, ea lege, ut omnes illud privatim publiceque recitarent:* Romanum tamen, *ait in litteris præfixis*, in privatis precibus semper excipimus. *Istud itaque Breviarium* S. Magnobodi *nomen in suis litaniis inter SS. Pontifices refert, atque ejus Officium ad idus* (XV) *Octobris sub ritu duplici annuntiat. Oratio e Communi Confessoris Pontificis desumitur* : B. Magnobodus Confessor tuus atque Pontifex sua nos, Domine, solemnitate lætificet, et pronobis tibi supplicans copiosius audiatur. Per Dominum. *Et quoniam idem Breviarium compendiosam Sancti nostri Vitam continet, non ingratum fuerit eamdem legentibus hic exhibere.*

Ex hoc Breviario ejus vitæ synopsis,

3 Lectio I. Magnobodus in pago Andegavensi natus est Christiana et illustri familia. Qui cum ab infantia futuræ sanctitatis haud obscura signa dedisset, studiis traditus literarum, totus se piis operibus addixit. Itaque facile Sancto Licinio Andegavensi tunc episcopo innotuit : qui summam in adolescente virtutem conspicatus, eum clericali tonsura initiatum ecclesiasticis exercuit officiis, ac demum sacerdotali ordine consecratum Colonetensi cœnobio præposuit. Cum autem Licinius basilicam Sancti Joannis Baptistæ a se constructam dedicare vellet, per Magnobodum cum summo Pontifice egit, ut Reliquias de corpore illius ad se ejus rei gratia transmitteret. Romæ cum esset Magnobodus, a summo Pontifice jussus lectionem in ecclesia decantare, cœptam e libro, memoriter usque ad finem divina
C virtute perduxit, cum e clericis quidam virtuti ejus invidentes lampadem extinxissent. — Lectio II. Benigne dimissus a Pontifice cum Reliquiis Sancti Joannis Baptistæ, Andegavum rediit. Ubi defuncto Licinio, cum delatum episcopatum recusasset, Licinii successore mortuo, in locum ejus omnium ordinum suffragiis electus est, reclamantibus dumtaxat duobus canonicis Ambrulpho et Leobaldo, qui illico, Deo vindicante, dextro oculo orbati sunt. Suscepto episcopatu, in salutem suorum toto animo intentus fuit, ac pauperum in primis curam habuit. Orationi et Sacrarum Scripturarum lectioni assidue deditus, carnem cilicio, vigiliis et jejuniis coercebat. Sanctos Quadragesimæ dies, exiguo panis et aquæ demenso contentus, in cellula transigebat. Nuntios, quos Heracleus abbas specie amicitiæ, ut ipsi venenum propinarent, pretio submiserat, ad se venientes benigne mensa excepit : et de salute admonitos, dato pacis osculo, sine noxa dimisit. — Lectio III. Accessit ad vitæ sanctitatem admirabilis virtus curationum. Quippe cæcos multos illuminasse scribitur ; energumenos tres dæmonis infestatione liberavit : graves morbos a multis depulit. Synodo Remensi a Sonnatio ejus sedis episcopo celebratæ interfuit. Sancti Maurilii vitam descripsit plano ac simplici stylo, anno, ut ipse in præfatione testatur, ordinationis suæ decimo, regnantis Clotarii secundi trigesimo tertio. Sancti Saturnini ecclesiam ædificavit, fratresque ibi sub regula instituit, qui pauperes ægros et peregrinos advenientes curarent ; atque ad eam rem necessarios eis reditus ædesque assignavit. Tandem urgente senio, febre correptus, cum suos ad divinorum præceptorum observantiam, et charitatem gravissimis verbis cohortatus esset, erectis in cœlum manibus orans spiritum Deo reddidit decimo septimo kalendas Novembris. Corpus in ecclesia Sancti Saturnini, quæ hodie Magnobodi memoria nuncupatur, ut ipse vivens jusserat, conditum est.

AUCTORE J. V. H.

et cultus refertur.

4 *Hæc Breviarium Andegavense. Non est hujus loci accuratius discutere quæ in legenda reperiuntur ; quandoquidem in reliquo Commentario revocabuntur ad examen ; sufficiat hic monstrasse sancti episcopi vitæ synopsim, quæ probet simul quo in honore aliquando apud Andegavenses fuerit. Hodie, quantum* B *assequi possum ex ordine liturgico anni* 1837, *in eadem diœcesi colitur* S. Magnobodus *ritu semiduplici aut simplici, et quidem pridie idus* (XIV) *Octobris. Ratio autem cur* S. Magnobodus *Andegavi non colatur in die obitus, scilicet* XVII *kal. Novembris, videtur esse quod, cum olim coleretur die* XVI *Octobris* Apparitio S. Michaelis in Monte Tumbæ, *oportuerit festum* S. Magnobodi *una die anticipare ; in hodierno autem, incidente festo S. Teresiæ in idus Octobris, altero etiam die, seu* XIV *Octobris festivitas præcepta est.*

Binos habuit S. Magnobodus *biographos ; Marbodi recentioris*

5 S. Magnobodi *Acta conscripsere bini auctores : quorum prior anonymus coævus Sancto fuit ; alter Marbodus, ex archidiacono Andegavensi Rhedonensis episcopus ab anno* 1096 *ad* 1123. *Hic tersiori stylo, contractaque singulorum miraculorum narratione, Anonymi biographiam sectatus est : atque propterea Marbodi elucubratio omittendam censemus ; licet forsitan aliud suaderet tum viri integerrimi doctrina et sanctitas, tum etiam ipsa operis raritas, utpote quod in sola collectione omnium operum Marbodi editioni Hildeberti Cenomanensis ab Antonio Beaugendre subnexa, quantum scio, reperiatur. Natus autem erat Marbodus in pago Andegavensi, ut monstrat ejus epitaphium ab Ulgerio Andegavensi coævo compositum :* Natus erat, quorum F decus extitit, Andegavorum : *perperam igitur Joannes Pitseus in opere de Illustribus Angliæ Scriptoribus* (*a*), *et qui illum secuti sunt, Fabricius, aliique* Brittannum *aut* Cambro-Britannum *vocant. Patrem habuit Robertum Pelliciarium, uti constat ex Cartulario S. Albini Andegavensis* (*b*) ; *et quidem e primaria inter Andenses familia, si valet conjectura Antonii Beaugendre ad Epistolam* III, *Lib.* II, *Hildeberti Cenomanensis* (*c*), *in qua de Marbodo dicitur :* Incubuit timor tuus et tuorum super eos *(canonicos Andegavenses)* dumque persona arguitur, suspecta est universitas parentelæ. *Quibus certe verbis, si tamen de Marbodo intelligenda sunt, summa familiæ ejus potentia manifeste insinuatur. Reliqua, quæ ad Marbodum pertinent, optime exponunt monachi S. Albini, dum ejus mortem per litteras encyclicas annuntiant, atque preces pro eo efflagitant. Quatenus Marbodum respiciunt, earum fragmentum subjungimus ex Thesauro Anecdotorum, ubi plura alia de eo occurrunt* (*d*).

(*a*) p. 185. — (*b*) Morice Mém. pour serv. à l'hist. de la Bret., t. I, p. 455. — (*c*) Oper. Hildebert, col. 79, not. *d*. — (*d*) Martenne Thes. Anecd., t. I, col. 355.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *brevis Vita*

6 Universis, *hæc ibi leguntur*, unius sacro-sanctæ Ecclesiæ filius humilis congregatio Beati Albini Andegavorum episcopi, plenam de hoste victoriam, et de victoria coronam. Apostolica nos informat auctoritas, ut pro invicem orantes, alter alterius onera portemus, et sic adimplebimus legem Christi. Legem igitur Christi nos servi Christi pia sollicitudine adimplere satagentes, denuntiamus vobis obitum domni Marbodi venerabilis episcopi, semper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, honestate præclari, litterarum eruditione doctissimi, cujus sermo sale semper conditus erat, et ex ore illius omni melle dulcior semper fluebat oratio; et quamvis eodem tempore variis studiis tota Gallia resonaret, ipse tamen oratorum rex Gallicanæ arcem eloquentiæ specialiter obtinebat. Tertio siquidem idus Septembris infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens a sæculo, vivens in Christo sua nos viduavit præsentia, et amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque vernantium exercitia, quibus in Andegavensi civitate, B cui famosissimus ac nominatissimus extitit magister, efficacissime claruit, electus a reverendissimo Papa Urbano (II), in Turonensi concilio (*a*), sanctæ sedis Ecclesiæ Redonensis, annuente Domino, pontifex ordinatus est. Quam ipse dignitatem, immo onus accinctus gladio Spiritus Sancti, licet inter barbaros, et naturali quadam armatos feritate, per annos viginti octo fideliter prudenterque gubernans, superborum colla justitiæ censura perdomuit, arguendo, obsecrando, increpando, dissidentia pacificavit.

traditur:

7 Tandemque longævo confectus senio, plenus dierum in sancta confessione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressurus itaque viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentiens, onere pontificali deposito, Sanctissimi Benedicti habitum humilitatemque suscepit, monachumque professus, Beato Albino se tradidit; ac sic exoneratus, pauperem Christum pauper et ipse secutus est. Ante quidem, ut Martha, sollicitus erat et occupatus erga plurima, nunc vero, velut altera Maria, unum esse necessarium recognoscens, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo..... Cæterum quia corpus quod C corrumpitur aggravat animum, et deprimit inhabitatio terrena sensum multa cogitantem, et nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram, dilectissimam nobis caritatem vestram per viscera misericordiæ Dei nostri petimus et rogamus, ut pro illis *(scilicet Marbodo et Gerardo monacho,)* fundatis ad Dominum preces, et contra cuncta eis adversantia orationum vestrarum clypeos opponatis. Insuper admonemus, ut vanitantium vanitates et nugarum nænias penitus recidatis, ne quod utiliter nimis institutum est, notam habeat levitatis. Nos enim vota precum animabus profutura, non verborum phaleras postulamus, quæ defunctis nihil proficiunt, et vivis plurimum solent obesse; cum scriptum sit de omni verbo otioso reddituros nos rationem. *Hæc de Marbodo monachi Andegavenses, quibus consonant coævi, qui de eodem scripserunt; uti videre est in præmonitione Antonii Beaugendre ad opuscula Marbodi, quæ operibus Hildeberti Cenomanensis subjunxit. Unde mirum non est Saussayum Rhedonensis episcopi elogium texuisse in suo Martyrologio Gallicano ad diem* XI *Septembris.*

8 *Altera* S. Magnobodi *ab Anonymo conscripta Vita, quam infra edemus, antiquior est, utpote quam Marbodus contractius elegantiusque, presse tamen, secutus fuerit, ut satis constat ex serie rerum gestarum ab utroque eodem ordine relatarum. Imo auctorem Sancto nostro coævum fuisse, plurima ejus verba clare demonstrant. Nam inter miracula, quæ vivens fecit* S. Magnobodus, *tria recitat, quorum ipse scriptor testem se fuisse dicit. Primum est de duabus puellis cæcis a Sancto curatis, quod hisce verbis exorditur num.* 31: Ergo si vera fateantur, quæ relatione alterius didicimus, procul dubio frivola judicari non debent, quæ oculis nostris conspeximus. *Narrat deinde puellas ad pontificem adductas, olei et orationum fomento sanatas fuisse. Alterum miraculum est de muliere itidem cæca et visui restituta, de qua dicit Anonymus num.* 47: Dicamus ergo et illud, quod absque figmento mendacii testificari et adstruere possumus. *Non alia miracula refert Anonymus, ut ipse dicit n.* 18, *quam quæ* relatione multorum comperta sunt, *cum igitur hic dicat miraculum* absque figmento mendacii testificari et adstruere se posse, *tantum id est, quantum si iterum testis prodigii oculatus ipse fuerit. Tertium tandem miraculum, quo mulier pariter cæca, muta et paralytica liberata est, ita narrat, ut ipse præsens prodigio adfuerit, num.* 38: Et illud obmittendum non censemus, quod in præsentia nostra actum est. *Hæc omnia plane conficiunt Anonymum coævum fuisse* S. Magnobodo: *unde ejus narrationi fides non est facile abroganda.*

D *antiquior biographus coævus videtur:*

E

9 *Objiciunt tamen adversus ejus auctoritatem, adstrui ab eo,* S. Magnobodum *natum esse, flagrante bello Clotarium inter atque Theodebertum Austrasiæ Theodoricumque Burgundiæ reges; et præterea conjungi ab eo initium episcopatus* S. Magnobodi *cum Dagoberti I regno; et ex utraque objectione concludunt testimonium ejus in dubium vocari posse, aut certe ejus scriptionem ad nos non pervenisse absque interpolatione. Quid veri subsit his incusationibus, dispiciamus oportet; et quidem quod ad priorem pertinet, en Anonymi verba:* Parentes ejus secundum humanæ propaginis genealogiam admodum spectabiles inter concives non mediocre obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes; qui cum consanguineis suis Theodorico scilicet et Theodeberto, adhuc intra adolescentiæ annos constitutus, exortis undique grandinum simultatibus, litem exercebat. *Quæ verba non absolute significant tempore Clotarii II natum* S. Magnobodum, *quamvis illa Marbodus ita interpretatus fuerit, cum dicit natum* regnante apud Francos Lothario Chilperici filio; *sed indicare etiam possunt, locum natalem ad regnum Clotarii, totius dein Franciæ regis, pertinuisse. Nisi itaque Anonymus hæc dixerit, non tam ut epocham aliquam nativitati* S. Magnobodi *præfigeret, quam ut Neustriam ad Clotarium pertinentem accuratius designaret: non possunt ejus verba, quatenus tempus natale Sancti indicant, componi cum reliqua ejus historia. Triplex videlicet bellum inter hos reges exarsit, teste Fredegario capitibus* XVII, XX, XXV (*b*): *primum ipse Clotarius, duce Fredegunde matre, anno* 596 *ditionem Austrasianam invasit et fratres Theodebertum ac Theodoricum gravi clade affecit; iterum anno* 600 *duo fratres junctis armis Clotarium adorti, cæsoque ejus exercitu, partem Gastinensis pagi illi eripiunt; demum anno* 604, *ultro bella moventem Clotarium opprimunt, et Compendii ad pacis conditiones adigunt. Si igitur Anonymum ita interpretamur, quasi*

discutitur duplex objectio, altera ad tempus nativitatis spectans,

F

(*a*) Ann. 1096. — (*b*) D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., t. II, p. 420 et 422.

indicare

A *indicare voluerit tempus natale* S. Magnobodi, *natum illum dicere necesse fuerit inter annum* 596 *et annum* 604, *quemadmodum Nostri, necdum ad trutinam revocata opinione, quæ reapse ad hunc locum spectat, ad diem* XIII *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Licinii num.* 7, (*a*) *insinuarunt.*

quasi anno 596 natus fuisset,

10 *Verum hanc opinionem merito rejicit Cointius in suis Annalibus* (*b*) : Quis credat, *ait*, Magnobodum in lucem non editum fuisse ante annum Christi quingentesimum nonagesimum sextum, quo Clotarius Theodebertum ac Theodoricum reges invasit, aut nonum ætatis annum vix absolvisse anno Christi sexcentesimo quinto, quo Licinius episcopus ad Deum migravit? Si Magnobodus natus est flagrante bello civili, cum Neustriæ rex hostes experiebatur reges Austriæ et Burgundiæ, natus videtur anno Christi quingentesimo septuagesimo quarto, quo Sigebertus Austriæ rex et Guntchramnus rex Burgundiæ fœdus adversus Chilpericum Neustriæ regem pepigerunt, ut ex Gregorio Turonensi (*c*) retulimus. *Non est hujus loci operošius inquirere in annum emortualem S. Licinii, de quo postea apto loco agendum erit; sed quidquid sit de hac opinione, hoc*

B *certum est* S. Magnobodum *cathedram Andegavensem conscendisse, ut tardissime, anno* 609, *ut infra demonstrabitur : qui igitur posset nativitatis ejus tempus cum anno* 596 *conjungi? Vix enim annum ætatis tertium decimum complevisset* Magnobodus, *cum episcopale onus susciperet.*

quod cum reliqua

11 *His adde, eumdem pontificatui quasi prælusisse, quando particeps fuit omnium consiliorum S. Licinii, ut diserte asserit Anonymus n.* 3 *et Marbodus, cujus fragmenta citare malumus, ne Anonymus repetatur :* Procedente tempore, *ait Marbodus* (*d*), per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit, dignum sane judicans, cui sollicitudinis suæ curam deberet partiri, cujusque posset consilio emergentium difficultatum ambiguitatibus explicari : neque enim illi deerat vel prudentia, qua rerum exitus metiret, vel constantia, qua bene provisa intrepidus exequeretur. Castitate præclarus, humilitate excelsus, charitate diffusus, morum doctrinam etiam lingua tacens poterat, vita loquens, minoribus exhibere. Sed neque suavitate carebat eloquentiæ, nec copia dicendorum, quibus audientium corda ab

C amore hujus sæculi ad desideranda magis cœlestia commutaret. His ergo de causis, sanctus episcopus Colonetense cœnobium regendum illi commisit, ut et grex fratrum rectoris sui provocatus exemplo, doctrina instructus, exhortatione accensus, ad meliora proficeret, et ipse in minoribus quasi præludens, ad majora postmodum disponenda ipso usu exercitatior redderetur et aptior. In qua dispensatione tam fidelem se præbuit et prudentem, ut familiæ Domini, super quam constitutus erat, sufficienter corporis et animæ necessaria ministraret, et de sanctis profectibus non suam laudem, sed ipsius Domini gloriam præ se ferret. *Mittitur post hæc* S. Magnobodus *Romam, ut a Papa Sanctorum Reliquias obtineat; ac demum, altero post Licinium episcopo defuncto, sedem Andegavensem conscendit* S. Magnobodus. *Quis non dicat absurdum esse omnia hæc operatum esse juvenem ante annum ætatis decimum quartum completum?*

chronotaxi componi non potest :

12 *Merito igitur hæc epocha ab Anonymo n.* 1, *ut volunt, insinuata rejicitur, quoniam cum factis supra relatis componi non potest. Num vero omnia felicius concilientur conjectura Cointii, examinabimus infra, quando in annum Sancti natalem inquiremus. Dicendum igitur est, aut hæc dici ab Anonymo, ut jam præfati sumus, de Clotario, quatenus ejus in Neustria regnum designetur, aut hic interpolatum fuisse ejus textum; nam scriptor, quem coævum demonstravimus, tam turpiter errare circa sui temporis historiam non potuit : quamquam hic loci interpolationem non facile admiserim, quoniam Anonymus simpliciter adstruit, parentes* S. Magnobodi sub jure Lotharii filii Chilperici, *seu in regno Neustriæ*, constitisse.

AUCTORE J. V. H.

altera objectio, quod ejus episcopatus initium cum regno Dagoberti compo natur.

13 *Sed est alius error multo certior, in quem Anonymus num.* 5, *et, qui eum secutus est, Marbodus* (*e*) *inciderunt. Uterque scilicet dicit,* consensu incliti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum *Andegavensem cathedram occupasse, quod iterum cum Sancti nostri historia componi non potest. Nam certum est, ut jam diximus, ultra annum* 609 *ejus in pontificem ordinationem non posse differri : quum igitur Dagobertus I regnum Austrasiæ primum anno* 622 *acceperit, et insuper Andegavorum civitas, utpote in Neustria, ad dictum regem non spectarit ante annum* 628, E *evidens fit, errorem obrepsisse scribenti; qui cum coævo tribui non possit, amanuensis cujusdam sive oscitantiæ sive præsumptioni adscribendus videtur. Cæterum utrumque errorem in Mss. valde antiquis exstitisse vel exinde constat, quod Marbodi quoque narratio iis erratis aspersus sit. Verum quantumcumque per hujusmodi anachronismos textus Anonymi in sua integritate detrimentum patiatur, hi tanti non sunt, ut fidem in reliquis Anonymo denegemus. Hisce de cultu et Actis Sancti* Magnobodi *præmissis, ad alia procedimus.*

§ II. Tempus et locus nativitatis Sancti Magnobodi; promotio ad Sacros Ordines; præfectura cœnobii Colonetensis.

Annus Sancti natalis statuendus non est 584;

In præcedentibus probatum fuit, tempus natale, ex Anonymo desumptum, conciliari non posse cum reliqua chronologia vitæ S. Magnobodi. *Marbodus dicit quidem Sanctum natum* regnante apud Francos Lothario Chilperici filio, *ita ut liceret undecim* F *vel duodecim annis tempus Sancti natale antevertere : natus siquidem dici posset anno* 584, *quum aliqui Anonymum assignasse volunt annum* 596. *Verum neque hæc duodecim annorum anticipatio difficultatem, quæ e tempore suscepti episcopatus enascitur, sufficienter tollit. Fuerit profecto* S. Magnobodus *anno* 609, *quo episcopus factus est, duodecim annis ætate provectior; annum tamen vitæ ejus vigesimum quartum aut quintum tantum attingemus. Sed hæc ætas, secundum vigentem tunc Ecclesiæ, et maxime in Galliis, disciplinam, non erat idonea ad dignitatem presbyteri aut episcopi suscipiendam, ad quam requirebantur anni triginta completi, ut constat ex canone* I *Concilii Arelatensis* IV *anni* 524 (*f*) : Nullus episcoporum diaconum antequam XXV annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus vero vel presbyterii honorem nullus laicus ante præmissam conversionem vel ante annos XXX ætatis accipiat. *Atque hæc quidem sanciuntur, ut habet idem canon,* quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cogno-

(*a*) T. II Febr., p. 676. — (*b*) Ad an. 698, § III. — (*c*) Hist. Franc., lib. IV, cap. L, ap. D. Bouquet Rec., t. II, p. 229. — (*d*) Beaugendre Oper. Hildebert, col. 1492. — (*e*) Ibid., col. 1494. — (*f*) Labbe t. IV Conc. col. 1622.

scuntur,

AUCTORE J. V. H.

scuntur. *Quibus sane verbis indicatur hic agi de disciplina universaliter tunc admissa. Si itaque* S. Magnobodus, *regnante Clothario Chilperici filio, natus est, seu non citius quam anno* 584, *sequeretur illum ætate viginti quinque annorum vix completa episcopalem cathedram conscendisse; quod, utpote contrarium disciplinæ ecclesiasticæ tunc vigenti, si propter insignes ejus dotes accidisset, non tacuisset probabiliter auctor coævus* (*a*).

sed annus 574 :

15 *His igitur rejectis, superest opinio Cointii supra allata num.* 10, *qua censet, si* S. Magnobodus *natus est flagrante bello civili, ejus ortum potius referendum esse ad annum* 574, *quo rex Neustriæ Chilpericus adversarios expertus est Sigibertum Austrasiæ et Guntramnum Burgundiæ reges. In hac opinione habemus* S. Magnobodum *annum ætatis trigesimum sextum agentem, et proinde jam maturum muneri episcopali : quare deficiente omni alio indicio, quo tempus nativitatis Sancti accuratius indigitetur, Cointii sententiam nos sequi oportet. Scrupulum tamen adhuc movent Anonymi verba num.* 4, *quibus, postquam narrasset* recolendæ sanctitatis virum Magnobodum ecclesiastici ordinis *(presbyteratus)* ministerio promotum *Romam legatum missum fuisse, prosequitur :* His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curriculis, *obit S. Licinius, atque in ejus locum, altero tamen episcopo intermedio,* S. Magnobodus *eligitur. Hæc, inquam,* multorum annorum curricula *videntur intermedia fuisse inter Sancti legationem Romanam ac ejus pontificatum ; atque hinc iterum propter ætatem triginta quinque annorum constringimur : si enim trigesimo primo anno presbyter factus Romam mittitur, quomodo dici potest episcopale munus suscepisse* evolutis multorum annorum curriculis S. Magnobodum? *Verum hæc multorum annorum curricula referenda non videntur ad res gestas* S. Magnobodi, *sed ad ætatem senilem S. Licinii, ita ut sensus Anonymi sit : postquam monasterium S. Joannis Baptistæ construxisset Licinius, et, procedentibus annis, ad senium devenisset, cœpit infirmari. Ope hujus interpretationis, evanescit difficultas, et nihil videtur obstare, quominus* S. Magnobodum *natum dicamus circa annum* 574.

B

dies natalis fuit festivitas Epiphaniæ.

16 *Notavit quoque Anonymus num.* 1, *in die Epiphaniæ,* VI *Januarii, natum* S. Magnobodum *hisce verbis :* Sicut solerti indagine compertum habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniorum die recens extitit... et in ipso concentu gallicinii, quo dieculæ prænuntiari non ambigitur igniculus, materna mundo Sanctum edidit alvus. *Locus quoque Sancti natalis, utcumque indicatur, quum Anonymus num.* 2 *dicit :* Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes *(S. Magnobodi)* ad regenerationis lavacrum deferre studerent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, artatus Ligeris fluminis dirimebat, qui dum navali adminiculo meatum jam dicti amnis transire vellent, *etc.; videtur ex his verbis* trans Ligerim *natus* S. Magnobodus, *cum non nisi trajecto hoc flumine* ad basilicam, *in quo baptisandus erat, pervenire potuerint parentes. Unde probare non possum sententiam eorum, qui dicunt Sanctum in ipsa urbe Andegavensi natum, immo plateæ nomen adjiciunt, scilicet Coriariorum* (rue des Tanneurs) (*b*). *Res clarior fieret, si certa apud auctores illorum temporum esset significatio vocabuli* Basilicæ : *Joannes Mabillon in Annalibus Ordinis S. Benedicti* (*c*) *dubitat an umquam basilicæ nomine episcopales seu cathedrales ecclesias appellaverit Gregorius Turonensis,* quas, *ait,* seniorum ecclesiarum aut præcise ecclesiarum nomine insignire solet. *Attamen Hadrianus Valesius, quem propter egregiam disceptationem de Basilicis ipse Mabillonius luculenter laudavit* (*d*), *monstrat* (*e*) *a Gregorio etiam cathedralem ecclesiam quandoque dici* Basilicam. *Imo quod proprie ad rem nostram facit, ipse Anonymus num.* 9 *promiscue ecclesiam dicit, quam paulo ante basilicam appellaverat. Hinc fieri potest, quod basilica, ad quam puerulus* Magnobodus *baptisandus deferebatur, ipsa esset ecclesiæ cathedralis Andegavensis.* D

Pie educatus, a S. Licinio Sacris Ordinibus initiatur,

17 *Parentes habuit* S. Magnobodus *nobilitate insignes, ut habet Anonymus num.* 1, *cui consentit Marbodus dicens* (*f*) : Magnobodus Andegavensi territorio oriundus fuit... parentibus Christianis, quos inter concives spectabile genus et honorum dignitas sublimabat. *Neuter tamen biographus accuratius Sancti nostri familiam designat.* Procedente vero ætate, *ut pergamus cum Anonymo n.* 3, cernentes prælibati parentes generosam filii sui indolem, sacris eum destinarunt imbuere litterarum studiis. *Hanc tamen ad* sacra studia *destinationem non ita a parentibus accepit* Magnobodus, *quasi solo illorum arbitrio res ageretur ; sed, ut ait Marbodus loco citato, quia eum* divinis mancipandum obsequiis, certis quibusdam excitata signis fides parentum decreverat, et Ecclesiæ Christi præficiendum cœlestis ordo providentiæ disponebat. *Itaque* adolescens factus, amplioribus cœpit virtutum studiis exerceri, nec proclivem in deteriora ætatem deformi luxu, aut inerti otio passus corrumpi, arctis semetipsum subdidit legibus abstinentiæ, ut scilicet nil ventri, nil indulgeret somno, nisi quantum naturæ necessitas postularet. Orationi jugiter, aut lectioni vacabat, ut nullum temporis intervallum absque spirituali profectu sineret deperire. Hæc cum ad Beati Licinii episcopi notitiam pervenissent, cujus mirabilis sanctitas inter Gallicanos episcopos tunc temporis habebatur, congratulatur divinorum munerum largitati, vocatum ad se juvenem more ecclesiastico tonsuravit, ac clericalibus officiis deputatum in castris Christi probatæ jam virtutis tyronem militare præcepit. Procedente mox tempore, per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit. *Si certa esset, quam supra num.* 15 *aliquatenus probabilem diximus, nativitatis Sancti epocha, propter ætatem triginta annorum requisitam ad presbyteratus ordinem,* S. Magnobodi *ordinatio ad annum Christi* 603 *referri posset.* E F

et monasterio Colonetensi præficitur :

18 Cernens igitur, *ait Anonymus num.* 3, Sanctus præsul Licinius ejus *(Magnobodi)* industriam et admirabilem mentis ejus intentionem, decrevit eum aliquantulum in superiori consistere gradu, et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret, et exemplis ejus cæteri æmulatores fierent. Si quidem patrem eum præfecit sanctæ congregationi, quæ in cœnobio Colonetensi Christo famulabatur, ut lucerna in fastigio candelabri sita, claritate luminis magis cæteros illuminaret, et dogmate divinæ admonitionis paradigma obsequentibus exhiberet. *Marbodus quoque scribit* (*g*) *a S. Licinio* Colonetense cœnobium regendum commissum *fuisse* Magnobodo. *Hoc monasterium, jam diu destructum, suspicatur Bollandus noster ad diem* XIII *Februarii* (*h*) *situm fuisse,* ubi nunc Chalonnæ præfectura est, vetusque castellum, ad Ligerim fluvium, quatuor infra Andegavos leu-

(*a*) Cfr. t. I Octob. Vit. S. Leodegarii, p. 366, n. 46 et seqq. — (*b*) Godard Hist. de l'Anjou, p. 171. — (*c*) Lib. VII, § VII, t. I, p. 161. Edit. Luc. — (*d*) Lib. V, § XXVIII. Ibid., p. 114. — (*e*) Discept. de Basil., cap. II, p. 11. Edit. Paris. 1657. — (*f*) Beaugend. Oper. Hildeb., col. 1491. — (*g*) Ibid., col. 1492. — (*h*) T. II Februar., p. 679, not. *c.*

cis,

A cis, via Nannetensi. *Ex his igitur utriusque biographi verbis liquet illum Colonetensi cœnobio præpositum fuisse; quin æque clarum sit, quo titulo hanc præfecturam possederit. Etenim in reliqua Vita, sive antecedentia, sive consequentia consideremus, nullo verbo* S. Magnobodi *monachatus attingitur. Hæc nihilominus Colonetensis cœnobii præfectura in causa fuit, cur Sanctum nostrum, tamquam Ordinis S. Benedicti alumnum, in suo Martyrologio ad diem* XVII *kal. Novembris Hugo Menardus, et, in Hagiologio Benedictino Hispanice conscripto, sub die* XVII *Octobris Antonius de Heredia adnumerarint. Huic opinioni probabilitatem quamdam addit, quod* Glannofoliense *monasterium, ex quo deinde cætera Benedictini instituti cœnobia prodierunt, situm esset* ad Ligerim apud Andecavos, *uti habet Mabillonius in Annalibus Benedictinis* (*a*). *Verum hæc ratio ea non est, ut Mabillonium moverit ad conscribendum* S. Magnobodum *inter germanos Benedictinos. Nam in Actis SS. Ordinis S. Benedicti* (*b*) *postquam dixerit de Sanctis, quos prætermittendos censuit, se asterisco * notasse illos, qui* germani Benedictini videbantur;

B *ad* S. Magnobodi *nomen nullum hujusmodi signum exsistit : recte igitur inferre licet Mabillonium non habuisse Sanctum nostrum tamquam germanum Benedictinum.*

quamvis non videatur monachus fuisse,

19 *Et reapse nihil, ut jam præfati sumus, in utraque* S. Magnobodi *Vita occurrit, quo confirmari possit ejus monachatus : immo contrarium potius insinuatur, scilicet eum ut clericum Ecclesiæ Andegavensi adscriptum fuisse. Ait enim Anonymus l. c.* Decrevit *(S. Licinius)* eum aliquantulum in superiori consistere gradu et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret : *equidem hæc verba ita intelligenda esse arbitror, ut* Magnobodus, *in superiori gradu aliquantulum, id est ad tempus, consistens, se episcopo ac reliquo clero probaret, ac deinde ab omnibus dignus haberetur, quem episcopus secum retineret, ac adjutorem suum in omnibus faceret. Quod si hoc sensu accipienda sunt Anonymi dicta, satis apparet* Magnobodum *monachum non fuisse in aliquo cœnobio; proindeque nullo jure inter Sanctos Benedictini ordinis adscribi potuisse. Deinde in neutra Vita dicitur* abbas *cœnobii Colonetensis, sed* præfectus *aut* rector, *quatenus fortasse, quoniam tunc erat presbyter inter monachos Colonetenses,*

C Magnobodus, *jam sacerdotii gradu insignis, illos in via salutis atque perfectionis verbis et exemplis suis dirigeret.*

sed presbyter præpositus cœnobio,

20 *Quamvis enim illa tempestate frequentes essent presbyteri monachi, non est tamen diffitendum exstitisse tunc etiam monachorum cœnobia sacerdotis solatio destituta. Duo in epistolis S. Gregorii Magni nobis occurrunt exempla, quæ demonstrant monasterium quandoque absque presbytero exstitisse. Sic S. Gregorius, amotis clericis, qui officia divina in ecclesia S. Pancratii extra urbem negligebant, tradit illam monachorum congregationi, cui Maurum abbatem præficit, et addit* (*c*) : Sed ne remotis presbyteris, quibus ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare ministeriis (*alii legunt* mysteriis) videatur : idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic non desinas adhibere presbyterum, qui sacra Missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen et in monasterio habitare, et inde vitæ subsidia habere necesse est. *Defectum presbyteri monachi tamquam exceptionem a regula communi habent Benedictini editores Operum S. Gregorii Magni; neque inficias ibo, sed adjungunt hunc presbyterum fuisse* fortasse ex aliquo vicino monasterio : *etenim* si monasticam, *aiunt*, vitam professus non fuisset hic presbyter, quomodo in monasterio habitare, ac arctiorem monachorum vitam ducere consensisset. *Hæc opinatio nulla ratione fulcitur : dicit quidem S. Gregorius habitationem et vitæ subsidia presbytero præstanda esse a monachis, sed nullo verbo insinuat, illum severiori monasticæ disciplinæ esse subigendum.*

AUCTORE J. V. H.

quod non raro carebat

21 *Similiter idem sanctus Pontifex, scribens ad Fortunatum Neapolitanum episcopum* (*d*), *dicit a* Romano clarissimæ memoriæ viro *ædificatam fuisse Neapoli ecclesiam, quam consecrare præcipit* in honorem Sanctorum Hermetis, Sebastiani, atque Cyriaci, nec non et Pancratii; ita ut, *pergit sanctus Pontifex,* in eodem loco baptisterium numquam constituatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quoties Missas ibi degentes illic monachi fieri voluerint, a dilectione vestra presbyterum noverint postulandum : quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur. *Non est dubium, quin* tunc saltem, *quando scribebat S. Gregorius, monachi ad dictam ecclesiam degentes proprio carerent sacerdote, qui missas celebraret et illis reliqua ministraret sacramenta. Quod quidem fortassis rarum non fuit primis monastici instituti temporibus, quum fuerint aliqui e primis Patribus, qui suos monachos sacrorum Ordinum exsortes malebant; ut scilicet omnis ambitio procul exularet. Talis erat imprimis S. Pachomius, in cujus Vita ad diem* XIV *Maii cap.* III (*e*), *ait auctor subæqualis :* Ubi igitur ad peragenda sacra mysteria erat necesse, presbyterum e vicinarum ecclesiarum una aliqua evocabat. Nemo quippe inter eos ad ecclesiastici cleri ordinem adjunctus versabatur; ita ratiocinante Pachomio et ad suos sæpe repetente : optimum videri nullam, in cœnobiis præsertim, dignitatem et excellentiam appeti, ne rerum earum causa, aversiones, rixas, invidiam, æmulationem aliasque divisiones inter monachos oriri contingat. *Hujuscemodi disciplina in causa fortassis fuit, ut aliqui, non obstantibus decretis contrariis Conciliorum et summorum Pontificum, præsertim Sivicii Epistola* I, *cap.* XIII (*f*), *et Gregorii Magni* (*g*), *quæ monachos ad sacros ordines promoveri permittebant, hujusmodi, inquam, disciplina in causa fuit, ut aliqui præfracte sustinerent*

E

F *monachis interdicendum esse accessum ad sacros Ordines. Quorum audaciam fregit Bonifacius IV decreto synodali,* III *kalendas Martias anni* 610 *promulgato, in quo hæc leguntur* (*h*) : Sunt nonnulli fulti nullo dogmate, audacissime quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectione inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia esse indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotali officio divinitus injunctam potestatem; sed omnino labuntur.... Igitur Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium, Deo imperante, haud indigne administrari, si eos digne contigerit ad hoc ministerium sublimari.... Decertantes igitur monachicæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, ut ab hujuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum. *Hæc omnia concurrunt, ut hac præcise tempestate minor fuerit sacerdotum monachorum frequentia.*

proprio sacerdote :

22 *Potuit igitur et Colonetense cœnobium suo*

(*a*) Lib. v, § x, t. I, p. 106. Edit. Luc. — (*b*) Sæcul. II, Prolegom, p. XVIII. — (*c*) Lib. IV, epist. XVIII, t. II, Oper. col. 696. — (*d*) Lib. X, epist. II, t. II, Oper. col. 1043. — (*e*) T. III, Maii, p. 303, n. 18. — (*f*) Labbe t. II, Conc. col. 1021. — (*g*) Lib. VI, epist. XXVIII, t. II. Oper. col. 814. — (*h*) Labbe t. V, Conc. col. 1618.

destitui

AUCTORE J. V. H.

destitui presbytero : quare S. Licinius Andegavensium episcopus his monachis præficere potuit Sanctum nostrum Magnobodum, *cui noverat, (verba sunt Anonymi, cui Marbodus quoque consonat)*, inter coævos miram diligentiam, summam obedientiam, non fictam charitatem, cernuam benignitatem *et reliquas virtutum et scientiæ dotes necessarias ad monasterium regendum. Erat præterea in Galliis consuetudo lege firmata, ut clericis ecclesiæ cathedralis committerentur monasteria ordinanda, uti constat ex canone* XVIII *concilii Aurelianensis III, anno* 538 *celebrati, cui subscriptus reperitur S. Albinus Andegavensis episcopus* (*a*) : De his vero, *ita sonat ille canon*, clericorum personis, quæ de civitatensis ecclesiæ officio monasteria, diœceses vel basilicas, in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus, suscipiunt ordinandas, in potestate sit episcopi ; si de eo quod ante de ecclesiastico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit : quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis vel basilicæ, debet plena ratione sufficere. *Fieri potest* S. Magnobodum *vi*

B *hujus canonis monasterium suscepisse* ordinandum; *quin tamen aut ipse monachus esset, aut etiam abbatis titulo gauderet, quem illi neuter scriptor tribuit. Verum quidem est hanc abbatum quasi commendatariorum imaginem reprobatam fuisse a S. Gregorio Magno, prohibente Joanni episcopo Ravennati, ne clerici monasteriis præponantur* (*b*), *quia* nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere : ut ipse monasterio districtionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. *Sed hæc Pontificis ordinatio, quamvis postea in Gratiani Decreto inserta cap.* II, *Caus.* XVI, *quæst.* I, *erat tunc quidem, quando* S. Magnobodus *Colonetensibus monachis præficiebatur, mandatum aliquod speciale ad solum Joannem Ravennatem directum ; quo certe propria alicujus regionis consuetudo convelli non poterat, tunc præsertim quando nulla rei inerat corruptela.*

probabiliter tamen regulam canonicam

23 *Hæc tamen non ita accipienda sunt, quasi omnem Sancti nostri cum vita monastica necessitudinem excludere vellem : hoc solum monstrare conor, ex præfectura Colonetensi non posse legitime deduci illum fuisse aut S. Benedicti alumnum aut*

C *etiam monachum proprie dictum. Verum ideo non nego* Magnobodum *evangelicam paupertatem, proindeque reliqua regularis vitæ vota substantialia professum fuisse. Nam valde probabile est*, S. Magnobodum, *a S. Licinio educatum, imitatum fuisse magistrum suum, qui, ut in Vita ejus scribitur ad diem* XIII *Februarii* (*c*), clericus effectus, soli Domino et spiritualibus fratribus placere satagebat, pauperem et communem vitam ducere desiderans, pompam seculi spernens, omne desiderium suum in divina voluntate ejusque servitio constituit. *Qui* spirituales fratres, pauper et communis vita *institutum regulare sapiunt, sed cum clericatu conjunctum. Atque hunc sensum etiam confirmant Marbodi verba in ejusdem Licinii Vita* (*d*) : Cingulum militiæ deposuit et caducis renuntiavit honoribus, totumque se in Dei servitium tradens, tonsuram clericalem cum professione suscepit. O quantum gaudium de se fratribus dedit ! Quibus Dei laudibus ora omnium adimplevit ! Quam multorum corda in compunctionem, oculos laxavit in lacrymas, cum viderent illam nobilissimæ stirpis indolem, fascibus et divitiis sublimatam, forma præcipuam, gloria præpollentem, contemptis D omnibus, Christi jugo generosas inclinare cervices ; et de divite pauperem, de potente infirmum, servum de domino spontanea commutatione fieri. *Nemo certe facile sibi persuadebit S. Licinium non fuisse religiosum tria substantialia votum professum ; sed simul etiam fateatur necesse est, hic agi de vita clericali, siquidem Licinius simpliciter* clericus *vocetur, nulla monasticæ professionis facta mentione. Quod itaque vitæ genus, a S. Eusebio Vercellensi in Occidentem invectum et deinde propagatum, coluerat S. Licinius ante episcopatum, admodum probabile est in Ecclesiam suam Andegavensem aut induxisse, aut jam inductum suis curis aluisse. Proinde probabile quoque fit* S. Magnobodum *hoc mixtum vitæ genus secutum fuisse, in qua erat, ut ait S. Ambrosius* (*e*) monasterii continentia et disciplina Ecclesiæ.

professus fuit.

24 *Neque etiam hisce temporibus tam accurate definita erat distinctio inter varios ordines religiosos, illorumque regulas, prout postea fuit. Ipse Mabillonius hoc fatetur in suis Annalibus Ordinis S. Benedicti* (*f*) : Quænam, *inquit*, regulæ in prædictis monasteriis obtinuerint, colligimus ex Sidonii E *(Apollinaris)* epistola (*g*) in qua Volusianum monet, ut fluctuantem regulam monasterii S. Cyrici secundum statuta Lirinensium patrum vel Griniacensium informet : ubi regulæ vocabulum non pro aliqua scripta, ut vulgo, regula usurpatur, sed pro certa vivendi ratione ac disciplina usu recepta in monasterio ; quomodo non raro accipitur apud veteres scriptores rerum monasticarum. Sic, teste Cassiano (*h*), in cœnobiis orientalibus tot propemodum typi ac regulæ erant, quot monasteria ; quod de monastica seu regulari disciplina, quæ pro nutu præpositorum variabat, non de regulis scriptis intelligendum est. Neque alia forte fuerint tunc statuta patrum Lirinensium aut Griniacensium, quam ritus et consuetudines usu receptæ : quales apud Cartusienses absque scripto viguere ad Guigonem usque, quintum majoris Cartusiæ præpositum, qui eas in scripta primus redegit.... De Lemovicensibus id unum scimus, quod de Atanensi S. Aredii cœnobio Gregorius Turonensis (*i*), nempe istic non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, regulas celebratas fuisse. Quippe non una tum erat, F ut jam dixi, repetamque sæpius, nec fixa singulorum monasteriorum scripta regula. Plures simul in eodem loco observari mos erat : ex quibus certa vivendi ratio ac disciplinæ regularis forma pro voluntate abbatum constituebatur ; cæteris, quæ in eisdem regulis ad informandos mores pertinebant, lectioni ac meditationi fratrum reservatis. Unde per illa tempora nec mutatio regularum statum mutabat, nec status forma pendebat ex regulis : quæ cum ad unum scopum ac propositum tenderent omnes, eumdem monastici ordinis statum constituebant ; eum ad modum quo varia in eamdem regulam constitutiones, ut vocant, unitati Ordinis modo non officiunt. *Hæc Mabillonius, cujus sententiæ ita subscribimus, ut tamen distinguamus inter monachos vitæ contemplativæ deditos, et clericos regulare institutum professos, qui vitam activam contemplationi conjungunt et propterea simpliciter* clerici *vocantur ; quales erant in nostra opinione S. Licinius et ejus discipulus* S. Magnobodus.

(*a*) Labbe tom. V, Conc. col. 300. — (*b*) Lib. V, epist. I, t. II Oper. col. 727. — (*c*) T. II Febr., p. 679, n. 9. — (*d*) Ibid., p. 683, n. 7. — (*e*) Epist. ad Eccles. Vercell. n. 66, t. VI Oper., p. 213. Edit. Venet., an 1781. — (*f*) Lib. IV, § XI, t. I, p. 95. — (*g*) Lib. VII, epist. XVII. Ap. Sirmond., t. I Oper. col. 1049. — (*h*) Institut., lib. III, cap. II. — (*i*) Hist. Fr., lib. X, cap. XXIX, apud D. Bouquet, t. II. Rec. des Hist. de Fr., p. 382.

§ III.

A

§ III. Sancti legatio Romana; episcopatus.

S. Licinius S. Magnobodum Romam mittit

Cum S. Licinius in suburbio Andegavensi basilicam in honorem S. Joannis Baptistæ constructam dedicare vellet, misit discipulum suum Magnobodum *Romam, ut Reliquias ejusdem Sancti a summo Pontifice impetraret :* Quam *(ecclesiam) ait Marbodus cum Anonymo num. 4 consentiens,* in honorem Sancti Joannis Baptistæ cupiens dedicare, ejusdem Sancti Reliquias a Præsule sedis apostolicæ flagitabat. Hac igitur de causa Romam directus Magnobodus, apud Papam facile quod petiit impetravit ; quem scilicet legati sanctitas atque industria quibus pollebat, statim latere non potuit. Nam et ejus modestia delectatus ac moribus, secum aliquamdiu commorari eum præcepit ; tandemque apostolica benedictione cumulatum et votis, cum acceptis Sancti Baptistæ pignoribus gaudentem remisit ad propria. *Mire torquet hunc textum Adrianus Baillet ad* XVI *Octobris, cujus verba gallica latina facio :* Misit, *inquit,* illum deinde S.

B

Licinius Romam ad S. Gregorium Magnum, ut conaretur obtinere aliquas Reliquias Martyrum, quibus ditaret simul et consecraret novam ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quam nuper ædificaverat prope Andegavum. Dicitur aliquas retulisse, quamvis in hujusmodi re difficilem sese præberet sanctus Pontifex ; sed non admodum verisimile est, illum *(scilicet* Magnobodum) has Reliquias exhibuisse, quasi fuissent desumptæ ex corpore S. Joannis Baptistæ.

ad obtinendas Reliquias S. Joannis Baptistæ,

26 *Reliquias igitur S. Joannis Baptistæ in Galliam a* S. Magnobodo *delatas fuisse nullatenus vult Bailletus, nixus probabiliter hac opinione, Sanctorum corporum elevationem, discerptionem aut translationem, ante sæculum nonum vix usurpatam fuisse ; ut videre est in ejus Prologo ad Vitas Sanctorum* (a), *ubi ait :* Illud præsertim sæculum *(nonum)* gloriari potest falsis Actis et corruptis historiis Sanctorum, quorum effrenis licentia summum gradum attigerat illa tempestate, qua cœperunt corpora e terra levari, membratim discerpi, et alio transferri, quo latius Sanctorum cultus propagaretur. *Non est hujus loci dissertationem de sacris Reliquiis*

C

texere : unum sufficiat dixisse S. Stephani Protomartyris lipsana jam quinto sæculo et translata, et, ut satis inverecunde loquitur Bailletus, discerpta *fuisse : de qua re testis nobis est S. Augustinus in Sermone* IV *de eodem Sancto* (b).

monstraturque contra Adrianum Baillet

27 *Redeamus itaque ad verba Bailleti supra citata. Imprimis affirmat* S. Magnobodum *missum fuisse, ut* aliquas Reliquias Martyrum *obtineret. Hæc non dicunt aut Anonymus, aut Marbodus : prior quidem habet missum fuisse Romam* ut Reliquias a summo Pontifice consequi mereretur, *sed quæ in specie sacra pignora cuperet, ex consequentibus manifestum fit,* perceptis *enim* pro quibus ierat, a beatissimo Papa pretiosis Sancti Joannis Reliquiis.... repedavit. *Recte igitur Marbodus habet, cum S. Licinius* Sancti Joannis Baptistæ Reliquias a Præsule sedis Apostolicæ flagitaret, hac de causa Romam directum Magnobodum *fuisse. Nulla igitur Martyrum hic fit mentio : ut quid igitur Bailletus de illis sermonem hic instituit? Nulla alia mihi occurrit ratio, quam quod Bailletus sinceris illis sæculis, Christianismo, ut vult, necdum obscurato, maluit translationem integri cujusdam corporis, quam discerptionem Reliquiarum pati ; attamen hanc conjecturam refutat S. Augustinus numero* 28 *citatus, qui etiam exprobrans vagis monachis eorum nundinationes sacrilegas :* Membra, *ait* (c), Martyrum, si tamen Martyrum, venditant. *Nullo autem verbo perstringit Sancti alicujus corporis dispertitionem.*

AUCTORE J. V. H.

etiam isto sæculo

28 *Verum est S. Gregorium Magnum non facilem sese præbuisse in distribuendis Sanctorum Reliquiis ; quod constat ex ejus epistola ad Constantiam Augustam* (d) : Cognoscat autem, *ait,* tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore ; sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, ac tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.

et a S. Gregorio Magno

29 *Verum non ita semper brandeis mittendis contentus fuit S. Gregorius Magnus, ut numquam veras de corpore Sanctorum Reliquias distribuerit. Unum sufficiat attulisse exemplum : S. Pontifex misit ad Recharedum, Wisigothorum in Hispania regem,* E *varias Reliquias, ut ipse loquitur* (e) : *præter clavem parvulam* in qua inest ferrum de catenis Beati Petri Apostoli, crucem quoque dedi latori præsentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ Crucis inest et capilli Beati Joannis Baptistæ. *Similiter Antonius Franciscus Frisi in Monumentis Ecclesiæ Modoetiensis* (f) *ostendit non solum olea et brandea, sed etiam ossa Sanctorum a S. Gregorio ad Theodelindam, Longobardorum reginam transmissa fuisse : quod quoque factum comprobat Justus Fontaninus in sua* Dissertatione de Corona Ferrea (g); *ubi pluribus ostendit liberalitatem S. Gregorii in sacris Reliquiis largiendis.*

particulas corporis Sanctorum distributas fuisse;

30 *Non est igitur ratio cur in dubium vocet Bailletus hanc S. Joannis Baptistæ Reliquiarum illationem, quasi res esset quæ fidem excederet : tantoque magis quod absque idoneo testimonio supponat, vivente S. Gregorio Magno,* S. Magnobodum *Romam adiisse : factus enim est presbyter probabiliter anno* 603, *et deinde Colonetensis cœnobii præpositus ; neque verisimile est eum primo anno a susceptis sacris Ordinibus Romanam legationem obiisse, quod tamen necessarium fuerit ob S. Gregorii obitum in* IV *Idus Martii anni* 604 *incidentem. Nihil hic quoque dicendum occurrit, de excusatione, aut potius accusatione, quasi suspicari quis posset sanctum virum* F Magnobodum, *aut ejus magistrum Beatissimum Licinium eo audaciæ processisse, ut Martyrum, fortassis ignotorum, Reliquias quasi de corpore S. Præcursoris desumptas venditarint. Dicendo enim :* Sed non admodum verisimile est (Mais il n'y a pas beaucoup d'apparence) illum has Reliquias exhibuisse, quasi fuissent desumptæ e corpore S. Joannis Baptistæ, *insinuare videtur Bailletus aliquid suspicionis adhærere* B. Magnobodi *sanctitati : quasi hujus testimonium in re præsertim obvia non sufficeret, ad factum aliquod historicum asserendum.*

Memoriter recitat lectionem nocturnam coram Papa.

31 *Narrat uterque biographus* S. Magnobodum *Romæ consuevisse divinis officiis coram Papa interesse : hinc fortassis nata opinio legationem illam tempore pontificatus S. Gregorii accidisse. Reipsa quidem S. Gregorius cantum ecclesiasticum reformavit, cantorumque scholam instituit : sed cum eadem hæc schola usque ad tempora Caroli Magni perseverarit, admodum probabile est, successores*

(a) T. I in fin. § XI, p. XVI. — (b) T. V Oper. col. 1269. — (c) De Opere Monach., cap. XXVIII, t. VI Oper. col. 498. — (d) Lib. IV, epist. XXX, t. II Oper. col. 708. — (e) Lib. IX, ep. CXXII, ibid., col. 1031. — (f) Dissertat. II Mem. della Chiesa di Monza, p. 67. — (g) Cap. II, p. 22. Editionis Lips. an. 1719.

AUCTORE J. V. H.

Sanctissimi Papæ, saltem immediatos, servasse quoque, introductas salutares consuetudines circa celebrationem divinorum Officiorum, et proinde nihil impedire, quominus S. Magnobodus *tempore Sabiniani, Bonifacii Tertii aut etiam Quarti Romæ adfuerit :* Dum apud Papam, *ait Marbodus* (*a*), maneret, quid ei contigerit non prorsus prætermittendum existimo, quoniam et malignitatis reprehensionem et imitandæ diligentiæ continere videtur exemplum. Dum inter officia nocturnorum, quibus eum Papa familiariter admittebat, ipsius jussu lectionem, ut mos est, in pulpito recitaret, quidam ex clericis palatinis invidia ducti, sicut se habet humana perversitas, quod scilicet alienigena quidam domesticorum partes apud dominum obtineret, et eorum quasi præriperet famulatum, lumen candelæ, quo utebatur, extinguere curaverunt, ut, frustrata intentione, confusus et velut demutatus abscederet. At ille nihil commotus, eodem tenore quo cœperat, memoriter paginam consummavit. Sicque factum est, ut quod illi ad dedecus erat dispositum, in gloriam potius verteretur. *Quod hic Marbodus exhibet tamquam*
B imitandæ diligentiæ *exemplum, id Anonymo num.* 4 *videtur miraculo simile; etenim dicit Sanctum nostrum* non solum lumine carnali, quod exterius patet.... viguisse, sed etiam spirituali, quod interius spiramine divino candet. *Certe si prodigiosi quidpiam recitationi tribuendum esset, insulse satis de* imitanda diligentia *loqueretur Marbodus. Interim facile mihi persuasero interpretationi Marbodi standum esse, tum quia naturalis est explicatio, tum maxime, quia Anonymi phrasis non absolute miraculum aliquod deprædicat.*

Mortuo S. Licinio

32 *Brevi post absolutam Romanam legationem, moritur S. Licinius, anno* 606, *ut volunt auctores Historiæ litterariæ* (*b*). *Atque hanc opinionem eatenus tenendam esse, quatenus* circa *dictum annum* 606 *obiisse S. Licinius censendus sit, suadet vel ipsum tempus quo* S. Magnobodus *Andegavensem cathedram conscendit, uti sequentia demonstrabunt. Nostri ad diem* XIII *Februarii in Commentario prævio Vitæ S. Licinii* (*c*) *statuunt circa annum* 616 *e sæculo migrasse dictum Sanctum, quia nullum certum documentum ejus obitus ante annum decimum octavum ejusdem sæculi repererant. Sed aliquot annis citius obiisse S. Licinium, liquet ex verbis ipsius*
C S. Magnobodi, *quibus in Præfatione Vitæ S. Maurilii ad diem* XIII *Septembris* (*d*), *dicit annum decimum suæ ordinationis aut episcopatus concurrere cum anno trigesimo sexto regni Clotarii regis, seu cum anno Christi* 619, *aut, ut Baronio placet,* 613.

circa annum 606,

33 *En verba :* In Christi nomine, ego Magnobodus episcopus, ac si peccator, ecclesiæ Andecavæ.... Vitam Sancti Maurilii episcopi et confessoris, ut rusticitas mea compos fuit, simpliciter planeque, quantum potui, explicavi, in anno decimo ordinationis meæ et in anno trigesimo sexto principis nostri domni Clotharii regis, filii Chilperici regis. *Ut igitur accuratius determinetur annus decimus episcopatus* S. Magnobodi, *proindeque ad tempus mortis S. Licinii propius accedamus, imprimis indicandum nobis, cui anno æræ Christianæ illigandum sit initium principatus Clotarii II. Baronius quidem Chilperici mortem anno Christi* 587 (*e*) *innectit, sed nullo, quod afferat, idoneo testimonio nixus : unde merito emendatur a Pagio, qui dicit* (*f*) *cædem Chilperici cum anno vulgari* 584 *esse certo conjungendum : si igitur ab hoc anno per* D *annos triginta quinque procedamus, ad annum Christi* 619 *pervenimus, qui cum simul esset annus decimus episcopatus* S. Magnobodi, *sponte sua fluit Sanctum nostrum anno Christi* 609 *aut* 610 *Andegavenses infulas accepisse.*

eiusque successore

34 *His positis, manifestum fit S. Licinium aliquot annis ante annum* 616, *ut volunt nostri, diem supremum obiisse : quin et probabile est duorum aut trium annorum intervallum fluxisse inter S. Licinii mortem et pontificatum* S. Magnobodi : *Marbodus enim in hujus Vita dicit* (*g*): Post decessum itaque Beati Licinii, quin statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est, nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi judicans contemplationis otio inhærere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur, obtinuit. *Hunc, qui S. Licinio immediate successit, episcopum nominat Gallia Christiana antiqua* (*h*) Cardulfum *(aut, ut alii volunt, Radulfum),* cujus solum nomen in Fastis ecclesiasticis superest. Verum, *ita pergit Marbodus,* et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat, istum (*scilicet* Magnobodum) divino judicio postu- E lari. *Cum igitur certum sit, Sanctum nostrum anno Christi* 609 *episcopatum Andegavensem suscepisse : putarem Cardulfo posse tribui pontificatum duorum triumve annorum : unde perspicuum fit, recte S. Licinii mortem versus annum Christi* 606 *collocari.*

Cardulfo,

35 *Nihilominus in variis Marbodi exemplaribus non una est lectio de iis, quæ Cardulfum attingunt : Cointius ad annum* 605 (*i*) *legit :* Et illo post modicum Dei dispensatione defuncto ; *eadem verba habet quoque apographum Bibliothecæ olim Bollandianæ, unde concludit Cointius :* Pontificatum Cardulfi, qui post modicum ab obitu Sancti Licinii defunctus est, annum interpretamur. *Nihil meo judicio, admissa etiam posteriori lectione, obstat quominus dicatur illud* post modicum, *ad duorum triumve annorum spatium extendi posse : maxime quia Cardulfus medius fuit inter duos episcopos, quorum regimen sat diuturnum fuit. Deinde Cointio persuasum erat, S.* Magnobodum *anno* 606 *infulas Andegavenses adeptum fuisse : quæ quidem opinio falsa demonstrabitur; ast si vera epocha episcopatus* S. Magnobodi *illi nota fuisset, profecto vitam S. Licinii, contra opinionem eruditorum omnium, usque ad annum* 609 *non prorogasset.* F

S. Magnobodus succedit anno 609 aut 610,

36 *Passim scribitur* S. Magnobodus *anno* 606 *episcopus factus : ita censent Baillet, Butler et Cointius ad hunc annum* (*k*). *Atque hic quidem error manavit ex corrupta lectione Præfationis Vitæ S. Maurilii per* Magnobodum *conscriptæ. Cointius loco citato, et Gallia Christiana antiqua* (*l*) *legunt :* In anno decimo ordinationis meæ et in anno trigesimo tertio principis Domini nostri Chlotarii regis. *Si itaque anno Christi* 584, *quos is regnare cœpit, addantur anni triginta duo, pervenimus ad annum* 616, *a quo tollendi sunt anni decem, et proinde initio episcopatus* S. Magnobodi *annus Christi* 605 *aut* 606 *statuendus esset. Huic quoque opinioni subscribit Jacobus Longuevallius Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ lib.* IX (*m*). *Ex his satis appareret lectionem, quæ apud Cointium et alios habetur, fidem fecisse apud plerosque. Verum, teste Theodorico Ruinart in sua Præfatione ad Opera S. Gregorii Turonensis, num.* 80, *quem etiam laudant auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (*n*) *in codice*

(*a*) Op. Hildeberti, col. 1493. — (*b*) Hist. de la France litt., t. X, p. 363. — (*c*) T. II Febr., p. 677, n. 1. — (*d*) T. IV Sept., p. 72, n. 1. — (*e*) Ad an. 587, § XXXII. — (*f*) Crit. Baron. ad eumd. an., § VIII. — (*g*) Oper. Hild., col. 1494. — (*h*) T. II, p. 115. — (*i*) Ann. Franc. ad an. 605, § II, t. II, p. 568. — (*k*) § IV, t. II, p. 576. — (*l*) T. II, p. 115. — (*m*) Hist. de l'Egl. Gall., t. V, p. 110. Edit. Paris. 1826. — (*n*) T. III, p. 574 et seq.

Vindo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Vindocinensi, tunc jam anno Christi* 1699 ab annis circiter 600 exarato *annus decimus ordinationis* S. Magnobodi *cum anno trigesimo sexto Clotarii II conjungitur.*

ut monstrat lectio codicis Vindocinensis

37 *Atque hanc quidem Vindocinensis codicis lectionem aliis præferendam sese suadet tum ipsa manuscripti circa finem sæculi* XI *aut* XII *initium exarati antiquitas, tum vel maxime quod in illo sincera reperiatur S. Maurilii Vita, qualis a* Magnobodo *conscripta fuit, dum in multis aliis codicibus reperiatur inspersa fabulis, sub Rainone Andegavensi episcopo anno* 905 *adjunctis, uti videre est apud Mombritium et Laurentium Surium. Omnino igitur retinenda est lectio Vindocinensis, quam etiam nostri Majores servarunt in Vita S. Maurilii ad diem* XIII *Septembris* (*a*), *ne ulla quidem appressa dubitationis nota. Maneat igitur inconcussum, genuinam esse Vindocinensis codicis lectionem et proinde annum decimum episcopatus* S. Magnobodi *cum anno trigesimo sexto Clotarii II concurrere, ex quo recte deducitur Sanctum anno Christi* 609 *aut* 610 *cathedram Andegavensem conscendisse.*

regnante Clotario II, B

38 *In narratione Anonymi de electione* S. Magnobodi *ad episcopatum, illud singulare occurrit, quod, licet coævus, nihil dicat de pontificatu Cardulfi, quasi Sanctus noster B. Licinio immediate successisset. Rem enim his verbis refert num.* 5 : Illo ita assumpto (*id est, Licinio defuncto*) plebs Andegavensium tam clericalis quam laicalis, in unum coacervata, parili animo, una cum consensu incliti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum sibi fieri pastorem adclamare cœpit, omnibus una sapientibus. *Pontificatus Cardulfi sat magni momenti videtur, maxime cum in ejus electione humilitas Sancti nostri adeo enituit, ut mentione dignus haberetur : probabile itaque est illa, quæ Cardulfum attingunt, ociliantia libratiorum excidisse; quare eadem e Marbodo supplemus, qui sic habet* (*b*): Post dicessum Beati Licinii, quin statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est, nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi judicans contemplationis otio inhærere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur obtinuit. Verum et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat istum divino judicio postulari. Communibus igitur omnium votis, cum assensu Dagoberti regis, ad quem

C successio regni descenderat, electus est. *Quod vero spectat ad Dagobertum regem, quasi* cum consensu *ejus ad episcopatum promotus fuisset* Magnobodus *jam supra num.* 12 *refutavimus; et textus Anonymi, qui etiam ad Marbodum manavit, eatenus corrigi debet, quatenus omissis verbis* Dagoberti filii, *legatur* una cum consensu incliti Francorum regis Lotharii : *hac enim lectione tollitur anachronismus, quo initium episcopatus* S. Magnobodi *rejiceretur ab annum Christi* 622, *quo regnum Austrasiæ obtinuit, aut potius ad annum* 628, *quo Dagobertus universa Francia potitus est, et quo proinde Andegavum, in Neustria constitutum, sub suam redegit potestatem.*

æmulis divinitus punitis.

39 *Quamvis unanimi cleri populique acclamatione* S. Magnobodum *episcopum electum fuisse narret uterque biographus, fuerunt tamen duo e clericis, qui communi sententiæ refragari ausi sunt : Ambrulfus scilicet et Leobaldus, aut, ut hunc nominat Anonymus, Leudobaudus. Erant hi, ait Anonymus num.* 5, presbyteri honore præcellentes.... qui nimia obstinatione hanc electionis seriem et statuta populi evertere moliebantur. *Causam hujus obstinationis accuratius describit Marbodus, cum dicit Ambrulfum et Leobaldum* ambitionis et invidiæ stimulis agitatos. *Ex hisce Marbodi verbis concludere licet illos imprimis pro se episcopatus honorem ambivisse, dein contendisse ut alii cuicumque potius hæc dignitas cederet, quam* Magnobodo *nostro, cujus virtutes suspiciebant probabilius ac timebant. Videntur quoque e senioribus presbyteris fuisse, quibus durum videbatur obedire et subesse juveni, quum Sanctus noster anno Christi* 609 *solum triginta et aliquot annos complesset. Verum divina illos ultio invasit :* Ambo siquidem, *ait Marbodus,* dextro confestim privati oculo, sinistro sensu restitisse manifesta animadversione convicti sunt. Ita factum est, *inquit Anonymus eodem numero,* ut et versutus illorum astus mulctaretur, et viri Dei electio nutu Dei signis præcedentibus sanctificaretur.

§ IV. Gesta in episcopatu; obitus; Reliquiæ;

S Magnobodi *virtutes in episcopatu præclaras egregie describit Marbodus Anonymum num.* 6 *secutus : illarum itaque imaginem aliquam hic exhibere placet* (*c*) : Qualem vero in episcopatu se gesserit nulli dubium esse potest, quandoquidem et ante nomen rem nominis jam tenebat. Sed nunc maxime ad ipsum insistens, amplioribus sese virtutum cumulavit augmentis : siquidem majus onus majoribus erat viribus sustollendum et amplior honor propensiorem diligentiam merebatur. Neque enim poterat ignorare vir doctus propriam pastoribus non sufficere sanctitatem, nisi et subditorum peccata curaverint : solosque eos conditionis haberi miserrimæ, quibus omnium imputentur errata, sicut e diverso felicissimos merito judicari, qui de cunctorum meritis munerentur. Nullum ergo tempus, nullum desidiæ locum indulgens, super gregem Domini sollicite vigilabat, ne qua forte commissarum sibi ovium negligentius errans insidiantis lupi morsibus vastaretur. Ministrabat omnibus in tempore pabula verbi Dei, prout singulorum capacitati congruere videbat : et ad similitudinem boni ducis, cui non sufficit verbo tantum milites cohortari, nisi et manu fortiter egerit, quidquid verbis insinuabat agendum, qualiter ageretur, moribus F ostendebat et vita. Secundum apostolicum præceptum, *corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiensque erat ad omnes* (*I Thess.* v. 14), ut nullius deesset saluti, cum se singulorum necessitatibus coaptaret. Et sicut alius dicit apostolus : *Non quasi dominans in cleris erat, sed forma factus gregi ex animo* (*I. Petr.* v. 3). Compassionis et misericordiæ sic abundabat visceribus, ut cum flentibus fleret, cum infirmantibus ægrotaret, cum scandalisatis ureretur, cum afflictis affligeretur. Nec minus et aliorum prospera sua judicans, gaudebat cum gaudentibus, erigebatur cum revalescentibus, applaudebat exhilaratis, recreabatur cum refocillatis.

E *S.* Magnobodus *boni pastoris partes*

egregie imp

41 Pauperum vero curam habebat præcipuam, *plet,* quibus sæpissime cibos esuriens, potum sitiens ministrabat. Denique suarum negligens, aliorum omnium necessitatibus inserviebat; plenus scilicet dulcedine charitatis, non quæ sua sunt, sed quæ aliorum quærens, monachorum, sanctimonialium, seu clericorum collegia sæpius visitando, evulsis illico, si qua inter eos noxia pullulassent, virtutum semina jaciebat, in vitam fructi-

(*a*) T. IV Sept., p. 72. — (*b*) Hildelberti Oper. col. 1464. — (*c*) Ibid. l. c.

ficatura,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

ficatura æternam; nam et censura vigebat justitiæ, qua delinquentium culpas ferire, et mansuetudinem indulgentiæ præsentabat, qua correctis veniam non negaret. Justitiæ invictus amator, munerum vero fervidus execrator, a veritatis tramite nec blandimentis noverat exorbitare, nec minis. In adversis erigebatur constantia, in prosperis humilitate gaudebat. Sed inter hæc ecclesiasticæ actionis tam fructuosa negotia, etiam contemplationis partes exequi non cessabat; in ecclesiis namque frequenter noctibus totis pervigilans, psalmis et hymnis et canticis spiritualibus delectabatur, purasque cum lachrymis offerens Deo preces, commisso sibi populo munimen et pacem cœlitus impetrabat : neque enim poterat non exaudiri pro populo, qui et ipsum populum dignum instituerat exaudiri; siquidem assiduo usu excultos, verbisque et exemplis edoctos ad bonitatis amorem converterat, et velut emollitæ jam et formas admittenti materiæ imaginem subditis suæ religiositatis impresserat.... Tantis ergo ac talibus virtutum charismatibus plenus, bonum Christi odorem longe lateque diffuderat, et in sui laudem etiam longe positorum B mentes excitabat et linguas. Accessit ad vitæ meritum etiam miraculorum potentia, ut qui meritorum exemplo nollent adduci, signorum ostentis possent convinci. *Subjungit dein Marbodus multorum miraculorum narrationem, quæ eodem ordine ab Anonymo quoque referuntur. Cæterum hanc episcopalis vitæ imaginem hic exhibere placuit, non solum ut sua Sancto nostro* Magnobodo *laus esset, sed etiam maxime ut legentibus in utilitatem et ædificationem cederet.*

interest concilio

42 S. Magnobodus *interfuit concilio Remensi sub Sonnatio, ejusdem urbis episcopo; in qua synodo varia fuerunt stabilita ad utilitatem ecclesiæ Gallicanæ, uti videre est apud Labbe* (*a*). *Superscriptio hujus Concilii sequentibus verbis continetur :* Concilium Rhemense, Sonnatii Rhemensis episcopi temporibus celebratum, circa annum Christi DCXXX, id est Honorii papæ V, Dagoberti regis II. *Ex Flodoardo vero lib.* II, *Historiæ Ecclesiæ Remensis cap.* V *sequentia citat laudatus Conciliorum collector :* Romulfum in episcopatu Rhemensi secutus est Sonnatius, qui synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta vel eo C amplius Galliarum episcopis : ubi etiam Sanctus Arnulfus, Metensium præsul invenitur interfuisse, cum.... Sulpitio Bituricensi,.... Senoco Elosanensi.... Rustico Caturcensi.... Magnebodo Andegavensi. *Ast epocha concilii Rhemensis, prout in ejus superscriptione exprimitur, cum ætate præsulum in eodem laudatorum stare non potest. Nam anno* 626 *exulabat jam Senocus Elosanensis, uti nos docet Fredegarius in Chronico* (*b*). *Monstrat quoque Pagius in Critica Baronii* (*c*) *S. Arnulfum Metensem episcopatum abdicasse* aut anno DCXXV, aut tardius anno DCXXVI. *Cui opinioni assentiunt Majores in Vita S. Arnulfi ad diem* XVIII *Julii* (*d*).

Remensi ;

43 *Tandem Joannes Mabillon* (*e*) *dissertatione peculiari probat Rusticum Cadurcensem anno* 629 *interfectum fuisse, anno scilicet VII regni Dagoberti I in Austrasia. Quod vero idem Concilium non multo citius celebrari potuerit, patet ex eo, quod illi interfuerit S. Sulpitius, cognomento Pius, qui anno* 624 *primum episcopus creatus fuerat. Sunt quidem nonnulli eruditi, inter quos Pagius* (*f*), *qui mallent uno anno citius hoc Concilium celebratum, probabilius quia annus secundus Dagoberti in superscriptione indicatur; sed, meo judicio, non est quod illa angamur : nam cum error irrepserit in annis et fortassis in nomine Honorii Papæ, longe facilius cespitaverit superscriptor in numeris Dagobertini regiminis exprimendis. Cæterum inter episcopos Remensis synodi supra laudatos, præter* S. Magnobodum, *S. Arnulfus inter Sanctos colitur* XV *kalendas Augusti, Sulpitius vero, qui Pius cognominatur, die* XVI *kalendas Februarii, uti videre in Actis Sanctorum ad utrumque diem.* D

subscribit testamento S. Lonegesili,

44 S. Magnobodi *nomen præterea subscriptum reperimus cuidam chartæ, qua S. Lonegesilus (vulgo* S. Longis), *sacerdos et monachus in forma testamenti publici concedit Hadoindo episcopo Cenomanensi et ejus successoribus quidquid juris sibi competebat in monasterium Buxiacense. Exstat diploma apud Mabillon in Veteribus Analectis* (*g*), *ejus subscriptio est :* Actum Sagonna malo *(mallo)* publico. Data VIII kal. Decembris anno LII regnante Clothario rege. Ego Lonegiselus indignus sacerdos et voluntate monachus hanc donationem a me factam subscripsi, et adfirmare rogavi. In Dei nomine ego Medegiselus Turonicæ urbis archiepiscopus peccator deprecante Lonegiselo subscripsi. In Dei nomine ego Magnobonus peccator E episcopus rogante Lonegiselo subscripsi. In Dei nomine ego Abbo misericordia Christi episcopus subscripsi, *etc. Hanc donationem ratam habuit Clotarius rex, diplomate* dato dies VIII quod fecit mensis Januar. anno LIII regni nostri compendio palatio in Dei nomine feliciter, Amen. *S. Lonegesili testamentum ut fictitium aut saltem corruptum habet Jacobus Longueval in Historia Ecclesiæ Gallicanæ* (*h*), *quia signatur anno LII Clotarii, qui solum XLV in Francia regnavit.* Conjicit quidem, *ait laudatus auctor, cujus verba latine reddo,* Mabillonius legendum esse annum quadragesimum secundum Clotarii II pro quinquagesimo secundo, qui errore amanuensis adscriptus fuit. Sed hoc etiam dato, difficile sibi quisque persuadebit S. Lonegesilum, qui in pagum Cenomanicum advenit sub episcopatu S. Hadoindi, id est, ut citissime anno DCXXIII, potuisse ædificare monasterium, atque perficere omnia quæ in testamento exponit anno jam quadragesimo secundo Clotharii, quæ etiam mense Decembri conjungebatur cum anno DCXXV. Profertur diploma ipsius Clotarii, quo charta supra dicta confirmatur; sed majorem suspicionem falsitatis movet : F nam præterea quod signatur anno quinquagesimo tertio regni, rex vocat S. Lonegesilum sacerdotem, virum inlustrem, qui titulus solum præcipuis optimatibus sæcularibus tribuebatur, quemque sibi ipse adscribit Clotharius. *Hæc Jacobus Longuevallius noster.*

cujus authenticitas contra Jacobum Longueval

45 *Triplici itaque argumento utriusque diplomatis authenticitatem impetit Longuevallius : imprimis quia male notatur annus regni Clotarii II; deinde quia tempus duorum annorum, quod intercedit inter adventum S. Lonegesili et fundationem Buxiacensem, breviusculum videtur ad tot tantasque res perficiendas; demum quia contra morem istius temporis Lonegisilo titulus viri inlustris tribuitur. Hæc certe monstrant corruptum esse textum utriusque diplomatis, proindeque utcumque corrigendum esse; sed si propter hujusmodi argumenta falsas aut suppositas dicamus veteres chartas, vix reperientur, quæ momentum historicum præbere poterunt. Ex vitiatis igitur notis chronicis perperam ad falsitatem diplomatis concluditur, ut recte notat Mabillon de Re Diplomatica* (*i*). *Quod vero attinet ad titulum* viri inlustris *S. Lonegesilo monacho ac sacerdoti tribu-*

(*a*) T. V Conc. col. 1688 et seq. — (*b*) Cap. LIV, D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., t. II, p. 434. — (*c*) Ad an. 654, §§ IX. — (*d*) T. IV Julii, p. 42, n. 329 et seq. — (*e*) Vet. Analect., p. 520. Edit. Paris an. 1723. — (*f*) Ad an. 631, § IX. — (*g*) p. 266. — (*h*) Hist. de l'Egl. Gall., t. V, p. 11. — (*i*) Lib. III, cap. I, § X, p. 221.

tum

A *tum, verum quidem est, eidem non convenire, et proin habendum esse tamquam inconcinnum additamentum amanuensis male curiosi.*

vindicatur. 46 *Restat difficultas a Longuevallio proposita, scilicet tempus duorum annorum insufficiens videri, ut fundaretur monasterium Buxiaci; sed ipsum diploma consideranti patet, res omnes, seu acquisitionem hæreditatum, concessionem* partis de villa de Lucduno *et reliquas eleemosynas sponte quasi sua processisse: quam vero perfecit S. Lonegisilus ædificationem, tanta non erat, ut vel biennii laborem requireret; ipse enim fundationem suam vocat* monasteriolum, *cum illud aut solus incoleret, quoniam de consensu reliquorum nulla fiat mentio, aut certe cum paucis monachis; non est ergo quod magnam ædificiorum molem nobis imaginemur; sufficerit pro hujusmodi initiis, rude angustumque ædificium pauculorum ascetarum capax. Probanda est itaque Mabillonii correctio, qua pro annis Clotharii LII et LIII, legendos putat annos XLII, et XLIII. Qui cum annis æræ vulgaris* 625 *et* 626 *concurrere debent. Hæc aliquanto latius prosecuti sumus, tum ut sua maneat Sancto nostro* Magnobodo *subscriptio,*

B *tum ut suppleremus omissis a Bollando nostro in addendis ad* XIII *Januarii* (*a*). *Cæterum S. Lonegesilus, quamvis secundum aliqua Martyrologia supradicta die* XIII *Januarii ejus memoria recolatur, tamen melius ponitur die* II *Aprilis, qua celebratur in ecclesia Cenomanensi, juxta Kalendarium liturgicum pro anno* 1837.

Agericum, Pictaviensem archidiaconum, sanat; 47 *Inter plurima miracula quæ uterque biographus refert, unum est peculiari mentione dignum, utpote quod indicat episcopum Pictaviensem, de quo catalogi hujus ecclesiæ tacent. Rem his verbis narrat Marbodus:* Archidiaconum Pictavensis Ecclesiæ, nomine Agericum, supra dictus vir Sanctus (Magnobodus) familiarem habebat, utpote virum bonæ simplicitatis et religionis non fictæ; nam postmodum suæ merito sanctitatis præfatæ ecclesiæ dignus præsul levatus est. Is ergo archidiaconus intolerabili dolore dentium vexabatur: quod cum anxie innotuisset episcopo, ille signum crucis dolentibus locis impressit, statimque omnis dolor sedatus est et extinctus. *Agericus hic si fuerit Pictaviensis archidiaconus, successor probabilius fuerit S. Leodegarii; atque ab hac dignitate, quæ prima erat post episcopum, cathedram pontifi-*

C *calem conscenderit. Sanctus vero Leodegarius videtur functus munere archidiaconatus circiter usque ad annum* 651, *quando factus abbas S. Maxentii Pictaviensis per sexennium monasterium gubernavit, vocatus dein in aulam Clotarii III Neustriæ et Burgundiæ regis; quod quidem postremum neque ante annum Christi* 656, *quando Clotarius regnare cœpit, neque post annum* 661, *quo ipse S. Leodegarius ad infulas Augustodunenses sublimatus fuit, accidere potuit. Hæc omnia late explanantur atque discutiuntur in Commentario prævio Vitæ S. Leodegarii ad diem* II *Octobris* (*b*). *His positis, videtur Agericus demissum a S. Leodegario archidiaconatum accepisse circa annum* 661; *nam præfecturam monasterii S. Maxentii conjungere cum archidiaconatu vetabat canon* XVIII *concilii Aurelianensis* III *quem supra num.* 22 *citavimus.*

qua occasione in hujus episcopatum 48 *Ast major est difficultas in episcopatu Agerici stabiliendo, quem omnes videntur ignorasse, utpote qui in nullo episcoporum Pictaviensium catalogo memoretur. Hoc etiam accedit difficultatis, quod vix tempus reperiri possit, quo ejus sedes figatur. Non enim probabile est Agericum Didonem in episcopatu præcessisse: Joannes Pictaviensis interfuit concilio Remensi anni* 625, *ut videre est apud Flodoardum lib.* II, *Historiæ Ecclesiæ Rhemensis* (*c*). *Didonem vero regnante adhuc Clotario II, id est ante* 628 *hanc cathedram occupasse, monstrant nostri in Commentario prævio Vitæ S. Emmerammi ad diem* XXII *Septembris* (*d*). *Hinc nullus inter Joannem et Didonem intermedius episcopus statui posse videtur, quamvis auctores Galliæ Christianæ* (*e*) *S. Emmerammum interpolaverint, nulla, ut judico, probabilitate. Confer Commentarium Vitæ loco citato. Reliquum est ut dispiciamus num Agericus forsitan Didoni successerit:* Quamdiu, *ait Gallia Christiana* (*f*), præfuerit Dido difficile est statuere; *ipsi nihilominus opinantur Didonem usque ad annum* 673 *superstitem fuisse, siquidem verum sit, quod narrat antiquus scriptor ex Urstitio part.* II *rerum Alaman. ab ipsis citatus:* Regem Hildericum, cum per aliquot annos regnasset, a pestiferis conspiratoribus in aula cum uxore sua prægnante peremptum esse: Leudesium vero et Leuthericum cum Franciæ et Germaniæ principibus fratrem ejus Theodoricum regem constituisse, suffragantibus sibi Didone Pictaviensi episcopo, Leodegario Augustodunensi epi-

AUCTORE J. V. H.

E scopo et Gerino Pictaviensi comite fratre ejus.

ejusdem civitatis inquiritur. 49 *Quæ regni mutatio anno* 673 *cum acciderit, consequeretur Didonem ad hunc usque annum cathedram Pictaviensem occupasse. Cumque deinde sequenti anno Ansoaldus episcopus successerit, ut vult Cointius* (*g*) *atque perseveraverit saltem usque ad annum* 696, *ut habet Gallia Christiana* (*h*), *non relinquitur locus Agerico. Verum quæ supra de Didone dicta sunt, quasi suffragio suo Theodorici solium firmasset, unius Anonymi licet antiqui, tamen incertæ ætatis, testimonio nituntur: cum auctores synchroni, producti a Cointio* (*i*), *omisso Didone, solum agunt de SS. Leodegario et Gerino fratre ejus, quia hisce eventibus jam præmortuus erat Dido. Esset itaque Agerico qualiscumque locus inter Didonem atque Ansoaldum: nisi quis malit episcopatum ejus post Ansoaldum statuere, seu saltem post annum* 696; *quo casu, ut familiaris fuerit Sancto nostro* Magnobodo, *circa medium sæculum septimum defuncto, provectæ fuerit ætatis quando episcopatus onus suscepit. Sed de hujusmodi divinationibus jam satis egimus.*

Ædificata ecclesia S. Saturnini, in qua sepulcrum elegit, F 50 S. Magnobodus, *ait Marbodus* (*k*), etiam ultra vitam sanctitatis suæ meritum cogitavit extendere. Considerata itaque loci et temporis opportunitate, in surburbio civitatis suæ cœpit ædificare monasterium, exemplo videlicet beatissimi magistri et prædecessoris sui Licinii, in quo servos Dei quanto posset numero, congregaret; quibus et necessaria ex possessionibus suis et redditibus, ad sufficientiam delegaret: ut quia vitam hujus corporis contra naturæ legem perpetuare non poterat, successionem religionis suæ post se victuram in multa sæcula prorogaret. Ædificatam igitur in honore Sancti Saturnini Martyris, primi scilicet Tolosanæ urbis episcopi, sicut optavit, ecclesiam, non solum rebus et possessionibus copiosa ditavit, sed etiam summo decore et elegantia intrinsecus et extrinsecus studuit exornare, ut apte posset dicere cum Propheta (PS. XXV, ℣. 8): *Domine dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ.* Siquidem interiores domus parietes alternantibus spatiis musevo vestivit et gipso, iconas habentibus depictas et flores: cujus mirifici operis, etiam post tot ruinas, usque ad nostra tempora vestigia permanent in ea; ex quibus manifeste colligi possit, quanta novi ope-

(*a*) T. I Januar., p. 1119. — (*b*) T. I Octob., p. 368, n. 52 et p. 369, n. 59. — (*c*) Hist. Eccl. Rhem., lib. II, cap. V. Bibl. Max. Patt., t. XVII, p. 533. — (*d*) T. VI Sept., p. 458, n. 26. — (*e*) T. II, col. 1151. — (*f*) Ibid., col. 1153. — (*g*) Ad an. 674, § I, t. III, p. 693. — (*h*) T. II, col. 1114. — (*i*) Ad an. 673, § XVIII, t. III, p. 661. — (*k*) Oper. Hild., col. 1502.

ris

AUCTORE J. V. H.

ris venustas extiterit, cujus appareat vetustas ipsa mirabilis. At vero extrinsecus ædem totam porticibus vallavit atque columnis, domosque construxit usibus fratrum communem viam degentium necessarias, sed et alias suscipiendis hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonæ actionis ministerium defuisse. *Hoc monasterium, quod deinde, antiquato S. Saturnini titulo, propter* S. Magnobodi *sepulturam, ab illo nomen accepit, a statu regulari transivit ad sæcularem, constituto capitulo collegiato, in quo erant tres dignitates, octo canonicatus et tredecim capellaniæ, ut refert d'Espilly* (a).

S. Magnobodus

51 Hæc S. Saturnini sive Magnobodi ecclesia, *ait Bodin* (b), non quidem amplitudine sed certe pulchritudine inter omnes ecclesias Andegavenses eminebat. *Destructa fuit anno* 1793 *ejusque solum privatis ædibus hodie occupatur. Stratam refert idem auctor ecclesiam lateribus rubris interraso lapide albescentibus ; num hæc etiam pertinerent ad musivum et gipsum, de quibus numero superiori agi, aliis relinquo judicandum. Idem ornamentum et in aliis Andegavensis pagi tractibus reperiri affirmat* B *scriptor jam laudatus, conjectatque hujusmodi musico totam ædem stratam fuisse. Superest adhuc pars muri, longa* V *metris, alta* X, *cum columna exstante altitudinis* VIII *metrorum, recentiori structuræ impliciia.*

moritur circa annum 660.

52 *Diem emortualem* S. Magnobodi *statuit Marbodus* septimum decimum kalendarum Novembris; *cui consentit Anonymus, ut monstrant varia apographa bibliothecæ Burgundicæ, quamvis D. Beaugendre in Operibus Hildeberti Cenomanensis* (c), *vitio certe typothetæ,* diem decimum octavum kalendarum *posuerit : mensis enim Octobris non habet diem octavum decimum kalendas Novembris. Ad annum Sancti emortualem quod attinet, difficilior est investigatio ; quum nihil occurrat, quo certum pedem figere possimus. Baillet et Butler dicunt Sanctum circa annum* 654 *e vita migrasse, quin aliquam suæ opinionis allegent rationem : non est igitur cur illorum sententiæ adhæreamus. Anonymus solum habet* rexisse sanctum Pontificem ecclesiam Andegavensem sibi a Domino creditam per magna annorum curricula ; *Marbodus vero* ad senium usque pervenisse. *Cum itaque Cointium secuti, statuimus illum circa annum* 574 *natum fuisse, facile sibi* C *quisque persuadebit, octagenariam ætatem non attigisse modo, sed et superasse : unde censeo illum ad annum potius* 660 *accessisse. Si constare nobis posset de ejus successore, de anno, quo hic aut alicui concilio interfuerit, aut diplomati cuidam subscripserit, res facilius definiretur. Qui nunc in opere, quod Gallia Christiana inscribitur, continuando insudare dicuntur, poterunt fortassis accuratiora nobis tradere, quam quæ nos ex incertis conjecturis proferimus.*

Reliquiæ ejus olim Parisiis

53 *Sepultus fuit* S. Magnobodus, *ut habet uterque biographus, in ædificata a se ecclesia S. Saturnino sacra, quæ postea, ut dictum est, titulo ipsius* S. Magnobodi *insignita fuit. Vetera autem monumenta nos non docent, quando ejus corpus elevatum fuerit. Claudius Chastelain, canonicus Parisiensis, in epistola sua ad Papebrochium nostrum data die* XVI *Octobris* 1698, *dicit se* VII *ejusdem mensis jussu archiepiscopi Parisiensis, qui tunc erat Ludovicus Antonius de Noailles, visitasse varias Reliquias Sanctorum in ecclesia, olim S. Bartholomæi, tunc S. Maglorii asservatas, atque inter alias illic reperisse particulas corporis* S. Magnobodi : *conjectat laudatus scriptor has aliasque Reliquias datas fuisse ecclesiæ S. Bartholomæi in compensationem pro redditis Sanctorum corporibus, quæ propter Normannorum metum ex Armorica Parisios transtulerat Salvator Aletensis episcopus* (d). *Ignotum mihi est, utrum Sancti nostri Reliquiæ hodiedum Parisiis supersint.* D

sed maxima ex parte Andegavis, ubi flammis traditæ sunt anno 1795.

54 *Maxima tamen pars corporis* S. Magnobodi *conservabatur in ecclesia sub ejus invocatione passim cognita. Ast sæculo proxime elapso in finem vergente, quando omnia in Galliarum regno sus deque evertebantur, anno scilicet* 1793, *non tantum ecclesia solo æquata fuit, sed Sancti corpus sub ara principe reconditum, e loculo suo extractum et flammis traditum fuit, cineribus dein in ventum dispersis. Hæc affirmat testis oculatus Cl. Blordier-Langlais bibliothecæ Andegavensis præfectus. Hodie, ut scribit ad me* I *Martii hujus annis, R. D. Morel, canonicus et episcopali bibliothecæ præfectus, aliud de* S. Magnobodo *non superest, quam particula quædam sacri corporis, olim thecæ in formam brachii efficiæ, ab anno* 1840 *basi statuæ argenteæ inclusa. Et hujus quidem lipsani non alia auctoritas habetur, quam quod sigillo episcopali Caroli Montault munitum sit : etenim nullæ expeditæ fuerunt litteræ. Hæc* E *omnia documenta summa humanitate nobiscum communicavit P. Carolus Brandicourt, vices tum superioris residentiæ nostræ Andegavensis agens, cui pro accurata industria maximas habemus gratias.*

VITA S. MAGNOBODI

AUCTORE ANONYMO COÆVO.

E Ms. veteri et fide digno olim a P. Sirmondo summisso et collato cum eadem Vita, edita ab Edmundo Beaugendre inter Opera Hildeberti Cenomanensis.

CAPUT I. F

Sancti natales; institutio clericalis ; Romana peregrinatio; episcopatus.

S. Magnobodus nobili genere natus

Gloriosus igitur atque eximius Christi pontifex Mognobodus in pago Andegavensi, divinis antecedentibus indiciis, nobiliter editus magnis miraculorum fulsit privilegiis. Qui antequam valetudine corporis et loquendi peritie fugeretur, admiranda in eo collata sunt cœlitus virtutum charismata, ut testantur ejus ubique recolenda præconia. Parentes ejus secundum humanæ propaginis genealogiam admodum * expectabiles inter eorum cives non mediocrem obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes *a.* qui cum consanguineis suis Theodorico scilicet ac Theodeberto, adhuc intra adolescentiæ anno constitutus, exortis undique grandinum simultatibus litem exercebat. Puerperio ergo suo, Christo auspice, prædicti genitores admodum gratulabun-

** Beaugendre : spectabiles*

(a) Dict. Géogr. de la France *verbo* Angers. — (b) Rech. hist. sur Angers, etc. T. I, p. 99. — (c) Oper. Hildebert., col. 1487. — (d) Felib. Hist. de Paris, t. I, p. 118, et Mabill. Ann. Bened., t. III. App. II. LXIII.

di

A di de nativitatis ejus * crepundiis non modicis lætati sunt portentis. Nam, sicut solerti indagine compertum habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniorum die recens extitit, qua auctor vitæ fœcunda et intemerata genitus Virgine, a gentibus stella præduce, voluit adorari, et honorari munerum cultibus, nec non Jordanicis ablui lavacris ac lympha liquorem convertere in vini saporem, et in ipso concentu gallicinii, quo dieculæ pronuntiari * non ambigitur igniculus, materna mundo Sanctum edidit alvus, ut patenter demonstraretur lucis eum futurum amatorem et præconem, qui talibus indiciis suam decorabat nascendo natalem.

* B. *variis, sed*

* B. *prænunciari*

baptisatur, ei a naufragio liberatur;

2 Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes ad regenerationis lavacrum deferre studerent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, artatus Ligeris fluminis dirimebat *b*, qui dum navali adminiculo meatum * jam dicti amnis transire vellent, repente exorta tempestas totam pene salutis suæ ademit virtutem. Insurgunt procellarum nimbi ac immensus vortex pelagi cymbam elidere B minatur. Alliduntur remi, remigesque fluctuum impulsione desperationis evadendi periculi noxa deterrentur. Inficitur cunctis horror timoris, ac sola præ oculis formidatur imago mortis; quid agerent nautæ, quo conatu subsidia quærerent, immensitas undarum ac syrtes gurgitum denegabant, cum subito, ut credimus, divino nutu sopitis omnium ventorum flabris, inopinata et optata supervenit quies; et qui infestanti discrimine ad perniciem dilabi formidabant, mira et indicibili celeritate omni metu absoluti, animisque gaudio oppletis, littora fluminis sulcantes ad portum salutis pervenere. Perfectis ergo omnibus, pro quibus advenerant, atque ex more completis, ad lares proprios alacres repedarunt.

b

* B. *mealu*

pie educatus a S. Licinio, præficitur Colonetensi monasterio:

3 Procedente vero ætate, cernentes prælibati parentes generosam filii sui indolem, sacris eum destinarunt imbuere litterarum studiis. Traditus ergo scholæ documentis omni intentione, ut ætas illa patiebatur, se in divinis mancipabat exercitiis. Quicquid aure * perceperat intra cordis arcana capaci industria retinere satagebat. Cumque infantiæ pueritiæque transcenderet curricula pubescente jam annorum incremento, a S. Licinio Andegavensium episcopo, verticis ablata cæsarie, sanctæ Ecclesiæ instituitur officiis, ac graduum honore sublimatus ordinis sacri commendatur oraculis. Erat namque illi inter coævos mira diligentia, summa obedientia, non ficta charitas, cernua benignitas, pernox in orationibus, ultroneus in vigiliis, parcimoniæ commerciis illustratus, sanctimoniæ privilegiis decoratus, doctrinæ cumulis eruditus, sapientiæ lampadibus illuminatus, melliflua sermonis sagacitate delibutus, jugum Christi, quod portantibus amœnum * cernitur, jugiter ferens et onus ejus quod subcollantibus leve judicatur, indesinenter gerens. Cernens igitur jam supradictus Præsul * ejus industriam et admirabilem mentis ejus intentionem, decrevit eum aliquantulum in superiori gradu consituere * et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret et exemplis ejus cæteri æmulatores fierent. Siquidem patrem eum præfecit sanctæ congregationi, quæ in cœnobio Colonotensi Christo famulabatur *c*, ut lucerna in fastigio candelabri sita, claritate luminis magis cæteros illuminaret, et dogmate divinæ ammonitionis paradigma obsequentibus exhiberet.

* B. *ente*

C

B. *amarum*

* B. addit *Licinius*

* B. *consistere*

c

4 Cum autem ipse prædictus beatus pontifex Licinius in suburbio jam prælibatæ civitatis Andegavensis basilicam in honorem S. Joannis Baptistæ miro opere constructam dedicare vellet, recolendæ sanctitatis virum Magnobodum, ecclesiastici ordinis ministerio promotum accersiens, ad urbem Romam, ubi pignora Apostolorum debita veneratione recoluntur, direxit, ut Reliquias a summo Pontifice consequi mereretur, quibus basilicam moderno cultu insertam consecrare posset *d*. At ille jussis ejus obtemperans, maturavit iter; ac * beatum Papam urbis adiens causam intimavit profectionis, atque ab eo gratanter exceptus, aliquamdiu cum eo conversatus est. Cujus jussu juxta morem, divina officia ad Missarum solemnia celebrans, contigit ut ad matutinorum * laudes cum Pontifice veniens, psalmorum et hymnorum melodiis interfuit *. At ubi ventum est ut Lectiones secundum Ecclesiæ Romanæ ritum in pulpito recitari deberent, cum benedictione ejus assurgens, lectioni operam dedit, in qua diutius detentus, absque interpellatione * cœpto operi insidens, quidam de circumsedentibus livoris facibus accensi (quod dicere nefas est) lucernam quæ visui viri Dei famulabatur extinguere aggressi sunt. At ille allatam * sibi controversiam cernens, constantior factus nihilominus opus quod subsidio lychni aliquamdiu peregerat, carens ejus solamine, corde tenus omne peragens perlegit libri paginam, ut comprobaret Omnipotentis gratia non solum lumine carnali, quod exterius patet, illum vigere, sed etiam spirituali, quod interius spiramine divino candet, plenissime fervere *e*.

AUCTORE ANONYMO. *Romam mittitur ad quærendas Reliquias S. Joannis Baptistæ:*

* B. *qui*

* B. *matutinas*

* B. *interesset*

* B. *interpolatione*

* B. *illatam sibi ab æmulis*

E

e

5 Igitur perceptis, pro quibus ierat, * S. Joannis Reliquiis prospero cursu ad venerabilem Licinium Andegavis repedavit Pontificem, ferens pignus affabile. Quod ille alacriter acceptum, ut mente conceperat, intra oratorium moderno opere ædificatum recondens, exspectabili functione * dedicavit: in quo contuberniale collegium monachorum coacervans, juxta normam sanctæ professionis vivere instituit, ac plurima prædia ad opus * Domino ibi militantium delegavit, atque xenodochia ac brephotrophia diversaque mansionum habitacula ædificare procuravit. His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curriculis, cum omnipotens Dominus Præsulem Andegavensem ab hac ærumnosa ac caduca vita vellet absolvere, et B. Magnobodum in Ecclesia sua F pastorem constituere, infirmitate cogente, viribus cœpit destitui propriis; qui fratrum ad se convocans examina, viaticum petiit et, percepta Sacri Corporis Christi Eucharistia, a discipulis summa cum diligentia terræ conditus est, resurrecturus cum gloria. Illo ita assumpto, plebs universa Andegavensium tam clericalis quam laicalis in unum coacervata parili animo una cum consensu inclyti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii *f*, Magnobodum sibi fieri pastorem adclamare cœpit, omnibus una sapientibus. Soli duo presbyteri honore præcellentes inventi sunt, qui nimia obstinatione hanc electionis seriem ac statuta populi evertere moliebantur, quorum unus vocabatur Leudobaudus, alter vero nuncupabatur Ambrulphus, sancti Viri adversantes meritis; sed prævaluit definitio generalis adversus flexuosa eorum præstigia; insuper, divino exardescente examine, tanta cæde notati sunt, ut utrique oculos dextros evidenti experimento amitterent, et nusquam spem comparandæ pristinæ sanitatis adipisci mererentur. Ita factum est, ut et versutus illorum astus multaretur, et Viri Dei electio nutu Dei signis præcedentibus sanctificaretur.

redux cathedram Andegavensem conscendit.

* B. *addit a beatissimo Papa pretiosis*

* B. *sanctione*

* B. *divino*

f

6 At vero B. Magnobodus, ut assensus populi

fer ebat

A *quam summis virtutibus exornat:*

ferebat infulam sacerdotalem adeptus, voto omnium favente, in cathedra episcopali sublimatur. Qui ut hoc * onus suscepit ovile, continuo ut bonus pastor pro ovibus sibi creditis evigilare cœpit. Ammonebat protervos ut corrigerentur, persuadebat bonis ut in melius augmentando de die in diem proficerent. Quod verbis edocebat, operibus demonstrabat; nihil in terris quæ sua erant quærens, sed quæ aliorum utilitati prodessent consulens, ægrotantibus opem ferebat, periclitantibus subsidia ministrabat; pauperum visitator, egentium consolator, monachorum, clericorum, ac sanctimonialium curam gerebat, viduarum ac pupillorum sollicitudinem sedulus exhibebat, pro inimicorum versutia orationi instabat, eosque caritatis fœdere mitigari satagebat; eloquio conspicuus, mente serenus, pietatis ac misericordiæ armis circumdatus, justitiæ ac rectitudinis clypeo munitus, in adversis fortis, in prosperis humilis, nec terrore terreri potuit, nec munere frangi, nec blandimentis seduci; in consilio prudens, in actione vigens, in omni probitate morum intelligens; deditus jejuniis, eleemosynis dapsilis, euangelicis præceptis acclivis,

B psalmorum canticorumque pervigil concentor ac totius divinarum Scripturarum seriei non immemor: mactabat se ipsum quotidie holocaustum Domino, ac sese in ara contriti cordis sacrificium offerebat, ut hostia immaculata fieret et templum Dei * viva intraret. His et his similibus virtutum gemmulis adornatus, talis præerat Andegavensibus civibus antistes constitutus Magnobodus; cujus actionis admirandæ si quis agnitor esse desiderat, sequens sermo absque mendacii fuco explicabit.

* B. *omittit hoc.*

* *forte vivi*

Parisios evocatus captivos miraculose liberat:

7 Igitur tali evidenti approbatione et omnium assertione B. Magnobodo apice præsulatus decorato, præfatus rex Dagobertus, monarchiam regni Francorum obtinens, comperta bonitatis ejus fama, ad se Parisios, ubi tunc temporis morabatur, accersiri præcepit. Cujus jussionibus obtemperans, non segnis ire perrexit. Dum ergo intra civitatem ingrediens, valvas transiret, rei qui in ergastulis irretiti facinore * detinebantur, comperto ejus adventu, vocibus importunis clamantes, beati viri solatia petebant. At ubi audivit miserorum lugubres ululatus eorumque lamentabile exitium, misericordia motus, vestigia

C pressit quæ in procinctu erant, eundi ad basilicam orationis gratia. Judicem ergo adiens cernua mente, rogitare cœpit ut damnatis veniam præstaret et liberam pergendi facultatem indulgeret. At ille ut erat truculentus, responso improbo sancti Viri adversans voluntati, sine effectu abire fecit; qui a funesto contemptu ecclesiam quo tendebat ingrediens, Christi clementiam exorabat, ut noxiis copiam eundi annueret, ac a loris nexuum erueret. Illo sic in prece perseverante, repente compedes attriti mancisque contusis aditus carceris, nullo obice impediente, vinctis patuere. Prosiliunt namque et sancti Pontificis advoluti vestigiis, gratiarum actiones referre cœperunt. Pro quorum salute ille principis clementiam exorans, optatam absolutionem impetravit, ac ne ulterius in tanto facinore deprehenderentur, comminando interdixit.

* B. *facinoribus*

* B. deest *rei*

miraculis claret: cæcæ visum restituit,

8 Sub eodem tempore quidam oculorum lumine amisso, magnifici viri virtutibus auditis, ad Andegavensem prædestinavit, duce præeunte, pergere civitatem, confidens spe integra, ejus solamine pristinam oculorum suorum recuperare salutem. Qui intra urbem ingrediens * a Pontifice medelam quærens, dictum est quia infra septa basilicæ divinis officiis intentus Missarum solemnia celebraret. At ille, hoc comperto præduce quo venerat, ecclesiam *g* adiens beatum Pontificem invenit, ut dictum fuerat, in sacris mysteriis, quem voce importuna clamitans deprecabatur, ut perditum restitueret lumen. Cujus querimoniis beatus Antistes misertus, oratione pro ejus incolumitate profusa, peracto Missarum officio, perceptionem Sacri Corporis in os ejus cum benedictione intromisit; qui continuo omni cæcitate depulsa, acies oculorum, qui per multa annorum curricula fuerat latebris deputatus *, luci restituitur, atque gratias agens Christi virtute, cum alacritate mentis et corporis ad propria regressus est.

* B. *ut pontificis medelam quæreret*

D *g*

* B. *cui*

9 Nec illud silendum autumo quod cuidam presbytero * et bonis operibus dedito evenisse contigit. Dum enim profluvio ventris laboraret et intestina ejus morbo viscerum usque ad perniciem vitæ delabi * viderentur, jussu * quo poterat præcepit famulis suis, ut quatocyus ad Virum Dei accederent et eulogias *h* quas dirigere decernebat, ipsi præferrent. At illi jussionibus Domini sui obsequentes, summa cum festinatione detulere quæ dominus eorum præceperat; qui benigne ab eo suscepti, gratanter accepit quæ ægrotus direxerat, et primis * rem agnoscens, panem benedixit remeantibusque bajulis tribuit jussitque ut absque dilatione æger ex eo perciperet. At illi concito gradu revertentes xenia Pontificis domino suo morbo obsesso attulere; quibus acceptis et in esu sumptis continuo omnis dolor intestinorum, refocillatis viscerum fibris, abscedens, pristinæ restituitur prosperitati agens gratias Pontifici, qui tam * eum a perniciosa clade eripuerat.

dysenteria laborantem pane benedicto sanat.

* B. deest *et*

* B. addit *et cruciari*

* B. *visu*

h E

* B. *protinus*

* B. *ita*

ANNOTATA.

a *Quomodo intelligendus sit hic locus et accommodandus rectæ chronologiæ, late monstravi in Commentarii prævii num.* 9 *et seq., et num.* 15.

b *Quæ narrantur hoc loco, indicant* S. Magnobodum, *utpote periclitatum in trajiciendo Ligeri, quando ad basilicam baptismi causa deferebatur, ruri natum fuisse. Etenim ubs Andegavum Meduanæ* (Mayenne) *imposita ultra leucam cum quadrante Brabanticam* (7300 *metra*) *a Ligeri distat.* F

c *De* S. Magnobodi *præfectura in Colonetensi cœnobio egi in Commentarii prævii num.* 17 *et seqq. Joannes Mabillon in Annalibus Benedictinis lib.* IX § XXI (*Tom. I, pag.* 227. *Edit. Luc.*) *de Colonetensi monasterio dicit:* Cujus situs modo et fortuna ignoratur. Quidam tamen subdubitant eo in loco positum fuisse, ubi nunc Chalonnæ præfectura, vetusque castellum ad Ligerim fluvium, quatuor leucis infra urbem Andecavorum, via Namnetensi, ad episcopum Andegavensem pertinens.

d *Vide dicta num.* 25 *et sequentibus Commentarii prævii circa Romanam missionem. Cæterum sacras Reliquias Romæ expetitas, S. Joannis Baptistæ fuisse monstrat consequentia sermonis apud Anonymum et aperta verba Marbodi.*

e *Exposui num.* 30 *quatenus inter se differat Anonymi et Marbodi narratio.*

f *Monstravimus num.* 31 *et sequentibus ordinationem* S. Magnobodi *non ad Dagoberti, sed ad patris ejus Clotarii II tempora pertinere; atque hunc errorem amanuensis sive oscitantiæ, sive præsumptioni adscripsimus num.* 13.

g *Hic videre est, quod jam num.* 16 *insinuavi, eamdem basilicam vocari quoque ecclesiam.*

h *Quamvis Eulogiæ nomine ipsa etiam S. Eucharistia veniat, ut habet jam græcus textus S. Pauli*

I Cor.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *I Cor. cap.* x *v.* 16, *nihilominus hic loci panem a sancto episcopo simplici ritu expiatum et sanctificatum indicari puto. Utramque significationem late exponit Du Cange in suo Glossario.*

CAPUT II.

S. Magnobodus varia miracula operatur.

Puerum maledicum, divinitus punitum, orando sanat:
* B. deest: *isdem*
a

Igitur isdem * summæ Vir sanctitatis dicœcesim sibi commissam illustrando atque ammonendo circumiens, pervenit ad quoddam prædium, qui Quartiniacus *a* vulgariter nuncupatur, quem pueruli garruli in platea conglobati pariter procedentes ei obviam cachinnis ac vocibus debacchantes lacessere non formidabant, ac convitia ludendo * atque nefanda jactitabant; quos cum * ille intuens, repente unus ex ludentibus pueris mixtus pulveri omni cum pernicitate * raptus per vasta aëris more globi hac illacque ferebatur.

* B. deest: *atque*
* B. deest: *cum*
* B. *pertinacitate*

B Tunc de sodalibus cum parentibus tristitia metuque profligati per devia quæque sequentibus, ac rupium valliumque anfractus sectantes, nullo proficiebant effectu, excepto labore fatigationis: quid agerent? Consilium demebat casus inauditus et repentinus. Tandem desperatione adacti per invia et dumosas tramites fatescentes, reperiunt puerum inter condensa veprium semianimem * et vix exilem anhelitum trahentem: quem parentes cum magno gemitu pallio involutum, et pene cunctis artubus discerptum in præsentia sancti Viri obtulerunt, ac poplitibus flexis exorare cœpere, ut doloribus filii sui compati dignaretur; quibus præcepit ut intra septa ecclesiæ puerum ponerent et Domini clementiam pro eo supplicarent. Verum denuo abscedente turba ad ecclesiam prædicti parentes mœrentes * comearent, valentem puerum invenerunt, quem defunctum sperabant *. Tunc vir Domini apprehensa manu pueri, ex aditu porticus levavit, et sanum et vitæ præpotem reddidit parentibus, retribuens bona pro illusione sibi illata. At illi gratulabundi genibus ejus advoluti vota referentes, ad lares proprios remeavere.

* B. *semivivum*
* B. *remearent*
* B. *timebant*

C 11 At vero quidam vir, Theudegesilus nomine, nimiæ ægritudinis incommodo laborabat, quem nulla medicorum ars nec fomenta salubria ad sanitatis profectum reducere valebant. Cum autem ita morbo attritus, spem omnem recuperandæ pristinæ valetudinis abolitam haberet, memor præfati antistitis beneficii, ad ejus se deferri voce * debili poposcit obtutus. Quem ille intuens diræ ægritudinis rumore * debilitatu * ad Christi suffragia conversus, orationum munia pro eo omni cum instantia fundere studuit. Sicque, divina favente clementia, ab omni molestia corporis erutus atque sanitatem adeptus, qui grabato usu alieno bajulatus fuerat, proprio ac libero arbitrio ad sua repedavit. Operæ pretium est referre et illud quod multi asserunt, miraculum. Rediens namque venerabilis pontifex cum agmine discipulorum e vico cui Othoniense *b* * vocabulum est, ut tenderet ad suæ mœnia urbis, ad oram fluminis cum accessissent, contigit eventu divino, ut credendum est, non adesse navale solatium, quo tute possint transmeare fluvii alveum; * linter citra amnem sita videbatur, sed deerat qui ejus utilitatibus consulens præsentia ipsius conducere conaretur; qui more solito ad orationum solemnia confugiens, diu in prece commoratus, repente prora ex loco, in quo adnexa tenebatur, exiliens, absque remige, nullo compellente, ad littus, in quo præstolabundus aderat, votis omnium parens natatu devehitur. Qui omnipotente Domino, qui voluntatem timentium se facit et deprecationes eorum exaudit, gratias rependens cum universo comitatu suo nobili, in eum descendens ad locum quo tendebat et voluntas dirigebat, prospero cursu lætabundus pervenit.

graviter ægrotantem levat, et flumen, submissa mirabiliter navi, transit.
* B. *flebili*
* B. *tumore*
* B. *debilitatum*
* B. *Othomense*
b
* B. addit: *siquidem*

AUCTORE ANONYMO.

12 Interea erat quidam æger nomine Mummolus, qui quartano febrium typo graviter infectabatur et diu macerationis molestia afficiebatur; quotidie enim * cum * hæc sæva pestis miserabilem languidum graviter vexaret, et nulla penitus remedia adipisci posset, morbo urgente ad mortis confinia compelli cœpit: jamque in suprema vitæ constitutus virum Dei per internuntios petit, ut sui misereri dignaretur, qui ejus inremediabilibus doloribus compassus, oleum sacra benedictione sancitum ægroto direxit atque ungi præcepit: quo accepto, ut est delibutus, fugata cuncta languoris materia, sanus redditus multis denuo vixit annis. In eodem quoque pago Andegavensi puella quædam nomine Baldetrudis morabatur, quæ ita erat lumine oculorum abdicata, ut omni desperatione addicta spes videndi in perpetuum denegari videretur. Cujus parentes orbitati condolentes, in conspectu sancti Patris Magnobodi statuentes supplici animo rogitabant, ut opem medelæ suæ natæ conferre dignaretur. Quorum petitionibus aurem accommodans, fidemque eorum cernens, ad orationis munimina conversus, cernuus Dominum exorabat, ut lumen puellæ restitueret, qui ab exordio nativitatis suæ * editum curaverat cæcum. Illo itaque in hac ita perseverante prece, paullatim cœpit puella clausis palpitare luminibus, donec omni cæcitate depulsa, ad integrum sortita lucem, viatico proprio parentum attigit fores.

Quartana periculose laborantem et cæcam sanitati restituit:
* B. *autem*
* B. deest: *cum*

E

* B. deest: *suæ*

13 Sed inter ista, quidam cognomine * Doniolus longæva obsessus infirmitate, manum arefactam absque operis negotio ferre * assuetus erat; sola namque figura hujus artus inerat, sed efficacia roboris et sensibilis vigor absens, velut sarcina alicujus materiæ illi adhærebat. Agnitioni itaque præcellentissimi Viri præsentatus, olei * fomento benedixit ac arido mandavit ex eo se perungi, qui salubri medicamine linitus, extemplo virtus membrorum virentibus venis, ac in robore coalescentibus nervis, redire cœpit, omnique compagine soliditatis insertus, comite valetudine, ad sua repedavit ovanter.

oleo benedicto manum aridam vegetat:
* B. *Domniolus*
* B. *fere*
* B. *fomentum*

F

14 Quid autem referam de ineffabili Divinitatis miraculo, quod per eum Omnipotentis gratia operari dignata est? Nam cum tempore quodam, urgente famis inedia, ad virum Dei, ut illi consuetum erat, agmina pauperum undique ex diversis locis confluerent, et ipse more solito, ut dapsilis largitor, absque reprocrastinatione *c* agapem faciens, necessaria erogabat; qui cum in stipendiis eorum non modicum nummorum supplesset numerum * et alendo non deficeret, usque ad satietatem omnes refecti sunt. Quibus cum alacritate euntibus, clientuli pontificis summam nummorum indagantes, quæ fuerat in cibis egentium destributa, duplicata repererunt quæ erogando consumpsissent; qui admiratione attoniti, ad eum accedentes, ut res erat, innotuerunt; siquidem centum quinquaginta amplius inventi sunt, quam in sumptu egenorum distributi dinumerarentur. At ille non elationis typo elevatus, suis meritis adscribens, sed clementiæ Dei imputans, ex intimo cordis antro gratias agens, omnino

duplicatur illi pecunia in pauperum cibum, famis tempore expensa:

c

* Γ. *ad alendos*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

nino sub silentio tegere jussit; cavebat enim jactantiæ vitium.

paralyticæ et cæcæ sanitatem obtinet.

15 Hoc itaque prodigio Viri Dei meritis ita patefactis, denuo aliud subsequitur. Mulier etenim quædam paralysi morbo irretita a notis præfato pontifici in grabato defertur : quæ ita erat omni compagine artuum dissoluta, ut omnibus officiis amissis solus vitalis spiritus anhelare absque negotio videretur : quam vir Domini intuens, misericordia motus, altissimo regi pro ejus recuperatione preces offerre studuit; quibus completis, ad mulierem accedens, apprehensam manum illius ab imo elevare præcepit. At illa absque mora consurgens, omni languore fugato, incolumis reddita est; sicque nullius indiga solatii, cum inopinato gaudio ad sua reversa est. Non longo post tempore cæcus quidam nomine * Lodoveus, orbitatis latebrarum nodis irretitus, vitam ærumnosam cum exitio ducebat, qui tale addictus * penuria, toto nisu flagitabat, ut absque dilatione pontificis præsentaretur conspectibus : quem ad finem * importunis ejus acclamationibus tædio affecti, ad medicum saluberrimo fomento sanantem * adducere compulsi sunt. Pro quo orationi incumbens, ut est * perfusus facie lacrymarum imbre, fugata cæcitatis nocte ac sole adveniente, optatum cæco restituit videndi munus.

* B. abest *nomine*

* B *aditus*

* B. *affines*

B

* B. *sanandum*

* B. *et*

16 Præterea archidiaconus quidam Pictaviensis ecclesiæ summæ simplicitatis vir nomine Agericus, nimiam beati viri ob sanctitatis suæ privilegia clientelam possidebat. Hic cum enormi dentium cruciaretur molestia, clementem pontificem * adiens innotuit lugubri relatu immensitatem discriminis, quam patiebatur intra antra oris; cujus doloribus sæpe dictus Pontifex compassus signum sanctæ crucis recolendum super dentium fauces imprimens, ab omni incommoditate ora absolvit. Ita sanitatis titulo præmunitus, ad locum, de quo venerat æger, rediit alacer : qui demum meritorum suorum interveniente opinione, præsulatus apice decorandus ab universis eligitur pontifex plebis ad regendum sanctæ matris Ecclesiæ statum *d*, ut postea declaravit eventus, dignus Deo et actione conspicuus. Sub eodem ferme tempore homo qui nuncupabatur Nannenus, ex prædio Vermemitensi * *e* procreatus, omnium impugnatione dæmonum infestatus vexabatur diutius, qui nimium loris et vinculorum concatenatione omni corpore * nodatus, ad virum Dei adducitur ita mente fraudatus : qui cernens plasma Christi cruore redemptum, ita inimici fraude obsessum, altius ingemiscens ad omnipotentis * Domini confugit adminiculum, supplex deprecans, ne hostis pertinax potestatem suæ teterrimæ dominationis in homine exerceret, pro quo ad terras veniens, mortem subire non horruerat. Quid multis moror? Oratione expleta mox ut sanctus Vir perduelli versuto nutanti * in corpore comminitatus est, ut ab imagine Christi * velocius abscederet; ille statim ac nihilum redactus suis præstigiis ex obsesso decedens, dæmoniacus mente recepta, totius valetudinis expertus cum benedictione Pontificis regressus est. Nec illud silendum censeo, quod * puellæ ex agro, quem * vulgo Cabariacense * *f* vocant evenisse contigit. Ea etenim, ut omnibus qui tunc temporis superstites aderant satis compertum habetur, molestia insectante, manum dexteram amiserat, quæ longo intervallo temporis hanc injuriam membris * bajulans, petitione ejus impetrante, ad beatum sæpe prælibatum delata est Pontificem; qui oleum sacræ benedictionis munere insertum, dextram

dentibus laborantem signo Crucis, energumenum exorcismo, aridam manum oleo benedicto sanat:

* B. *molestia clanculo pontificem*

d

* B. *Vermentensi*

e

C

* B. *tempore*

* B. *omnipotentem*

* B. *versato nutatui*

* B. *Dei*

* B. *addit cuidam*

* B. *quod*

* B. *Cabariense*

f

* B. *membri*

puellæ perungere sanxit : * quo omnium infirmitatum nexibus erepta, jussu pontificis * sanitati compar ad sua repedare valuit incolumis, magnificans Christi virtutem, sanctique Viri a Domino concessam hujusmodi facultatem.

D

* B. addit *a*

* B. *sanitatis compos*

17 Ergo si cuncta et per singula hujus sancti viri Magnobodi referre voluerimus quæ vivens in corpore gessit miracula modum * libelli enormitate excederent; sed ea solummodo quæ relatione multorum comperta sunt, ut modicitas nostri exilis fontis prævalet, breviter elucubrari ratum duximus. Nam interius et exterius virtutum floribus candens, magnis pollebat scientiæ privilegiis : pro ovibus siquidem sibi creditis sollicitus erat, ne ovile ab antiquo perduelli patefacto, aliquod detrimentum Christi grex sustineret, pro quo ipse pretiosum sanguinem fuderat. Contra astum præstigiarum rapidi leonis, quærentis quem devoret, solers evigilabat, et omnes pedicas ejus pervigili * instantia transiliebat. In domo namque patris-familias constitutus, mensuram tritici commissam conservis erogans, pro salute et augmento ovilis sibi crediti sedulus pernoctabat, ut cum Dominus adventum suum notificaret, non dormientem, sed vigilantem inveniret. Ideoque magnopere orationis supplemento intentus ut status sanctæ Dei Ecclesiæ conservaretur, exorabat mente indefessus. Inter cætera vero opera quæ diatim exercebat, sacrificium Domino offerre peculiare suum erat, in quo se ipsum in ara contriti cordis indesinenter mactans, hostia viva Domino fiebat : ac Sanctæ Dei Genitricis omniumque Sanctorum memoriam * faciens, charismata Sanctæ Eucharistiæ cernua prece sumens, pluribus exinde præbebat medelam ægrotis, ac salutem periclitantibus, nec ullo obstante obice algoris aut itineris aut cujuslibet necessitudinis omittere voluit. Psalmorum vero, hymnorum canticorumque spiritualium concentibus tam diurnis quam nocturnalibus horis ita deditus erat, ut absque his nihil operis exercere videretur *. Nec non Pentatheuci totiusque historiæ non immemor, seriem divarum Scripturarum mente sagaci retinebat. Jejuniis autem ac parsimoniæ cultibus illustratus, augmentabat abstinentiæ normam; siquidem in diebus quadragesimæ observationis solus in cellula conclusus, solo pane et aqua contentus, et ad mensuram ponderis hoc percipiens, cum magna egestate vitam ducebat. Carnem ergo suam ista gravi penuria atque inedia edomabat, ut assidue cilicio contectus, hirtum ferret tegimen.

Pro grege suo sollicite

* B. *nondum*

* B. *prævigili*

E

* B. *commemorationem*

* B. *videbatur*

F

18 Pauperum egenorumque ac peregrinorum sedulo memor fiebat : atque hunc orphani patrem vocabant, pupilli ac profugi consolatorem clamitabant. Nam stipendiis ejus alebantur, opibus pascebantur ac vestimentorum adminiculis tegebantur. Si quis ære alieno oppressus ac necessitatis inopia præventus, ac ingratus quisque solatium ejus expetere compulsus est, sine reprocrastinatione invenire meruit quibus indiguit. Infirmorum cura ante omnia illi adhærebat, illorumque sollicitudinem mente vigili refovebat. Si morte urgente quisquam exitum consecutus est, ejus exequiis interesse studuit; et si necessitas exegisset, ex propriis sumptibus sepulturæ traditus est. Et quid plura? Omnia omnibus factus erat, ut omnes lucrifaceret. Sed tempus postulat, ut ad narrationis seriem stylum * reducamus et quæ omisimus sancti Viri narrando merita interius latentia explanando, ad ea revertamur.

excubat.

B. * abest *reducamus et quæ omisimus.... interius*

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a Quaterniacus, *apud Marbodum* (*a*) Cartiniacus, *locus, quatenus ad diœcesim Andegavensem pertinet, est mihi plane ignotus : nisi forte fuerit aut* Chartrenay *vel* Chartrené *in districtu et pago Balgiensi* (Arrondissement et canton de Baugé) ; *aut vicus* Querré *in pago novi-Castri et districtu Segredensi* (Canton de Château-Neuf, Arrondissement de Segré). *Reperiuntur quidem vici, quorum nomina magis latinæ voci cognata videntur, scilicet* Cartigny ; *sed hi inter Normannos, Ambianos et Gebennenses siti, ad episcopatum Andium spectare non possunt.*

b Othoniensem *vicum, seu ut scribit Marbodus* (*b*), Othomensem *in Andegavensi tractu non reperi. Est vicus quidam, hodie* Oudon *dictus, medius fere inter Andenesium* (Ancenis) *et Namnetes, sed credo eumdem semper ad jus Ecclesiæ Namnetensis spectasse, cum ipsum Andenesium ejusdem esset diœcesis. Est tamen in pago Andegavensi ejusdem nominis rivulus, quem* Udonem *vel* Utonem *lubens*
B *appellarim ; num forte, ut sæpe fit, vicus cognominis rivulo impositus fuerit, divinare non vacat.*

c Agapen *eleemosynam indicare, pluribus exemplis monstrat Du Cange.*

d *De hujus Agerici episcopatu actum fuit in Commentarii prævii num.* 46 *et sequentibus.*

e *Prædium, quod Anonymo est* Vermemiticense *aut* Vermentense, *Marbodo appellatur* (*c*) Vernantense. *Quam postremam lectionem probandam censeo : est enim in hodierno episcopatu Andegavensi vicus cum succursali ecclesia nomine* Vernantes, *in districtu Balgiensi et pago* Longué.

f *Quem agrum* Cabariacensem *aut* Cabariensem *appellat Anonymus, hic Marbodo* (*d*) *est* Caprariensis ; *ast nihil simile inter nomina Andegavensia mihi reperire licuit.*

CAPUT III.

Continuatur narratio de miraculis.

Ægram oratione et imperio sanat.
C

Sanctimonialis quædam nomine Procula gravem ægritudinem incurrerat, ita ut etiam ferme usque ad periculum vitæ addictam se fateretur. Hæc pro religione propositi sui homini Dei bene nota, frequenti petitione poposcit, ut ab ipso visitari mereretur ; cujus orationibus ille adminiculans, dicta vespertina synaxi, famulam Dei invisere decernens, preces omnipotenti Domino pro ejus prosperitate profudit ; quibus peractis, imperante sancto Viro continuo discessit ab ea omnis morbus infirmitatis, ita ut postea multis incolumis viveret annis.

Eracleus veneficus divinitus punitur :
* B. *et rancoris*

20 Sed sunt quamplurimi invidiæ ac malitiæ rancore * ita inlaqueati, ut unde exemplum bonæ actionis ac vitæ propositum sumere deberent, nequitiæ suæ exardescentibus tribulis, ad perniciem sui exinde deteriores fiunt. Et ut enucleatius aperiamus, quidam regimen abbatis tenens, non tantam * curam ipsius officii, ut congrueret exercens, cognomento *a* Eracleus, beati antistitis Magnobodi virtutum insignia cernens, felle livoris irretitus veneni haustu eum perimere conatus est, virosque malitiæ sui sceleris conscios corrumpens, clandestine Viro Dei poculum mortis propinari jussit : quos ille ad se venire conspiciens intellexit, divina providentia demonstrante, præstigia eorum mortifera, ac memor euangelici

* B. *tamen*
a

præcepti : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, omnem humanitatem eis exhibuit in cibo et in potu. Post refectionem vero ad se accersens, cœpit eis monita salutis adhibere, atque persuadere ut a tali nefanda ac vitanda versutia secederent, ne velut fratricidæ exitio pari inferendo æternæ maledictionis mucrone barathri mulctarentur. Cumque his et ejusmodi sermonum persuasionibus lethiferos exhortaretur, et ut ne serpentis controversiam, sed columbæ simplicitatem imitarentur, admoneret, dato pacis osculo abire fecit indemnes. Et * illi pudore simul ac metu perculsi, ad eum a quo directi fuerant, reversi intimavere ut res erat : qui ubi fraudes suas flexuosas intellexit denudatas, percita perturbatione perterritus limina B. Martini Turonis * fugabundus adiit, latibulum quærens ; sed cum sæpissime proditor a veridicis argueretur, et quæ egerat, in palam notarentur sub jurejurando innoxium se ab hujusmodi execrabili facinore fatebatur. Sicque in duplici reatu dilapsus, in homicidii scilicet noxa et figmento perjurii, ultionem divinæ animadversionis consecutus est : nam ulcere diro perculsus in fronte tam
E diu extabuit, ut nulla ars medicorum salubria adhibere possent, atque hoc ita vulnere atro diutissime attritus, * mortem inopinatam incurrere meruit, qui vitæ sancti Viri insidiator extitit. Sicque eo liberato ab æmulo, misericordia Christi favente, quantum pollebat virtutum donis declarabatur successibus prosperis.

AUCTORE ANONYMO.

* B. *At*

* B. abest : *Turonis*

* B. *attrectus*

puellam Romanam a triennali febri liberat.

21 His ita transactis, puella quædam in urbe Roma, nobilissimis orta natalibus, triennio a febrium invasione intolerabili afficiebatur cruciatu ; cumque incurabilis ab omnibus hæc dira pestis videretur, pene jam usque ad exitum dilapsa, auditis miraculorum signis quæ intra Gallias Christi potentia a Sancto gerebantur Magnobodo Andegavensium episcopo, cœpit ejulatu clamitare, ut ad Virum Dei curanda adduci mereretur ; cujus importunam querimoniam consanguinei non ferentes, longævum iter arripientes, transcensis Pennarum Alpibus, atque horridam et asperam viam secantes, Gallias adiere : qui ut * Sanctum pontificem Andegavæ residere cognoverunt, celeri cursu ad eum properantes, divinis Missarum solemniis intentum invenerunt, et protinus causas itineris fessabundi innotuerunt ; quos ille benigne suscipiens *b*, Dominici Corporis mysterium, F
b quod sanctis manibus tractabat, in os puellæ intromisit : quæ absque mora veneno diutini languoris deposito, pristinæque sanitati concessa, lætabunda cum comitibus ad Urbem qua venerat regressa est.

* B. addit : *ubi*

Niulphum podagricum curat :
c
d

22 His diebus erat quidam Abbas, vocabulo *c* Niulphus, qui cœnobium, in quo Sanctus Albinus *d*, olim Andegavensium antistes, corpore quiescit, secundum normam sacræ religionis regere satagebat, qui diræ morbo podagræ usquequaque obsessus ab omni officio manuum extorris permanebat. Quamobrem *e* adelphi et clientuli ejus mœstitia circumdati, ignorabant qualiter patris sui pressuris subvenirent. Ut autem sacerdoti notum factum est, sicut moris erat ægrotos visitare, ad eum visitationis gratia ire perrexit, quem in magna anxietate constitutum considerans, orationis voto completo, eulogias sacra benedictione decoratas, ut sumeret æger, adhortatus est : qui ut ubi cum fide percepit, continuo omnis molestia, quæ eum invaserat, ab eo recedens, totius corporis valetudinem * expertus est ; ac grates rependens pontifici, multis deinde annis præfato cœno-
e

* B. *valetudinis* omisso *corporis*

(*a*) Beaug. Op. Hild., col. 1496. — (*b*) Ibid.,, col. 1497. — (*c*) Ibid., col. 1499. — (*d*) l. c.

bio

AUCTORE ANONYMO.

bio regimine præfuit, serviens Domino cum devotione.

Dodonem ulcerosum pane benedicto,

23 Ac non multo post homo, nomine Dodo, ab ineunte ætate indicibili subreptus languore, diu mœrore morbi * afficiebatur ulceroso *f*, qui cum ita tabefactus redderetur, ad memoriam rediit quæ diatim a sancto gerebantur antistite Magnobodo, arcessitumque unum ex vernaculis sibi parentibus, ad eum quantocius properare jubet, hortaturque nisu * supplici, ut caussam suæ infirmitatis illi innotesceret, et benedictionis munus ab eo perceptæ ipse deferret. Et ille ocius peragrans, ad Virum Dei accessit, narravitque rem adventus sui : a quo panem benedictione consecratum sumens, non segniter repedans, detulit domino suo, pro quo ierat xenium salubre. Ex quo cibatus est * illico divinam sensit adesse virtutem : siquidem incommoditas longæva recedens, in robore convalescens, jocundiori dehinc præmunitus est sospitate.

* B. abest: *morbi*

f

* B. *visu*

* B. *perceptum*

* B. abest: *est*

Romulum alium triduana oratione et communione,

B

24 Per idem tempus quidam archidiaconi honore prælatus, Romulus nomine, in Aquitaniæ ortus confinio, a quadam impedimenti molestia sex annis arctius tenebatur adnexus. Cum vero nulla spes adipiscendæ sanitatis arrideret, tandem divino instinctu, Antistitis famam eximii, longe lateque diffusam cum agnovisset, ad eum accedere Andegavis mente integra non piguit : atque ubertim flens exorabat pontificem ut sui misereri dignaretur : cujus angori ille compatiens, ut erat omnimodis misericordiæ deditus, admonuit ut a Domino quæreret salutem, cui absque eo non poterat subvenire humana medicina ; ipse vero cum eo per triduum orationi incumbens, quotidie divina mysteria pro imbecille celebrans, Eucharistiæ communicavit ; quo facto, fugata omni immunditia morbi interius latente, cum gratiarum actione iter, quo venerat, lætanter regressus est.

mulierem cæcam pane benedicto sanat;

25 Magna sunt quæ supra commemorata sunt, sed adhuc majora inserenda sunt. Dum etenim hominis Dei celeberrima ubique divulgaretur fama, magnates cæterique sanctitatis arce pollentes, ejus clientelam appetentes, nimio venerabantur affectu ; aut si qua itineris necessitas aut casus subrepuisset incautus, ejus benedictionis eulogias ab eo perceptas, quasi pro armis secum

C

deferentes, protegi se confidebant. Unde accidit ut Pater cujusdam sacri cœnobii, nomine Martinus, pro necessitudine monasterii sibi commissi sollicitus, Bordegalensem adiens pagum navali commercio, hospitandi gratia ad cujusdam mulieris lares cæcitatis orbitate defessæ, divertere curavit ; qui mulieris detrimenta considerans ac memor beneficii hospitalitatis, munera gratuita panis, quæ pro benedictione, ut diximus, secum detulerat, jam vespertina hora irrumpente, mulieri tribuens, ut cum devotione perciperet imperavit : quo sumpto, noctem in oratione cum ea pervigilem ducens, ut aurora diei illuxit, simul cum noctis caligine fugatæ sunt oculorum latebræ ; cum jubare diei corusco lux quoque visuum irradiavit propatulo ; quod cernens familia, tanti novitate miraculi attonita, fit strepitus maximus, collaudans Christi virtutem ac benignum hospitis sui medicum. Ergo hic talis præfuit, sicut in hac scedula absque fuco mendacii recitamus sæpius, talis utique absens talis in ferendo opem præsens.

duas puellas pariter cæcas, illuminat.

26 Adduntur * itaque miraculorum insignia, quæ inserantur in pagina. Ex prædio cujus *g* Cabariacense vulgo vocabulum est, quamdam puellam in puerilibus lustris constitutam, nomine *h*

* B. *Addantur*

g h

Baudomellam, caligo inremediabilis lumen oculorum obduxerat ; quæ solamine alterius ad beatum Pontificem adducta, exoratum est ut opem misericordiæ dignaretur impertiri. At ille invocato Sanctissimæ Trinitatis ineffabili sacramento, crucisque trophæo super ipsam inserto, favente superno solamine, clarius lumen puellæ redditur, quod nusquam a crepundiis exordii sui adepta fuerat. Subsequitur deinceps aliud simile, de quo disserendum est, miraculum de adolescentula scilicet, nomine Godelena quæ intra annos pubertatis detenta cæcitate ac tenebrata visuum acie tenebrarum potiebatur nocte *. Hæc a notis insinuata Christi sacerdoti, sola unctione olei ac crucis effigie catechizata, sine dilatione perspicuum recepit lumen, quod permultorum dierum orbita fuerat tectum.

D

* B. *patiebatur noctem*

Energumenum liberat:

27 Paulo post * quoque evidenti declaratur fama. Mulier etenim, quæ nuncupabatur Goda, nimium eadem atra afficiebatur cæcitate. Protinus ergo alieno usa adminiculo conspectibus gloriosi præsulis præsentatur Magnobodi ; quæ magnis cœpit clamare vocibus ut sui misereretur confessor excellens. Cujus querimoniis commotus, liquamine olei benedicti mulieris orbes luminum perunxit ; quibus delibutis * expulsæ sunt tenebræ, adveniente inopinatæ lucis die. Sub eodem quoque temporis articulo, quidam adolescens ad juventutis florem maturans *, antiquo perduelle insidiante, qui mille per meandros * decipit hominum corda, arreptus ab ipso nimium fatigabatur ; qui undique loris ac vinculorum nodis attritus, ad virum Dei adducitur, ita mente privatus ; at ille imaginem Christi cernens a prædone invasam, perditamque recuperare cupiens, secus cellulam, in qua manens orationi vacabat, persistere jussit, quem cum toto Quadragesimali tempore penes se detinens, orationibus precibusque pro eo Dominum exoraret *, adminiculante Domini virtute, fugato pervicaci hoste, curatus est ; menteque recepta, sensuque vivaci augmentatus, ad propria unde coactus advenerat, ultroneus regressus est.

* B. addit: *aliud miraculum*

E

* B. *delibatis*

* B. *maturum*

* B. abest *meandros*

* B. *exorans*

paralyticis usum membrorum reddit:

28 Adjiciam * etiam et illud famosum, quod post egit miraculum. Siquidem ex villa, quam *i* Corniliacum nuncupant, puella tribus ætatis suæ lustris peractis in tanta inciderat corporis sui detrimenta, ut manum pedumque officio fraudaretur naturali : nam prædictos artus, humoris ac roboris amisso vigore, in modum ligni tabefactos ferre inepte * assueta erat : quæ prolata obtutibus sancti Viri, benedictione olei sancita, ab omni cœpit curari molestia. Nam recuperata nervorum ac venarum facultate, jussu pontificis ad patriam nendi * gradiendique peritia gnara, regrediens conductu proprio vixit denuo. Sed nec illud sub silentio tegendum autumo, quod infra explanandum est. In agro namque, qui *k* Gerciacus a vulgaribus vocitatur, quidam accola genuerat filium, qui ab ipsis exordiis nativitatis debilis manibus ac pedibus, solius reptandi subsidio fungebatur. Ex cujus eventu diro parentes opipare mœrentes *, divina solatiante providentia, adfuit eis intempestivo noctis silentio * quidam specie eleganti, a quo dictum est : « Sobolem, quam nuper ita debilem suscepistis, » pontifici Magnobodo deferte, atque ab eo ut » sacris initietur mysteriis petite, voventes eum » in sorte religionis dicare. » Hac itaque visione expergefacti, rem quam in somniis audierant in invicem revolventes, diluculo inlucescente surgunt, in vice sacerdotis Ecclesiæ offerunt futurum, ut ætate convalescente sacri cultus verna

* B. *Adjiciamus*

i

F

* B. *ineptos*

* B. *eundi*

k

* B. *nolentes*

* B. *silicernio*

floreret.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A floreret. Quo facto, omnis continuo imbecillitas membrorum ablata est, et robore corporis consolidatus, sub præsentia sistitur præsulis : qui
* B. addit: *ut moris erat,* comam capitis ejus * abscindens, ut adolevit, divinis eum præfecit mysteriis, serviens Domino toto cordis imo, qui eum in hoc ordine adscivit.

aridam manu et cæcum oculis crucis signo sanat:

29 Quid vero referam de muliere quadam Leta nomine, quæ ita bajulabat manum dextram aridam, ut nullius officii domestici habilis agnosceretur. Hæc omni affectu mentis ad beatum Virum accedens, innotuit lugubri querimonia, quæ erga se agebantur et artus sui abolitam spem. Et ille petitionibus ejus assensum præbens, invocato Omnipotentis auxilio ac facto signo crucis, incolumem reddidit dexteram ut lævam, omnesque articuli compagine virtutis corroborati sunt, nentes ac fila torquentes. Commemorandum est et illud quod, operante gratia superna, de quodam viro Cariulpho egit. Is enim caligine superveniente, cæcitatis condensa incurrit : perduce itaque usus ad Virum Dei properare studuit; eique discrimina corporis sui non sine grandi mærore patefecit, et ut misericordiam adhiberet poposcit.

B Pro cujus miseria precibus ille fusis ad Dominum, signum admirabile crucis oculos * tenebrarum nocte sopitos imprimens, pulsa orbitatis luvione *, enixa est lux in pupillarum acie.
* B. *oculis... sopitis*
* B. *pulso... livore*

graviter febricitantem sacro oleo sanat.

30 Sed et quod pluribus est notum, non silendum arbitror de quadam scilicet muliere Marcia vocata, quæ ita febrium invasione cruciabatur, ut nulla requies diei ac noctis illi concederetur. Unde factum est, ut tantis afflicta penuriis ad Sancti pontificis præsentiam adire compulsa est ; a quo more solito sacra unctione olei delibuta, omnis continuo recessit mortifera pestis, et in tantum prosperitatis compos facta est, ut quæ alieno venerat subsidio, proprio regrederetur tutamine.

ANNOTATA.

a *In episcopatu Andegavensi illa tempestate jam plura exstitisse monasteria, præter alia monumenta, hæc ipsa Vita* S. Magnobodi *testatur. Cujus vero fuerit monasterii Abbas, hic citatus Eracleus, nuspiam reperire potui.*

C b *Quoniam Anonymus expressam hic mentionem facit sacro-sanctæ Eucharistiæ, confirmantur dicta cap.* 1 *nota* h *per Eulogias intelligi aliquid sacramentale, seu panem simpliciter benedictum.*

c *Hujus abbatis mentionem non facit Gallia Christiana Antiqua : fortassis, quia* hæc basilica, *inquit,* primum canonicorum regimini addicta fuit, *sed canonicis* translatis in ædem Mauricianam *(seu cathedralem)* substituti sunt monachi regulæ Benedictinæ (*a*), *qui status usque ad finem sæculi proxime elapsi perseveravit. Nihilominus hanc ecclesiam sæculo* VII *jam regularem fuisse, monstrant clare verba Anonymi nostri loquentis de* cœnobio *quod Niulphus* secundum normam sacræ religionis regere satagebat.

d *Colitur S. Albinus Andegavensis kalendis Martii, quo die ejus Acta data sunt a Nostris* (*b*).

e *Id est* fratres, *voce e græco fonte detorta.*

f *Marbodus* (*c*) *præter ulcera etiam scabiem memorat : unde etiam hinc probabile evadit huic scriptori præter Anonymum alia documenta præluxisse.*

g Cabariacense *prædium, ut habet tum Anonymus, tum Marbodus* (*d*), *ignotum mihi jam dixi cap.* II *nota* f.

h *Marbodus* (*e*) Godomellam *scribit.*

i Corniliacum, *vulgo* Corneillé, *hodie ecclesia succursalis in districtu Balgiensis pago* Seiches.

k *Num hodiernus vicus* Jarcé *in eodem districtu et pago ac Corneliacum? Probabile fit ex Marbodo loco citato, qui pro* Gersiaco *scribit* Jerziacum.

AUCTORE ANONYMO,

CAPUT IV.

Referuntur alia miracala : Sancti obitus et sepultura.

Cæcas duas oratione et signo Crucis illuminat: a

Ergo si vera fateantur quæ relatione alterius didicimus, procul dubio frivola judicari non debent *a* quæ oculis nostris perpeximus; et ut enucleatius aperiamus ; duæ sorores puellæ, quarum una Necteria, alia * vero Theodechildis vocabatur, secundum humanæ propaginis genealogiam spectabiles, utrum propriis agentibus piaculis, aut parentum irretitæ facinoribus, quod omnino non judicandum fore arbitramur, seu ut merita declararentur sæpius prædicti pontificis,* lumina oculorum amissa, gressus sui alterius dirigebantur solatiis. Quæ in conspectu ejus adducta, mox ut olei fomento cum orationis adjumento * meta * pupillarum earum delibuta est, omni orbitate depulsa, naturali jocunditate irradiante, ad propriam reversæ sunt mansionem sua præmunitæ deambulatione.
* B. *reliqua*
* B. *luminibus... amissis*
E
* B. *fomento*
* B. *mera*

basilicam in honorem S. Saturnini ædificat:

32 Igitur talibus ac tantis sancti Viri ubique clarescentibus virtutum indiciis, atque crebrescentibus longe lateque actuum suorum lampadibus, ut sagax animus præmeditari cœpit qualem se erga cultum divinæ religionis exhiberet, et quo augmento famulos Christi aggregaret, ad propalandam Sanctæ Dei Ecclesiæ normam, ad profectum sui et aliorum salutem. Cujus sollicitudinem * Omnipotentis gratia favens, decrevit basilicam consecrare * in honore videlicet gloriosi Martyris Saturnini *b* primi Tolosanæ civitatis episcopi, et in honore omnium Martyrum, plurimorumque seorsum *. Ergo ut mente conceperat, opere complens, monasterium *c* summo apparatu ædificans, viros sub sancto proposito deditos aggregare curavit, in quo etiam *d* syntochia ac brephotrophia construxit, ad peregrinorum, pauperum, profectusque multorum : atque ut inedia carerent inibi sub regula contuberniali degentes, omnia necessaria accumulavit, delegans prædia quamplurima, possessionisque multam congeriem; mandavitque ut post discessum incolatus sui, ibi corpus suum terræ commendatum supremum reparationis suæ præstolaretur diem.
* B. *Cujus sollicitudini, gratia favente,*
* B. *construere*
b
* B. *sanctorum*
c
d
F

energumenam liberat

33 His itaque cum magna elegantia peractis, omnibusque ædiculis, ut mente devoverat, constructis, quidam præpotens vir, vocabulo Theudebaldus, habens filiam atrociter vexatam, quæ nullo poterat remedio curari, flens et ejulans ad sanctum Pontificem adduci fecit, obsecrans poplitibus flexis ut filiæ suæ ab hoste obsessæ opem ferre dignaretur. Cui Vir beatus respondit : Non esse hoc suum, sed perfectorum patrum qui hoc possent virtute propria a Domino consequi ; sed precibus supplicantium devictus pignora Sanctorum super cervices puellæ imposuit cum benedictione olei et signaculo crucis; quo facto, iniquus prædo cum præstigiis suis fugatus, vas quod injuste invaserat relinquens, puella sensu animoque recepto incolumis restituitur sanitati. Sicque beatus tanto decoratus miraculorum eventu ab omnibus colitur, a cunctis prædicatur; parentes

(*a*) Gall. Christ. antiq., t. IV, p. 23.— (*b*) Act. SS., t. I Mart., p. 54.— (*c*) Beaug. Oper. Hild., col, 1500.— (*d*) Ibid.— (*e*) l. c.

vero

AUCTORE ANONYMO.

vero cum filia ad propria, unde mœrentes advenerant, tripudiantes revertuntur.

cæcam signo Crucis

34 Hoc a beato viro celebrato signo, mirabilius denuo coruscat. Siquidem mulier, Prisca vocata, ab exordio nativitatis suæ cæca enixa per sex orbita * lustrium in hac ærumnosa perstitit orbitate. Sacerdoti ergo oblata illico sensit divinam super se declaratam virtutem *e*. Climata * etenim ubi conjiciebantur fore officia visuum, nomen sanctæ crucis dextra impressans, absque dilatione solis præsentiam, quam nusquam viderat, cernere promeruit. Illico clamor populi attollitur, ac multi gaudentes dicebant sanctum Pontificem simile filio Dei fecisse, qui a vitæ exordio genitum curaverat cæcum.

* B. *orbitas*

e

* B. *Elimata*

alium oleo sacro illuminat,

35 Eodem quoque tempore quidam adolescens Vinciemalus nomen sortitus, talem incurrerat corporis molestiam, ut oculos tenebrato lumine amitteret, qui ad serenissimum antistitem veniens, oleo sanctificato in pupillis delinitus est, et mox recedentibus tenebris lumen valens adeptus est, quod æger perdiderat. Deinceps vero prosperitate fruitus, ipse super muri fastigia

B

ambulans, casu ab arduo corruit in ima. Qui virtute olei sanctificati, quo a beato Pontifice perunctus est, cooperante juxta assertionem plurimorum, ita inlæsus inventus est, ac si minime corruere videretur.

ægrum et surdum sacro oleo sanat,

36 Denuo vero alius offertur, qui per quinque annorum curricula infirmitate detinebatur incommoda; quem eximius pastor misericordia ductus olei liquore benedictionis munere imbuti ungens, ac oratione fusa, vigor membrorum subito virere cœpit; sicque immensitas doloris abscedens, homo qui *f* clinicus advenerat, erectus repedavit, glorificans æterni Regis munificentiam, qui mirabilis in Sanctis suis, talia per eos operatur magnalia. Gyrante dehinc temporum articulo, quidam cognomento Gildoaldus, ægritudine diutina invalescente, officium auditus amisit. Perlatus conspectibus venerandi præsulis, nisibus quibus poterat exorabat remedia promereri. Ad quem Beatus prælibatus accedens, digitos in aures ejus immittens, simul quoque olei gratia * infudit; a quibus continuo scaturiens tabes prosilivit cum fœtore horribili, ita ut circumstantes ferre nequirent; atque ita surdus expertus auditu * ac aptatus munere duplo ad peculiare suum repedare studuit lætus tramitem carpens *.

f

* B. *gutiam*

* B. *auditum*

C

* B. abest: *carpens*

duabus cæcis visum reddit.

37 Sed et illud memoriæ commendandum est, quod mulieri cuidam ex villa quam *g* Volensem vocant, evenisse contigit. Ea namque, ut asserebat, tali impedimento gravabatur, ut si quando, re domestica interveniente alicui operi intenta foret, oculi ejus hebetescebant, ac per longa temporis intervalla cæcitate claudebantur. Ergo, ut mos aliorum ægrotantium erat, ad venerabilem Dei hominem properans, narravit quæ circa infelicitatem suam agebantur, et conditionis suæ importunitatem. At ille ineffabilem virtutem * Christi invocans, vagum lumen, quod mulier pro ambiguo possidebat, stabile firmavit, atque discussis tenebris, ovantem abire fecit. Dicamus ergo et illud, quo absque figmento mendacii testificari et astruere possumus. Item mulier in vico cui vulgo *h* Verciacense nomen est, procreata, casu subripiente, semper optatum lumen capitis perdere coacta est, quæ Alloveia vocata ad benignissimum virum adducta, precibus circumstantium devictus est orationem pro ea fundere. At ille non refutans vota precantium, invocato Omnipotentis adminiculo, per unctionem salubrem visu restituto mulieri, ad propria unde venerat, repedans * alacriter.

g

h

* B. *pictatem*

D

* B. *repedavit. Cæca sanatur, prædo ecclesiæ punitur.*

38 Et illud omittendum non censemus, quod in præsentia nostri actum est. Quædam siquidem mulier, simili modo fenestris luminis amissis, nomine Arigundis *, insuper omni compagine membrorum abdicata, loquendi usu fraudata, omnimodis spem recuperandæ virtutis amiserat. Qua ex villa Conflentis, ubi edita * permanebat, ad virum Dei deducta, per triduum fusis precibus, pro ea ad Dominum incolumem reddidit. Atque omni cum integritate consolidatæ manus et pedum bases, in revertendo solatio non eguit alieno. Igitur sancto Viro tantis evidenti approbatione illustrato virtutum commerciis, controversia quoque reproborum contra efferbuit; sed pœna multatus est, qui hostis pietatis intumuit; et ut apertius edisseram, quidam intra aulam regiam commanens, cupiditatis livore anfractus, ut postea rei probavit eventus, jumentum quod ecclesiæ utilitatibus suppeditabat, nisu * temerario invasit, suisque usibus præfecit. Hoc ad aurem Pontificis perlato, magis sub silentio occulere, quam querelam voluit exaggerare. Sed in sequenti

* B. *Carigundis*

* B. *adita*

* B. *visu*

E

nocte ultio divina eum perculit. Nam mox ut sopori se dedit, vidit se in somno globis ignium circumvallari, ac pontificem * minis terribilibus semetipsum redargui. Cujus comminationibus expergefactus, magnis cœpit clamare vocibus, torqueri se a beato Antistite, ac petere ut ab eo visitari mereretur: ad quem ille ire non abnuens, eum visitatione ammonuit æmulum, ne sanctæ Dei ecclesiæ pervasor existeret, sed magis Christi famulos coleret ac a stipendiis eorum abstineret. Quo facto, oratione fusa, incolumem restituens, damnum, quod ecclesiæ intulerat, restaurari præcepit. At ille absque mora jussis ejus obediens, quod injuste abstulerat, reddens, liber et sospes abscessit.

* B. *Pontificeis*

Sanctus in morbum incidit,

39 Rexerat itaque jam prædictus sæpius sanctus pontifex ecclesiam Andegavensem sibi a Domino creditam per multa annorum curricula, sub magno euangelicæ prædicationis honore, sub excellenti pietatis devotione; ac per id temporis multitudinem populi Catholico dogmate ad Christianæ fidei convertit sanctitatem. Ardebat in pectoribus singulorum cœlestis patriæ amor, plebs ad ecclesiæ sanctæ sinum statutis diebus

F

concurrebat, hymnidicas ubique odas cleri concio personabat. Religio Christiana ex amussim augmentabatur. Resecabantur vitiorum stigmata, accendebantur bonorum operum incrementa et hujusmodi virtutum igniculis Sancta Dei Ecclesia ubique pollente, piissimus pastor naturali eventu properante ad debita mortis confinia, maturante jam ætatis *i* silicernio cœpit adpropinquare. Qui ad se accersitis fratribus, quod sub sancto dogmate edocuerat *, resolutionem sui corporis intimans, ex hoc mundi ergastulo se transire innotuit. Ac post paullulum febrium valetudine * irrumpente, viribus cœpit destitui corporeis. Ad cujus discessum clerus ac populus adglomeratus, patroni sui famulabantur quantis poterant visitationis votis. Quos ille conatu quo valebat admonens et instruens, exhortabatur ut a peccaminum laqueis se cavere studerent, et præceptis Domini in omnibus memoriæ *, voluntati ejus parerent, justitiam sequerentur, charitatis fœdera cum pacis tranquillitate imitarentur, ut quando tempus vocationis eorum ab hac ærumnosa vita appropinquaret, non quasi socordes ac desides invenirentur, sed vigilantes in bonis operibus, præsto haberentur.

i

* B. *educaverat*

* B. *invaletudine*

* B. *memores*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *moritur* XVI *Octobris et honorifice sepelitur:*

40 Finitis ergo mandatorum privilegiis, quibus alumnos instruebat, erectis in cœlum manibus, inter verba orationis sedulo Dominum invocans, XVII Kal. Novembris inter manus eorum, spiritum Domino reddens, terræ corpus reliquit. Cujus anima, ut vere, profitemur, ab Angelicis agminibus assumpta, conspectibus divinis oblata, lætatur cum gloria. Ad ejus exequias multi adfuere ex vicis et agris, fletibus ac gemitibus aera complentes. Ejus sanctissima gleba, succolante sandapila clero ac populo *k*, in basilica quam ipse magna cum diligentia dedicaverat, perlata, in mausoleo sarcophagi summo cum honore condita est. Ubi etiam quamplurima fidelium somata *l* digna veneratione habita, requiescunt, præstolantes renovationis suæ diem et venturi judicii examen. In quo loco multa, Domino cooperante, fiunt magnalia : cæci illuminantur, claudi curantur, leprosi mundantur, dæmones ex obsessis corporibus fugantur, paralytici eriguntur, et innumerabilia, quæ enarrare incommodum videtur *; ex quibus unum quod memoriæ occurrit, huic paginæ inserendum censemus.

k

l

*B. *videretur*

B *duos captivos liberat,*

41 Post obitum siquidem viri Dei, homines duo, quorum unus vocabatur Gualdo, alter vero dicebatur Bodecharius ex patria Cenomanensi, ab Andegavensibus hostibus suis fortuitu capti, in compedibus ac manicis attriti *, dira maceratione allidebantur. Nam sub ergastulo horrendo, penuria ac inedia pannisque circumsepti, ludibrio videntibus * apparebant. Cumque ita loris adnexi per plateas et per ambulacra causa opprobrii, cum egestate ducerentur, contigit divino respectu, ut ad limina, ubi funus habebatur memorandi pontificis, non sine grandi custodia advenirent. Qui cum ad tumulum præfati pontificis accederent *m*, confestim, enodatis vinculis, compagibusque catenarum eliminatis, vincti qui putabantur, absoluti apparuere. Quod lanistæ cernentes, tanta novitate miraculi metu perculsi, hac illacque divulgantes, omnibus innotuere. Ac ubi ad notitiam procerum civitatis pervenit, meritis hoc S. Magnobodi adscribentes, vinctos quos apud se more hostili detruserant, propriæ libertati concedentes, abire sinunt. At illi ab omni querela impedimenti immunes, ad patriam sui incolatus redierunt indemnes, collaudantes Christi virtutem Sanctique Magnobodi merita, qui de tanto discrimine eos eripuerat.

*B. *astricti*

*B. *ridentibus*

m

C *plures ægri sanantur.*

42 Hæc ad aures vulgi divulgata, excrescere cœpit major veneratio erga sepulchrum Sancti antistitis : ita ut de longinquis et exteris regionibus, variis obsessos languoribus adducerent, et inibi excubantes ab omni infirmitatis incommodo eruebantur. Ubique memoria ejus celebrabatur, ubique merita ejus absque interpolatione recitabantur, audientes et videntes ineffabilia miracula, quæ diatim a glorioso præsule agebantur.

Epilogus.

43 Ergo animo devoto et prece supplici exoremus clementiam pietatis ejus, ut sicut in hac vita præsenti superstes, vota deprecantium favere studuit, ita quoque intercessor existere non dedignetur pro piaculis, quæ quotidie super nos accumulantur : quatenus ab omnibus sordium criminibus emundati, valeamus ab interitu gehennæ liberari, et in æterna lætitia doxa frui cum Sanctis, adjuvante Domino nostro *, cui est honor et potestas cum Patre et Spiritu Sancto per immortalia sæcula sæculorum. — Amen *n*.

*B. addit: *Jesu Christo*

n

D

ANNOTATA.

a *Jam signavi hunc locum in Commentario prævio num.* 8 *ad monstrandum Anonymum nostrum* S. Magnobodo *cœvum fuisse.*

b *Colitur S. Saturninus, die* III *kal. Decembris, qua ejus Acta, satis intricata, edentur.*

c Summum apparatum *quo* Magnobodus *monasterium S. Saturnini construxit, enucleatius expositum a Marbodo retulimus in Commentario prævio num.* 50. *Agi vero in eo loco de tessellato seu, ut vulgo dicitur, musivo opere, nemini dubium esse potest, consideranti* alternantibus spatiis *parietem depictum* : musevum *hic materiam intelligo ex qua tessellæ conficiebantur, siquidem gypso opponitur : forsitan erit musivum vitrum græcum ; quod spissum* ad mensuram unius digiti, *ait Theophilus in diversarum artium schedula* (*a*), finditur calido ferro per quadras particulas minutas..... Hujusmodi vitrum interpositum musivum opus omnino decorat. *Idem* (*b*) *methodum tradit, qua* albatura gypsi omnino plana et lucida fiat. *Imo ipsum gypsum coloribus atque adeo imaginibus ornari potuisse, probabile facit citatus Theophilus* (*c*), *dum dicit vasa fictilia diverso colore vitri pingi consuevisse. Tandem gypsum interpretari licet, teste du Cange verbo* gypseæ fenestræ, *lapidem specularem, ad modum vitri perspicuum : unde hujusmodi quoque significationem sibi præfigere potuit Marbodus, quod profecto gypsi genus cum vitro musivo optime quadraret.*

E

d Syntochium, *ait Du Cange, idem est ac Sinochium seu Xenodochium, id est hospitibus et peregrinis recipiendis parata et instructa domus :* brephotrophium *parvulis educandis hospitium. Marbodus eadem ita refert* (*d*) : Construxit *domos* alias suscipiendis aptas hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonæ actionis ministerium defuisse.

e Climata *hic regionem corporis indicant, in qua sit sedes visionis.*

f Clinicus, *id est ægrotus.*

g *Villam* Volensem, *seu secundum Marbodum* (*e*) Velosesisis, *nuspiam reperi in mappis aut lexicis topographicis, nisi forte fuerit* Volandry, *in districtu et pago Balgiensi.*

h *Vicus* Verciacensis, *Marbodo* (*f*) Verchiacensis, *ignotus mihi locus, nisi quis interpretari malit* les Verchés *aut* Saint-Just-des-Verchés, *in districtu Salmuriensi* (Arrondissement de Saumur, canton de Doué).

F

i Silicernium *proprie cœna funebris, quæ senibus effœtis sternebatur, hic vero pro ipsa senili ætate accipitur.*

k *Hæc S. Saturnini basilica nomen dein de* S. Magnobodi *assumpsit, ut dixi Commentarii prævii num.* 50.

l Somata *id est corpora.*

m *Monstravi supra in Annotatis ad Vitam et miracula S. Galli lib.* II, *cap.* IV, *nota* c *frequenter Sanctorum invocatione vincula fuisse disrupta.*

n *Codex manuscriptus, quo usus est D. Beaugendre, huic clausulæ subnectit sequens miraculum, quod ex ejus editione hic damus :* Christus itaque Dominus Jesus, qui glorificat glorificantes se, mortuum puerulum ad laudem et gloriam nominis sui per hunc pretiosissimum antistitem suum Magnobodum ab inferis revocare dignatus est. Quadam namque die, dum ad supradictam basilicam cum maximo cleri plebisque tripudio Missam celebraturus occurreret, mulier quædam, ut benedictionibus sancti Pontificis particeps efficeretur, cum filio uteri sui advenit ; quæ cum intra septa ecclesiæ se recepisset, et parvulus ejus ab ea recessisset, ecclesiæ valvas petiit, et in plate-

(*a*) Lib. II, cap. XV, p. 94. Edit. Paris. 1843. — (*b*) Lib. I, cap. XIX, p. 34. — (*c*) Lib. II, cap. XVI, p. 95. — (*d*) Oper. Hildebert., col. 1502. — (*e*) Ibid., col. 1503. — (*f*) Ibid., col. 1504.

am

A am, quæ ejusdem ecclesiæ est vicina, ludos agere cœpit. Et subito ex Valleia agmen equarum adveniens, atque ad insulam, quæ vulgariter Mons nuncupatur, tendens, per eandem plateam veloci cursu pertransibat. Cumque prædictus puer ad dexteram, sive ad sinistram declinare non valeret, insidiante, ut credo, humani generis inimico, ab eodem agmine in frusta discerptus expiravit. Etenim cum a sancto pontifice Missarum solemnia fuissent expleta, mulier filii sui immemor ad propria revertabatur. Itaque cum per plateam transitum fecisset, reperit filium suum in frusta discerptum, et cum magno animi dolore a terra eum levavit, statimque miseram se clamans, ac magis vocibus aerem replens, nullo modo se poterat a lachrymis continere. Sed ubi ad memoriam rediit, quæ diutim a sancto gerebantur præsule Magnobodo, concito gradu ad basilicam usque pervenit; nondum enim sanctus antistes a basilica discesserat. Ergo prædicta mulier suffocati filii sui corpus in conspectu Sancti exposuit, dicens : Vir sancte restitue hunc mihi filium, qui pater populi agnosceris. Hæc atque multa his similia ea dicente, devictus mulieris precibus Vir Dei ad arma consueta recurrens, populo spectante, prosternitur in terra. Quid multis moror? Tandiu sacerdos jacuit in pulvere, donec pariter surgens pontifex de oratione, et puer de morte. Hinc circumstans populus non minimo stupore concutitur, inusitatum cernens miraculum, fragorque in partes attollitur, laudes in excelso Creatori referuntur ; completurque veridica veritatis vox promittentis ac dicentis : Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet. Mater vero cum filio ad propria, unde advenerat, lætabunda regressa. D

DE S. KIARA VIRGINE,

B

IN MOMONIA IN HIBERNIA. E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Kiaræ cultus certus; incerta ejus gesta; constare tamen videtur conditum ab ea fuisse monasterium Killchreæ.

FORTE ANNO DCLXXX.

Ængussius Keledeus in Festilogio Metrico Hibernico, quod in cultu adstruendo plurima auctoritate pollet, S. Kiaræ, *filiæ Diubreæ, festum annuntiat die* v *Januarii. In Martyrologio vero non metrico eadem Sancta duobus diebus memoratur,* v *nempe Januarii et* xvi *Octobris. Eamdem utraque die nominant Martyrologium Tamlactense, Kalendarium Casselense et Carolus Maguiz, qui et Ængussius auctus vocatur. Beatus vero Marianus Gormanus hanc Sanctam die* v *Januarii tantum proclamat. Hæc ex Colgano* (*a*) ; *quæ a nobis cum apographis Hibernicis, in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi servatis, aliisque scriptis, a canonicis regularibus Tongerloensibus nostro musæo concessis, collata, fidelia esse reperimus. Præterea ad dictos dies hujus Sanctæ nomen nobis occurrit in Kalendario Tamlactensi, et in Martyrologio Dungallensi : in quo posteriore* Keara de Muigh-ascad *(campo petito) nuncupatur. Hibernice autem ejus nomen scribitur* Ciar, Cera, Cere, Ceara ; C *vero apud Hibernos K audire, vulgo observatur. Quod autem et* Caila *et* Piala *interdum scripta est, vitium, an nominis synonymia sit statuant alii. Insuper* S. Kiaræ *brevem Vitam dat Bucelinus in Menologio Benedictino ad diem* v *Januarii. Britannia Sancta* (*b*) *et alterum Martyrologium Anglicum* (*c*) *ad* xvi *Octobris nihil aliud afferunt, quam nomen* Cyram, *et locum antiqui cultus Killchream. Castellanus ad* xvi *Octobris gallice eam* Kère, *latine* Kiaram *appellat, eamque ut Virginem et abbatissam in Momonia* (Munster) *in Hibernia celebrat.*

S. Kiara, *laudata a martyrologis maxime Hibernis,*

C

et distinguenda a tribus homonymis,

2 *Distinguenda est hæc Sancta a tribus aliis, quæ* v *Februarii,* viii *Februarii et* ix *Septembris celebrantur. Prima dicitur a Colgano* (*d*) *coli in Raith ; eamque annuntiat S. Ængussius :* Cæræ Raithensis Mentichi, *vel* Raith-Mentichensis. *Secundam annuntiat idem martyrologus, præter morem :* Sanctæ Virginis *nomini* Keræ *adjiciens. Tertiam, a Colgano adstructam non reperio in scriptis, quæ in præsentiarum præ manibus mihi sunt. Castellanus quidem inter aemeros producit quamdam* S. Keram, Virginem, abbatissam in Momonia, mortuam mense Januario. *Verum non ambigo quin eadem sit, quæ* v *Januarii et* xvi *Octobris colitur. Ad dictos autem Februarii et Septembris dies nullam Kiaram, Ceram, Cyram, etc., notarunt decessores nostri, nequidem inter Prætermissos ; similiterque Colganus ad dies* v *et* viii *Februarii siluit de his Sanctis : neque nobis lubet incassum hunc tentare labyrinthum.*

3 *De loco, in quo* S. Kiara *cultum sortita est, loquuntur plures : Colganus* (*e*) *affirmat hunc locum olim* Kill-Chere *hodie* Kill-Chreidham, *seu ut vulgus loquitur,* Killchream *appellatum esse ; ejusque situm in diœcesi et comitatu Corcagiensi statuit ; qua in re ab eo non dissentit Lanigan* (*f*), *qui hunc vicum paucis leucis Africum versus a Corcagio dissitum esse docet. Uterque nomen loci deducit a* Cella Kiaræ, *quod Hibernis* Kill-Chere *dicitur : illic utique parthenonem exstitisse consentiunt Colganus et Lanigan ; eisque accedit Gough, editor Camdeni Britanniæ* (*g*). *Archdall in Monastico Hibernico et Smith in Historia Corcagii auctores secutus. Cum autem B. Marianus Gormanus et Carolus Maguiz ex una parte statuant* S. Kiaræ *corpus in ecclesia Maghascad* (*Martyrologium Dungallense* Muigh-ascad *habet*), *et ex altera parte Kalendarium Casselense, aliique, teste Colgano* (*h*), *tradant ad* xvi *Octobris, sacra hæc pignora in ecclesia Kilchreensi asservari, dubitat Colganus aut potius suspicatur, nomina Maghascad et Killchream aut Killcream eidem congruere loco. At cavendum est ne item confundantur rudera cellæ seu monasterii* S. Kiaræ (*nisi tamen errorem prodat Colganus, cum* (*i*) *tradit* saxea, ceu viva, loqui monumenta nomen S. Kiaræ) *cum parietinis*

cultum sortita est Killchreæ.

F

(*a*) Act. SS. Hiberniæ, p. 15. — (*b*) Part. II, p. 205. — (*c*) A memorial of ancient British piety, p. 145. — (*d*) Act. SS. Hiberniæ, p. 16. — (*e*) Ibid., p. 16, not. 6. — (*f*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, t. III, cap. xviii. — (*g*) T. III, p. 506. — (*h*) Act. SS. Hiberniæ, p. 15, not. 13. — (*i*) Ibid. p. 14, num. 1.

conventus

A *conventus Fratrem Minorum, cujus meminerunt Colganus* (*a*), *Gough* (*b*), *Waræus* (*c*), *Waddingus* (*d*), *Alemand* (*e*), *et quod vel anno* 1465, *vel* 1468, *vel* 1470, *sive etiam* 1478 *Killchreæ traditur fundatum fuisse a Cormaco Mac Carthy, Desmoniæ principe, qui ibidem tumulatus est in medio choro cum multis viris primariis comitatus Corcagiensis; quæ res in causa fuit, cur Reformationis tempore, expulsis religiosis viris, ipse conventus destructus non fuerit. Verumtamen nunc tantum rudera superesse colligo tum ex Gough, latius ea describente, et ex annotatis, quæ duo eruditi ex Hibernia viri, curante nostro P. Francisco Murphy, nobis collegerunt potissimum ex recentissimo de Corcagio ejusque vicinia opere Cl. V. Joannis Windele* (*f*). *Dolemus sane quod, cum ne a longinquo quidem ad* S. Kiaram *id Franciscanorum cœnobium pertineat, non licet nobis pluribus ejus fata omni memoria dignissima prosequi, et per miranda ejus rudera cum lectore pervagari.*

Ejus vita, a Colgano scripta, compilata est ex malefidis scriptis,

4 *Jam cum ad* S. Kiaræ *Vitas gradus faciendus sit, continuo aperiendum nobis est, nullam reperiri, nisi Vita dicenda sit: tum ea, quam Colganus ex citatis a se Martyrologiis vel Festilogiis, et ex Actis*

B *SS. Brendani et Munnu compilavit* (*g*); *tum altera multo brevior, quam Lanigan* (*h*), *Colganum castigans, edidit. Nos vero relegemus decessorum nostrorum vestigia, qui nonnumquam, cum nihil melius præ manibus haberent, Acta Sanctorum a Colgano conscripta ediderunt, suis adjectis animadversionibus. Fontes, unde hausit Colganus, indicati jam sunt; in hos et in ipsam Vitam placet hoc loci præmittere aliquot annotationes, reliquis brevioribus ad calcem reservatis. Primo, Henschenius ad diem* XVI *Maii* (*i*) *rejecit tamquam apocryphas duas Vitas S. Brendani quas habebat; malens omnia, quæ de eo Sancto narrat, ex aliorum Sanctorum Vitis colligere. Æstimo duas Vitas, quæ penes Henschenium erant, eas esse, quæ in codice Salmanticensi* (*k*), *e musæo Bollandiano Antverpiensi Bruxellas in bibliothecam Burgundicam regiam translato, reperiuntur; et vere sunt omnino refertæ miris, omnemque modum superantibus narrationibus, præsertim prior, in qua famosa navigationis historia legitur. Verum nihil in his perhibetur de* S. Kiara; *unde consequens est Colganum alia S. Brendani Vita usum esse: quæ Vitarum diversitas fere arguit recentioris ævi esse, quæ de* S. Kiara *ex S. Brendani*

C *Vita narrantur. Quod autem spectat ad alterum fontem, Vitam scilicet S. Fintani seu Munnu, de quo ad* XXI *Octobris agendum nobis erit, Lanigan de ea diffidit vel ob ea solum, quæ ex illa hinc inde a Colgano allata sunt* (*l*). *Num.* 7 *redibit sermo de Vita S. Fintani.*

et statuit S. Kiaram *longæviorem.*

5 *Quod secundo loco notare velit lector, necesse est, si aliunde Vita* S. Kiaræ *a Colgano scripta subsistere queat, ut vixerit hæc Sancta, fatente auctore, ad minimum* 120 *vel* 130 *annos* (*m*). *Etenim secundum chronotaxim Henschenii* (*n*), *probatam Lanigan* (*o*), *obiit S. Brendanus anno fere* 577. *Sanctam vero* Kiaram *ex Annalibus Hibernicis mortuam tradit Colganus* (*p*) *anno* 679, *aut, ut corrigit Lanigan* (*q*) *anno* 680. *Ne vero lector terreatur hac longævitate, eum remittit Colganus ad notas, absque dubio eruditissimas, sed nihilominus ineptam credulitatem sapientes, adjectas Vitæ S. Kyerani Saygirensis, quem biographus, probante Colgano* (*r*), *trecentos annos vixisse tradit. Utique, si talia credantur,* mediocris *fuerit* S. Kiaræ *ætas.*

6 *Ne talibus fabulis pedem impingeret Lanigan, aliam viam ingressus est. Explodit scilicet Colganum, quod* S. Kiaram *cœvam S. Brendano fecit, quodque statuit eam prius Killchreense monasterium, dein cœnobium Tech-Telle incoluisse, postea in monasterium Killchreense reversuram, ibique supremum obituram diem; quin etiam annotat* (*s*) *originem errorum Colgani, æstimantis hanc nostram* Kiaram *cum S. Brendano egisse; quam in rem animadvertit duas Muscragias confundi a Colgano: unam Muscraighe Thire, hodie* Lower Ormond *in Tipperaria, ubi S. Brendanus reapse versatus esse perhibetur; alterum Muscraighe Mitine, hodie* Muskerry *in comitatu Corcagiensi, ubi Killchrea sita est. Quæ confusio eo facilius locum habuit, quod utraque Muscragia in Momonia reperitur. Quapropter postquam admisit* S. Kiaram *in Muscraighe Mitine natam esse, sic fere pergit idem recentior annalista:* Supponitur hæc Kiara eadem fuisse ac S. Chier, quæ cum aliis quinque virginibus ad S. Fintanum Munnu, in Heli (hodie *Ely O'Carrol*) commorantem, perrexit, sibi adeptura locum, parthenoni instituendo aptum. Dicitur S. Fintanus cessisse S. Kiaræ locum, quem ipse

E occupabat, et qui dein Tech-Telle audiit. Nulla mihi sufficiens occurrit ratio, ob quam negem S. Kiaram aliquandiu illic vixisse; sed dubium est valde num hunc locum a S. Fintano obtinuerit, et num ipse umquam illic commoratus fuerit; *(imo alibi* (*t*) *longe probabilius esse ostendit S. Fintanum nulli alii monasterio, quam Teach-Munnu, hodie Taghman in Wexfordia, præfuisse).* Quamdiu, *hæc alia sunt ejus verba,* S. Kiara in Heli remanserit, nihil nos monet. Porro illinc regressa in suam patriam, fundavit monasterium, a suo nomine dictum Killchree, nunc Kilcrea. *Hæc Lanigan.*

Colganum castigavit Lanigan, ipse forte facilior.

D

Quod monasterium S. Kiara *fundaverit, quæritur.*

7 *Neque mihi suppetit firmum argumentum ad tale assertum disturbandum; sed quod gratis asseritur, gratis itidem negari facile concedet unusquisque. Nam, licet in memorato Ms. codice Salmanticensi, in quo mirissima quæque leguntur, inveniantur duæ S. Fintani Vitæ, in quarum priore iisdem fere verbis ac in fragmento, quod Colganus citat, sed paulo longior sermo de* S. Kiara *fit, et in posteriore paulo brevius eadem res narratur, omissa prædictione de S. Tellio; atque inde liqueat tres saltem diversas S. Fintani Vitas exstare, in quibus*

F *memorata exhibentur, prorsus tamen vana est illa testium series. Quæ enim fides commentoribus, se invicem describentibus, ampliantibus, breviantibus, danda est? Quis nos docuit hic agi de nostra* Kiara, *non de alia? Quid omnes illi itus atque reditus, monasteriorum translationes, etc.? Quare sepositio illo Tech-Tellensi cœnobio, id unum credere possumus monasterium Killchreense a* S. Kiara *conditum fuisse; quod persuasum esse debet tum ob nomen, ab ea acceptum, tum quod Killchreæ ei cultum delatum esse ab omnibus asseritur; reliqua nobis non propinabit Colganus. De tempore vero, quo hæc monasterii fundatio obtigit, nihil certi proditur; docet Lanigan* (*u*) *eam ab Harris referri ad sæculum* VI, *et ab Archdall ante annum* 576 : *cui chronotaxi, ob rationes num.* 5 *explicatas, semisæculum libenter adjecero. Harris et Archdall absque dubio ducem secuti sunt Colganum; cujus opellam lectori jam exhibeo, ut ipse de his omnibus judicium ferre queat.*

(*a*) Act. SS. Hiberniæ, p. 14, not. 6.— (*b*) Britannia Camdeni, t. 3, p. 506.— (*c*) Antiquit. Hibern., cap. XXVI, p. 199. — (*d*) Annal. Minor., t. XIII, p. 378. — (*e*) Hist. Monastiq. d'Irlande, p. 254.— (*f*) Notices of Cork and its vicinity. Cork, 1839. — (*g*) Act. SS. Hiberniæ ad V Januarii, p. 14 et seq. — (*h*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, t. III. cap. XVIII, § XII. — (*i*) Act. SS. ad XVI Maji, p. 602.—(*k*) Fol. 69 et 189.—(*l*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, t. II, cap. XV, not. 78.— (*m*) Colgan. loc. cit. et Lanigan Eccles. Histor. of Ireland, t. III, cap. XVIII, not. 159. — (*n*) Act. SS. ad XVI Maji, p. 600, num. 2. — (*o*) Loc. cit. — (*p*) Ibid. — (*q*) Eccl. Hist., t. III, cap. XVIII, not. 155. — (*r*) Act. SS. Hibern., p. 146, not. 42. — (*s*) T. III, cap. XVIII, not. 159. — (*t*) T. II, cap. XV, not. 78.— (*u*) T. III, cap. XVIII, not. 159.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A

VITA S. KIARÆ, SEU CERÆ

AUCTORE COLGANO.

S. Kiara, filia Dubrei,

Claruit in ea australis Hiberniæ regione, quæ Muscraigia *a* nuncupatur, quædam genere clara, sed virtutibus clarior Virgo, nomine Cera *b* seu Cyra : cujus quidem Acta licet temporis vel nunc supprimat, vel olim deleverit injuria, nominis tamen sancti et celebris, quod nobiles testantur scriptores, et saxea ceu viva loquuntur monumenta, non potuit delere splendorem. Patrem habuit Dubreum *c*, e Conarii *d* regis Hiberniæ stirpe, multorum et Sanctorum et regum in utraque Scotia fœcunda genitrice oriundum.

vixisse dicitur tempore S. Brendani,

2 Postquam autem fama sanctitatis, et miraculorum hujus Sanctissimæ Virginis longe lateque diffusa esset, et odor boni nominis plures ad eam pertraheret discipulas, virtutum ejus sedulas imitatrices, construxit in prædicta sua patria B Muscraigiæ regione cœnobium virginum ex ipsius fundatricis nomine Killchere appellatum, cui in summa sanctitatis opinione et mirabilium operatione sacro virginum cœtui præfuit eo tempore, quo magnus Brendanus, post mirabilem suam septennii spatio per Oceanum navigationem, signis et virtutibus in Hibernia clarebat *e*.

quo indicante, ignem extinxit.

3 Inter alia ejus opera mirabilia, unum memoratur patriæ proficuum, et ipsi Virgini gloriosum ; quo pestilentis quoddam genus ignis, et patriæ terræ, quam inextinguibili vi exurendi absumebat, et hominibus, quo pestifero fœtore extinguebat, exitiosum, mirifico orationis jaculo funditus extinxit. Factum his verbis narrat author Vitæ S. Brendani : In regione *f*, inquit, Muscraighe Thire in provincia Momoniæ, ignis exortus est e terra, fœtorem habens pessimum. Cœperuntque homines ignem extinguere aquis, sed nullo modo potuerunt. Videnque S. Brendanus, veniendo illuc, terram ardere ascendentibus alte flammis, ait hominibus : O miseri homines, ignem infernalem videtis e terra ! Rogantibus eum hominibus, ait eis : Trium dierum jejunium agite, et rogabo C Deum pro vobis. Et post jejunium ait illis : Ite ad Sanctam Dei virginem Ciaram : sibi enim dedit Deus hanc virtutem, ut extinguat illum ignem per orationem suam. Et orans Sanctissima Virgo Cera ad Deum contra illum ignem, illico ignis extinctus est radicitus, et numquam ibi iterum apparuit.

Augentur ejus sociæ;

4 Crescentibus sic in dies signis et virtutibus hujus præclare Virginis, cum cresceret et sanctarum virginum, quæ sub ejus magisterio vivere ambiebant, ipsa sanctissima mater cœtum sponsarum Christi multiplicare desiderans, cum aliquot virginibus perrexit ad fines Heliæ, locum a Sancto Munna, viro mirificæ charitatis et sæculi contemptus gloria notissimo, quæsitum ; ubi sponsas Christi commodius, in Deo dicatæ virginitatis instituto instruere et educare posset ; accepitque ibi ab eo locum Tech-Telle nominatum, quem ipse ante ibi exstruxerat, ut in ejus Vita cap. x his verbis enarratur :

it ad S. Munnam ;

5 Cum B. Munna quinque annis habitasset in regione Heli, venit ad eum quædam virgo, nomine Chier *g*, cum aliis virginibus quinque, ivitque minister hospitum salutare eam, et recipere in hospitio. Cui ancilla Dei ait : Vade ad famulum Christi seniorem nostrum et dic ei : Det mihi locum ubi potuero Deo servire cum meis filiabus. Hoc autem audiens vir Dei dixit suis : Fratres, D non est hic resurrectio nostra, ideo relinquamus hunc locum nostrum et laborem virginibus Dei, et nihil vobiscum ducetis exceptis necessariis in via, et libris officialibus, et chrismalibus, et quotidianis vestimentis, et de animalibus tantum duos boves in plaustro. Cum jam ancilla Dei postulasset ab eo benedictionem, respondit ei : Benedictio sit super locum istum, et erit benedictus coram Deo, et hominibus ; sed tamen locus iste non nominabitur in nomine tuo. Illa dixit : In cujus igitur nomine nominabitur ? B. Munna ait : Vir ille, qui hodie tres jubilationes in agro Miodhluachræ fecit, possidebit hunc locum : ipse est Telli, filius Segeni, qui postea ad hunc locum veniet, et in nomine ejus nominabitur.

moritur anno 680.

6 Postquam ergo Christi ancilla in ecclesia de Telgh-Telle cum suis alumnis aliquandiu constitisset, et juxta mox dicta intellexisset locum illum non sibi vel suis, sed Sancto Tellio ex divinæ providentiæ decreto esse reservatum, demum in patriam reversa est, ac post multos vitæ annos, in illibati instituti rigore transactos, annis et meritis plena, anno salutis 679 *h* mortalem *h* hanc vitam cum cœlesti commutans, ad sponsi E superni amplexus advolavit, ac in ecclesia de Maghascad corpus ejus honorifice reconditum est ; piaque populi devotione bis in anno ejus festum servari consuevit : die quinta Januarii, quæ dies transitus et ejus in cœlo natalis, et XVI Octobris, qui translationis creditur esse *i*. *i*

ANNOTATA.

a *Vide num.* 6 *Commentarii prævii.*

b *In Commentario prævio num.* 1 *exhibui nomina* S. Kiaræ, *prout in Ms. Hibernicis mihi occurrerunt. In priore Vita codicis Salmanticensis dicitur* Kyear, *in posteriori* Emer, *vitio sane amanuensis. Eam vulgo* Chier *vocari tradit Lanigan. Quoniam Martyrologium Universale Castellani vulgo in usu est, ne lectori, apud nos hujus Sanctæ Vitam quærenti, inutilis labor crearetur, scripsi secundum eum Kiaram.*

c *Hæc a S. Ængussio, Martyrologio Tamlactensi, et Annalibus Cluanensibus accepit Colganus. Eadem in nostris ecgraphis reperio non secus ac in lacinia Annalium Dungallensium.* F

d *Ex Kalendario Casselensi, Carolo Maguiz et Menologio genealogico hæc hausta sunt. Verum a decessoribus nostris non admitti solent vetustæ Hibernicæ genealogicæ.*

e *Confer num.* 4 *Commentarii prævii. S. Brendani navigatio nostris atavis Belgis placuisse videtur : non ita pridem lingua veteri theotisca iter S. Brendani ex tenebris eruit Cl. V. de philologia Belgica optime meritus Blommaert. Cæterum ubique fere per Europam olim id iter innotuerat, adeo ut paucæ sint copiosiores Mss. codicum collectiones, in quibus hæc non appareat historia.*

f *Vide num.* 4 *et sequentes Commentarii prævii.*

g *Num.* 4 *et sequentibus ejusdem Commentarii similiter hæc impugnata vide.*

h *Dixi num.* 5 *ex Annalibus Hibernicis* S. Kiaram *anno* 679, *imo* 680 *obiisse ; ex iisdem tradit Colganus eam devenisse ad provectam ætatem, et diem* V *Januarii ultimam ejus vitæ in terris fuisse.*

i *In notis infirmat hoc assertum Colganus scribens, diem* XVI *Octobris esse festum translationis, commemorationis similisve rei. Lanigan* (a) *huic diei ejus commemorationem adscribit. Quæ modo præcedunt, initio Commentarii prævii explicata sunt.*

(a) Eccl. Hist. of Ireland, t. III, cap. XVIII, § XII.

DE

A D

DE S. MUMMOLINO SEU MOMMOLENO

EPISCOPO NOVIOMENSI ET TORNACENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Mummolini sacra memoria, biographi, et gestorum synopsis.

PROBABILIUS ANNO DCLXXXIII.

B

S. Mummolinus, *cujus gesta jam illustravit Ghesquierus*,

Eruditis atque bibliophilis cognitum est opus, quod Acta Sanctorum Belgii selecta *inscribitur. Josephus scilicet Ghesquierus, qui plures annos Actis Sanctorum Bollandianis illustrandis vacaverat, hujus novi operis in se suscepta provincia, anno* 1783 *primum volumen edidit, quod quinque alia sequentibus annis secuta sunt. Cum autem in hoc condendo opere,* tum ex monumentis sinceris, *ita fert titulus,* necdum in Bollandiano Opere editis, tum ex vastissimo illo Opere servata primigenia scriptorum phrasi colligendo, *ordinem temporum, non autem kalendarii observaverit, plures obvios sibi habuit Sanctos, de quibus Bollandiani, socii nondum dixerant. Qualis est* S. Mummolinus, *cujus festum die* XVI *Octobris agitur, et cujus Vita proinde hoc loco a nobis quoque edenda est. Licet Ghesquierus, et qui ei postmodum dati sunt socii Smetius et Thysius, ita illustrarunt Sanctorum Belgii Acta, ut propius Bollandiani Operis vestigia sequerentur, atque adeo pristinos Commentarios recudendos curarent, et cum novæ prorsus elucubrationes condendæ forent, Bollandiana fere uterentur methodo, non tamen est quod purum Ghesquieri opus de* S. Mummolino *denuo typis subjiciamus. Etenim, si imitaremur eum ipsum, qui Bollandianis Commentariis annotationes suas subjungebat, scriptio exhiberetur lectori, a reliquo opere omnino diversa ; dein cum Ghesquierus non tantum* S. Mummolini *Vitam, quam præ manibus habebat, justo minoris fecerit, eamque propterea non ad calcem sui Commentarii, ut moris nobis est, integram ediderit, sed in frusta desectam partim tantum inseruerit suis disquisitionibus ; verum etiam caruerit Vita, quæ cæteris antiquior nobis visa est ; sequitur aliam omnino ac laudati hagiographi ineundam nobis viam esse ; tertio, (quod illius Vitæ minor æstimatio atque hujus absentia pepererunt,) invertit seu etiam subvertit, incertis innixus rationibus, non exigua* S. Mummolini *gesta, quæ tamen in omnibus antiquis, quæ de hoc Sancto supersunt, adstruuntur monumentis ; quarto demum, cum in Actis Sanctorum Belgii S. Eligii gesta illustrata jam fuissent, mittere potuit Ghesquierus plures de chronologia quæstiones, quæ, ad* S. Mummolinum *pertinentes, in Vita ejus decessoris Eligii solutæ jam videbantur ; verum cum S. Eligii gesta ad diem primum Decembris in Opere nostro examinanda erunt, methodo omnino inversa hic utendum nobis est. Atque hæc sunt rationum momenta, quibus ad novum* S. Mummolini *condendum Commentarium inducti fuimus. Cæterum, ne quod actum est denuo agamus, plura ex ejus scriptione hauriemus ; id tamen sincere observantes, ut nihil exinde describamus, quod non accurate ad fontes retulerimus. Pro more ab annuntiationibus in Fastis sacris exordium ducimus.*

2 *Licet* S. Mummolinus, *quem et* Mommolenum *vel* Mommolinum *probati scriptores et recentiora Officia ecclesiastica nuncupant, antiquissimis temporibus pie cultus fuerit, omiserunt tamen ejus nomen martyrologi classici omnes. Contra ad præsentem diem ejus meminerunt codex : Ms. Usuardinus Bruxellensis sub nomine* Nommolino ; *Aquicinctinus et alter a Molano editus sub nomine* Nummolino ; *Usuardus Greveni,* Mammolinum *referens ; et Hagiologium Ms., quod in bibliotheca Ambianensi servatur,* Mummolanum. *Martyrologium vero qualecumque Bedæ, in monasterio Lætiensi repertum et de quo Bollandus in Præfatione Generali Actorum Sanctorum* (a) *sermonem habet,* in Noviomo civitate natale Sancti Mummolini confessoris *annuntiat ; similemque memoriam habet codex noster Ms. Usuardinus Bigardensis. Martyrologium, quod vulgo Canisio adscribitur,* in Nummolino *dicendo consonat cum Usuardo Molani ; et Saussayus, Galesinus, Castellanus, Martyrologium Ebroicense, Ferrarius, auctores Martyrologii Parisiensis, Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis, Molanus in Natalibus SS. Belgii* Nummolinum *et* Nommolinum *quidem excludunt, at cæterum varii sunt in scribendo nomine ; demum ex Monasticis Wion in Ligno Vitæ et Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino* S. Mummolinum *quoque Sanctis suis accensent : in quibus fere omnibus, præmissa annuntiatio Lætiensis titulo* episcopi *aucta occurrit. Simili memoriæ subdit gestorum compendium laudatus Molanus ; « seu si mavis, inquit Ghes- « quierus, Petrus Lauwius qui Molani schedas mi- « scellaneas supplevit et concinnavit : » et alterum atque paulo longius encomium ex Iperio Sam-Bertiniano annalista et Joanne Cognato, historico Tornacensi,* S. Mummolini *memoriæ attexuit Miræus. Utrique recitando supersedeo. Quod vero pertinet ad varias Sancti nostri nomen scribendi formulas, præplacuit* Mummolinus, *in vetustissimis monumentis usitatior norma ; licet* Mummolenus, Mommolinus *similesque formæ damnari nequeant. In antiquis historiis non rarum est eumdem virum jam* Mummolinum, *jam* Mummolum *nuncupari ; unde liquet idem nomen eas esse appellationes. Reliqua vero, quæ pertinent ad loca et dies, quibus olim colebatur aut etiamnum colitur* Mummolinus *noster, explicabuntur alibi.*

E

vario nomine in Fastis sacris nuntiatur ;

3 *Quæ præ manibus haberet Ghesquierus* S. Mummolini

C F

(a) p. XLIX.

A molini *Acta, tradidit ipsemet, cum testetur epitomæ Molani consonare* S. Mummoleni *Acta quæ in insigni codice Ms., qui ex abbatia Vallicellensi ad Balthasarem Moretum, postea ad musæum hagiographicum Antverpiense atque hinc ad abbatias Frigidi Montis et Tungerloensem transiit, nunc demum, ut reliqua fere hagiologica suppellex in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi asservatur, extant. Habebat præterea « bina, ut loquitur, quæ ad » Bollandianos olim transmissa fuerant Actorum » apographa : alterum a R. A. D. Nicolao de la » Haye, Decano Noviomensi anno* 1670 *ex Mss. » bibliothecæ capituli Noviomensis desumptum ; al- » terum a Chiffletio nostro, ex Ms. S. Audomari, » non ita, ut ipse notavit, vetusto. » Verum ea tum erat documentorum confusio in bibliotheca Frigidi Montis, ut quatuor alia apographa nonnihil a reliquis et inter se diversa postmodum a nobis reperta fuerint : quorum primum, ex codice Noviomensi a prælaudato R. Decano desumptum, a priore diversum est, et Vitam exhibet, reliquis, ut nobis videtur, antiquiorem ; secundum anno* 1666 *a D. Ludovico Nicquet, bibliothecario Cœlestinorum Suessionensium ex Ms. libro cathedralis ecclesiæ descriptum fuit, atque hujus Noviomensis compendium fere est, in novem lectiones distributum ; tertium, ab eodem Suessionensi bibliothecario subministratum, a Vallicellensi, quo usus est Ghesquierus, vix differt ; et quartum demum, quod huic similiter non præluxit, ex lectionario Sant-Audomarensi minus vetusto descriptum fuit, et (ut ex plicis et impresso chartæ sigillo, collatis cum alio folio subsignato, manifestum mihi videtur) a nostro Buchevio submissum. Atque hic in transitu notare mihi liceat, ex nota memorato folio a Bollando inscripta constare, Bucherii primam mentem non fuisse ad Clodovei ortum sistere, et Belgium Romanum, ut ejus liber dicitur, condere ; verum cum significet Bollandus, Bucherium has Vitas (quas inter* S. Mummolini) *Belgio suo inserere velle, liquet eum in animo habuisse opus suum saltem usque ad sæculum* VIII *producere, nisi integros potius Belgii annales concinnare. Hactenus de Vitis* S. Mummolini *ineditis. Ut nihil dicam de vulgaribus Vitis Sanctorum deque historiis, in quibus de rebus sacris diœcesis Tornacensis, Noviomensis, Teruanensis, etc., agitur, præsto præterea mihi fuerunt Breviaria seu Propria Audomarense annorum* 1518, 1708 *et* 1785 ; *Atrebatense anni* 1817 ; *Noviomense anni* 1630 ; *Iprense annorum* 1629, 1715, 1746 *et* 1776 ; *Tornacense annorum* 1787 *et* 1805 ; *Morino-Boloniense anni* 1756 ; *atque in his omnibus* S. Mummolini *Vita in plures lectiones divisa exstat. Ut ex kalendario, præfixo parti hiemali Breviarii S. Quintini Veromanduorum anni circiter* 1520, *colligo, parti æstivali inserta quoque sit oportet* S. Mummolini *Vita ; at hanc hucusque desideramus. Priusquam autem ad alios fontes transgrediar, pauca de præmissis notanda veniunt.*

referuntur ejus gesta in pluribus Vitis Mss. et Breviariis :

quorum fides male, ut videtur, a Ghesquiero culpata propter prologum,

4 *Quascumque Ghesquierus aut in Breviariis, aut in Lectionariis invenit* S. Mummolini *Vitas, nigro calculo eas notavit, « propterea, inquit, quod » omnes uno eodemque vitio laborant, nimirum as- » serto perperam* S. Mummolini *in Galliam ad- » ventu sub Chlotario III, Clodovei II filio, ejus- » que in aula regia commoratione, prius nempe, ut » illæ volunt, quam Sanctus noster Morinos adiis- » set ; quandoquidem* Mummolinus *jam quindecim » fere annis substiterat apud Morinos, antequam » Chlotarius III ad Francorum regnum evectus » fuerit. » Verum apud me carent hoc nævo Officia Tornacensia, Atrebatense, Boloniense, et Sant-Audomarense anni* 1785 ; *quin etiam Vita Ms. brevior Suessionensis hujus anachronismi expers est. Attamen notandum est, tale initium huic Vitæ adesse, ut, licet prima lectio ei non desit, tamen, vel acephala vel aliunde distracta videatur ; quandoquidem sic incipiat :* Eo in tempore vir sanctissimæ religionis, Mummolinus nomine, a regione sua egressus in Gallias cum duobus comitibus devenit. *Amplissima vero Vita, Noviomo transmissa, quæ huic breviori vel debet ortum vel ei dedit, prologum habet similem prologo, vulgatæ* S. Mummolini *Vitæ præfixo, quem anachronismi damnavit Ghesquierus ; hæc quippe inibi sunt :* Tempore quo præcellentissimus rex Lotharius Ludovici filius hæreditario jure Franciæ regnum gubernavit.... Ecclesiam multimodo spiritualium filiorum genimine contigit propaginari **. Resedata siquidem... persecutione, Christus Ecclesiæ quam plurimos coadunavit Confessores... Eo in tempore vir sanctissimæ religionis, Mommolenus nomine, a regione sua egressus in Gallias cum duobus comitibus devenit.

* propagari

qui explicationem patitur,

5 *Verum plura de hoc prologo animadvertenda veniunt. Imprimis, etiamsi concedendum foret, hic significari* S. Mummolinum, *regnante Lothario seu Clotario III, primum in Gallias venisse cum suis sociis (ad quod tamen non constricti videmur), multo tamen severius esset, hanc Vitam ob unicam illam rationem rejicere : etenim, si valeret ejusmodi crisis, seponendæ forent permultæ Martyrum Passiones, quæ ab ipsis hypercriticis sinceræ habentur, licet nominum imperatorum confusio in eis apparent ; de qua re legendus est P. Honoratus a S. Maria in suo de critices usu ei legibus opere* (*a*) ; *præterea in hoc ipso præsenti volumine* (*b*) *similis erroris exemplum habemus in coæva S. Magnobodi Vita, in qua hic Sanctus dicitur,* communibus omnium votis cum assensu Dagoberti regis, ad quem jam successio regni descenderat, electus esse ; *quum constet S. Magnobodum anno* 609 *Andegavensi potitum esse cathedra, et Dagobertum, Lotharii filium, anno tantum* 622 *Austrasiæ et sexennio post Neustriæ dominari incepisse. Verum cum nemo idcirco fidem denegavit Actis Sancti Andegavensis præsulis, quo jure nihili fere fieret Vita antistitis Noviomensis? præsertim cum omnis evanescat difficultas, si, mutato uno patris nomine, loco :* Tempore quo præcellentissimus rex Lotharius, Ludovici filius, *etc. scribitur :* Tempore quo... Lotharius, Chilperici filius, *etc. : quæ mutatio quam facile ab amanuensibus, aut etiam error a scriptore non coævo admitti potuerit, nemo non videbit. Præterea omnino non constat verum hic obtinere lapsum, cum prologus ille :* Tempore quo Lotharius, *latum tantum spatium indicare videatur, quo floruisset, ut reapse floruit,* S. Mummolinus *non secus ac alii multi Confessores ; cum olim, scilicet tribus sæculis ante, Sancti, quos colimus, inter Christianæ fidei persecutiones cælicam mererentur coronam. Quæ conjectura magnopere fulcitur, tum ex eo quod in Vitis recentioribus duo distinguuntur Lotharii : prior quocum* S. Mummolinus *multum egit initio vitæ suæ apostolicæ ; posterior ad cujus* aures usque pervenit *ejus* fama, *cum in episcopum eligendus esset ; tum ex ipso modo scribendi, quo utebatur Anonymus. Ex prologo enim qui in utroque Vitarum genere legitur, crederes* S. Mummolinum *cum sociis ex Alemannia recta Gallias petiisse ad prædicandum ; abest tamen : continuo quippe docebit ipse* S. Mummolinus, *regem alloquens, se, priusquam prædicationis munus obiret, plures annos Luxovii monachum egisse.*

(*a*) Réflexions sur les règles et l'usage de la critique, t. II, p. 16, dissert. IV, art. V. — (*b*) pag. 931 n. 13.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *et ex Vita S. Eligii desumptus est.*

6 *Quod si originem inspiciamus istius prologi, qui excerptus est ex Vita S. Eligii* (a) *facile reperimus hæc ita a biographo intellecta fuisse. In hac scilicet Vita leguntur hæc, prologo illi omnino similia, verba :* Licet ei *(S. Eligio)* ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen Martyris non amisit, quia pro spe æternitatis jugiter laboravit ; verum si ei Neronianis Decianisque temporibus in illa, quæ tunc extitit dimicare congressione licuisset, securus dixerim, sponte equuleum ascendisset, et ultro se pro Christo ignibus intulisset, libensque palmam sanguinis occupasset ; sed quamquam ista non tulerit, implevit tamen etiam sine cruore martyrium, dum fortitudine roboratus, in vigiliis sedulus, in jejuniis assiduus, fidem servando, cursum consummando repositam sibi a Christo justitiæ coronam quotidie expectabat restitui : tanquam speculator etenim a Domino constitutus, prædicabat verbum cum omni auctoritate. *Quæ verba cum biographus indubie præ oculis habuerit in scribendo prologo, fieri non potest, ut attexuerit* S. Mummolini *in Gallias adventum regno Clotarii ter-*

B *tii : nam cum citata verba in parte* I *libri* II *reperisset, paulo superius initio ejusdem partis* I *de S. Eligio legerat :* Fuerat quoque de temporibus Lotharii mediani (II) mansueti regis Francorum, et toto tempore Dagoberti inclyti principis, necnon et Clodovei filii ejus, et usque ad initium regni junioris Lotharii mansit in corpore. *Aliunde vero noverat* S. Mummolinum *solummodo postquam annos plurimos primum Luxovii, dein in aula regis, postea in ministerio sacro cum S. Audomaro, et tandem in Veteri Sithivensique monasteriis versatus esset, successisse S. Eligio, qui ipse initio regni Lotharii, filii Clodovei seu Ludovici, vita defunctus erat : quomodo ergo quis vellet biographum in prologo illo retulisse* S. Mummolini *accessum in Gallias ad hujus Lotharii tempora?*

Non solum Vitæ antiquiores, sed illæ ipsæ, quæ recentiores videntur, non tantum ad sæculum X,

7 *Utut id esse queat, certum est, quod annotare prætermisit Ghesquierus, ipsas Vitas, quas recentiores habemus, utpote stylo minus horridas, adjunctis quibusdam non rectis auctiores aliaque id genus, non tantum certum est, inquam, eas sæculo decimo exeunte antiquiores esse, verum etiam ad sæculum octavum forte, centum scilicet post* S. Mummolini *obitum annis, referendas videri. De monas-*

C *terio nempe duodecim Apostolorum, a S. Godeberta quoque agnominato, juxta quod sepultus fuit noster antistes, agentes :* Quo in loco, *habent*, ad militandum Deo *et* Sanctis suis congregatio statuta est monialium. *Ast id cœnobium ante annum* 989, *quo Liudulfus, ab anno* 977 *Noviomensem cathedram occupans, supremum diem obiit, sanctimoniales non cepit, ut constat ex Guidone thesaurario apud Vassorium* (b) : Liudulfus adeptus est sedem pontificalis honoris, cui præsedit duodecim annis ; auxit quoque bonis canonicorum Betonis Curtem in Noviomagensi pago, cum Atramentaria, et omni integritate, necnon et judiciaria potestate. Dedit etiam abbatiæ S. Godebertæ partem thelonei, quam jure episcopali tenebat, et alias necessarias res thelonei, unde solvuntur in festivitate Sanctæ Godebertæ decem solidi ; ipsamque ABBATIAM postea per privilegium apostolicum USIBUS CANONICORUM, CUM OMNI INTEGRITATE, CONCESSIT. Hujus dies obitus non. Novembris habetur, et ante altare Salvatoris in ecclesia S. Mariæ est sepultus. *Neque rediit deinceps idem cœnobium in monialium potestatem ; sed penes sexaginta Noviomenses canonicos fuit, donec in parœ-* D *ciale templum mutatum est : qua de re consulenda est Gallia Christiana* (c), *et opus Colliette de Veromanduensi historia* (d).

sed ad sæculum VIII *referendæ videntur.*

8 *Verum et altius ascendere licet : Vitæ quippe omnes, rationem reddentes, cur* S. Mummolinus *extra Noviomi muros sepultus fuerit, hac aut simili utuntur locutione :* Quia vero civitas vivorum dicitur, non mortuorum, a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem, extra muros ante portam aquariam, in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum ; *unde manifestum est has omnes Vitas conscriptas fuisse, priusquam mos obtineret sepeliendi intra urbium muros ipsos episcopos. Ignoratur quidem quo tempore hic mos Noviomum inductus sit ; nam etsi constet Gislebertum Noviomensem præsulem anno* 782 *adhuc extra muros in SS. Apostolorum templo conditum fuisse* (e), *anno vero* 936 *Walbertum in dextera parte chori templi Noviomensis intra civitatis muros sepultura fuisse donatum* (f), *atque inde colligi possit hunc morem Noviomi anno* 782 *recentiorem et anno* 936 *antiquiorem fuisse, nihilominus sesquisæculum in-*

E *terlabitur, quo quid in hac re hic factum sit, ex certis monumentis manifestum non est. Verumtamen quam maxime probabile videtur Noviomenses cæteros imitatos fuisse, et proinde sæculo forte* VIII *exeunte* civitatem *non* vivorum *tantum, sed etiam* mortuorum, *episcoporum saltem*, dictam *fuisse. Et certe quis crediderit, auctorem ullum sæculo nono scripturum fuisse, quæ in hac* S. Mummolini *Vita de sepeliendi more dicuntur, cum per plurima concilia expresse jam liceret reges, episcopos, abbates aliosque altioris subsellii viros iis in locis sepelire, in quibus antea vetitum esset? Præ cæteris de hoc usu adeundus est Selvaggius in Antiquitatum Christianarum institutionibus* (g). *In confirmationem autem hujus nostræ de vetustate* S. Mummolini *Vitæ opinionis veniunt et alia dicta, quæ in recentioribus Actis ita sonant :* Conditus est... miles Christi scilicet juxta monasterium *(de quo supra diximus)*, quod jam dudum ad honorem duodecim Apostolorum a sanctissimis viris FUNDATUR ; *quæ ultima vox significare videtur tempore* S. Mummolini *biographi ad perfectionem nondum deductum fuisse id cœnobium, quod primitus a S. Eligio conditum fuerat ; et proin, quantum fieri licet, approximanda est biographi ætas ad S. Eligii successoris tempus. Ex* F *his itaque consequens fit, ut* S. Mummolini *Vitæ scriptor subæqualis dicatur, ejusque ne deseratur narratio, nisi manifestus ad id compellat error.*

S. Mummolini *gesta paucis exponuntur ex Breviario Bolonienſi*

9 *Ut vero lector paucis sciat, quæ* S. Mummolini *admittenda videantur gesta, lectiones de hoc Sancto proferam, quæ olim in ecclesia cathedrali Morino-Boloniensi die* XVII *Octobris (dies enim* XVI *festo S. Wulfranni, et* XV *festo dedicationis ecclesiarum impediebatur) recitabantur. Licet enim lectiones Tornacenses propius ad eas accedant, præferendæ visæ sunt Bolonienses, quoniam ob suppressionen episcopalis sedis interitioni magis obnoxiæ sunt.* LECTIO IV : Beatus Mummolinus Constantiensis, Luxovio, ubi diu *(aliquot annos)* monachi vitam egerat, digressus una cum Bertino et Bertranno in Galliam venit. Qui assidua verbi Dei prædicatione, vitæ ac conversationis puritate, tantam sui famam concitaverunt, ut Chlotario, qui tum apud Francos rerum potiebatur, facile innotescerent. A quo in aulam invitati, magnum in palatinis reliquoque populo, quos diu verbo excoluerunt et exemplo, fructum fecerunt. Ex quibus multos a

(a) Lib. II, part. I, cap. III. Act. SS. Belgii select., t. III p. 231. — (b) p. 732 citat. in Gall. Christ., t. IX, col. 993. — (c) T. IX, col. 1094. — (d) Mémoires pour servir à l'histoire du Vermandois, t. I, p. 520. — (e) Gall. Christ., t. IX, col. 978. — (f) Ibid., col. 991. — (g) Lib. II, part. I, app. § III, t. III, p. 259. Edit. Mogunt.

terrenarum

A terrenarum rerum curis, et amore sæculi avocatos, ad æternæ vitæ meditationem incitaverunt. Unde miro affectu amabantur a populo et honorabantur a clero.

quod præ cæteris

10 LECTIO V. Verum Sancto Audomaro, sodali quondam suo, Morinis dato episcopo, rati, quod res erat, pro multitudine messis operarios illic esse paucos, ipsum adeundum statuerunt. A quo perbenigne suscepti, tamquam cooperatores cœlitus destinati in excolenda vinea Domini strenuam operam navaverunt. Confluentibus autem undique viris religiosis, cum monachorum habitacula ædificassent, Mommolinus a Beato Audomaro illis præpositus, exemplo magis quam verbo, suis ad studium perfectionis præire voluit. Nam post diuturna jejunia, vix pane hordeaceo, eoque cineribus consperso, et aquæ potu lachrymis temperato, corpus reficiebat. De crastino numquam sollicitus, quidquid in stipendium prædicationis offerebatur, mox in pauperes erogabat. Infirmis undique ad se venientibus medelam adhibebat : leprosos non exhorrens, quorum ulcerosa membra balneis refovebat.

B *accurate ea exhibet,*

11 LECTIO VI. Interea Eligio Noviodunensi episcopo vita functo, Mommolinus ob insignem vitæ sanctimoniam, et romanæ teutonicæque linguarum peritiam, in locum ejus sufficitur, licet invitus, nec nisi præcepto. Magna sollicitudine ecclesiam Noviomensem, necnon alteram, quæ tunc conjuncta erat, Tornacensem viginti sex per annos administravit, nullis parcens laboribus, animarum juxta et corporum medicus ; viduarum et inopum perpetuus patronus. Tandem mortem diu concupitam vicinam præsentiens, mandat corpusculum in communi cœmeterio (?) exiguo condi sarcophago. Ingravescente vero morbo, nec tum ab oratione, et divinæ laudis officio cessabat, donec sumpta Eucharistia, inter gratiarum actiones, et verba orationum, decimo septimo kalendas Novembris anni sexcentesimi octogesimi quinti (?), spiritum exhalavit. Quem multis a morte miraculis Deus illustravit.

necnon ex synopsi Ms. hausta ex Vita S. Audomari ;

12 *Aliam* S. Mummolini *Vitæ synopsim, e Ms. codice descriptam, edidit Ghesquierus. Hujus synopseos apographum correctius illo, quod laudato hagiographo præluxit, ad manum nobis est. Mentio in ea non fit de* S. Mummolini *commoratione in aula Clotarii, eamque propterea plurimis laudavit ille meus decessor ; at cum in ea quoque omittatur* S. Mummolini *vita monastica, acta Luxovii, atque de duplici hoc facto in prima et tertia Vita S. Audomari, quas ad* IX *Septembris publici juris fecit noster Stiltingus, omnis quoque notitia desideretur, et cætera, quæ in synopsi sunt, præter hæc verba :* agente rege Lothario, *in Vitis S. Audomari multo latius explanentur, liquidum atque manifestum est abbreviatorem hunc unicis S. Audomari gestis usum esse ad laudandum* S. Mummolinum. *Porro en synopsis ista juxta melius ecgraphum. Inscribitur* Vita S. Mommolini episcopi, *et sic sonat :* Beatus Mommolinus de civitate Constantia prope Renum originem duxit. Hic cum duobus aliis Bertino scilicet et Bertranno peregrinationem arripiens, tandem Sanctum Audomarum episcopum apud Morinum adiit. Cui * cum eum una cum comitibus honorifice suscepisset, et eis ad quietius serviendum Deo monasterium construxisset, et Mommolino dicti loci regimen injunxisset, idque vir Dei per annos multos laudabiliter gubernasset et interea Sanctus Eligius ab hoc sæculo emigrasset, Mommolinus in Noviomensis civitatis episcopum, agente rege Lothario, subrogatus, ea

C

* *lege* Qui

quæ tale decet * officium excellenter exercuit et plebem sibi a Domino commissam rite rexit. Cumque dictæ civitati in episcopio XXVII * annis præfuisset, et obitum suum in spiritu prævidisset, admonuisset quoque suos ad observantiam cœlestium præceptorum, ac salutiferum corporis et sanguinis Christi viaticum accepisset, inter gratiarum actiones et orationes spiritum exhalavit, ac XVII kalendas Novembris ad superos evolavit. Sit nomen ejus benedictum in sæcula, qui Sanctum suum in terra mirificavit, et in cœlo sine fine mirabilius glorificavit. Amen. *Inquisivit jam Ghesquierus quis hujus epitomes concinnator fuerit ; idemque nosmetipsi fecimus ; at operam nostram frustra collocatam fuisse cum laudato hagiographo fateri cogimur. Suspicatus ille fuit eamdem præluxisse Iperio, qui ante annum* 1383 *Sam-Bertinianum Chronicum conscripsit.*

D

* *sic in utroque apographo ; lege decent*

* *melius in altero apographo* XXVI ; *ubi contra deest* annis

quam Ghesquierus præluxisse credidit Iperio, de quo pauca animadvertuntur.

13 *At cum Iperii Chronicum sæpius in testimonium adhibituri simus, audiamus de eo Ghesquierum, in hæc disserentem verba : « Vidit quamdam » S. Mummoliani Vitam Joannes Iperius... eamque authenticis scriptis annumeravit, prout videre » est in ejus prologo, tom. III Thesauri Anecdotorum Martenei vol.* 448, *ubi de laudato Chronico » in hunc modum loquitur :* Præsens opusculum » ex multis voluminibus scriptisque authenticis » grato labore collegimus, sumendo de quolibet » quod ad propositum spectare visum est, nihil » inserendo quod non AUTHENTICIS SCRIPTIS APPROBETUR. Collegimus enim ex legendis Sanctorum Bertini, Audomari... MOMMOLINI, et » plurium aliorum. *Verum an Sancti nostri Vita, » quam authenticam ipse vocat, sit ea ipsa antiquior » (synopsis scilicet), a qua præfata abest lacinia ; » num contra interpolata, dubitare quis ex eo poset, quod Iperius parte* V *col.* 458 *narret, Bertinum,* Mummolinum, *et Bertrannum venisse in » Franciam verbum vitæ seminantes, a rege Chlotario honorifice receptos, et post longum temporis » intervallum adiisse S. Audomarum, tunc Morinensem episcopum. Attamen cum hæc aliunde » haurire potuerit Iperius, nimirum ex ea S. Bertini Vita, quam post Mabillonium Cointius et » Pagius Folcardo tribuerunt, Stiltingus vero compilatori cuidam anonymo ; nihil credere vetat* S. Mummolini *Vitam, quam Iperius authenticam » vocavit, antiquiorem illam esse minimeque interpolatam de qua supra egimus » (cum Ghesquierus scilicet citatæ synopsis originem investigare voluit). In quæ verba annotandum prius, synopsim hanc post reliquas Vitas omnes inter authentica scripta referendam esse, cum ex S. Audomari Actis, ut diximus, luculenter desumpta sit ; dein quod culpatur Iperius, non secus ac si dixisset* S. Mummolinum *venisse ad S. Audomarum, postquam jam pridem cum Clotario III egisset (nam quem Clotarium meminit Iperius, hunc satis audacter Clotarium III interpretatur Ghesquierus) eum sequenti* § *a crimine liberare tentabo. Verumtamen ii non sumus, qui ubique Iperii tueamur partes : nam, ut in Commentariis de S. Audomaro et de S. Bertino decessores nostri observarunt sæpius, hæsitat frequenter erratque in annis, quod summorum Pontificum et regum Francorum annos cum æræ Christianæ annis recte componere non novisset.*

E

F

§ II.

A

§ II. S. Mummolini ortus; vita monastica acta Luxovii; prædicatio in Gallia, et in aula Clotarii II; condit Vetus et Sithivense monasteria, quibus præficitur.

S. Mummolini patria, tempus natale, monastica vita Luxovii acta.

Jam *singula* S. Mummolini *gesta illustraturi, ab ejus ortus adjunctis exordimur. Porro eum in ipsa urbe Constantiensi, in Germania prope lacum Bodamicum seu Constantiensem sita, mundo editum fuisse, tradunt Acta ejus manuscripta; idemque SS. Audomari et Bertini Vitæ satis innuunt. Statuit Stiltingus* (a) *S. Bertinum, ejus sodalem, inter annum* 600 *et* 610 *fuisse natum; cui libenter assentior, ad annum tamen* 600 *magis quam ad annum* 610 *inclinans. Præterea* (b) *cum Cointio* (c) *eumdem Sanctum juniorem* S. Mummolino *facit; quod, cum ex universa horum Sanctorum vitæ serie absque dubio rectum sit,* S. Mummolini *natale tempus circa exiens sæculum* VI *ablegetur oportet. Hunc vero*

B *Sanctum ex tam nobili stirpe prognatum fuisse, ut* originalem nativitatis suæ lineam *coram Clotario II* reticuerit, ne recensendo prosapiam suam quolibet superbiæ fastu moveretur, *ex ejus Vitis Mss. colligere est. Ex iisdem fontibus novimus et ex Iperio eum sub S. Eustasio Luxoviensis monasterii abbate, Sanctique Columbani discipulo, vitam monasticam duxisse, atque adeo religiosæ vitæ ejus exordium statui debere aliquandiu ante annum* 625, *quo S. Eustasius, uti in hujus Vita* (d) *videre est, e vivis excessit. Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (e) *partim ex conjectura, partim nitens Vitis* SS. Mummolini, *Audomari et Bertini, affixit hoc exordium fini S. Eustasii vitæ; equidem animadvertens S. Bertinum Luxovium venisse, cum puer esset, nihil video quod obstet quin annus circiter* 614 SS. Mummolini, *Bertini et Ebertramni disciplinæ assignetur: atque his admissis nihil occurret, quod non tantum non pugnet cum S. Bertini Vitis et Iperii Chronico, verum etiam quod consonum non sit Vitæ* S. Mummolini, *ubi sic ad Clotarium II ipse* S. Mummolinus *loquitur:* A puero..... regularem sub sancto Eustasio abbate percurri vitam. *Quamdiu vero illic manserit Sanctus noster cum sociis,*

C *incertum est; ut ne ab his, quæ in* S. Mummolini *Vita innuuntur, discedamus, sufficit ut eos Luxovio aliquamdiu ante annum* 628 *deducamus. Atque hic loci duo notanda: sunt prius scilicet, e tonsura bicorni aut hibernica, quacum* S. Mummolinus *in imagine ad calcem Commentarii edenda, depingitur, plurimum confirmari ejus commorationem Luxoviensem, et disciplinam moresque ecclesiasticos illic auditos atque susceptos; alterum, quod notatu dignum quoque est, S. Audomarum, quem jam nominavi et sæpius nominabo, eodem tempore, quo* S. Mummolinus, *Luxovii versatum fuisse, ut liquet ex ejus Vita ad* IV *Septembris edita, et ex prævio Commentario Stiltingi* (f); *et proinde in quibusdam de* S. Mummolino *Officiis recte dici* SS. Mummolinum, *Bertinum et Bertrannum seu Ebertramnum contubernales fuisse S. Audomari, Luxovii degentis.*

Venit S. Mummolinus cum SS. Ebertramno et Bertino ad Clotarium II ante annum 628, et ad S. Audomarum circa annum 640,

15 *Verum jam hic adest unus e præcipuis, quibus* S. Mummolini *gesta intricantur nodis: quæritur nempe, quo tempore* S. Mummolinus *cum sodalibus Bertino et Ebertramno Luxovium reliquerit; utrum, relicto Luxovio, recta tetenderit ad S. Audomarum, an vero aliquandiu ante in Galliis concionatus fuerit* D *et in aula Clotarii II versatus; et tertio demum, an post navatam S. Audomaro operam et condita Vetus et Sithivense in Morinorum pago monasteria, in aula Clotarii III degerit. Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (g) *responsum dedit ad triplex id quæsitum, statuitque, ut paucis ejus sententiam ex notis marginalibus explicem, Luxovio* Bertinum cum Mummolino et Ebertramno non ad prædicandum per totam Galliam, ut perperam aliqui scribunt,..... nec tempore Chlotarii III, neque etiam Chlotarii II egressum esse, sed vocatum verisimiliter a S. Audomaro, ad quem cum sociis venit circa annum 638 aut 640: *unde habemus, auctore Stiltingo, cui Ghesquierus consensit, Sanctum* Mummolinum *anno circiter* 640 *Luxovium deseruisse, et recta perrexisse ad S. Audomarum; et quod ad tertium quæsitum pertinet, censet ibidem idem hagiographus Sanctum nostrum post duplex conditum monasterium in aula Clotarii III versatum esse. Equidem, cum horum assertorum probationes inquiro, invenio recte demonstratum adversus compilatorem anonymum Vitæ S. Bertini* (h), *pertinentem ad sæculum* XIII (i), *quod si* S. Mummolinus *versatus* E *sit in aula Clotarii III, eum non continuo, postquam egressus esset Luxovio, tetendisse ad hanc aulam, quandoquidem Clotarius ille anno tantum* 655 *aut sequenti regnum adeptus est, dum scilicet aliquot jam annos in Veteri Sithivensique monasteriis degisset Beatus noster Confessor; at frustra plura, quæ de reliquis quæstionibus probata sint, ibidem investigo.*

ut aperte habent ejus Vitæ Mss. et Iperius,

16 *Ast anonymi illius compilatoris nihil officit, quin adhærere possimus antiquissimis de* Mummolino *monumentis, seu etiam Chronico Iperii, qui eis consentaneus est. Hic autem:* Specialiter, *inquit* (k), Sancti Bertinus, Mommolinus et Bertrannus, tres viri cultores Sanctæ Trinitatis, talentum Domini nolentes abscondere, vel sine lucro reportare, de Luxovio Burgundiæ monasterio venerunt in Franciam, verbum vitæ seminantes, et a rege Clothario sunt honorifice recepti, ac intra palatium regis cum summa diligentia subrogati. *Quæ verba quam erronee Ghesquierus* (l) *ab Iperio relata crediderit ad regnum Clotarii III, manifestum fit ex his, quæ in eadem jam pridem notaverat Stiltingus* (m): Quæ anonymus *compilator Vitæ S. Bertini, inquit,* facta dicit sub Chlotario III, id est, multo serius quam ut sint verisimilia; hic *(Iperius)* sub F Chlotario II ponit; *et quidem Sam-Bertinianus chronologus ita ad Clotarii II tempora vergit, ut ad ejusdem regis imperium referat* ipsam etiam, *ut loquitur Stiltingus* (n), traditionem Adroaldi, quæ facta est anno 648, *quamque ille* mox tamquam anno 626 factam collocat. *De hac autem donatione quæ Sithivensi cœnobio initium dedit, dicetur inferius. Pergit autem Iperius, dicta sua potissimum ex* S. Mummolini *Vitis hauriens:* Post longum temporis intervallum Sanctum Audomarum tunc Morinensem episcopum, cujus compatriota atque consanguineus erat Beatus Bertinus, *adierunt* tam amore ipsius Sancti, quam quia patriæ linguam, utpote Teutonici, bene sciebant: quos Sanctus Audomarus suscipiens, suos in prædicatione statuit esse consortes. Subibant ergo officium legationis suæ labore prædicationis continuæ. *Hac usque Iperius; cujus itaque mens fuit:* S. Mummolinum, *cum sociis Luxovio egressum, divinum prædicasse verbum et ad aulam Clotarii II devenisse ante annum hujus emortualem* 628; *eos dein*

(a) Act. SS. Comment. de S. Bertino, num. 3, tom. II Sept., pag. 556. — (b) Ibid., numm. 35 et 67. — (c) Annal. Eccl. Francor. ad annum 633, § XXI. — (d) T. III Martii, p. 784. — (e) Act. SS., t. II Sept., numm. 34 et seq. — (f) Ibid., T. III Sept., p. 386, n. 14 et seqq. — (g) Ibid., t. II Sept., p. 557 et seq. — (h) Act. SS. Ord. S. Benedicti sæcul. III, part. I, p. 109. — (i) T. II Sept. p. 554. — (k) Thesaur. Anecdot. Martenne, t. III, col. 458. — (l) Act. SS. Belgii select, t. IV, p. 395. — (m) Act. SS. t. II Sept., p. 558. — (n) Ibid.

post

A post longum temporis *intervallum transiisse ad Morinensem episcopum Audomarum; ibique denuo concionibus habendis dedisse operam : unde non intelligo quo pacto stare possit hæc Stiltingi in cita Iperii verba criminatio:* Non difficulter, *inquit*, hæc refutari possunt, cum certo non venerint ante episcopatum S. Audomari, qui cœptus est sub Dagoberto et quidem circa finem vitæ Dagoberti, ut plerique existimant..... Quare propius ad verum accedit, quod ante dixerat Iperius part. II, Bertinum venisse in has occiduas Flandriæ partes (*ad S. Audomarum*) tempore Severini summi Pontificis, cujus pontificatus totus anno 640 innectitur a Pagio. Cointius ad annum circiter 639 eorum adventum collocat, quod item longe a vero abesse existimo. *Ego vero nil video, quomodo secum ipse pugnet Iperius, cum* S. Mummolinum *ante annum* 628 *ad Clotarium II, et dein* post longum temporis intervallum, *seu anno* 640 sub pontificatu Severini *ad S. Audomarum ducit.*

atiis frustra aliam chronotaxim nectentibus :

17 *Quocirca nullam adesse rationem reor, quare repudianda foret* S. Mummolini *in Galliis et apud Clotarium II prædicatio, adstructa ab Iperio et in*

B *omnibus* S. Mummolini *Vitis; neque proin eam eradendam esse, ut eam reapse eraserunt ex Officio hujus Sancti, qui Breviarium Sant-Audomarense anni* 1785, *et Atrebatense anni* 1817, *hac in re Sant-Audomarensi simile, concinnaverunt, sic* S. Mummolinum *laudantes: (Luxovii)* mox adeo virtutibus suis claruit, ut ad sacerdotium fuerit evectus, et ad ministerium Euangelii omnium votis destinatus. Jam prædicandi Euangelii causa cum sociis suis erat profecturus ad Rhenum, cum statim mutato consilio iisdem comitantibus ad Sanctum Audomarum Tervannorum episcopum ire decrevit. Ab eo benigne exceptus..... *Licet Stiltingi auctoritas ad hæc conscribenda nonnihil forte valuerit, abest tamen quin in omnibus eis consentaneus sit: quid enim senserit de prædicatione* S. Mummolini *et sociorum sequentibus explanat in laudato Commentario de S. Bertino :* Nihil credimus, *inquit*, de adventu Sanctorum illorum ad Clotarium aut ad ejus aulam, nihil de discipulis, qui se eis junxissent, priusquam ad S. Audomarum pervenerant. Verumtamen, cum scriptores ordinem rerum sæpe perturbent, fortasse S. Mummolinus vocatus fuerit ad aulam Clotarii III, an-

C tequam creatus est episcopus Noviodunensis : quæ autem dicuntur de prædicatione, et de discipulis ad Sanctos hosce confluentibus, verissima sunt, si facta credamus eo tempore, quo populum pagi Morinensis cum S. Audomaro excolebant ; atque eo etiam tempore quidam e proceribus palatinis ad eos subinde venire poterant. *Quibus suspicionibus ita suffragatur Ghesquierus* (*a*), *ut tamen eas aliunde confirmatas vellet. Verum præterquam quod historica monumenta, quæ manifesta fraude non laborant, (qualia sunt* S. Mummolini *Vitæ,) incertis conjecturis prævalere debent, equidem non reperio aptum temporis intervallum, quo* S. Mummolinus *versari potuisset aliquandiu in Clotarii III aula, postquam circa annum* 640 *ad S. Audomarum venisset : ut lector ipse facile intelliget, cum ad alia ejus gesta stylum transtulerimus. Atque ex his manifestum satis est, quid ad tria quæsita, num.* 15 *proposita, respondendum esse ducam : aliquanto scilicet tempore annum* 628, *quo Clotarius obiisse vulgo statuitur, Luxovio egressus erit* S. Mummolinus ; *cum vero euangelizandi munus perbene obiret, aliisque præcelleret dotibus, in aulam suam et familiaritatem, quin etiam in sigilli sui custodiam eum evocaverit Clotarius II ; quo demortuo, adhuc decem* D *aut duodecim circiter annos verbum Dei populo prædicaverit, donec circa annum* 638 *aut* 640 *perrexit in diœcesim Morinensem ad S. Audomarum; a quo cum ipse et sui socii benigne suscepti fuissent*, subierint, *ut loquitur secunda Vita S. Bertini a Stiltingo edita*, officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.

quoniam neque gravis S. Bertini senectus, neque brevitas Luxoviensis commorationis nihil hic probare valent.

18 *Huic chronotaxi binæ tantum opponi posse argumentationes videntur : prior est, biographos S. Bertini, qui ejus annum emortualem assignare tentarunt, statuisse eum vita functum esse anno* XV *regni Childeberti, qui annus Christi* 709 *est; Stiltingum* (*b*), *auctoritati Folquini, Sam-Bertinianas chartas perlustrati, innitentem, eamdem sententiam* (*cui libenter ipsi subscribimus*) *probasse; atque inde consequens fieri S. Bertinum annos circiter* 109 *vixisse, cum eum ante annum* 628 *in aula Clotarii II cum* S. Mummolino *versatum fuisse dicamus, atque tum ei* 25 *aut plures anni ætatis assignandi sint : porro si displiceat consequens, displicere quoque oportere propositiones præmissas, quarum una est hæc ipsa in aula Clotarii II commoratio. Verum antiquiores historici omnes in longævitate S. Bertini,* E *quem* 112 *annos vixisse volunt, adstruenda consonant, ut in sæpius laudato Stiltingi Commentario* (*c*) *late videre est ; atque ipse* § XII *ad finem sic concludit :* Solum de ætate mihi dixisse sufficiet, Sanctum vixisse usque ad ætatem omnino decrepitam, quæ a centum annis non longe abesse potest, et hosce etiam superare : defunctum vero esse annis fere septuaginta post primum adventum ad Sanctum Audomarum et constructionem primi monasterii. *Quibus si addas tanta senectute involutum fuisse S. Bertinum, ut Rigoberto, et dein Erlefrido vicariis in regimine usus fuerit, non jam erit cur displiceat ætas* 109 *circiter annorum. Altera, quæ præmissæ chronotaxi opponi posset argumentatio, ex eo petitur, quod brevius tum foret tempus, quod* S. Mummolinus *cum sociis versatus fuisset Luxovii, ubi sanctis disciplinis vacasse videntur. Simile quid innuit Stiltingus* (*d*), *culpans Cointium, quod intra sexennium eorum Luxoviensem commorationem circumscripsit, atque hoc proponit argumentum :* Sane tempus sex annorum, quo se in monasterio pararent, justo brevius apparet, cum verisimile sit Bertinum aliosque juvenes fuisse, quando Luxovium venerunt. *Verum animadver-* F *tendum est id temporis monachos, Anglos saltem et Hibernos, ineunte juventa sacro diaconatui initiatos esse ; cujus assertionis testis est ipse Venerabilis Beda, anno* 19 *ætatis diaconus factus, et anno* 30 *presbyter. Cum itaque Luxovio exierunt, potuit solus* S. Mummolinus, *maximus natu, sacerdos fuisse, Sancti vero Bertinus et Ebertramnus tantum diaconi. Cæterum viros apostolicos adjuvare, nonne laudabilis ad sacerdotium præparatio? Præterea de S. Bertini sacerdotio mentio tantum fit, cum jam aliquandiu monasterio Silhivensi præfuisset. Cæterum sex illi a Cointio excogitati anni, facile duplo aut triplo auctiores fieri possunt, quin ulla turbatio chronotaxi nostræ invehatur, cum* S. Mummolinus, *ut ipse in sua Vita Clotario narrat, et S. Bertinus, ut ex gestis ejus satis quoque elucet, a prima pueritia aut certe adolescentia Luxovium incoluerunt; quo si advenerint anno* 614, *sufficiens superest intervallum antequam Clotarius II diem obierit. Sed de his satis : jam ad reliqua* S. Mummolini *gesta progredimur.*

19 *Quæ ad finem num.* 17 *memorata fuit prædicatio*, parvum *tantum* temporis spatium *duraverit*

(*a*) Act. SS. Belgii sel., t. IV, p. 396, num. 5. — (*b*) Act. SS., t. II Sept., p. 580. — (*c*) Ibid., p. 579. — (*d*) Ibid., p. 557.

oportet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Postquam in agro Morinensi aliquod tempus concionatus est S. Mummolinus, circa annum 640 condit Vetus monasterium,*

oportet. Antiquissima enim Vita S. Bertini (*a*) *hæc testatur :* Sanctus vero Audomarus prædictos Dei famulos gratifice recepit, immensasque omnipotenti Domino gratias agens, qui tales sibi ad prædicandum euangelium adjutores deduxit. Erant enim præfati viri in fide perfecti catholica, et in ecclesiasticis disciplinis, atque in divina Scriptura eruditi, *quas nempe primum, ut notavit Ghesquierus* (*b*), *sub S. Eustasio abbate Luxoviensi, et uno aut altero forte dein anno sub Walberto S. Eustasii successore discere potuerant. Porro sic pergit S. Bertini biographus :* Parvo post hæc temporis spatio transacto, S. Audomarus cum prædictis viris, divina stimulante gratia, monasterium cogitavit in Dei fundare nomine. Ad habitandum enim monachis, divina sibi largiente misericordia, locum habebat aptum... Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis, ut monachorum habitaculum ædificarent, ubicumque illis in prædicta placuisset villa. Sancti igitur viri Mummolinus atque Bertinus cum cæteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare cœperunt, quod usque hodie

B Vetus vocatur monasterium. *Ex Iperio vero* parvum *illud* temporis spatium *intra unius anni limites concludendum est, siquidem* (*c*) *S. Bertini* adventum in occiduas Flandriæ partes, *et* (*d*) *constructionem Veteris monasterii pontificatui Severini, qui tantum anno quadragesimo post sexcentesimum Romæ sedit, assignet : quod Stiltingus in Commentario* (*e*) *de S. Bertino libenter admittit. Verum cum idem hagiographus* S. Mummolini *adventum anno circiter* 638 *aut* 640 *affixerit, magis vagum reliquit tempus, quod* S. Mummolinus *extra Vetus monasterium populo docendo impenderit. Et quidem cum Iperius frequenter in annis hæsitet atque adeo erret, et præter ejus testimonium nulla ratio me ad dissentiendum a Stiltingo impellat, libenter subscribo hujus calculo, bonis rationibus stipato.*

in quod abbatis titulum non gessisse videtur,

20 *Porro vetus monasterium, circa annum* 640 *exstructum, uno circiter milliari ab Audomaropoli exstitit usque ad annum* 1497, *quo simul cum suis officinis inter bella Gallorum atque Anglorum combustum fuit. Constabat autem illud asceterium ex ædicula et cella, ut habet Iperius ; et sæculo* XIII *in Vita S. Thomæ Cantuariensis, illuc profugi, quam scribi jussit Gregorius Papa XI et Chistianus Lupus edidit, vocabatur* (*f*) locus abditus, aquis se-

C ptus, qui ab incolis dicitur Aldemunster, quondam scilicet eremitorium Confessoris Bertini ; *et similiter ab Iperio in Chronico sæculo* XIV *nuncupabatur* quasi eremitorium. *Atque huic per S. Audomarum præpositus fuit* S. Mummolinus, ac verisimiliter idcirco, *inquit Ghesquierus*, quod duobus sociis præfuisset a tempore, quo ex Luxoviensi monasterio simul discesserant, iisque esset et ætate et vita monastica senior. Censet tamen Stiltingus, Mummolino, tametsi superior et quasi pater aliorum esset, non tamen abbatis titulum fuisse concessum. *Attamen laudatus hagiographus hunc abbatis titulum* S. Mummolino, *in Veteri monasterio degenti, raptim tantum sine argumentis num.* 67 *sæpe citati Commentarii negavit ; quare auxiliariam manum protendens, Ghesquierus hæc confirmavit scribens :* Quod facile crediderim, cum nuspiam hunc titulum Sancto nostro in Veteri monasterio degenti concessum inveniam.

21 *Equidem aliis argumentis inductus*, S. Mummolino *in Veteri monasterio versanti abbatis titulum denegandum esse autumo. Primo enim, non sine ratione Iperius Vetus monasterium nuncupavit* eremitorium ; *nam in Vita* S. Mummolini, *quam antiquissimam habemus, hæc occurrunt :* Postquam vero aliquantulo temporis spatio sancti athletæ Mommolini sanctorumque sociorum Bertini videlicet atque Bertranni jocundissima confortatus est consocietate, (*S. Audomarus*) VOLENS EOS ULTERIUS AB INVICEM SEPARARI in eadem, quam ei Adrawaldus dederat hæreditate, ad libitum suum cœnobiale fratrum concessit eis monasterium ædificare. *Jam vero viris eremiticam vitam agentibus, aut* a se invicem separatis, *non abbas aliquis, sed vix superior necessarius erat. Secundo, omnes* S. Mummolini *Vitæ, quæ clare atque manifeste duplicis monasterii meminerunt, similiter antiquissima Vita S. Bertini, aperte innuunt, novam præposituram* S. Mummolino *collatam fuisse in Sithivensi monasterio ; cum hæc aut similia asserunt :* Confluentibus undique religiosis viris ad prædictos Dei famulos, Beatus Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum. *Unde* E *consequens est, antea* S. Mummolino *abbatialem non fuisse potestatem, quæ tum solebat esse perpetua. Tertio, in charta traditionis Adroaldi, quæ integra legi potest apud Stiltingum* (*g*), *apud Miræum* (*h*), *in Gallia Christiana* (*i*), *apud Cointium* (*k*), *apud Brequigny* (*l*), *qui eam publicavit partim ex autographo, partim ex chartulario* X *sæculi* (*m*), *apud Cl. Guerard ex eodem chartulario* (*n*), *et cujus pars edita est in Dissertatione de origine monasterii S. Bertini* (*o*), *et in ejusdem operis confutatione* (*p*), *hoc exordium exstat :* Dominis sanctis patribus * Bertino, Mommoleno, Ebertrando, ego in Dei nomine Adroaldus, *etc. Novi quidem vulgo consentire criticos in hoc exordio a Folcuino corrupto dicendo,* (*nam initium autographo* (*q*) *deest*) *eosque statuere* Mommolinum *ante* Bertinum *legendum ; verum id quoque persuasum esse debet monachos Sam-Bertinianos numquam immutaturos fuisse hoc pacto hujus chartæ initium, si ullo titulo* S. Mummolinus *a sociis distinctus fuisset. Quis vero crediderit omnem titulum abfuturum fuisse, si* S. Mummolinus *gestasset abbatiale pedum, cum hoc confectum est diploma, scilicet priusquam ad Sithivense monasterium transmigrasset? Ex his præterea* F *intelligitur Vetus monasterium istis temporibus habitaculum tenuissimi momenti fuisse.*

D *ut triplici argumento explicatur ;*

* *alii legunt* presbyteris ; *sed male*

22 *Cum Stiltingo num.* 53 redeo ad ordinem gestorum :... In eo loco paucis morantes annis, octo forsan aut decem, non vero annis quatuordecim, quantum apparet, divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum. Ratio mutandi loci fuit, quod crescente monachorum numero, prior locus nimis esset angustus ; quodque Adroaldus jam permotus esset a S. Audomaro, ut bona sua sineret impendi, novaque donatione traderet ad monasterium istud (*Sithivense*) ædificandum ac censu congruo stabiliendum. *Cum vero de eligendo apto loco ageretur, Dei numini negotium creditum fuisse narrant tres* S. Mummolini *Vitæ, quæ in lectiones distributæ non sunt ; tres vero aliæ, quæ divini Officii pars fuerunt, narrationem hanc omittunt ; quæ omissio an simpliciter brevitatis causa obtineat, definire non audeo. Atta-*

octo aut decem annis post, Deo duce, ut quidam voluere,

(*a*) Act. SS., t. II Sept., p. 587. — (*b*) Act. SS. Belgii select., t. IV, p. 395. — (*c*) Thesaur. Anecdot. Martenne, t. III, col. 451, cap. I, part. II. — (*d*) Ibid., col. 458 et seq., cap. I, part. VI. — (*e*) Act. SS., t. II Sept., p. 559, num. 48. — (*f*) Christ. Lupi Oper. Omn., t. X, p. 24, lib. II, cap. V. — (*g*) Act. SS., t. II Sept., p. 560. — (*h*) Lib. I Donation. piar., cap. III. — (*i*) T. III, col. 109, inter instrumenta. — (*k*) Annal. Eccles. Francor. ad annum 648, § XXX. — (*l*) Diplomata, etc., ad res Franciscas spectantia. t. I, num. CXII, p. 203. — (*m*) Ibid. prolegomen., p. LXXII et seq. — (*n*) Cartulaire de l'abbaye de S. Bertin, p. 18. — (*o*) Dissertat. hist. et crit. sur l'orig. de l'abb. de S. Bertin, p. 3 et seq. — (*p*) Vérité de l'hist. de l'Église de S. Omer, p. 77. — (*q*) Brequigny et du Theil Proleg. LXXIII.

A *men hæc eadem narratio occurrit in Vita antiquissima S. Bertini, aut (quod idem est, quoniam Vita S. Bertini illigabatur Vitæ S. Audomari) in Vita S. Audomari, et verba Vitæ* S. Mummolini *eadem hic fere sunt ac in Vita SS. Audomari et Bertini; unde patet hanc laciniam ex una in alteram relatam fuisse. Præterea in Proludiis quæ ex codice Sant-Audomarensi præmisit Cl. Guerard Sithivensi chartulario, et in quibus SS. Bertinus et Ebertramnus* S. Mummolini subjugales *perhibentur, hæc concinuntur :*

Angelico remigio
Ductus est huc navigio;
Adversos fluctus superat,
Ad locum quando properat
Bertinus, quem elegerat
Dei Providentia.

Quo vero tempore Sithivense monasterium constructum fuisse censendum sit, ex præmissis liquet : Veteris enim monasterii constructionem cum Stiltingo ad annum 640 *retulimus; cui tempori si octo*
B *aut decem superaddantur anni, quos in Veteri monasterio commorati fuerint* S. Mummolinus *et socii, annus* 648, *aut* 650 *assignandus erit, ut tempus quo Sithivense monasterium, dein monasterium S. Bertini nuncupatum, inchoatum erit. Hæc chronotaxis discedit a supputatione, quam Mabillonius et Cointius secuti sunt; quin etiam a calculo Auctarii Sithivensis Chronici Sigiberti Gemblacensis, ubi fundatio hujus monasterii ad annum* 640 (*a*) *refertur, et ab ordine temporum assignato ab Iperio,* (*si annos spectes,*) *qui Vetus monasterium anno* 626, *Sithivense anno* 640 *ædificatum fuisse statuit; quibus addendi sunt Cl. V. Emmanuel Wallet ejusque socii, qui, anno* 1834 pristinæ Abbatiæ S. Bertini descriptionem *publici juris facientes, Iperio adhæserunt. Verum variæ hæ chronotaxes ita a Stiltingo dirutæ fuerunt in suo de S. Bertino Commentario, ut nonnemo forsan mirabitur eas resuscitatas fuisse a perdoctis viris, qui hac Stiltingi lucubratione usos se fuisse testantur* (*b*). *Attamen excusationem eruere eis licet ex laudibus, quas Martennius, Iperii editor, hujus annalistæ Chronico præfixit; sed laudes illas exaggeratas esse, et Iperium in annis continuo errare, quoniam male annos*
C *Christi cum annis regum componeret,* § III *citati Commentarii patefecit laudatus hagiographus. Verumtamen, quod errores Iperii multum minuit, plerumque juxta annos alias notas chronologicas ponit. Cujus rei specimen superius jam dedimus; en aliud simile, quo proposita a nobis chronotaxis non nihil firmatur; parte scilicet* VI, *cap.* I § 3 (*c*) *annectit Iperius* S. Mummolini *ad Sithivense monasterium adventum tempori, quo* præsidebat tunc Ecclesiæ Dei Martinus Papa primus. *Verum hic non ab anno* 640 *sedit, sed, ut in Propylæo Maii* (*d*) *videre est, anno tantum* 649 *ordinatus fuit. Quod mirum est, Martennius in notis mutat pontificum et regum nomina, ut numeros annorum, absque dubio perversos, servet intactos.*

condit Sithivense monasterium in loco, qui, qualis tunc esset, hic describitur ex recenti opere de abbatia S. Bertini,

23 *Rationem vero mutandi loci assignavit superius Stiltingus ex* (*e*) *Iperio, et sæpe citatis SS. Audomari, Bertini et* Mummolini *biographis, dicens eam Veteris monasterii angustias fuisse pro numero confluentium monachorum. Aliam præterea, inter multa scitu digna, assignant prælaudati abbatiæ S. Bertini descriptores : qui cum plerique indigenæ et antiquitatis studio polleant, in pretio habenda sunt eorum dicta; quæ ita latina facio* (*f*) : D Mummolinus, Bertinus et Bertrandus prius sedem suam fixerunt in colle, qui inter monthes Sithiu et Watten ad latus fluvii Agnionis (*gallice* Aa) assurgit, atque etiamnum tumulus seu clivus S. Mummolini (*Motte de St. Mommelin*) audit. Quod ibi fundaverunt eremitorium, brevi in monasterium excrevit. Monachorum multitudo atque loci insalubritas coegerunt S. Bertinum ejusque socios aptiorem sibi quærere sedem; cujus electionem crediderunt Dei providentiæ. Navicula eorum temere sulcabat stagnum, aquis Agnionis, quas maris fluctus refundebant atque propulsabant, impletum. Erat autem hoc stagnum pristini Sithivensis sinus reliquiæ et imago. Cum enim Agnionis alluvio et palustrium silvestriumque germinum putrida agglomeratio (*tourbes*) hujus sinus fundum altius eduxissent, perrexit fluminis cursus verberari æstu maris, terras per fretum Watten ultra montem Sithiu incurrentis. Qui rerum status duravit donec cataractæ ad mare sunt constructæ, et fluvius Agnio ejusque brachia in canalem versa sunt. Antequam vero Agnionis alveus hydraulico opere E immutatus fuisset, serpebat ille fluvius aut rivus in valle Arquensi et in plura dividebatur brachia, quibus nomen erat Meldick. Ad vallis fauces confluebant hi rivuli, et ad collem Sithiu, inter paludes, quibus hodiernum nomen de Lizel atque de Magdalena est, prolabebantur. Ad extremum hunc collem aut linguam, rectum cursum rumpebat Agnio, denuo discerpebatur in plures rivulos qui, paludibus de Lizel et Alti-Pontis dissectis, prope hodiernum S. Mummolini fanum aquas iterum miscebant suas. Circa eumdem locum (*ad Collem Sithiu*) affluebat in Agnionem rivulus, hodie S. Clara dictus, aquas devehens exiguarum vallium, quæ inter montes a S. Michaele et *des Cravates* nuncupatos jacent. Verisimile est S. Bertini naviculam hæsisse, et sæculo VII pristinum Sithivense templum ædificatum fuisse in interno angulo horum confluentium, in æstuario aut aggestu limi, locum refluæ aquæ occupante, atque naviculam vi æstus stetisse.

quod, utut egregium, nævos tamen aliquot admisit.

24 *Egregiis his topographicis disquisitionibus unum alterumve adspersum errorem non corrigere mihi nefas est. Fieri non potest ut eremitorium a* S. Mummolino *exstructum suis temporibus atque brevi in monasterium excreverit; sed id tardius factum sit oportet. Nam præter ea quæ num.* 20 *hac de re jam diximus, hæc aut similia fundationi monasterii Sithivensis, non Veteris, quinque* S. Mummolini *Vitæ subdunt :* Beatus Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum; SIQUIDEM EX EO TEMPORE INITIUM PARVÆ RELIGIONIS SUMPSIT. *Unde colligitur* Vetus monasterium *non ideo hoc sortitum esse nomen, quod tempore* S. Mummolini *jam monasterium proprie dictum, et non* quasi eremitorium *foret; sed quod* vetus *habitatio esset Sithivensis monasterii fundatorum. Quæ, si expendantur litteræ donationis Adroaldi, de quibus dictum jam est, non nihil confirmari queunt. Alter error in eo est, quod Bertino, non* Mummolino, *ut reliquorum præposito, Sithivensis monasterii construendi cura assignari videtur. Petitur hic error ex Iperio, recentiores S. Bertini biographos secuto, quos omnes late jam castigavit Stiltingus. Quæ vero de insalubritate Veteris monasterii, in rationem mutandæ sedis assignata asseruntur, nescio num strictum patiantur examen. Nam*

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 442. — (*b*) Description de l'abbaye de S. Omer, p. 6. — (*c*) Thesaur. Monument. Martenne, t. III, col. 460 — (*d*) p. 100. — (*e*) Act. SS., t. II Sept., p. 561, n. 53. — (*f*) Vide p. 6 et seq. et 14.

ex

A *ex ipsa præmissa descriptione loci, ubi Sithivense monasterium conditum fuit, liquet hunc locum tam malignis vaporibus obnoxium fuisse quam Vetus monasterium, in clivo positum. Constat præterea monachos olim non semper salubrium locorum fuisse sollicitos : nam quid hac de re sentiret S. Bernardus, monachos suos ægrotare gaudens, ex obviis hujus Sancti Vitis innotescit. Verum hæ noxulæ facile redimuntur topographicis vere doctis annotationibus, quibus imprimis intelligitur, quomodo navicula adversum fluvium subire potuerit (inferius est enim Vetus monasterium), quin remigio aut velis opus fuerit : præ maris æstu scilicet id factum fuisse liquet.*

In Sithivensi S. Petri, dein S. Bertini, monasterio sancte cum suis sociis vivit Mummolinus;

25 *Cum itaque* S. Mummolinus *ad locum, ubi brevi monasterium de Sithiu et postmodum juxta illud Audomaropolis surrexit, pervenisset, sensit necesse esse hunc locum altius educere, et aggestum arenæ limique operoso labore adaugere. Hæc saltem inter alias sat bene fundatas suspiciones, conjiciunt Sam-Bertiniani descriptores. Prout Adroaldus in charta amplissimæ suæ donationis jusserat, exstructo monasterio impositum est nomen* S. Petri principis

B Apostolorum; *quod deinceps post mortem S. Bertini, in nomen hujus Sancti, quo jubente templum ædificatum fuerat, et cujus præcipue Reliquiæ illic servabantur, mutatum fuit. Porro ita loquitur Ghesquierus,* « in hoc Sithiensi S. Petri cœnobio fer- » vebat, *uti Cointius* (*a*) *refert,* sacræ religionis » cultus sub abbate Mummolino, cujus disciplinæ numerus monachorum haud parvus se jam » addixerat. » Dies hic, *prout e manuscripta* S. Mummolini *Vita collegit Malbrancquius* (*b*), partim psalmodia piisve commentationibus, partim codicibus evolvendis transigebatur. Quæ refocillando corpori alimenta tempusve insumebantur, erant perexigua : mensa sæpius nullo pene obsonio condita, quandoque nil nisi extrema vitæ subsidia panem et aquam cernebat. Non quod facultates facultasve se pinguius habendi deessent, (quippe affatim jam vidimus sese Adroaldi munificentiam effundentem); sed cum rigidæ disciplinæ essent principia posituri, hujusmodi abstinentiam sibi imperabant : necnon etiam toti pauperum et peregrinorum alimoniæ studentes, sua sibi detrahebant. *His subdit Malbrancquius eamdem Vitam stylo suo reddens :* Post longas inedias

C (Mummolinus) novam adinvenit stomachum exsaturandi rationem, pane scilicet ordeaceo, eoque cinere commixto et aqua lacrymis temperata. Egenis non solum manu divite, sed etiam medica mirifice profuit; sive eum purulenti, sive gravioribus aliis ægritudinibus detenti accederent, primum in genua procumbere, utramque salutem homini ardentissimis precibus implorare, dein curare ulcera protinusque persanare; sic ut certior foret quisque notis inemptisque remediis, quam in medicorum fide iniquissimam mercedem ex supervacanea curationis mora captantium. Nec vero euangelicum opus abjecere; ac præsertim Mommolinus : ea enim mens erat Audomari (qui hominem ad altiorem ecclesiæ gradum præsagiebat quodammodo evehendum) ut ad vicinum maxime, quem quasi e cunis susceperat, gregem corroborandum excurreret. *Hactenus Ghesquierus ex Malbrancquio; cui an* S. Mummolini *Vita similis illis, quæ aut apud nos aut in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi exstant, an vero alia præluxerit, non habeo quod edisseram. Utut sit, probabilis mihi est memorata superius ab eo solers codicum lectio; nam licet de hæc lectione Vitæ mihi cognitæ omnino silent, vivendi norma, quam Luxovii secutus erat* S. Mommolinus, *plurima in promovendis studiis erat.*

D

vitam apostolicam cum cœnobitica conjungens sub regula S. Columbani.

26 *Cæterum Malbrancquii dicta ad tempus illud respiciunt, quo* Mummolinus *cum sociis evangelicum opus potissimum navabat, et ad Audomari gregem erudiendum ac corroborandum excurrebat frequens; nam uti Cointius* (*c*) *recte observat :* Condito.... cœnobio, vicum hi Sithuensem cum sociis incoluerunt præcipue, sed evangelium per totam diœcesim Morinensem annuntiare non destiterunt. *Hæc scilicet facile ex* S. Mummolini *Vitis erui possunt, cum hæc præcipua S. Audomari mens in eis advocandis aut admittendis fuerit, neque Luxoviensis regulæ institutum, quod sine dubio sequebantur, sacro ministerio repugnaret, quin potius omnino ei faveret, ut bene noverunt eruditi potissimum ex Vita S. Eustasii. Quod vero Luxoviensem seu S. Columbani regulam memini, non est cur disputem, quamdiu hæc in Sithivensi monasterio in usu fuerit; nihil hac de re tradit Iperius, aliusve mihi notus. Controversia vero de tempore, quo S. Columbani* E *regula cum regula S. Benedicti prorsus confusa est, atque alia hujusmodi notiora sunt, quam ut ea latius commemoremus. Notabile tamen est tonsuram S. Bertini, cujus vetustissima, non tamen coæva, imago a Mabillonio in annalibus ad annum* 675 § LVI *edita fuit, Benedictinam aut Romanam esse, non Luxoviensem aut Scoticam, qualem ibidem gestat* S. Mummolinus.

Abbas Sithivensis fuit S. Mummolinus,

27 *Neque dubitavimus ubique istis gerendis præponere* S. Mummolinum, *cum ejus Vitæ omnes, non secus ac Vita antiquior S. Bertini,* nemini, *ut loquitur Ghesquierus* (*d*), suspecta, *similiter altera S. Bertini, et plures Vitæ S. Audomari, citatæ in commentario canonicorum Sant-Audomarensium* (*e*) *et a Stiltingo* (*f*), *atque adeo Officium* S. Mummolini (*g*), *anno* 1723 *in usum Sam-Bertinianensium typis editum, in id adstruendo consonent; præterea in privilegio Clodovei, anno* 691 *concesso (infra id edemus) vocatur* S. Mummolinus antecessor S. Bertini. *Quocirca Ghesquierus, qui satis tamen habuit* S. Mummolini *solummodo et antiquiorem S. Bertini Vitam citare, fatetur* (*h*) *se non satis mirari posse, Mabillonium et Dionysium Sammarthanum, (quibus auctor dissertationis de origine abbatiæ S.* F *Bertini* (*i*), *et nuper Cl. V. Guerard in Chartulario Sancti Bertini* (*k*) *adhæserunt*), S. Mummolino *abjudicasse præfecturam Sithivensis monasterii, eique forte liberalius quam par est, tribuisse abbatialem dignitatem, cum Veteri præsset monasterio seu eremitorio.* « *Unum hic, ut disserere pergit Ghesquierus,* » *suffecerit Mabillonium de abbatiali* S. Mummolini « *dignitate loquentem audire :* Veteri monasterio, » *inquit* (*l*), præfectus abbas Mummolenus, seu » Mummolinus, novo Sithiensi monasterio Bertini » nus : quæ res non satis animadversa auctores in » varias distraxit sententias, aliis Mummolinum » abbatem Bertino præferentibus, aliis postpo- » nentibus, aliis denique ex albo Sithiensium ab- » batum omnino expungentibus, ut primum Ber- » tino locum tribuant. Mummolinus itaque abbas » fuit primus imo et unicus Veteris-monasterii, » quod nomen S. Mummolini hactenus retinet; » Bertinus novi post annos quatuordecim a con- » structione Veteris-monasterii; cum scilicet » Mummolinus defuncto S. Eligio in sedem No-

(*a*) Annal. Eccles. Francor. ad. annum 652, § VI. — (*b*) De Morinis, tom. I, p. 327. — (*c*) Annal. Eccles. Franc. ad annum 652, § VI. — (*d*) Act., SS. Belgii Select., tom. IV, p. 399. — (*e*) Vérité de l'hist. de l'église de S. Omer, p. 4 et 15. — (*f*) Act. SS., tom. III Sept., p. 399 et 409. — (*g*) Vérité de l'hist. de l'Eglise de S. Omer, p. 46. — (*h*) Act. SS. Belgii Select., tom. IV, p. 399. — (*i*) Dissert. histor. sur l'orig. de l'abb. de S. Bertin, p. 45 et seqq. — (*k*) Prolegom., p. XXXIV. — (*l*) Annal. Benedict. ad annum 648, t. I, p. 401.

» viomensem

A » viomensem subrogatus est. *Eamdem esse sen-*
» *tentiam Dionysii Sammarthani, observat* (*a*) *Stil-*
» *tingus, nec inficiatur speciosam videri qualem-*
» *cumque conciliationem illam variarum opinionum;*
» *sed eam videri sibi non congruentem ullis anti-*
» *quis monumentis, imo omnibus fere repugnantem*
» *adeoque et a veritate aberrantem; id quod evincit*
» *citata pagina* (*b*), *cujus verba hic subdo:*

ut adversus antiquiores et recentiores

28 » Primo, *inquit*, huic opinioni repugnant
» Vitæ S. Audomari et S. Mummolini jam lau-
» datæ. Primæ Vitæ auctor nequit merito esse
» suspectus, quia reliquis est antiquior, et de S.
» Bertino magis scripsit quam de Mummolino;
» secundæ auctor primum fideliter secutus est,
» et nonnulla magis exposuit. Aliæ quoque S.
» Audomari Vitæ prædictis consonant, sed eas
» adducere non est necesse. Jam vero ex his
» verbis habemus, Mummolinum fuisse primum
» abbatem secundi seu Sithiensis monasterii;
» adeoque illud esse constructum diu ante an-
» num 662, cum Mummolinus ab anno 659 fue-
» rit episcopus. Secundo ipsæ Adroaldi litteræ
» satis innuunt, donationem fuisse factam, ut
B » construeretur novum monasterium Sithiense;
» sic enim habent: *Ut ibi monasterium in honore*
» *Petri, principis Apostolorum, construere debea-*
» *tis, ad conversandum monachis.* Nullus e Vitæ
» scriptoribus dixit, Vetus* monasterium fuisse
» constructum in honorem S. Petri. De novo
» igitur loquitur Adroaldus, quod in honorem S.
» Petri structum fuisse constat. Deinde vox *ibi*
» utcumque innuit, monasterium istud fuisse
» ædificandum in ipsa villa Sithiu, quam dona-
» bat Adroaldus. Præterea Vetus monasterium
» fuit angustum et numerus monachorum ibidem
» exiguus, ut colligitur ex omnibus Vitæ scri-
» ptoribus, ita ut dicat Iperius Sanctos ibi fuisse
» *quasi in eremitorio.... cum conventiculo parvo.*
» At verba Adroaldi significant, donationem
» esse factam, ut amplum ædificaretur monaste-
» rium, in quo magnus esset monachorum nu-
» merus. Hac de causa omnes Vitæ scriptores
» asserunt, undique accurrisse multos post con-
» structum monasterium Sithiense, ut ibi Deo
» servirent; non vero ante istam fundationem.

cum Stiltingo statuitur,

29 » *Ut autem magis magisque constet, Sithiense*
C » *monasterium S. Petri ædificatum fuisse ante an-*
» *num* 662, *huicque adeo præesse potuisse* S. Mum-
» molinum *contra ac volunt Mabillonius et Sam-*
» *marthanus, qui solum Veteri præfectum fuisse*
» *contendunt, visum est huc transferre documenta,*
» *quæ Stiltingus in sententiæ suæ confirmationem*
» *num.* 65 *adduxit, eumque rursus disserentem au-*
» *dire.* Tertio, *inquit*, ædificatum esse monaste-
» rium Sithiense S. Petri ante annum 662, cer-
» tissimum fit ex privilegiis eidem ante istum
» annum datis. Audiamus aliquid ex litteris Clo-
» tarii III, quibus anno VI regni sui, id est, anno
» Christi 661 vel 662, (*imo* 662), mense Februa-
» rio confirmat permutationem variarum posses-
» sionum, inter Mummolinum tunc episcopum et
» Bertinum abbatem factum: *Igitur apostolicus*
» *vir* Mummolinus *Noviomensis urbis episcopus,*
» *necnon et venerabilis vir Bertinus abba de mo-*
* *quod* » *nasterio Sitdiu, qui* ponitur in pago Tarwanense*
» *a quorum amborum opere visi fuerunt ædificare,*
» *et est in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini*
» *nostri Jesu Christi, necnon et Sancti Petri et*
» *Pauli Apostolorum, vel cæterorum domnorum*
» *Sanctorum constructus, ad præsentiam nostram*
» *venientes*, etc. Certum est, Bertinum hic abba- D
» tem dici, non Veteris monasterii, sed Sithien-
» sis, nunc S. Bertini dicti: nam Vetus mona-
» sterium numquam vocatum est Sitdiu vel Si-
» thiu, sed istud nomen omnes novo monasterio
» attribuunt biographi. Stabat igitur novum mo-
» nasterium initio anni 662, nec inchoatum est
» anno illo. Præterea constructum est non a solo
» Bertino, sed amborum opere, nempe Mummo-
» lini et Bertini, ut habent data verba. Eodem
» anno sexto Clotarii signatur charta S. Audo-
» mari, qua cœmiterium et basilicam S. Mariæ
» tradit monasterio Sithiensi. In hac autem char-
» ta dicitur: *Ubi antea monasterium in Dei nomi-*
» *ne ædificatum esse videtur, ubi regulariter viven-*
» *tes aderant monachi*, etc. Non itaque inchoatum
» est anno 662 monasterium Sithiense, de quo
» agitur. Præterea in privilegio Clodovei III,
» quod ex Folquino diacono edidit Mabillonius
» (*c*), Mummolinus *S. Bertini* vocatur *antecessor*
» ibique agitur de monasterio Sithiu. *Non igitur*
» *in solo Veteri cœnobio* Mummolinus *præfectus*
» *monachis fuit, vel ut abbas, prout volunt Mabil-*
» *lonius et Sammarthanus, vel, uti nobis præpla-* E
» *cet, ut aliorum superior et quasi pater; ast vero*
» *in Sithiensi re ipsa abbas fuit et decessor Bertini.*
» *Quæ cum certiora appareant, quam ut ulteriori*
» *dubitationi relinquatur locus, inconvulsum ma-*
» *neat id, quod ante diximus:* Mummolinum *Si-*
» *thiensium monachorum multitudini a B. Audo-*
» *maro fuisse præpositum, verumque Sithiensis mo-*
» *nasterii abbatem fuisse, nimirum ab anno* 648,
» *quo illud inchoatum est, aut saltem ab uno e duo-*
» *bus subsequentibus, usque ad annum* 659 *aut* 660,
» (*potius, ut videbimus, usque ad annum* 657 *aut*
» 658) *quo ad episcopatum Noviomensem ac Tor-*
» *nacensem evectus fuit.* » *Hæc Ghesquierus secun-*
dum Stiltingum.

Rem temporalem quoque curavit in Sithiu.

30 *Priusquam vero* S. Mummolinum *e Sithi-*
ensi deducamus monasterio, in quo vidimus eum
sese continuo cum Apostolo ad anteriora extenden-
tem, fratres suos confirmantem in virtute divinoque
obsequio, et fundamentum spiritualis ædificii, plus
quam undecim duraturi sæcula, jacientem, oportet
et verbum addi de ejus cura et sollicitudine, ut ha-
berent sui monachi vestimenta quibus tegerentur et
escam unde vescerentur. Quam ob rem recitanda hic
videtur pars privilegii regis Clodovei, Theodorici F
filii; quod ex Folquino recitavit Mabillonius (*d*),
Foppens (*e*). *D. Bouquet* (*f*), *Brequigny* (*g*), *et nu-*
per Cl. V. Guerard (*h*); *quodque diu quidem post*
S. Mummolini *mortem, sub diem* 1 *kal. Junii anno*
I regni Clodovei III, mense Martio anni 691 *sce-*
ptrum adepti, concessum fuit, et Sancti nostri de re-
bus temporalibus curam præclare illustrat. Habet
autem apud Brequigny hunc tenorem: Chlodo-
veus, rex Francorum. Si illa beneficia, quæ pa-
rentes nostri ad loca Sanctorum præstiterunt vel
concesserunt, pro nostris oraculis confirmamus;
et regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad
laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei no-
mine pertinere confidimus. Igitur venerabilis vir
Bertinus, abba de monasterio Sithiu, quod est in
pogo Terwaninse, in honore Sanctæ Mariæ Geni-
tricis Domini nostri Jesu Christi, necnon et San-
cti Petri et Pauli Apostolorum, vel cæterorum
domnorum Sanctorum constructum, ad nostram
accedens præsentiam, clementiæ regni nostri
suggessit, eo quod avus noster Chlotarius* quon- * *lege* Chlo-
dam rex de omnes curticellas vel villas ipsius doveus

(*a*) Act. SS., t. II Sept., p. 563. — (*b*) Ibid., loc. cit. — (*c*) De Re Diplomat., lib. VI, p. 607. — (*d*) Ibid. — (*e*) Supplem. Oper. Dipl. Miræi, t. II, p. 928. — (*f*) Collect. des Hist. de Fr., t. VI, p. 667. — (*g*) Diplomat., t. I, p. 321. — (*h*) Cartulaire de S. Bertin, p. 34.

monasterii,

monasterii, quidquid præsenti tempore possidebant, aut adhuc inantea ex munere regum, vel collato populi, seu de comparato aut de quolibet recto adtracto in quibuslibet pagis atque territoriis inibi erat additum vel collatum, integra emunitate antecessore suo Mummolino, quando vel ad prædicto monasterio concessit, ut nullus judex publicus ibidem ad audiendas causas, freta exigenda, fidejussores tollendos, nec mansiones aut paratas faciendo, nec homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quam et servientes super terras suas commanentes distringendos, nec nullas redhibitiones requirendas, nec exactandas, nec judicaria potestas ibidem ingredere quoque tempore non deberet, nisi sub emunitatis nomen omni tempore cum omnis fretis-concessis pars ipsius monasterii debeat possidere... *Reliquum diploma de his atque aliis confirmandis agit. Animadvertet lector satis magnificam mentionem hic fieri de possessionibus Sithivensi monasterio addictis, cum id a* S. Mummolino *regeretur. Clodovei vero secundi, quocum* S. Mummolinus *egerat, diploma non amplius superesse videtur : illud saltem non edidit Mabillonius, neque Brequigny, neque Cl. V. Guerard in Chartulario suo Sam-Bertiniano. Plura de his diplomatis notanda non videntur, quoniam non est quod hoc loco chartas Sam-Bertinianas defendam a criminibus, de quibus eas incusavit propugnator quidam jurium Ecclesiæ Sant-Audomarensis* (*a*).

§ III. Quo anno S. Eligius, episcopus Noviomensis et Tornacensis, mortuus sit, eique successerit S. Mummolinus; de linguarum latinæ et teutonicæ peritia, qua ornatus hic Sanctus fuit.

S. Mummolinus *succedit S. Eligio,*

De episcopatu Noviomensi et Tornacensi curis S. Mummolini *credito, sic disserit recentior biographus, a Ghesquiero citatus* (*b*) : Interea vir Dei Eligius, Noviomensis urbis episcopus, post multa patrata miracula in pace plenus dierum migravit ad Dominum. Cujus in loco, fama bonorum operum, quia prævalebat non tantum in theutonica, sed etiam in romana lingua, Lotharii regis *(hujus nominis tertii)* ad aures usque perveniente, præfatus Mummolinus ad pastoralis regiminis curam subrogatus est episcopus. *Quibus addit Ghesquierus* (*c*): « Atque ita impletum est quod morti » proximus S. Eligius postularat, videlicet ut » post obitum suum, sua benignissima pietate » provideret Deus pastorem, qui regeret modeste suam plebem, *uti legitur in ejus Vita* (*d*). » *Sed erunt fortasse, pergit idem hagiographus, qui biographo* S. Mummolini, *Eligio Sanctum nostrum in Noviomensi cathedra subroganti, opponent Vitam S. Audomari, ab Anonymo exornatam, necnon alteram a Folchardo seu potius a compilatore anonymo conscriptam, ut et Iperium ; qui omnes Eligio* Mummolinum *anteposuerunt (qui potius Eligio postposuerunt Acharium); audi Anonymi prioris verba :* Interea decedente Achario, episcopo urbis Noviomæ, ad » episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir » Mummolinus provehitur ; *alterius autem hæc :* » Interea decedente e medio Novione, episcopo, » venerabili viro Achario, Mummolinus ad præ» sulatum ejus provehitur, opitulante Beato Au» domaro ; *Iperii demum sequentia parte* VI, *col.* » 460 : Interea decedente Beato Achario epi» scopo urbis Noviomæ, ad episcopatum ejusdem » urbis Mummolinus provehitur, et Bertrannus » cœnobio S. Quintini a Mummolino præfertur. » *Verum enimvero cum S. Audoenus, S. Eligii* » *amicus, eodemque quo ille die et loco consecratus* » *episcopus, atque ut uno verbo absolvam omnia,* » *fidus ejus biographus omnique exceptione major,* » *diserte affirmet, S. Achario proxime successisse* » *Eligium, qua in re ei consonat* S. Mummolini » *biographus ; multo potiore jure imo indubitanter* » *tenendum est, Sanctum nostrum non S. Achario,* » *anno* 639, *uti* (*e*) *dictum est, defuncto, sed S.* » *Eligio viginti post annis mortuo, in Noviomensem* » *ac Tornacensem cathedram proxime successisse.* » *En S. Audoeni verba* (*f*): Elegerunt ex merito » sanctitatis cunctis bonis operibus præditum ad » sacerdotale *(seu episcopale)* officium Sanctum » Eligium... ut præesset ecclesiæ Noviomagensi: » DECESSERAT ENIM IN IPSO ANNI CIRCULO ACHA» RIUS PRÆFATÆ URBIS ANTISTES. *Verba biogra*» *phi* S. Mummolini *jam supra produximus.* » 32 « *Expenderat ista haud dubie Guillelmus de* » *Whitte, quem Malbrancquius in rebus monacho*» *rum Bertinensium seu Sithivensium apprime ver*» *satum dicit, atque Iperium ipsiusque duces cona*» *tus est cum Audoeno conciliare subtili quadam* » *interpretatione ; vult enim, uti Cointius ad an*» *num* 639, § v, *notat*, post S. Acharii mortem » ab Audomaro episcopo Morinensi propositum » fuisse Mommolinum ascetam Sithivensem, qui » consecraretur episcopus, et episcopi vices age» ret in diœcesi Noviomensi et Tornacensi, do» nec Eligius sub clericatus normula tempus ali» quod exegisset, seque tandem episcopum ordi» nari passus esset ; additque id consilii omnibus » acceptum fuisse, et Mommolinum instar admi» nistratoris seu suffraganei, ut hodie vocant, » episcopalia obiisse ante et post ordinationem » Eligii, nec ante illius mortem vere Noviomen» sem ac Tornacensem episcopum exstitisse, ita » ut et juxta Iperium electus ordinatusque sit » episcopus post obitum S. Acharii, et juxta » Audoenum Eligio in episcopatum successerit. » Malbrancquius hanc intepretationem commen» dat, et ad validiorem confirmationem addit » apud Corbejenses visum a se diploma, cui » Mummolinus episcopus cum ipso Eligio sub» scripsit. Rem nobis pergratam fecisset, si de» scripsisset illud diploma, notassetque characte» res chronologicos, quibus consignatum repe» ritur. Tomo primo Conciliorum Gallicanorum » publicatum est libertatis privilegium, quod a » Bertefrido Ambianensi episcopo monasterio » Corbejensi concessum fertur, octavo idus Se» ptembris, anno Clotarii regis septimo ; inter » episcoporum subscriptiones occurrit Mummo» lenus, Eligius nequaquam : illo enim anno » Mummolenus Noviomensis erat episcopus, et » Eligius ejus decessor pridem obierat. *Hactenus* » *Cointius, qui post pauca, quæ huc non spectant,* » *subdit ad rem nostram :* Diploma vero, quod » Malbrancquius a se inspectum testatur, quod» cunque illud sit, inter fabulas amandari debet, » si Mummoleni et Eligii episcoporum subscri» ptionibus munitur, quia vivente Eligio, Mum» molenus

minime autem post mortem S. Acharii,

(*a*) In opere : *Vérité de l'hist. de l'église de S. Omer.* — (*b*) Act. SS. Belgii Select., t. IV, p. 403. — (*c*) Ibid., p. 404. — (*d*) Ibid., t. III, p. 285. — (*e*) Ibid., t. II, p. 331. — (*f*) Ibid t. III, p 229, cap. I.

A » molenus episcopalem dignitatem haud gessit. » *Hæc ex Ghesquiero.*

diœceseon Noviomensis et Tornacensis administrator fuit.

33 *Verum, cum præsens controversia tota in eo sit, an* Mummolinus, *dum S. Eligius* sub normula clericatus aliqua temporis curricula exigeret, *ut S. Audoenus lib.* II *cap.* II *Vitæ S. Eligii loquitur, sedem Noviomensem et Tornacensem administrarit, episcopi titulo atque charactere insignitus, atque hoc modo habuerit memorata sedes uno tempore episcopum electum, et episcopum administratorem, negantium sententiam sequentibus confirmo. Primo, quis crediderit S. Audoenum, minima etiam S. Eligii gesta memorantem, tale quid inusitati prætermissurum fuisse, quod reapse bene nosse debuisset, siquidem uno die cum S. Eligio consecratus sit a Deodato, episcopo Matisconensi? Secundo, S. Eligius tantum consecrationem suam distulit, quoniam exactissime sacros canones servare studebat; sic enim loquitur de hac dilatione S. Audeonus :* Sed vir Beatus cum se nullo modo ab officio disposito * discutere posset, NE TAMEN IN ULLO CATHOLICÆ REGULÆ DEVIARE VIDERETUR, non se permisit prius sacerdotem *(quod idem hic sonat ac* episcopum, *ut liquet ex eo quod S. Audoenus se* presbyterum *dicit)* consecrari, nisi sub normula clericatus aliqua temporis curricula exigeret. *Jam vero, an S. Eligius ita strictus fuisset in servando hoc canone, et vicarium episcopum, rem simili in casu inauditam, in Ecclesiam invexisset, potissimum quidem cum bene notum esset, quid S. Ambrosius, cujus sanctitatis fama ubique resonabat, egisset, e catechumeno in episcopum electus? Tertio, spatium seu* curricula temporis, *quæ S. Eligius* sub clericatus normula *transegit, non ita longa sunt, ut grave incommodum in Noviomensem ecclesiam redundare potuerit ex eo, quod interea episcopo careret; præterea per canonem* IX *concilii Aurelianensis V, anno* 549 *celebrati, magis extensa etiam fuerat dispensatio, canone* II *concilii Arelatensis IV, anno* 524 *coacti, jam concessa; secundum illum enim canonem cavebatur tantum, ut* nullus ex laicis absque anni conversione præmissa episcopus ordinaretur : ita ut intra anni ipsius spatium, a doctis et probatis viris, disciplinis et regulis spiritualibus plenius instrueretur : *credibile autem non est a S. Eligio consecrationem suam ultra annum dilatam fuisse. Quarto, siquidem secundum probatam sententiam S. Eligius anno* 640 *episcopus consecratus fuerit, et* S. Mummolinus *verisimiliter anno* 638 *aut* 640 *ad S. Audomarum pervenerit, et paulo post ad ecclesiolam et cellam, Vetus monasterium dictum, condendum missus fuerit, videatur quo pacto hæc concilientur cum putatitio inauditoque vicario episcopatu* S. Mummolini, *inter annum* 639 *et* 640 *suscepto. Quinto demum, Vita S. Audomari antiquissima tacet* S. Mummolini *decessoris nomen; et Vitæ recentiores, cum ab hac discedunt, tam parvi faciendæ visæ sunt Stiltingo, ut aperte fere earum scriptores præmeditati erroris incusandos æstimaverit : quocirca cum* S. Mummolino *præcessisse aiunt S. Acharium, cui nos S. Eligium successisse asserimus, nihil evincunt.*

B

C

** alii* imposito,

Successio illa facta est brevi post S. Eligii mortem,

34 *Negato itaque atque rejecto vicario hoc* S. Mummolini *ministerio examinandum superest, quo anno reapse Noviomensis atque Tornacensis episcopus consecratus fuerit. Imprimis pendet id omnino ex anno emortuali S. Eligii, cui intra primum ab obitu annum successit. Etenim cum S. Audoenus, S. Eligii biographus et sodalis, libro* VIII *capite* 46 *Vitæ hujus Sancti* (*a*), *quod* de equo Sancti *inscribitur, sæpius meminisset* Mummolini *episcopi, continuo post pergit :* His ita gestis, cum corpus Beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est EPISCOPO et reginæ *(S. Bathildi)* consilium optimum, ut ædificata ultra altare volutione *(id est fornice)*, illic ei demum condignam facerent translationem : *ex qua narrandi resque conjungendi ratione manifestum est, eumdem episcopum scilicet* S. Mummolinum, *et liti de equo et translationi S. Eligii implicitum fuisse. Verum hæc translatio die anniversaria mortis S. Eligii, uno scilicet anno ab ejus de hac vita exitu, facta est, cum S. Audoenus eam contigisse adstruat* anno jam vertente, die depositionis ejus annuali appropinquante *seu* adveniente.

D

quam ad annum 659 retulit Ghesquierus,

35 *Universus itaque nodus in S. Eligii mortis anno inquirendo jacet. Ut alios omittam multos, qui id tempus assignaverunt, Ghesquieri verba e Commentario prævio ad S. Eligii Vitam hic adduco :* De gesti, *inquit* (*b*), ab Eligio episcopatus spatio consentiunt, si unum excipiamus Pagium, eruditi omnes. Hic quippe postquam tomo III critices pag. 48, num. IV, observasset, idque recte quidem, Eligium vixisse usque ad annum sexcentesimum quinquagesimum octavum, mox subdit, eodem ipso anno demortuum esse; atque adeo episcopatui ejus annos dumtaxat octodecim mensesque aliquot relinquit. Contra vero Cointius, Longuevallius, Bouquetus, aliique, qui episcopalem Eligii consecrationem anno 640 innectunt, ejus obitum anno 659 illigant, ejusque episcopatui annos tribuunt novemdecim, menses sex, diesque aliquot. Opinionem suam stabilire nixus est Pagius adducto privilegio quodam, ab Emmone, Senonensi episcopo, monasterio S. Petri apud Senonas concesso, quod in sæculo III Benedictino (*c*) legitur directum fuisse Audoeno, Eligio aliisque episcopis, et cui tamen non Eligii nomen, sed Momoleni, ejus successoris, subscriptum legitur. At recte observat Longuevallius tom. IV Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ pag. 48, in annotatione, privilegii illius subscriptiones esse admodum mancas; neque adeo evinci S. Eligium anno 658 in vivis esse desiisse. Quod autem privilegio isti Momoleni nomen subscriptum legatur, id judice Longuevallio, nihilo plus evincit, cum nullo ex capite constet, S. Momolenum anno tertio Chlotarii III privilegio huic suum subscripsisse nomen. Ita quidem laudatus Longuevallius, ut se mota a Pagio difficultate expediat. Verum ego non video obstare quidquam, quominus S. Eligii obitus anno Christi 659 statuatur, etiam admissa subscriptionum illarum summa fide atque incorrupta integritate. Cum enim annus tertius regni Chlotarii III a mense Novembri anni 658 cucurrerit usque ad mensem Novembrem anni 659, potuit privilegium illud currente anno tertio regni Chlotarii III S. Eligio aliisque episcopis directum fuisse, nec tamen hujus chirographo firmatum, quia ipsis kalendis *(Decembri)* ejusdem anni 659 ad superos abiit.

E

F

non recte initens eruditorum consensui;

36 *Ad quæ animadvertendum æstimo, nuspiam a me repertum esse spatium S. Eligii episcopatus ex antiquis documentis definitum, nisi ex privilegio Senonensi et anno consecrationis; Gallia Christiana quidem tam stabiles habet viginti hos circiter S. Eligii episcopatus annos, ut inquiat* (*d*): Obiit *Eligius* pridie kalend. Decembris, vel anno 659, si consecratus est anno 640, vel anno 665 si consecratus est anno 646; *verum hæc verba vana habenda sunt, donec citetur scriptor, antiquitate et*

(*a*) Act. SS. Belgii select., t. III, p. 293. — (*b*) Ibid., p. 197 et seq. — (*c*) Part. II, p. 613. — (*d*) T. IX, col. 984.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *sinceritate sua venerabilis, qui viginti circiter annos S. Eligio cathedras Noviomensem et Tornacensem occupanti assignet; secus integra remanet quæstio de fine ejusdem Sancti episcopatus. Secundo, omnino non video eruditos omnes consentire in affirmando S. Eligium anno* 659 *obiisse; Mabillonius quidem propter Senonense privilegium in Annalibus* (*a*) *hanc admisit sententiam, eamque Longuevallius in Historia Ecclesiæ Gallicanæ* (*b*), *Colliette in Commentariis Veromanduensibus* (*c*), *Butler in Vita S. Eligii* (*d*), *D. Bouquet in Collectione Historicorum Franciæ* (*e*), *Cointius in Historia Ecclesiastica Francorum* (*f*) *aliique gregatim amplexi sunt; verumtamen sunt et alii, qui diversum opinandi modum inierunt. Hadrianus Valesius, qui ex fontibus scribere solebat, satis habuit cum S. Audoeno, laudato Eligii biographo, ejus mortem ad initia regni Clotarii III referre; Dionysius Sammarthanus annum* 665 *assignat* (*g*); *cui cum aliis pluribus præiverat Sigibertus Gemblacensis in Chronico* (*h*); *Cl. V. Moeller, professor historiæ in universitate catholica Lovanii, Erchinoaldi mortem ad annum* 660 *referens* (*i*), *necessario ad hunc annum producit*

B *S. Eligii obitum, qui sepelivit Erchinoaldum. Negligenda itaque videtur auctoritas Mabillonii, aliorumque recentiorum; quam maximam quidem facimus, cum solidis nituntur testimoniis, ad trutinam vero revocamus, cum testimonia illa difficultatem incurrunt; quod inferius præstabimus.*

sed Pagium, annum 658 assignantem,

37 *Tertio, ut intelligantur Ghesquieri in Pagium observationes, ipsius Pagii dicta recitanda videntur*: Eligium, *inquit*, vixisse usque ad annum sexcentesimum quinquagesimum octavum, eodemque demortuum demonstrat privilegium ab Emmone episcopo Senonensi concessum, quod recitat Mabillonius sæculo III Benedictino pag. 613, directum illud *Senonicæ civitatis comprovincialibus, Chrodoberto, Faroni, Bertoaldo, Audoeno, Gauzberto, Eligio*. Datum autem, ut in ejus fine legitur *anno tertio regni Domini nostri Clotarii regis*. (qui post secundam hebdomadam mensis Novembris anni Christi DCLVIII inchoatus est,) et quidem in synodo episcoporum, ex quibus complures privilegio subscripsere, et ex præfatis sex episcopis solus Eligius non subscripsit. sed Momolenus, qui et Mummolenus dicitur, quem certum est Eligii successorem fuisse. Quare, ut re-

C cte inde colligit Mabillonius, paulo post concessum privilegium Eligius obiit, et quidem kalendis Decembris, quo nomen ejus veteri kalendario inscribitur. Nam licet Audoenus, nec aliquis ex antiquis diem ejus obitualem expresserit, Sanctique aliis sæpe diebus, quam quibus mortui sunt colantur *(quod hic tamen metuendum non est, quoniam aperte annotat S. Audoenus* diem annualem *depositionis ad transferendum corpus exspectatam fuisse)*, quia tamen Audoenus lib. 2, cap. 35 refert post Eligii mortem sanguinem fluxisse e naribus ejus, tametsi *erat hybernum tempus*, certumque est concilium illud Senonense habitum exeunte anno DCLVIII, quo tertius Clotarii regis inchoabatur, verosimile est S. Eligium die et anno præfatis in Domino obdormiisse, et ejus obitum hactenus tardius quam par erat, consignatum fuisse, ab illis præsertim, qui Dagoberti regis mortem septennio aut etiam tardius differunt.

38 *Ad hæc quidem, ut superius vidimus, animadvertit Ghesquierus, annum Clotarii III a mense Novembri* 658 *usque ad eumdem mensem anni* 659 *cucurrisse; idque privilegium hoc anno* 659 *condi potuisse, quin tamen ad S. Eligium, die* 1 *Decembris hujus anni mortuum, opportuno advenerit tempore. Quæ explicatio non tantum probabilis, sed certa habenda est, quamdiu admittitur cum Pagio, ad hoc concedendum confirmandumque privilegium anno* 658 *Senonibus synodum habitam fuisse, cujus quoque meminit Mabillonius in Annalibus ad annum* 658 (*k*), *Cointius ad annum* 657 (*l*), *et Mansi in notis ad Annales Baronii et Criticem Pagii ad annum* 658 (*m*). *Etenim, cum ex testimonio Clarii, monachi S. Petri-Vivi, hanc synodum coactam dicentis, S. Eligius huic episcoporum congregationi affuerit, eam ex mente Pagii habitam fuisse statuatur oportet post secundam hebdomadam mensis Novembris anni* 658 *(nam secunda hebdomade Novembris anni* 659 *tertium Clotarii regni annum adhuc cucurrisse ostendit ipse* (*n*) *Pagius), et ante diem* 1 *Decembris anni* 658 *(kalendis quippe Decembribus obiit S. Eligius). Verum ex his quindecim ad summum diebus* quinque aut sex, febre correptus, in- E firmitatemque deambulando, baculoque regente infirmos artus sustentando, dissimulans, nec sic quidem a Dei opere cessans (*o*), *transegit, donec* pridie kalendarum Decembrium (*p*) *clero suo valedixerit; præterea paulo ante morbum* jam sensit dissolutionem sui corporis imminere (*q*), *eamque prædixit; vix itaque octo dies remanent Pagio, intra quos S. Eligium Senonas mittat ad synodum. Quis autem admiserit id a S. Audoeno futurum fuisse prætermissum, cum ultima S. Eligii gesta et verba ad scrupulum usque narret? Equidem Pagii computationem corrigendam censeo. Atque hæc in eos valent, qui Pagii auctoritate nituntur.*

D *bene arbitratur certis rationibus destitui.*

S. Eligii mors anno 659 adscribenda non videtur propter Emmonis Senonensis privilegium,

39 *Verumtamen, licet ex his constet Pagium non probandis hic uti calculis, fateor sententiam Ghesquieri aliorumque valde incertam mihi haberi; quoniam, cum Senonense privilegium unicum ei fundamentum sit ad S. Eligii mortem anno* 659 *collocandam, valde caduco argumento rem conficere mihi videtur. Animadvertit ille quidem cum Longuevallio subscriptiones, quas inter, ut diximus,* S. Mummolini, *S. Eligii successoris, nomen apparet, valde mancas esse; verum superscriptiones, ubi Eligii nomen exstat, et unde concludunt S. Eligium adhuc* F *vixisse, cum id privilegium anno tertio Clotarii III scriptum est, non minus mancæ appellandæ sunt; et, quod ad rem præsentem maxime pertinet, S. Eligii nomen certe inde expungendum est. Ejus autem superscriptiones, quales ediderunt Mabillonius* (*r*), *Cointius* (*s*) *et Brequigny cum du Theil* (*t*), *ita sonant*: Dominis sanctis et summi culminis apicem pontificatus cathedræ specula præsidentibus, in Christo fratribus, Senonicæ civitatis comprovincialibus, Chrodoberto, Farone, Bertoaldo, Audoeno, Gauzberto, Eligio: Emmo, peccator, supplex vester, in Domino præsumit mittere salutem. *Jam vero, ut notant Brequigny et du Theil* (*u*), Chrodobertus, Parisiensis episcopus, Faro Meldensis, Bertoaldus Trecensis, tunc temporis erant provinciæ Senonensis episcopi, recte comprovinciales ab Emmone appellati; sic et Gauzbertus. Carnotensis episcopus, cujus sedem Cointius non

(*a*) T. I, p. 415. Edit. Lucens. Lib. XIV, num. 67, ad ann. 659.— (*b*) Liv. x, ad annum 659, t. V, p. 281. Edit. 1826. — (*c*) Mémoires pour serv. à l'hist. du Vermandois, t. I, p. 249. — (*d*) Vies des Saints ad 1 Dec., t. XVIII, pag. 190. Edit. Lovan. — (*e*) T. III index Chronol., p. LXXII. — (*f*) Ad annum 659, § XIII, t. III, p. 479. — (*g*) Gall. Christ., t. III, col. 273. — (*h*) Pertz Monum. German., t. VI, p. 326. — (*i*) Manuel de l'hist. du moyen âge, t. I, p. 291. Edit. 1837. — (*k*) T. I, p. 413 et seq. Edit. Venet. (*l*) Annal. Eccl. Francor., ad annum 657, § XV, t. III, p. 449. — (*m*) Annal. Baronii, t. XI, p. 512. Edit. Lucens. — (*n*) Crit. Baron., ad annum 656, § XVII, t. XI, p. 493. — (*o*) S. Audoen. Vit. S. Eligii Act. SS. Belgii select., t. III, p. 283. — (*p*) Ibid., l. c. — (*q*) Ibid., p. 282 — (*r*) Act. SS. Ord. S. Bened. sæcul. III, p. II p. 613. — (*s*) Annal. Eccl. Franc., t. V, p. 285. — (*t*) Diplomata ad res Francic. pertinent., p. 227 et seq. — (*u*) Ibid., p. 228.

agnovit.

A agnovit. Sed quid dicendum de Audoeno ac Eligio, quorum si prior Rothomagensis, alter Noviomensis episcopus fuerit, comprovincialium nomine, ab Emmone minime appellari potuerunt? Pro voce *Audoeno* legendum suspicatur (*a*) Mabillonius *Audoni*, qui hoc tempore Aurelianensi Ecclesiæ præsidebat. Magis torquet Eligius, si hoc nomine intelligatur Noviomensis episcopus. Nos vero Vigilium reponendum conjicimus, tunc Autissiodorensem episcopum, Senonensis præsulis comprovincialem : nec videtur hic agi de Eligio Noviomensi episcopo, cum nomen Mummoleni, qui ei in Noviomensi sede successit, inter subscribentium nomina appareat. Clarius vero, falsa lectione deceptus, Rothomagensi episcopo et Noviomensi tribuit, quæ Aurelianensi et Autissiodorensi tribuenda erant. Errori favebat, quod notiora forent Eligii et Audoeni nomina, quam Audonis et Vigilii. *Verum quidquid de his conjecturis, quæ historicæ notitiæ forte habendæ sunt, esse possit,* (Audo *enim et* Audoenus *identica nomina sunt, neque* Vigilius *et* Eligius *multo inter se scriptione distant), manifestum est SS. Audoenum*

B *et Eligium inter Senonensis sedis comprovinciales venire non posse; quoniam alter, utpote Rothomagensis sedis episcopus, alius provinciæ ecclesiasticæ metropolitanus erat, alter, qua episcopus Noviomensis et Tornacensis, ad provinciam Remensem spectabat. Quocirca mea sententia minime ex hoc privilegio concludi potest S. Eligium anno tertio Clotarii III in vivis adhuc fuisse.*

neque propter Clarii testimonium de prætensa synodo Senonensi;

40 *Neque videtur negotium facessere posse testimonium Clarii dicentis* (*b*) : Anno DCLXXV transiit ad Christum Sanctus Emmo.... Hic privilegium libertatis, una cum comprovincialibus episcopis, monachis Sancti Petri synodaliter fecit, temporibus Clotharii regis et Baltechildis matris ejus : in quo conventu fuerunt antistites gloriosi, Sanctus Audoenus archiepiscopus Rothomagensis, et Sanctus Faro episcopus Meldensis, Sanctusque Eligius Noviomensis episcopus, et Sanctus Amandus Tregetensium episcopus, cum aliis triginta Episcopis. *Nam cum monachus Clarius suum S. Petri-Vivi Chronicum ad finem sæculi* XII *scripserit, constat inde tantum nomina Audoeni et Eligii in ejus privilegii exemplaria intrusa fuisse, antequam librum suum ordiretur chronographus;*

C *præterea usus forte est Clarius pejori etiam exemplari, quam quod nunc circumfertur, ut ex adscripto nomine S. Amandi, Tregetensium seu Trajecti ad Mosam episcopi, planum conjicere est; tertio, (quoniam mentio de hac synodo incidit et auctoritas Clarii, qui primus eam adstruxit, hinc quoque nonnihil vacillare forsan dicenda est,) illa synodus, quam plerique ecclesiastici historici (plures nominavi superius) ex Clarii narratione admiserunt, mera Clarii conjectura videtur : quandoquidem primo, in sæpius dicto privilegio nullum synodi vestigium occurrit; secundo, contrarium apparet ex ipso diplomate : nam, cum initio habeat :* Dominis sanctis... Emmo peccator... in Domino præsumit mittere salutem, *locum obtinet annotatio D. Michaelis Germain in similem inferius citandam chartam :* Cur enim minus ad absentes, quam ad eos coram positos immunitas dirigi potuit, quibus *Drauscius episcopus supplex in Domino mittit salutem?* qui sane scribendi modus eorum absentiam insinuat (*c*) ; *præterea Emmonis diploma desinit in hæc verba :* Quam etiam constitutionis nostræ definitionem manus nostræ subscriptionibus roboratam, PER FRATRES ET CONSERVOS NOSTROS ABBATES, perpetuis temporibus valituram, ut robustior maneat, VOBIS VEL CÆTERIS DESTINAVIMUS INSUPER CONFIRMANDAM STIPULATIONE SUBNEXA. Actum Mausolaco curte dominica anno tertio regni domini nostri Clotharii regis ; *et continuo sequuntur subscriptiones quorumdam comprovincialium episcoporum Senonensis cathedræ, quibus privilegium illud confirmandum inscribebatur, et quorumdam e* cæteris *Galliæ præsulibus, ad quos* fratres et conservi *Emmonis,* abbates, *illud detulerint. Quæ ut iatelligantur, in memoriam revocet lector oportet, his temporibus in more fuisse positum, ut deferrentur diplomata ad plures episcopos aliosque præcipuos viros, qui ea sua subscriptione firmarent; in cujus rei exemplum, ut duo e pluribus seligam, præsto sunt : tum celeberrimum privilegium Berthefridi, Ambianensis episcopi, anno* 662 *Corbeiensibus concessum, et a Sirmundo, Labbe, Harduino, Cointio et Brequigny* (*d*) *editum ; tum privilegium S. Drausii, porrectum anno* X *regni Clotarii monasterio S. Mariæ Suessionensi et editum a D. Germain in Historia hujus cœnobii* (*e*), *ubi alia similia* E *citantur, quæ in Diplomatibus Brequigny cum pluribus ejusdem generis reperire est. Quamobrem æstimo male lectum seu intellectum fuisse a Clario S. Petri Senonensis privilegium; quod cum initio septem episcoporum nomina haberet, et in fine viginti sex aut septem subscriptiones, id ipsi visum esse concilium ex triginta quatuor præsulibus constans. Quam dissertatiunculam de privilegio Senonensi ut tandem claudam, nihil ex eo in rem nostram deduci posse arbitror, nisi quod* S. Mummolinus *(quantum subscriptionibus fides est) anno tertio Clotarii regis III Noviomensem cathedram jam ascendisset.*

ad annum potius 657 *hæc mors*

41 *Quandoquidem ex dictis Senonensis charta S. Eligii mortis tempori definiendo parum apta videtur, supersunt duo tantum adjuncta, quæ ex S. Audoeni de amico suo scriptione novimus.* Fuerat quoque *Eligius, ait ille* (*f*), de temporibus Lotharii mediani, mansueti regis Francorum, et toto tempore Dagoberti inclyti principis, necnon et Clodovei filii ejus, et usque ad initium regni junioris Lotharii mansit in corpore. *Unde, cum junior Lotharius seu Clotarius III medio mense Novembri anni* 656 *in pueriles suas manus regni habenas acceperit, et* initium regni, *quod quatuordecim tantum duravit annos, potius primum aut secundum annum quam tertium aut quartum significet, libenter ego S. Eligii obitum ad kalendas Decembris anni* 657 *referrem. Nam quod superior annus* 656 *excludendus videtur, ratio est eum obiisse post Erchinoaldum, majorem-domus;* cujus *quippe* corpus Eligius *(verba sunt* (*g*) *S. Audoeni)* secum pro misericordia referens, sepulturæ tradidit. *Jam vero Erchinoaldi funesta mors, quam S. Eligius prædixerat, quamque Moeller anno* 660, *Cointius anno* 659, *Pagius anno* 656 *collocat, verisimiliter hoc anno exeunte, seu sequenti* 657 *ineunte accidit: quod omnino probabile futurum æstimo, si nempe Erchinoaldus post Clodovæi II obitum, sed tamen non diu post vita functus fuerit; quæ ex sequentibus constitura spero. Primus scilicet continuator Chronici Fredegarii hæc habet* (*h*) : Franci quoque Chlotharium filium ejus *(Clodovæi II)* majorem in regno statuunt, cum præfata regina matre *(S. Bathilde).* Eodem quoque tempore mortuus est Erchanwaldus, major-domus palatii. Franci au-

(*a*) Annal. Ord. S. Bened., tom. I, p. 450. — (*b*) D'Achery Spicileg. t. II, p. 464. Edit. altera. — (*c*) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 425. — (*d*) Diplom. ad res Francic. spect., tom. I, p. 241. — (*e*) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, pag. 421. — (*f*) Vit. S. Eligii, lib. II, part. I, cap. I. Act. SS. Belgii select., t. III, pag. 229. — (*g*) Ibid., lib. II, part. VI, cap. XXVI, pag. 277. — (*h*) Recueil des Hist. de France, D. Bouquet, t. II, p. 449.

tem

A tem in incerto vacillantes, accepto consilio, Ebruinum in hujus honoris curam ac dignitatem statuunt. *Ex quibus postremis verbis, ut id obiter notetur, liquet quod, etiamsi certo sciretur, quo anno Ebruinus major-domus factus sit, inde continuo concludi non posset, quo tempore mortuus sit, Erchinoaldus. Eadem iisdem fere verbis repetit auctor incertus Gestorum regum Francorum* (*a*); *et non multum dissimilibus Chronicum Moissiacense* (*b*); *neque dissonant Fragmentum Historicum Anonymi, Francorum regum gesta a Dagoberto I usque ad Pipinum regem amplectens* (*c*), *et Chronica S. Dionysii* (*d*). *Ekkehardus in Chronico universali* (*e*) *similiter post narratum Clodovæi II obitum et initium regni Clotarii III subdit :* Eo quoque tempore Erchinoaldo, majore-domus defuncto, in locum ejus successit Ebroinus; *et Sigibertus Gemblacensis in Chronico, secundum autographum edito* (*f*): Chlodoveus, *inquit*, rex Francorum obiit, et Lotharius filius ejus succedit et IV *(imo XIV)* annis regnat. Hujus major-domus post Erchanoaldum fuit Ebroinus. *Ex quibus dicendi modis mihi manifestum*

B *videtur Erchanoaldum obiisse post Clodovæi II funus, neque id multo post contigisse, cum scriptores antiqui conspirent in dicendo eum* eodem tempore *vita functum esse. Verumtamen, eum nihil urgeat, ut Erchinoaldum et S. Eligium intra quindecim circiter istos dies, qui anno* 656 *ab initia regni Clotarii usque ad initium mensis Decembris elapsi sunt, mortuos dicamus; quin immo secundum S. Audoeni narrationem plures quam duæ aut tres hebdomadæ inter utriusque funus ponendæ videntur, differre juvat S. Eligii obitum ad diem primam Decembris anni* 657; *ubi secundus tantum annus et proin* initium *adhuc* regni *Clotarii III currebat.*

et proin initium episcopatus S. Mummolini pertinet.

42 *Porro pro hac sententia, quæ Audoeni verbis omnino consona est, episcopatum nactus fuerit* S. Mummolinus *anno* 657 *exeunte, aut potius anno* 658 *ineunte. Contra si quis adhærere velit sententiæ vulgari, quam supra, (quantum licuit per instrumenta, quæ aliis firma argumenta, nobis vero non secus ac Brequigny et du Theil incerta valde visa sunt,) firmavi, biennio serius* S. Mummolinum *episcopalibus infulis ornatum statuat oportet. Eas Sancto nostro delatas fuisse, interveniente Clotario III, adstruit Ghesquierus cum recentiori biographo seu antiquioris Vitæ interpolatore :* « Inter-

C » ea vir Dei Eligius, Noviomensis urbis episco-
» pus, post multa patrata miracula in pace plenus
» dierum migravit ad Dominum. Cujus in loco
» fama bonorum operum, quia prævalebat non
» tantum in theutonica, sed etiam in romana
» lingua, Lotharii regis (*hujus nominis tertii*) ad
» aures usque perveniente, præfatus Mummoli-
» nus ad pastoralis regiminis curam subrogatus
» est episcopus. » *Verum hæc Clotarii tertii interventio, quæ legitima omnino erat (ut ex canone* X *concilii Aurelianensis anni* 549, *ubi præcipitur juxta antiquos canones electionem a clero et plebe cum voluntate regis debere fieri, manifestum est,) ita explicanda est, ut nomine ejus adhuc impuberis S. Bathildis ejus mater electioni illi consenserit eamque ratam habuerit.*

Episcopus electus est S. Mummolinus ob plures egregias suas dotes, et ob peritiam suam linguæ latinæ

43 *Ut ex præmissis liquet, quadruplex meritum duplici illi diœcesi, Tornacensi et Noviomensi, administrandæ aptum omnino faciebat* S. Mummolinum : *primum, ejus sanctitas; secundum felix ejus in Sithivensi monasterio probatumque regimen; tertium, concionandi usus; quartum, duplicis vernaculæ linguæ peritia; de qua postrema quædam videntur commentanda. Vita, antiquissima mihi dicta, tri-* D *buit* S. Mummolino latinam et teutonicam facundiam; *reliquæ vero Vitæ* romanam et teutonicam. *Distinctas tamen fuisse, atque ut tales medio ævo habitas fuisse* latinam *et* romanam *linguas, liquet ex pluribus locis a Cangio ad vocem* romanus *adductis; verum hæc distinctio posterior videtur sæculo* VII, *quo vivebat* S. Mummolinus : *et quidem vix mihi non omnino certum est, hic* latinum, *sed* simplex *idioma intelligendum esse : audias scilicet quo pacto ad plebem loqueretur S. Eligius; citanda verba initium sunt Homiliæ XI, quæ tomo XII Bibliothecæ Patrum Lugdunensis integra exstat :* Boni homines, quia vestram fraternitatem aliter necesse est alloqui quam consacerdotes et cooperatores nostros, quibus datum est nosse mysteria regni cœlorum : ideo ad vos SIMPLICI ET RUSTICANO utentes ELOQUIO, convertamur, ut tantæ solemnitatis sacramentum juxta parvitatem nostri sensus exponamus vobis RUSTICITATE VERBORUM. Vocatur hæc festivitas, Cœna Domini, eo quod hoc die Dominus cœnaverit cum discipulis, eisque sacramentum corporis et sanguinis sui tradiderit.... *Reliqua ejusdem simplicitatis fere* E *sunt. Objecit quidem Baro ab Reiffenberg in eruditissima introductione* (*g*) *ad Carmina Philippi Mouskes Tornacensis, hanc Homiliam fors non, uti hic jacet, dictam fuisse, sed e sermone magis barbaro in latinum idioma fuisse conversam. At ipse Cl. Vir aliis monumentis ostendit similem sermonem id temporis intellectum fuisse a populo, et Raoux* (*h*) *in commentario de linguis theotisca et gallica idem certum fecit documentis plurimis, imprimis* carmine rustico, *ut vocatur, inserto Vitæ S. Faronis. Quamobrem cum hæc sancti Eligii verba a plebe Noviomensi intellecta fuisse æstimari possint, non dissimilem fuisse censemus* latinam facundiam, *qua* S. Mummolinus *utebatur. Quod vero in sæpe dicta Vita subditur :* Ecclesia siquidem Noviomensis romana vulgariter lingua, Tornacensis vero teutonica majori ex parte utitur ; utraque autem eruditiori latinorum eloquio, sicut gratia hæc concessa fuerit, ad plenum respondere dinoscitur, *interpolatio esse mihi videtur, aut saltem parergon, quod de suis temporibus, non de temporibus* S. Mummolini *inseruerit auctor. Non tamen negligendus est hic sensus, qui plurimum favet iis, qui linguam teutonicam aut theotiscam ex pagis Wallonum, ut* F *loquimur, septimo sæculo excludunt ; adeo ut ab hoc tempore limes, Wallones a Teutonicis dividens, nihil fere motus sit. Plura hac super re proferenda non sunt, quoniam jam a nonnullis hujusmodi quæstiones agitatæ fuerunt ; quorum præcipua nomina recitantur in laudata Cl. Reiffenbergii introductione ubi eadem de re egregius commentarius legitur.*

et theotiscæ.

44 *Biographi vero asserta de lingua teutonica aut theotisca majorem difficultatem pariunt, non quidem ob Francos qui in* S. Mummolini *diœcesibus victitabant, sed quoniam non una atque eadem opinio est de Menapiis, quibus diœcesis Tornacensis imprimis constabat. Alii enim eos Gallo-Belgas, alii Germano-Belgas faciunt. Hi quidem nullam patiuntur difficultatem, ut eis theotiscam linguam assignent, quod manifestum est; qui vero priorem sequuntur sententiam, non ita facile se expediunt. Ne tamen hæc de* S. Mummolino *scriptio justo longior fiat, satis mihi fuerit hanc indicasse quæstionem, de qua in alterutram sententiam denuo scripserunt plurimi; quorum præcipuos recensuit quoque laudatus Reiffenbergius in allegata introductione, et*

(*a*) Recueil des Hist. de France, D. Bouquet, t. II, p. 569. — (*b*) Ibid., p. 652. — (*c*) Ibid., p. 692. — (*d*) Ibid., t. III p. 304. — (*e*) Pertz Monument. Germaniæ Scriptt., tom VI. p. 118. — (*f*) Ibid, p. 325. — (*g*) p. XCVIII. — (*h*) p. 35 et seqq.

A *alter scriptor in Bibliotheca Celtica Germanica Belgica, subjecta operi de pristino Belgio, in quo ipse probare tentavit* (*a*) *Menapios origine Germanos esse. Porro cum* S. Mummolinus latina *seu corrupte latina, et* theotisca facundia polleret, *facili negotio homilias suas ad totius sui gregis oves habere potuit ; et simili emissa sententia, notat Ghesquierus postea episcopis injunctum fuisse duplici lingua suas habere homilias : sic concilium Remense anni* 813 *canone* XV *præcipit, ut* episcopi sermones homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, SECUNDUM PROPRIETATEM LINGUÆ prædicare studeant (*b*) ; *et concilium Turonense tertium ejusdem anni* 813 *canone* XVII, *post enumeratas homiliarum materias, monet,* ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam romanam linguam aut theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur (*c*). *Atque hic canon aliis ecclesiis ita placuit, ut triginta quatuor annis post, concilium Moguntinum, quod Labbeus quoque edidit* (*d*), *iisdem fere verbis canonem illum adoptaverit. Tempore S. Bernardi, ubi in Galliis sola fere rustica romana lingua apud*

B *plebem obtinebat, dicebatur in monasteriis duplici quoque idiomate, latino ad religiosos choro addictos, rustico romano ad fratres laicos : cujus homiliarum generis, in hoc idioma versarum, supersunt etiamnum, inter S. Bernardi opera, fragmenta. Sed de his satis. Atque mens nobis erat hic loci inserere dissertationem de amplitudine et mutationibus diœceseon Noviomensis et Tornacensis, quæ jam sub episcopatu S. Medardi usque ad annum* 1146 *unitæ fuerunt, (ut ostendit Ghesquierus* (*e*) *in Commentario de S. Medardo) ; sed cum in immensum excrescat præsens volumen Actorum, eam ad alius Noviomensis et Tornacensis præsulis Vitam seponere visum est.*

§ IV. Expenditur duplex in S. Mummolinum accusatio ; exponitur translatio corporis S. Eligii, promotio S. Ebertramni, pactum cum S. Bertino et plures subscriptiones.

C *Liberatur S. Mummolinus crimine culpabilis dubii,*

Reliqua S. Mummolini *gesta illustrans Ghesquierus, sic* § III *sui de* S. Mummolino *Commentarii exorditur :* « *Nonnulla sunt* S. Mummo- » lini *gesta eaque omnino certa, quæ biographus* » *ejus ne aliter quidem attigit, seu quod ipsi per-* » *specta non fuerint, (vidimus supra num.* 6 *bio-* » *grapho omnino cognitam fuisse S. Eligii Vitam,* » *ex qua hæc eruuntur) seu potius quod existimarit,* » *aut nihil aut parum ad comprobandam ejus vitæ* » *sanctitatem conducere. Et sane ex his unum alte-* » *rumve est, quod tantum abest ut eum omni peccati* » *labe immunem semper fuisse demonstret, ut con-* » *tra omnino evincat, humani aliquid subinde pas-* » *sum esse, atque vel ex animi perturbatione vel ex* » *fragilitate humana deliquisse, paulo scilicet post-* » *quam ad Noviomensem cathedram evectus fuis-* » *set.* » *Hæc Ghesquierus, duriori fors censura* S. Mummolini *gesta perstringens. Equidem, etsi is non sim qui cuncta Sanctorum acta, seposita ipsius catholicæ Ecclesiæ doctrina, sancta, innocua, meritoria statuam, non tamen in duplici mox referendo facto verum delictum, sed ad summum merum errorem video. Fatendum sane est S. Audoeno, ex cujus scriptis innotescunt, maxime hæc displicuisse, et ut* D *genuinas culpas habita fuisse ; sed modus quo S. Audoenus de* S. Mummolino *loquitur, nescio quem torvum oculum sinistrumque animum arguat ; ita ut, dum facta admittuntur, abstinendum videatur a judicio, quod de eis ille fert aut suggerit. Cui rei ansam forsan dederunt Hibernicæ aut Scoticæ consuetudines, quas Luxovio haustas, servabat absque dubio* S. Mummolinus *cum cæterorum episcoporum gravamine. Porro prius factum in litteras retulit his verbis* (*f*) : Vir quidam sive ex causa, sive absque causa, ferreis quondam nexibus constrictus, cum ad supplicium duceretur, clancule... elapsus ad ecclesiam Sancti Eligii confugit, *ubi...* repente disrupta catena, qua premebatur,... cecidit... Mox præditores... rursum acceptam catenam in collo ac manibus ejus injiciunt... *Orat miser ; et* effracta catena, longius ab eo prosiluit. Deinde jam omnibus recedentibus, solaque catena dissipata in testimonium remanente, cum aliquot horarum fluxisset spatium, supervenit episcopus ejusdem loci, et audiens de miraculo quod ibi tunc acciderat, visus est ad horam dubitasse, qui statim inde progrediens cum ascendisset equum, E quo illuc advectus fuerat, mansuetissimum, mox ab eo in terram projectus, gravissimis doloribus est confectus. Et confestim culpam dubietatis episcopus reminiscens, palam coram omnibus confiteri est compulsus ; sicque inde sublevatus, et salutem post dies plurimos adeptus, cautus deinceps in talibus est redditus. *Quid culpæ, quæso, est non continuo acquiescere testimonio* unius, *quantum noverat Sanctus, nebulonis (omnes enim recesserant) tale miraculum enarrantis?* S. Mummolini *prudentiam miror, ejus* dubietatem *non culpo. Quod vero ab equo dejectus fuit, atque id pœnam sibi divinitus inflictam æstimavit, culpam minime probat.*

et injuste abrepti equi accusatione,

46 *Alterum factum sequenti capite sic exponitur* (*g*) : Et quia se occasio præbuit, quod de hujusmodi conditione loqui deberem, dicam et aliud hujus rei simillimum. Dum igitur adviveret vir beatus, habuerat equum unum inter cæteros mansuetissimum, cui cum necessitas poposcisset, plerumque sedere consueverat ; post cujus videlicet discessum ad ditionem abbatis, qui eidem basilicæ præerat, idem equus pervenerat; super quem vir apostolicus Mummolenus ejusdem F loci episcopus inhianter sitiens, violenter eum prædicto abbati subripuit, suoque juri vindicavit. Abbas vero, nihil ei obtendere audens, ad Sanctum illico perrexit Eligium, eique multa deplorans causam hanc commendavit. Cum ergo prædictus equus ad ditionem episcopi fuisset perductus, cœpit statim pedibus condolere, ac toto corpore marcescente tabescens, decidere : tunc episcopus, adhibito mulomedico, jussit ei studium impendere, quo scilicet sanari potuisset : sed quamvis ei cura sedule impenderetur, nihil prorsus proficere poterat : insuper etiam cum ad eum aliquis accessisset, velut fera agrestis in fremitus et calces prosiliens laniare curatorem suum nitebatur. Cumque hæc per dies plurimos faceret, nullatenusque melioraretur, tandem verens episcopus ne eum, si hoc in periculo permaneret, totum perderet, cuidam illum matronæ sibi dilectæ doni gratia obtulit, quem illa acceptum diligenti cura studiari fecit : cujus cum dorsum die quadam iter arripiens insedisset ; statim calcibus et stridoribus immensis actus,

(*a*) Les Pays-Bas avant et durant la domination Romaine t. I, p. 38. — (*b*) Collect. concil. Labbe, t. VII, col. 1256. — (*c*) Ibid., col. 1263. — (*d*) Ibid., t. VIII, col. 42. — (*e*) Act. SS. Belgii select., t. II, p. 117 et seq. — (*f*) Vit. S. Eligii, lib. II, cap. XLV. Act. SS. Belgii. t. III, p. 293. — (*g*) Ibid., cap. XLVI, p. 293 et seq.

graviter

graviter eam in terram collisit, in tantum graviter, ut per totum fere annum eadem conquassatione laborans ægra decumberet : quæ nimirum fœmina cum se sentiret vehementer aggravari, remisit episcopo quem dederat equum, et cum eo pariter pro munere exacerbationem, ac pro gratiarum actione probra mandavit; quem episcopus receptum rursus diligere * jussit, sed cuncta ejus diligentia incassum consumebatur, et quantum plus cura adhibebatur, tantum semper idem in pejus delabebatur. Post hæc autem exstitit quidam presbyter religiosus, qui daret episcopo consilium, quatenus videret, cum nihil apud se posset equus proficere, redderet illum eidem abbati, cui dudum injuste ablatus fuisset; et cum secundum ejus consilium factum esset, post paucos dies sanus factus equus, ac mansuetissimus redditus, sub jure ejusdem abbatis permansit omni forma decorus. *Huc usque S. Audoenus.*

* diligenter curare

quam plurima adjuncta infirmant.

47 *Gravis sane accusatio; sed ita gravis, ut, si quis attendat* S. Mummolinum *episcopali nuper dignitate auctum fuisse, eum antea in Sithivensi monasterio SS. Bertinum et Ebertramnum ad sanctitatis leges instituisse, et magni eum factum a S. Audomaro, explicationem, si quæ solida reperiri possit, facile admittere debeat. Jam vero, ut diximus, S. Audoeno, hæc narranti, alienum a* S. Mummolino *animum fuisse, ob Scoticas forte consuetudines, undique apparet : nam, ut alia multa taceam, quis crederet ab episcopo talia de collega litteris creditum iri, nisi quædam exstitisset simultas? Secundo, unam tantum partem, abbatem scilicet Sparvum, audivisse videtur S. Audoenus; quæ altera ratio maxime ejus minuit auctoritatem : quid enim, ut a similibus arguamus, sentiremus de S. Joanne Chrysostomo, unius S. Hieronymi dictis cognitis* (*a*)*? Quid de S. Lullo, Egile S. Sturmii biographo solo audito* (*b*)*? Tertio, alii episcopi et regina S. Bathildis modo omnino diverso judicaverint oportet de hoc negotio : nam si verum furtum fuisset, secundum canonem* X *concilii Parisiensis, anno* 615 *celebrati,* usque ad emendationis suæ vel restitutionis rei ablatæ tempus, a consortio ecclesiastico vel a Christianorum convivio habitus fuisset alienus *sanctus* Mummolinus ; *et tamen interea, ut ex ipso S. Audoeno* (*c*) *luculenter colligimus*, *transtulit* S. Mummolinus, *aliis episcopis, clero et S. Bathilde operam conferentibus, sancti decessoris sui Eligii corpus; unde sane liquet aliam fuisse Sparvi, aliam collegarum* S. Mummolini *sententiam. Quarto, persuasum esse debet* (*quandoquidem de certis fieri non solet litigatio*) *S. Eligii donationem non constitisse* S. Mummolino *vel ex testamento, vel ex alio authentico instrumento : quamobrem, cum id temporis jam obtineret usus diripiendi defunctorum episcoporum res domesticas, idque aliquantum locum habuisset in ipso S. Eligii funere, (diaconum scilicet, natione Suevum, rachinam seu lecti stratum furatum fuisse tradit ipse S. Audoenus)* (*d*), *mirum esse non debet* S. Mummolinum *episcopio, cujus ipse naturalis defensor erat, vindicasse equum, quem non certo noverat a decessore suo donatum fuisse. Quamobrem cum bona fide* S. Mummolinus *equum hunc ad res episcopales pertinere credere potuerit, facile cernere est, ejus agendi rationem eam fuisse, qua quis ab inferiore suo læsus, vulgo uteretur : videlicet quem bona fide sibi competere credit equum, ab abbate cœnobii Noviomensis repetit : quo cum uti non posset, non abbati, ne in-de in se erigatur, sed alteri permittit; et demum receptum*, cum nihil apud se possit equus proficere, *ex amore pacis servandæ et scandali, ex monachorum ira forte orituri, vitandi causa, misellum animal ad eos remittit : quod vero pertinet ad miracula et prodigia, quibus divinam voluntatem indicatam vult S. Audoenus, ea supra communem ordinem non reputavit* S. Mummolinus , *siquidem mulomedicum adhibuerit; et quidem nescio an multi inter pios virtutis cultores sint, qui ob ejusmodi ostenta quidpiam de jure suo cederent. Atque hæc satis sunt, ut vel omnem a* S. Mummolino *avertant culpam, aut saltem quam maxime dubium faciant.*

Transfert corpus S. Eligii,

48 *Hæc autem, qualecumque tandem de eis feratur judicium, primo anno* S. Mummolini *episcopatus necdum expleto contigerunt, prout eruitur ex ipsa S. Audoeni narratione, qui factis hisce aliud subnectit Sancto nostro perhonorificum, similiter ante exitum anni primi ab obitu S. Eligii inchoatum :* His ita gestis, *inquit* (*e*), cum corpus Beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est episcopo (Mummolino *nempe*) et reginæ (*Bathildi*) consilium optimum, ut ædificata ultra altare volutione (*fornicem seu testitudinem, gallice* une voûte *intellige*) illic ei demum condignam facerent translationem. *Tum post nonnulla magis ad S. Eligium quam ad* S. Mummolinum *pertinentia, prosequitur Audoenus his verbis :* Sic igitur cum antistitis (Mummolini) præsidio opus aggredientes optatum, dignum Beato Confessori (*Eligio*) atque honorabile construxerunt mausolæum. Interea appropinquante die depositionis ejus annuali, *(igitur dicta ante exitum anni primi ab ejus obitu contigerunt)* parabant equidem cives quemadmodum ei honorificam facerent translationem. Præparabat etiam regina *(Bathildis)* vestimenta omnia holoserica nimium pretiosa, ut eum in die transmigrationis exueret illa quæ dudum cum eo miserat indumenta, et indueret ea quæ tunc præparabat nova. Igitur cum anno jam vertente, dies depositionis ejus advenisset, convenit in oppidum copiosa populi multitudo ; tunc cuncto clero canore vocis celebrante melodiam, omnibusque Christianis insistentibus excubiis, ablata est cum diligentia tumba desuper Confessoris membra : deinde cum esset levatum tumuli opertorium magnum circumstantibus visum est miraculum... Tunc episcopi *(scilicet* Mummolinus, *iique quos in peragenda translatione corporis S. Eligii adjutores habebat)* cum tremore magno levantes eum de tumulo, vestimenta ei pretiosissima, quæ regina paraverat, mutaverunt omnia; ea quoque quibus dudum obtectus fuerat, eumdem exuentes, cum magna diligentia deposuerunt sub sigillis ; ac sic demum... a loco, quo jacuerat vir sanctus, tunc coram cunctis submotus, cum summo et honorifico studio deponitur, atque in præparato sibi sepulcro urbane, ut decebat, componitur æternæ memoriæ servandus, ampliusque quotidie honorificandus. *Sic hæc contraxit Ghesquierus ex lib.* II *cap.* XLVII *Vitæ S. Eligii.*

S. Ebertramnum abbatem Sanctum Quintinianum constituit ; et pactum init cum S. Bertino :

49 *Ad primum quoque* S. Mummolini *episcopatus annum referendum esse censet Ghesquierus, ac fortassis ad ipsum ejus initium peractam a* S. Mummolino *Ebertramni, pristini sui in Luxoviensi monasterio, dein in vita apostolica, et in Sithivensi monasterio socii, promotionem ad abbatiam S. Quintini Veromanduensis, uti ex verbis secundæ Vitæ S. Bertini ab auctore anonymo, circa initium sæculi* X *conscriptæ, satis aperte colligitur.* « *Sic enim ille,*

(*a*) S. Hieronymi epist. 88, t. IV Oper. col. 727. Edit. Paris. 1706. — (*b*) Cfr infra Comment. de S. Lullo, § VI. — (*c*) Act. SS. Belgii, t. III, p. 294 et seq. — (*d*) Ibid., p. 290. — (*e*) Ibid., pag. 294.

» *ait*

A » *ait Ghesquierus, cap.* I, *num.* 6 : Interea decedente Achario *(imo S. Eligio)* episcopo urbis » Noviomæ, ad episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir Mummolinus provehitur, et Ebertramnus cœnobio Sancti Quintini a Mummolino » præfertur. *Quibus verbis anonymus, vel eo ipso tempore, quo ad episcopatum Noviomensem evectus est, vel certe paulo post, Ebertramnum præfatæ ecclesiæ S. Quintini a Sancto nostro abbatem præfectum fuisse satis indicat. Utut sit, jam tum saltem ei præerat Ebertramnus, cum* Mummolinus *episcopus cum Bertino Sithivensi abbate pactus est permutationem quorumdam bonorum, cujus meminit Folquinus diaconus, quamque Cointius anno Christi* 661, *Stiltingus vero anno* 662 *peractam scribit.* » *Quæ sententia Stiltingi sane verisimilior est, cum mense Februario, anno VI regni Chlotarii III, a medio mense Novembri anni* 661 *ad medium eumdem mensem anni* 662 *currente, hanc donationem ratam habitam fuisse novimus.* « *Sed tantillum discrimen, pergit Ghesquierus, nos morari non debet, quin ipsa subjiciamus Folquini verba, qualia apud Mabillonium* (*a*) *exstant. En illa :* Sub Francorum quoque B » principe* *(Chlotario III)* prædicti regis Hludovici filio, anno ipsius VI*, Verbique incarnati » DCLX, placuit venerabili viro Mummoleno » Noviomensi episcopo, domnoque Bertino abbati » de Sitdiu monasterio inter se aliqua permutare » locella deditque venerabilis Mummolenus episcopus domno Bertino abbati villam nuncupatam Vallis, quam de parte dederat viro reverentissimo Ebertramno abbate de Sancti Quintini cœnobio pro alia villa cognomento Tunnino, seu et in Brago et in Glindono, vel in Selertiago. Hæc quinque locella domno concessit Bertino. Et e contrario vir venerabilis Bertinus dedit Mummolino episcopo portionem suam de villa nuncupante Vausune, in pago Constantino, et locum aliud Launardiaca villa ad integrum ; quam commutationem regia auctoritate confirmare petierunt : quod et factum est. »

* Lothario *addit Guerard.*
* V *male scribit Guerard.*

illa S. Ebertramni institutio postea liti fovendæ adhibita est ;

C 50 *Hæc Ebertramni promotio aliæque similes causæ magnam olim suscitaverunt litem, de qua plurimi jam scripserunt historici aut apologi. Quæstio autem erat utrum ecclesia S. Quintini olim a monachis an a clericis aut canonicis fuisset occupata ; quod si numquam a monachis, deducebant inde San-Quintiniani eam totius Noviomensis diœcesis antiquissimam esse, cæterarumque matrem ; quæ antiquitas non sine quibusdam juribus exsistere poterat. Tria penes me sunt opera, quibus hac super re dissertationes immiscentur : horum recentissimum est* Historia antiquorum jurium San-Quintinopolis, *auctore Ludovico Hordret* (*b*) ; *aliud* Commentarii *sunt* ad historiam Veromanduorum (*c*), *auctore sæpe citato Ludovico Paulo Colliette, qui cum non tantum San-Quintiniani districtus decanus, sed et Sancti-Quintini regiæ ecclesiæ capellanus esset, hujus ecclesiæ jura totis humeris sustentare conatus est, condita amplissima dissertatione, quæ tomo I dicti operis inserta est ; tertius vero Hemeræus mihi est, qui passim in suo opere,* Augusta Viromanduorum illustrata, *ea de re agit* (*d*). *Verum cum reipublicæ et Ecclesiæ in Galliis perturbationes omnia ex antiquitate orta jura San-Quintinianæ ecclesiæ ademerint, atque proin unicuique jam liberius suam super istiusmodi rebus prodere sententiam liceat, non dubito asserere tam evidens esse ecclesiam S. Quintini tempore S. Eligii et* S. Mummolini *atque duobus sæculis post a monachis possessam fuisse, ut quis controversiarum quam veritatis amantior dicendus mihi sit, qui illud admittere renuat. Non vero est quod hic latius hac de re argumenta depromamus, cum apud ipsum Colliette, præter viri voluntatem, sat multa sincerus lector reperiet, quibus convellatur manca ipsius prætensio, dummodo reperta ad suos fontes referre velit.* D

pactum vero cum S. Bertino erroribus nonnullis dedit locum.

51 *Ex Folquini verbis, quæ paulo supra recitavimus ad indicandum, quo circiter tempore* S. Mummolinus *Ebertramnum præfecerit monasterio San-Quintiniano, colligere simul licuit anno* VI *Clotarii regis commutationem ab eo fuisse initam cum S. Bertino. Ut notavit Folquinus, Clotarius, seu si mavis, Bathildis ejus mater confirmavit hanc permutationem. Cujus confirmationis litteræ exstant in tractatu Mabillonii de re diplomatica* (*e*), *in supplemento operum diplomaticorum Miræi* (*f*), *in Collectione scriptorum rerum Francicarum D. Bouquet* (*g*), *inter Diplomata Brequigny* (*h*), *et in Cl. V. Guerard Sithivensi Chartulario* (*i*). *In quo diplomate Ebertramnus, non ut apud Folquinum* de Sancti Quintini cœnobio abbas, *sed* abbas de basilica Sancti Quintini *dicitur. Verum cum Valesius separato opusculo, Disceptatione scilicet de basicilis, quas primi reges Francorum condiderunt, an ab origine monachos habuerunt, majori suo operi de Rebus Francicis dein adjecto, adversus Launoyi dicta affirmantem sententiam fauste propugnaverit, distinctio inter* abbatem de cœnobio *et* abbatem de basilica *in verbis tantum hæret. Quod secundo loco super hoc diplomate notandum est, semel in eo dicitur* S. Mummolinus episcopus vel abbas : *quod utrum vitium sit a Folquino inter describendum admissum ; an vero alludatur ad pristinum ejus munus in monasterio Sithivensi ; an, quod jam tum interdum fiebat, episcopale cum nescio quo abbatiali pedo conjunxerit, aliis definiendum relinquo. Tertio notetur in hoc contractu metropolitani mentionem non fieri, quoniam mera commutatio erat, et solum secundum canonem* XII *concilii Epaonensis anni* 517 nullus episcopus de rebus ecclesiæ suæ sine conscientia metropolitani sui, vendendi aliquid habebat potestatem, utili tamen omnibus commutatione permissa. *Quarto, recte animadvertit Ghesquierus Iperium cap.* I, *part.* 10, *hujus permutationis et diplomatis Clotarii meminisse ; cætera vero narrari ab Iperio, ut hic relata sunt ; sed perperam asseri villam* Vausune, *aut* Vasime, *ut ipse vocat, S. Bertino obvenisse* ex hæreditate paterna ; *quem errorem, (miror eum recurrere in opere Trudperti Neugart* (*k*), *Germania sacra), docte jam refutavit Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (*l*), *distinguens* pagum Constantiensem *in Germania a* pago Constantino, *et censens per* pagum Constantinum, *in quo villa illa sita esse affirmatur, designari pagum* Constantinum, *situm in hodierna, aut si mavis pristina, Normania ad Oceanum ; qui pagus vulgo* le Cotantin, *vel* le Coutantin *dicitur ; id nomen sortitus a* Constantia Gallica *(Coutances), ut Valesius ostendit in Notitia Galliarum* (*m*). *Qua de re plura videsis in memorato Stiltingi Commentario. Et quinto demum noverit lector Ebertramnum anno* 1785 *adscriptum fuisse Kalendario San-Audomarensi et anno* 1817 *Kalendario Atrebatensi ;* E F

(*a*) De re diplomat., p. 605. Cfr Chartularium Sithivense. Edit. a cl. v. Guerard, ex quo correxi. — (*b*) Legendæ imprimis p. 92 et seqq. — (*c*) Mémoire pour servir à l'hist. du Vermandois, t. I, p. 252 et seqq. — (*d*) Vide imprimis p. 114. — (*e*) P. 605 et seq. — (*f*) T. II, p. 925. — (*g*) T. IV p. 643. — (*h*) T. I, p. 237. — (*i*) P. 20 et seq. — (*k*) T. I, part. I, p. 38. — (*l*) Act. SS., t. II Septemb., p. 556. — (*m*) P. 156.

et

A *et abhinc utrobique die* XXIV *Januarii sortitum esse festum.*

Subscripsit S. Mummolinus *testamento S. Amandi et dicitur Sant-Amandinum templum consecrasse ;*

52 « *Vidimus supra, denuo pergimus cum Ghesquiero,* S. Mummolinum *una cum episcopis aliquot translationi S. Eligii piam sedulamque navantem operam ; ipsum nunc videamus Elnonensis templi consecrationi operantem, una cum S. Reolo episcopo Remensi, Sancto Amando Trajectensi quondam antistite, S. Vindiciano Cameracensi atque Atrebatensi episcopo, S. Bertino Sithiensi abbate, binisque aliis abbatibus, nimirum Aldeberto Bavoniano, et Joanne Blandiniensi. Elnonensis chronographus apud Buzelinum lib.* II *Annalium Gallo-Flandriæ hoc fere modo rem gestam refert :* S. Amandus, *quod erexerat* Elnone templum (Sancti Amandi *seu* Amandinum *postea dictum*) insigni pompa dedicavit in honorem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, convocatis episcopis in monasterio Elnone : Reolo archiepiscopo Remensi, Mommoleno Tornacensi et Noviomensi, Vindiciano Cameracensi et Atrebatensi, abbate Bertino, Aldeberto, Joanne, quibus subscribentibus te-

B stamentum suum confirmavit ; *idque ut ipso testamento adscribitur, anno secundo regni Domini nostri Theodorici regis, sub die* XV *kalendas Maii, seu* XVII *Aprilis.* » *De anno autem, quo hæc facta sunt, disputavit latius Ghesquierus* (*a*) *ostenditque testamento huic verisimiliter episcopos illos atque abbates subscripsisse eodem die, quo Elnonense templum consecratum fuit, nimirum* XVII *Aprilis, quæ dies anno* 679 *in Dominicam incidebat, inchoato tunc anno secundo monarchiæ Theodorici regis.* » *Cæterum, ita pergit Ghesquierus, tametsi S. Amandus episcopalem dignitatem jam pridem adeptus esset, atque ipse Elnonense templum erexisset, non dubium tamen est, quin* S. Mummolino, » *utpote in cujus Tornacensi diœcesi templum illud situm erat, præcipuas in illius consecratione partes detulerit ; ut adeo non abs re asseratur* Mummolinus Elnonensem basilicam consecrasse, » rogante Amando, cujus testamento subscripsit, » *quemadmodum in Officiis propriis diœcesis Tornacensis, anno* 1731 *editis* (*b*), *lectione* VI *legitur.* » *Dubium id tamen nobis est ob præsentiam S. Reoli metropolitani.*

aliis plurimis solemnibus instrumentis subscripsit.

53 *Aliis quoque nec minus solemnibus instrumentis calculum suum adjecit* Mummolinus, *videlicet privilegio Emmonis Senonensis, monasterio Senonensi S. Petri-Vivi anno III Clotarii regis concesso ; de quo* § III *late actum est. Triennio post,* sub die *scilicet* XVIII Maji anno VI regni domni... Clothacarii regis, *signum suum apposuisse reperitur* S. Mummolinus *chartæ, qua S. Audomarus, Teruanensis episcopus, basilicam S. Mariæ, in oppido dein de S. Audomaro appellato a se constitutam, et sub patrocinio S. Bertini regendam, ab omni episcopali subjectione exemit. Chartam hanc, quam partim vulgavit Mabillonius* (*c*), *integram vero Malbrancq* (*d*), *Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (*e*), *Brequigny* (*f*) *juxta apographum collatum cum chartulario Folquini, Cl. V. Guerard* (*g*) *juxta idem chartularium, aliique, adorti sunt quam plurimi, e quibus : Cointium in Annalibus ecclesiasticis Francorum* (*h*), *et defensores ecclesiæ San-Audomarensis* (*i*), *nominasse satis fuerit ; alii vero strenue propugnarunt, quos inter : Benedictini, Novi de re diplomatica tractatus auctores* (*k*), *assertores jurium monasterii Sithivensis* (*l*), *et Brequigny* (*m*) ; *ex qua vero parte collocem Stiltingum nostrum* (*n*), *qui propter subscriptiones, difficultatem nonnullam incurrentes, eam integram asserere non audet, neque tamen supposititiam, non omnino video. Quidquid sit de fide harum subscriptionum, cum aliunde constet, ut ostendit Stiltingus* (*o*), *ecclesiam illam a S. Audomaro datam fuisse Sithivensi abbati, S. Bertino ; et præterea cum Sam-Bertiniani probarint privilegium absolutæ libertatis, præfata charta contentum, jure a se vindicari, ita ut id eis solemni judicio curia Parisiensis confirmarit die* III *Februarii anni* 1778 (*p*) ; *ipsa charta, quæ nullis probabilibus argumentis impeti potest, ut late diduxit Stiltingus, omnino admittenda videtur ; et quod ad subscriptiones attinet, si quæ mutatæ aut dein appositæ fuerunt, has inter referendum non est signum* S. Mummolini ; *quem dubium non est, ei suum apposuisse nomen, cum tot vincula cum SS. Audomaro et Bertino conjungerent, et non ita procul a Teruana habitaret. Ejus autem subscriptio, quæ prima post S. Audomari venit, ita sonat :* In Christi nomine Mummolenus, acsi peccator, episcopus, rogatus pro indiculo domni Audomari subscripsi. *Sequenti anno subscripsit idem Sanctus alteri diplomati, Bertefredi nempe, episcopi Ambianensis, pro libertate monachorum Corbeiensium. Edidit J. Mabillonius hujus diplomatis partem in Annalibus Benedictinis* (*q*), *alii vero plures integrum, ut num.* 70 *notavimus. Launoyus et Cointius pro viribus id impugnarunt, oleum tamen perdentes et operam, ut colligitur ex Brequigny* (*r*). Datum *id fuit* sub die octavo idus Septembris anno septimo regnante Chlotario rege, Captuniaco in palatio publice. *Unde corrigendus est Ghesquierus* (*s*), *qui, præter morem suum Galliæ Christianæ dicta ad fontes non referens, annum sextum regni Clotarii notavit. Refertur hæc charta a Brequigny ad annum* 622, *quoniam initium regni Clotarii III a die* VI *mensis Septembris anni* 656 *computavit ; verum cum secunda hebdomade mensis Novembris anni* 659 *annus tertius adhuc curreret, ut superius cum Pagio adnotavimus, liquet diem octavum idus Septembris anno septimo regni Clotarii cum die sexta Septembris anni* 663 *convenire. Sub eodem Clotario calculum quoque suum apposuit diplomati S. Drausii, episcopi Suessionensis ; quod supra num.* 40 *jam citavimus. Quoniam vero diploma illud inscribitur* S. Mummolino *et septem aliis provinciæ Remensis episcopis, qui omnes fere ad calcem cum aliis ex vicinis ecclesiasticis provinciis subscripserunt, manifestum fit diploma illud circumlatum fuisse, non secus ac Senonense, de quo paulo supra iterum diximus, neque necessario proinde* S. Mummolinum *tetendisse* Augustam Suessionum, *ubi* VI kalendas Julii anno decimo Chlotarii, gloriosi regis, *constitutio illa* acta est, *seu concessa. Neque unica hujus circumferendi diplomatis ratio erat, quod moris ferme esset, ut comprovinciales episcopi hujuscemodi constitutiones suo confirmarent chirographo : nam, ut loquitur D. Michael Germain* (*t*), notatu dignum est, privilegium istud ad comprovinciales dumtaxat Remensis metropolis antistites fuisse directum, eo quod illi certis casibus abbatissarum interessent electionibus, uti Carolus Calvus in diplomate (*u*),... profitetur *anno* 846. *Demum sub Childerico II sub-*

(*a*) Act. SS. Belgii, t. IX, p. 181. — (*b*) P. 214. — (*c*) Annal. Ord. S. Bened., t. I, p. 419. Edit. Luc. — (*d*) De Morinis, t. I, p. 669. — (*e*) Act. SS., t. II Septemb., p. 566. — (*f*) Diplom., t. I, p. 238 et seqq. — (*g*) Cartulaire de l'abb. de St-Bertin, pag. 23 et seqq. — (*h*) T. III, p. 516. — (*i*) Vérité de l'église de St-Omer, p. 100 et seqq. — (*k*) Nouv. Trait. de diplomat., t. V, p. 4 et seqq. — (*l*) Origine de l'abb. de St-Bertin, p. 71 et seqq. — (*m*) Diplom., t. I, p. 238 et seqq. — (*n*) Act. SS., t. II, p. 567 et seqq. — (*o*) Ibid., p. 565 et 570 et seqq. — (*p*) Brequigny Diplom., t. I, p. 238. — (*q*) Ad annum 663, § I, t. I, p. 432. Ed. Lucen. — (*r*) Diplomat., t. I, p. 241. — (*s*) Act. SS. Belgii, t. IV, p. 409. — (*t*) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 425. — (*u*) Vide ibid. diploma., p. 427 et seq.

scripsit

scripsit Sanctus litteris S. Bercharii pro monasterio Dervensi; quas anno 672 *concessas fuisse statuit colendus meus collega in Commentario de hoc Sancto, qui continuo hic sequitur; de eodem diplomate plura ibidem videat lector. Atque hæc sunt* S. Mummolini *gesta, prætermissa a biographis, aliunde tamen antiquis firmata testimoniis.*

§ V. De morte, sepultura, elevatione et translatione Reliquiarum S. Mummolini; de Reliquiis concessis monasterio S. Bertini.

Anno 683, *seu secundum alios anno* 685 *mortuus,* S. Mummolinus *sepelitur in sacello S. Georgii, dein SS. Apostolorum, et demum S. Godebertæ dicto,*

Quæ *adjuncta* S. Mummolini *mortem comitata fuerint, satis explicant biographi; quod vero pertinet ad tempus, aliunde id inquirendum videtur. Porro consentiunt omnes* S. Mummolini *biographi cum biographo S. Audomari* (*a*) *in assignandis ejus episcopatui viginti sex annis : unde cum eum vel anno* 657 *exeunte vel* 658 *ineunte ad Noviomenses atque Tornacenses infulas evectum fuisse dixerimus, oportet ut ejus obitum anno* 683 *illigemus, qui vigesimus sextus ejus episcopatus erat. Alii vero, qui eum biennio tardius ad episcopalem sedem promotum statuunt, biennio quoque serius ejus mortem referant oportet. Itaque, cum jam moriturus esset, paternis verbis monuit clericos suos, corpusque suum extra urbem condi jussit; cui jussioni obsecundans ejus clerus, sepelivit eum* extra mœnia ante portam castri, juxta monasterium, quod *tempore biographi alterius* jam dudum in honorem duodecim Apostolorum fundabatur, quo in loco statuta erat congregatio sanctimonialium. *Antiquiores vero biographi paulo aliter locum exprimunt, cum dicunt :* extra muros ante portam aquariam; in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum. *At duplex hic oritur quæstio : prior scilicet, quomodo sibi constent hæc duo asserta,* S. Mummolinum *sepultum fuisse juxta ejus mandatum* extra mœnia *aut* muros ante portam castri *seu* aquariam, *et simul conditum fuisse juxta monasterium exstructum in honorem duodecim Apostolorum, cum, ut habet Papebrochius* (*b*), *teste Ludovico de Montigny, Noviomensis Ecclesiæ archidiacono, in annotatis suis ad Vitam Sanctæ Godebertæ Virginis* (*c*), *anno* 1630 *Parisiis editam, et alio non minus securo teste Colliette passim in suis de pago Veromanduorum commentariis, monasterium duodecim Apostolorum jam pridem una ex decem Noviomensis urbis parochiis fuerit. Altera quæstio in hoc versatur quod* S. Mummolinus *a pluribus biographis* in ecclesia Sanctorum Apostolorum sepultus *fuisse dicitur, et tamen in recentioribus nonnullis de eo sacris lectionibus, quas propugnator jurium ecclesiæ Sant-Audomarensis allegat* (*d*), *et in Annalibus Benedictinis* (*e*) *statuitur* S. Mummolinum in communi cœmeterio Christianorum fuisse sepultum; *quod commune cœmeterium certe non erat hæc ecclesia, tum quoniam exigua erat valde, tum quoniam sacri canones vetabant ecclesiam commune cœmeterium esse, ut late imprimis videre est apud Ludovicum Thomassinum de disciplina Ecclesiæ* (*f*).

quod tum erat in suburbio Noviomi,

55 *Ad priorem quæstionem jam respondit Ghesquierus in Commentario de* S. Mummolino *num.* 30, *cœnobium illud, seu, si præplacet, S. Georgii oratorium, SS. Apostolorum monasterio dein inclusum, sæculo Christi septimo extra Noviomensis urbis mœnia re vera situm fuisse; tametsi nunc, imo jam pridem, ampliato urbis pomœrio, oppidi ambitu inclusum sit, adeo ut locus, quem olim porta* Castri *seu* Castelli, *aut* aquaria *occupabat, nunc sit vicinus illi, ubi modo sunt putei in frumentario urbis foro. Cui explicationi absque hæsitatione suffragandum est, quandoquidem in Vita S. Godebertæ Virginis* (*g*), *circa annum* 700 *defunctæ, hæc leguntur :* Convenientes itaque *(S. Godeberta ejusque sociæ)* IN SUBURBIUM URBIS NOVIOMICÆ in oratorium scilicet *(S. Georgii)* quod a rege susceperant, die noctuque Deo deservire infatigabiliter elaborabant. *Non ergo sibi contrarii sunt biographi, dum uno loco aiunt :* Mummolinum extra Noviomensis urbis mœnia ante portam castri (*vel* aquariam) *sepeliri voluisse; alio autem loco, eum conditum esse* juxta monasterium in honorem duodecim Apostolorum *fundatum.*

non autem sepelitur in communi cœmeterio.

56 *Ad alteram quæstionem non ita facile respondere est, quoniam nullum monumentum omnino cœvum exstat, atque idcirco adversus afferenda loca objici potest : scriptores testari quod suis oculis viderent, non quod sæculo ante factum esset. Verumtamen cum testimonium non quidem cœvum, sed suppar melius sit, quam nullum testimonium, neque hujus generis monumentum absque probata ratione possit rejici, affirmare non hæsito* S. Mummolinum *non in communi cœmeterio, sed in ecclesia S. Georgii, seu duodecim Apostolorum continuo post mortem fuisse sepultum, non autem illuc postea translatum. Antiquiores quippe Vitæ expresse id habent, eisque suffragatur laudatæ S. Godebertæ Vita, quæ sæculo* x *æstimatur conscripta fuisse. In hac enim occurrunt sequentia verba* (*h*) : Sepulta est itaque egregia Dei famula *(S. Godeberta)* tertio Idus Aprilis, in oratorio B. Georgii, in ecclesia quæ modo dicitur SS. Apostolorum, ubi et corpus S. Mummoleni ejusdem civitatis episcopi honorifice sepelierunt.

In S. Godebertæ templo cum aliis Sanctis

57 *Locus vero, ubi depositus fuit* S. Mummolinus, *sacellum forte est, quod ante turbas gallicas S. Godebertæ nomen in hac ecclesia habebat. Quod si Papebrochii verbis, eruditis Ludovici Montiniacensis annotationibus ad Vitam S. Godebertæ utentis, fidere licet, erat hoc sacellum vel crypta, vel saltem cryptæ species; tradit enim sacrarium illud* ad dextram partem chori, INFRA sacellum Sanctæ Crucis *fuisse. Cum vero docet* ibidem adhuc superesse veteris tumbæ partem magnam, insculptas habentem duorum episcoporum imagines, et inter eas tertiam unam mediam in habitu sanctimonialis, similemque repræsentationem videri in ecclesiæ propylæo ex parte cœmeterii, *unusquisque facile suspicabitur alterutram* S. Mummolini *esse; verumtamen non ita luculenta hæc res est cum duo alii sancti episcopi præter* Mummolinum, *sepulturam illic nacti dicantur. Papebrochius enim in citato de S. Godeberta Commentario* (*i*) *tradit non tantum in S. Godebertæ seu duodecim Apostolorum templo notabiles particulas ex corpore S. Eunucii ostendi et coli, verum etiam olim inde elevatum fuisse sacrum ejus corpus : quæ verisimiliter hausta fuerunt ex Montiniacensis annotatis. Et quidem, licet Stiltingus, qui ad* x *Septembris S. Eunucii gesta illustravit, omnino tacuerit de primitiva S. Eunucii sepultura, quamquam multus fuit in ejus recensendis translationibus* (*k*); *omnino admittendum videtur, illic*

(*a*) Act. SS., t. III Septemb., p. 399. — (*b*) Act. SS. t. II Apr. p. 33. — (*c*) P. 63. — (*d*) Vérité de l'égl. de S. Omer, p. 222 et 234. — (*e*) T. I, p. 528. — (*f*) Lib. I, part. III, cap. LXV. Edit. Gallic. — (*g*) Act. SS., t. II April. p. 33, num. 5. — (*h*) Ibid., p. 34, num. 12. — (*i*) Act. SS., t. II April. p. 32. — (*k*) Act. SS., t. III Septemb., p. 617.

A *S. Eunucii corpus terræ mandatum fuisse, propter elevationis festum, de quo inferius continuo dicetur. Cousin vero, Tornacensis historiographus* (*a*), *ex cap.* XV *operis Democharis de Sacrificio Missæ, ex tomo I Cosmographiæ Belforestii, et ex Officiis ecclesiasticis sæculo* XVII *et* XVIII *Noviomensis et Tornacensis Ecclesiarum, perhibet S. Acharium, decessorem S. Eligii, in S. Georgii oratorio terra conditum fuisse. Verum, cum S. Eunucius recentior sit S. Godeberta, et lapis ille indicare videatur hanc sanctam Christi ancillam inter duos episcopos sepulcro impositam fuisse, verisimilius est alterum sanctum nostrum* Mummolinum *esse, alterum sanctum Acharium.*

Elevatur e terra, et postea transfertur ad templum cathedrale Noviomense.

58 *Neque minus obscurum est temporis spatium, quod* S. Mummolinus *illic jacuit, priusquam ex terra elevaretur et dein ad cathedrale Noviomense templum tranferretur. Habemus quidem tamquam summe verisimile, uno tempore* SS. Mummolini, *Godebertæ et Eunucii corpora elevata fuisse; quoniam una festivitate triplex hæc elevatio olim celebrabatur, ut liquet ex his Papebrochii verbis* (*b*) :

B Eadem ecclesia *(SS. Apostolorum)* hodie inter sacras Reliquias possidet et ostendit notabiles particulas ex corporibus SS. Eunucii et Godebertæ, quorum et S. Mummolini, in eadem quoque ecclesia sepulti, ELEVATIO in Martyrologio ecclesiæ cathedralis notatur ad XXVII Aprilis ; *verum minime constat, quo tempore hæc elevatio facta fuerit. Cum tamen S. Eunucius circa medium sæculum* VIII *obiisse feratur* (*c*), *serius hoc tempore eam contigisse statuendum est. Ast, si una celebritate hæc trium Sanctorum corpora elevata videantur, certum est non uno anno eadem fuisse translata. S. Eunucii enim sacræ exuviæ circa medium sæculum decimum a Radulpho seu Hadulpho, Noviomensi episcopo, translatæ fuerunt in templum S. Lupi, dein S. Eligii, ut permulti testantur apud laudatum Stiltingum* (*d*) ; *quin ex ecclesia SS. Apostolorum motum fuerit corpus S. Godebertæ, ut planum intelligere est ex bulla Joannis Papæ XV, quam post Vassorium in Annalibus Noviomensibus* (*e*) *edidit Colliette in Commentariis de pago Veromanduensi* (*f*) ; *atque aliunde, ex inedito scilicet Catalogo episcoporum Tornacensium et Noviomensium, nobis innotescit (quod Noviomenses latuisse, cum Papebrochius suum de S. Godeberta scriberet*

C *Commentarium, ex litteris Nicolai de la Haye Noviomensis decani cognovimus) a* Balduino *episcopo Noviomensi* translatum *fuisse* corpus S. Godebertæ ab oratorio S. Georgii *(seu SS. Apostolorum)* ad basilicam Virginis Mariæ Noviomensis anno 1167 die XXVII mensis Aprilis ; *quæ dies anniversaria erat elevationis* SS. Mummolini, *Eunucii et ejusdem S. Godebertæ. Atque ex his satis liquere arbitror, non eodem tempore triplicem illum thesaurum translatum fuisse. Verumtamen quod pertinet ad* S. Mummolinum, *crederem jam pridem ante sæculum* XVI *corpus ejus ad ecclesiam cathedralem delatum fuisse : tum quod ecclesia SS. Apostolorum, utpote extra mœnia posita bellatorum direptionibus obnoxia erat* (*g*); *quod tum credibile non est tam diu cathedralis ecclesiæ canonicos passos esse hæc sacra pignora a præcipuo suo templo abesse, cum per eos staret hæc illuc transferre. Simili argumento utitur Papebrochius, ubi de translatione S. Godebertæ agit.*

59 *Sed stylum referamus ad Ghesquierum, qui num.* 32 *sic prosequitur : « Non ita liquet quid sibi » velit* Mummolini *biographus, dum de præfato mo-* » *nasterio loquens, hæc verba subjicit :* Quod jam » dudum ad honorem duodecim Apostolorum a » sanctissimis viris FUNDATUR. *An forte postremo* » *hocce verbo indicare voluit, monasterium illud, eo* » *tempore, quo scribebat, inchoatum quidem jam* » *dudum, sed necdum peractum fuisse? Suspicor id* » *quidem, at affirmare non ausim, cum nuspiam* » *expressum invenerim tempus, sed neque sanctis-* « *simorum virorum nomina, a quibus S. Georgii* » *oratorium, mutato priore nomine, erectum fuit in* » *monasterium, Sanctorum Apostolorum dictum. Id* » *unum mihi liquet, cœnobium illud ante exitum* » *sæculi decimi appellatum fuisse abbatiam S. Go-* » *debertæ Virginis, uti patet apud Vassorium in* » *Annalibus Ecclesiæ Noviomensis* (*h*), *ex diplo-* » *mate Joannis Papæ XV, Liudulfo, seu Liudul-* » *pho, Noviomensi episcopo, anno* 988 *concesso, quo* » *simul asseritur monasterium illud constructum* » *fuisse* in honore beatorum Apostolorum Petri » et Pauli, *nulla cæterorum Apostolorum facta men-* » *tione. Constat etiam ex epistola Guidonis, No-* » *viomensis thesaurarii, sub annum* 1050 *scripta,* » *quam videsis tom. X Galliæ Christianæ auctæ,* E » *inter instrumenta* (*i*), *jam tum* » *(imo tempore episcoporum Walberti et Transmari, id est ante annum* 950, *ut liquet ex ipsa Guidonis scriptione)* « *virgines, quæ in eo degebant monasterio, sancti-* » *moniales Sanctæ Godebertæ dictas, ipsum vero* » *monasterium, abbatiam S. Godebertæ (loquitur* » *Guido de temporibus Liudulfi, ante annum* 988). » *Cum autem postremum hoc nomen ei deinceps ad-* » *hæserit, oportet, ut certe ante annum* 988 *mona-* » *sterium illud, seu saltem monasterii basilica, uti* » *Sancti nostri biographus loquitur, Sancti* Mum- » moleni *sumpserit vocabula, ac diu quidem ante,* » *et forte currente ipsomet sæculo octavo.* » *Liceat mihi parumper hic sistere egregium Ghesquierum : non enim ei assentio, cum hæc biographi recentioris dicta :* ad cujus *(Dei)* laudem in præsentiarum constructa basilica usque in hodiernum diem, Sancti Mummolini sumpsit vocabula, *interpretatur ac si de ecclesia duodecim Apostolorum ageretur. Etenim nusquam vocatur hæc ecclesia nomine* S. Mummolini ; *præterea concessisset sane Ghesquierus de hac ecclesia hic non agi, si* S. Mummolini *nomen non obtinuit, priusquam SS. Apostolorum nomine, quod sæculo decimo adhuc gerebat, in-* F *signiretur ; atqui recentior biographus, (in supposito quod hæc ecclesia ab eo indicaretur,) affirmasset eam* usque in hodiernum *(quo scribebat)* diem Sancti Mummolini sumpsisse vocabula, *et biographus vetustior eamdem ecclesiam jam nomine* SS. Apostolorum *apppellasset.*

D *Templum S. Mummolini, de quo recentiores biographi, non videtur esse idem ac templum S. Godebertæ,*

sed idem potius ac templum Veteris monasterii.

60 *Porro cum hæc non consonent, neque in pristina diœcesi Noviomensi (de Tornacensi, ubi cultus recentior videtur, mentionem non facio) ullum, quod sciam, umquam exstiterit templum, (sane superiori sæculo nullum exstitisse liquet ex indice beneficiorum* (*k*), *edito a Colliette), libenter crederem* basilicam, quæ S. MUMMOLINI sumebat vocabula, *Templum Veteris monasterii fuisse, ubi diu commoratum vidimus* S. Mummolinum. *Cletyus quidem, non indoctus Sam-Bertinianæ bibliothecæ præfectus, scripsit ad Stiltingum nostrum* (*l*) : Illud Vetus monasterium cum suis officinis per bella Gallorum et Anglorum combustum fuit anno MCDXCVII. Felicioribus temporibus eodem in loco erecta fuit parochia sub nomine S. Mummo-

(*a*) Hist. de Tournay, liv. II, p. 39. — (*b*) T. II April., p. 32. (*c*) Cfr. Act. SS., t. III Sept., p. 617 et Gall. Christ., t. IX. col. 986. — (*d*) Act SS., t. III Sept., 617, num. 3. — (*e*) P. 734.— (*f*) Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermandois, t. I. p. 577. — (*g*) Cfr Colliette. Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermand., t. III, p. 344.— (*h*) P. 734. — (*i*) Col. 365.— (*k*) Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermand., t. III, ad calcem. — (*l*) Act. SS., t. II Septemb., p. 561.

lini,

A lini, in spiritualibus et temporalibus omnino dependens ab abbatia S. Bertini ; *verum inde non evincitur Veteris monasterii templum* S. Mummolini *vocabulo insignitum non fuisse ante suam destructionem ; atque adeo, cum feliciora hæc tempora, quæ laudat Cletyus, recentiora videantur (nam exeunte sæculo* XV, *tanta apud Sam-Bertinianos orta erat rei pecuniariæ penuria, ut, nedum de ædificando templo cogitandum esset, successor Johannis IX in tantum monasterium bonis evacuatum invenerit, ut pro confirmatione suæ electionis prosequenda Reliquiarum capsæ, vasa servitio divina deputata, imagines Beatæ Mariæ, Audomari atque Bertini argenteæ, auroque munitæ, atque ecclesiæ calices, præcipue calix aureus, diversis gemmis ornatus, venumdati sint ; licet antea abbas Johannes IX lumen ecclesiæ religiosorumque præbendas ad medium diminuisset, aliaque hujusmodi egisset parcissime ; de quibus legenda est Continuatio Sam-Bertiniani Chronici* (*a*) *cum, inquam, faustiora hæc tempora non ita continuo post hanc cladem secuta sint, devenimus ad tardiorem ætatem, quam ut ineunte sæculo* XVII *Veteris monasterii templum* S. Mummo-

B lini *per magnam Galliæ partem cognosceretur, et e longinquo ad id fierent piæ peregrinationes, quales, ut ad calcem hujus Commentarii videbitur, describit Malbrancquius ; nisi jam ante memoratam destructionem* S. Mummolini *cultus ibidem vigeret.*

Miracula et translatio partis capitis ad Sithivense monasterium,

61 *Ad Ghesquierum num.* 33 *sic disserentem revertor :* » *Quod autem ad miracula spectat, quæ* » *biographus asserit* S. Mummolini *patrocinio pa-* » *trata fuisse, horum ego nuspiam narrationem spe-* » *cialem, sed neque documenta authentica invenire* » *quivi ; propterea tamen affirmanti biographo fidem* » *non abnuo, quandoquidem illa, ut alia multa in-* » *strumenta vetera, iniquitate temporum dein in-* » *tercidisse potuerunt. Idem dictum puta de insigni* » *miraculo a* S. Mummolino *patrato, revocati ni-* » *mirum defuncti hominis ad vitam, quod se Cousin* » *in antiquis Mss. legisse asserit tomo II Histo-* » *riæ Tornacensis* (*b*). » *Ex plurimis autem, qui mihi præsto sunt episcoporum Tornacensium catalogi duo hæc habent :* Cui *(S. Eligio)* successit B. Momolenus, qui virum mortuum suscitavit, et plurima alia miracula Dominus per eum operatus est. *Eadem fere reperire est in Chronico Tornacensi, quod Baro ab Reiffenberg carminibus Philippi*

C *Mouskes, a se editis, subjecit* (*c*), *et in opere Malbrancquii de Morinis* (*d*). *Sic vero pergit Ghesquierus :* « *Frustra quoque inquisivi in acta translatio-* » *nis S. Mummolini* (*confer num.* 58)*; cujus corpus* » *nunc asservatur in cathedrali Noviomensi, ut tra-* » *dunt scriptores tomi IX Galliæ Christianæ auctæ* » (*e*), *pars autem capitis in Sithivensi seu Bertinia-* » *na ecclesia.* » *Idem ante eos commemoravit Malbrancquius* (*f*) *paulo latius, hæc illustrans his verbis :* Modo in cathedrali Noviomensium basilica ad aram principem eminet divite feretro, ad dextrum S. Eligii latus, lævum, Godebertha tenente. Audomaropoli Bertinenses ostentant ejus capitis partem aliasque particulas.

quam monumenta Noviomense

62 *De advectione harum Reliquiarum ad Sancti Bertini plurima adjuncta servaverunt nobis historici. Vassorius imprimis in Annalibus Noviomensibus edidit conclusionem capitularem latinam, qua donatio horum pignorum facta est ; en ut eam anno* 1841 *nobis descripsit Reverendus admodum Dominus Delettre, id temporis Vicarius Capitularis Belvacensis :* Capitulo facto die Mercurii 15 Junii 1463, congregati Domini super expeditione particulæ gloriosi capitis B. Mommoleni, jam diu promissæ Reverendo in Christo Patri Domino D Gullelmo, Dei gratia Tornacensi episcopo, et abbati monasterii Sancti Bertini in Sancto Audemaro, ac recondendæ in ipso monasterio cum corpore seu Reliquiis B. Bertini, ut quemadmodum in vita comites exstiterunt, ita et habeant simul corporum Reliquias ; pro quibus Reliquiis reverenter, ut decet, recipiendis, a dicto reverendo Patre destinati sunt religiosi ac providi viri Domini : Andreas de Crehen, Joannes de Pratis, monachi prætacti monasterii, ac Nicolaus Erembaud, laicus baillivus ejusdem monasterii ; advisaverunt Domini prænominati procedere in hunc modum, videlicet quod missa de Requiem finita, cum omni reverentia deferatur ad majus altare præfatum caput Beati Mommoleni, et inde accipiatur reverenter illa particula quam ipsis religiosis decreverunt Domini communicare; quod et factum est. Choro siquidem congregato et cantante, allatum præfatum caput ad majus altare, a quo extractæ fuerunt una magna particula, cum quatuor aliis, una majori et aliis minutis, in eodem monasterio amodo venerandis, quod facere promiserunt dicti religiosi et baillivus, petentes E super hoc sibi fieri et tradi litteras capituli, quæ concessæ sunt. *Huc usque Noviomense instrumentum.*

et Sam-Bertiniana certam faciunt.

63 *His consona habet Continuatio Chronici Iperii, seu Sam-Bertiniani, ubi sequentia reperio :* Willelmus cognomento Filatrius abbas LXIV . . . tabulam majoris altaris argenteam ac deauratam renovavit, omnesque gemmas per eam stratas de proprio dedit ; novam capsam Beati Bertini lapidibus pretiosis ornatam, thecamque argenteam partem capitis S. Mommolini continentem, hic de Noviomo ad ejus petitionem translatam, cum gemmis quas dedit ornavit. Pannum unum album gemmis munitum (repa *seu* reba *ejusmodi panni, Sanctorum Reliquias tegentes, olim dicebantur)* super ejus (Mummolini) altare suspendendum donavit. *Abbas vero ille Willelmus, qui Virdunensem, Tullensem et Tornacensem episcopales cathedras successive occupavit, et ab anno* 1459 *ad* 1473 *S. Bertini abbatiam obtinuit, non alias tamen quam postulatoris partes hic egit, ut liquet ex additione, quam in codice Sam-Bertiniano Continuationi Iperii Chronici ad hunc locum appositam unus e decessoribus nostris reperit et exscripsit ; ita sonat :* F Hanc partem capitis D. Mummolini D. Andreas de Crehen prior Veteris monasterii, XXII Junii Dominica die anni 1463, huc per duos canonicos ecclesiæ cathedralis Noviomensis delatam excepit solemniter. *Altare vero illud, de quo in Continuatione Sam-Bertiniani Chronici mentio fit, non videtur exstitisse usque ad Gallicanæ reipublicæ perturbationes; siquidem in superius laudata descriptione abbatiæ Sancti Bertini* (*g*), *in qua omnia recensetur altaria, altare* S. Mummolini *non prodit. Reliquiæ vero Sancti nostri, quæ nihil passæ fuerunt tempore bellorum Gallos inter et Alemannos, plurimum detrimenti monasterio Sancti Bertini afferentium (multus in his est Continuator Chronici), inter superioris sæculi turbas amissæ videntur. Quæ concludi posse autumo ex his, quibus descriptores abbatiæ Sancti Bertini librum suum claudunt verbis :* Hæc capsa reliquiaria *(intelligit ermam S. Bertini, cujus cupro insculptam imaginem edidit Stiltingus* (*h*) *in Commentario de S. Bertino)* anno 1793 fracta fuit, ut ad monetæ officinam mitteretur, cum reliqua argentea supellectile, quæ in abbatiæ thesauro servabatur : *atqui non est cur*

(*a*) D. Martenne Ampliss. Collect., t. VI col. 630 et seq. — (*b*) P. 123. — (*c*) T. I, p. 535. — (*d*) Ibid., 502 — (*e*) Col. 985. — (*f*) De Morinis, t. I, p. 502. — (*g*) Descript. de l'abbaye de St.Bertin, p. 23 et seqq.— (*h*) Act. SS., t. II Sept., p.585.

ab

A *ab hac sorte eximamus* S. Mummolini *Reliquiarum pyxidem. Hæc de Reliquiis in Sancti Bertini olim servatis : superest ut Noviomensium, cæterarum fontis, recentiora fata explicemus. Nam quod nihil dicamus de iis, quæ olim in abbatia S. Eligii servatæ dicuntur ab editoribus Lovaniensibus Vitarum Sanctorum Butleri, ratio est, quod nihil uspiam a nobis de iis repertum fuit; atque adeo suspicio nobis est, abbatiam S. Bertini erronee S. Eligii appellatam fuisse : quandoquidem hagiographi illi nihil statuant de lipsanis, ad S. Bertini asservatis, quorum reliqui biographi meminerunt; dum de aliis, quæ ignorantur ab omnibus, sermones faciunt.*

§ VI. Quæ fata Reliquiæ S. Mummolini expertæ sint Noviomi annis 1793 et 1795; invocatio ejus publica et privata.

Instrumentum recognitionis Reliquiarum Noviomensium, B *Reliquiæ* S. Mummolini, *quæ Noviomi multa olim reverentia servabantur, temporibus turbatæ reipublicæ gallicanæ profanas quidem expertæ fuerunt manus, non tamen, qualiter Sam-Bertinianæ perierunt. Quæ constant ex instrumento authentico, quod mediante laudato Reverendo admodum Domino Delettre, transmisit ad nos R. D. Thièble, parochus Noviomensis, affirmans submissum ecgraphum conforme esse exemplari in archivio Noviomensi asservato, testificansque hoc exemplar unicum monumentum esse, quod penes Noviomenses sit de suarum Reliquiarum conservatione. In eo non tantum mentio fit de* S. Mummolini *lipsanis; verum de exuviis quoque S. Godebertæ honoratæ die* XI *Aprilis, S. Medardi die* VIII *Junii celebrati, S. Acharii die* XXVII *Novembris culti, S. Eligii, quem venerantur die* I *Decembris, et S. Albini, quem eumdem arbitror ac S. Albinum Andegavensem episcopum, de quo egerunt jam pridem decessores nostri* (a); *quandoquidem hunc solum Albinum ad diem* I *Martii a Noviomensibus cultum reperio in Breviario anni* 1630. *Integrum tamen in instrumentum, gallice conscriptum, qualitercumque latinum faciendum visum est; tunc quoniam SS. Eligius, Medardus aliique in Ecclesia Dei illustrissimi cœlites sunt, eorumque adeo lipsanon sortem novisse* C *magni refert, tum quoniam eo instrumento planum fit, quomodo id temporis res a schismaticis gererentur. Quod vero pertinet ad versionem latinam, ante omnia curandum visum est, ut ad verbum fere gallica scriptio latina fieret; unde difficilem stylum excusare velit lector. Præterea cum Commentarius ille nonnihil aliquando obscurus esset propter immensas incidentes sententias, boni consultum est aliquot interponere parentheses, quæ in exemplari gallico desunt, atque adeo quædam repetere, quæ ne confunderentur cum genuino textu, alio charactere hic excusa fuerunt.*

anno 1793 factæ. 65 *En demum illud instrumentum :* Anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, die vigesima tertia Augusti, hora undecima matutina, nos Carolus Ludovicus Franciscus Frémont, presbyter, et Josephus Gaspard Catrières, similiter presbyter, invitati a quatuor ecclesiasticis viris presbyteris, scilicet : Petro Armando Richousftz, Carolo Francisco Lejeune, Ludovico Carolo Francisco Dautrevaux et Antonio Despréaux, officia ministerii pastoralis obeuntibus in ecclesia Noviomensi ; *(invitati quoque)* a commissariis, quibus incumbit administratio temporalis dictæ ecclesiæ quoad ædis cultum et sarta tecta procuranda, scilicet : Carolo Francisco Dionysio de Mory, Jacobo Mauritio Antonio Reneusve (?), Petro Eligio Pluche, Mauritio Dionysio Ludovico Aniano Cerdougnon, Stephano Liegoux, Claudio Josepho Lessertisseur, Joanne Francisco Trousselle, Francisco Ramboux, Joanne Baptista Vatin, Francisco Le Mesnil, Joanne Baptista Mozet, Carolo Dominico Sezille d'Armancourt, Francisco Du Jourdan, Joanne Baptista Guilbert, Ludovico Cremery, Ludovico Jacobo Francisco Le Moumier, Josepho Dionysio Florente Beaudoux, Joanne Beaudoux, Ludovico Pluche, et Carolo Francisco Josepho Sauvel, et *(obsecundantes)* votis fidelium catholicorum civitatis et accessionum Noviomi, tetendimus ad majorem sacristiam supradictæ ecclesiæ ; quo cum venissemus circa horam undecimam matutinam dictæ diei, collocuti sumus cum prædictis nominatis presbyteris et commissariis, (subscribentibus præsenti instrumento, scripto et composito a Carolo Francisco Josepho Sauvel, uno e dictis commissariis, a nobis designato et electo ad harum litterarum confectionem, in præsentia reliqui E cleri dictæ ecclesiæ et multitudinis civium dictæ civitatis et suburbiorum, qui nobiscum quoque subscripserunt), de præsenti statu Reliquiarum Sanctorum patronorum hujus ecclesiæ et aliorum Sanctorum, qui semper in ea venerationem nacti sunt, et quarum semper depositum servavit. D

Sacrista Noviomensis testatur, 66 Ad finem dicti colloquii nobis visum est, factum esse notitia publica certum, tempore spoliationis et ablationis capsarum ex auro, argento, aliis metallis et ligno confectarum, (in quibus conditæ erant Reliquiæ,) varia ossa et pretiosas Reliquias horum Sanctorum pleraque mansisse penes Eustachium Rohault sacristam dictæ ecclesiæ, qui ut eas direptioni et majori violationi subduceret, eas in ambitu dictæ ecclesiæ, in cœmeterium ordinato et circumdato claustris, humaverat, appositis signis characteristicis, quæ indices posteritati essent. Quamobrem, consilio presbyterorum et commissariorum subscribentium accepto, postulavimus ut dictus Rohault sacrista coram nobis et subscribentibus compareret, interrogandus de factis et articulis : quem, ad nos ingressum, invitavimus ad respondendum secundum veritatem omnibus rogatis atque quæsitis, a nobis faciendis; F quoniam de majori Dei gloria et honore ejus Sanctorum agebatur.

a se visam spoliationem, anno 1793 factam; 67 Et cum affirmanter respondisset a se visos fuisse plures viros ingredientes in dictam ecclesiam circa primos dies mensis Novembris, anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii, (quin omnino certum posset determinare diem), adeuntes thesaurum et alia loca in quibus depositæ erant dictæ capsæ, et quorum claves porrigere coactus fuerat ; ab istis hominibus integras extractas fuisse has pretiosas Reliquias e locis in quibus hucusque servatæ fuerant, ab eis capsas apertas fuisse, revulsasque, et aurum, argentum aliaque metalla, quibus claudebantur hæc pretiosæ exuviæ, ablata fuisse ; et quod pertinet ad has sacras exuvias, ossa et Reliquias, hæc ab eis separatim relicta fuisse secundum spolationis ordinem ; se animadvertisse per et sub ablationem dictarum capsarum modicas aliquot ossium particulas a quibusdam sublatas fuisse ; homines, qui in mandatis habebant spoliationem, tulisse et ferenda curasse in locum, quo pagi *(district)* consilium coibat, aurum, argentum et alia me-

(a) Act. SS., t. I Martii, p. 54.

A talla ex dictis capsis et reliquiariis thecis provenientia;

Reliquias SS. Eligii, Medardi, Godebertæ, Acharii, Mummolini, *Albini, etc., a se humatas fuisse;*

68 Se vero perculsum, quod in tali statu videret prædictas Reliquias, et quid ad omnem direptionem et violationem impediendam faceret inscium, videntem præterea prædictam ecclesiam sapientibus et illustratis *(éclairés)* presbyteris, qui se dirigere possent, orbam, statuisse sequi consilium sibi indicatum et suggestum a cive Prus, id temporis civitatis consule *(maire)*; quod ejusmodi erat, ut humaret prædictas Reliquias, et super Reliquiis S. Eligii, S. Medardi, et S. Godebertæ lapides sepulcrales collocaret; (quod dicto sacristæ mentem indidit super aliis Reliquiis similiter qualiacumque signa ponendi;) quamobrem a dicto Rohault sacrista translata fuisse in prædictum ecclesiæ ambitum omnia ossa et Reliquias pretiosas S. Eligii, S. Medardi, S. Acharii, S. Mummolini, S. Godebertæ, qui cuncti patroni dictæ ecclesiæ, S. Albini et alius sancti episcopi et martyris cujus nomen nobis prodere non potuit; 1° in dicto ecclesiæ ambitu a se foveam factam fuisse e regione tertii arcus
B extremorum claustrorum, cum quis a sacrariis S. Andreæ et S. Catharinæ pergit ad locum capitularem; a se in dicta fovea collocatas fuisse, minime confusas, Reliquias S. Eligii, S. Medardi et S. Godebertæ, et a se coopertam fuisse dictam foveam prius lapide sepulcrali, ovato, e marmore nigro, dein gleba dicto lapidi injecta; non procul a dicta fovea basim versus columnæ *(en tirant vers le pied*, autumo abesse : *du pilier)*, a se erutam fuisse alteram foveam, in qua locavit S. Mummolini Reliquias, eamque continuo a se tectam fuisse immediate impositis lapidibus, tamquam signis, et deinde gleba; in spatio autem, quod a columna (quartum et quintum arcus dictorum claustrorum distinguente) porrigitur, e regione dictorum sacrariorum S. Andreæ et S. Catharinæ, tres exiguas a se factas fuisse foveas; in quarum prima ecclesiam versus S. Albini Reliquias collocavit; in media post illam condidit Reliquias sancti episcopi et martyris, cujus nomen, ut supra, nobis indicare non potuit; et in tertia demum, eamdem amussim sequens, posuit Reliquias S. Acharii; postremum vero, lapides a se appositos fuisse dictis ternis Reliquiis, et ter-
C ram superadditam fuisse.

a se monitos paulo post duos presbyteros, eisque indicatum locum;

69 2° Rogatus deinde dictus Rohault, quempiamne post hanc operationem et inhumationem monuisset, respondit se aliquanto tempore post (quin certum diem assignare posset), veritum ne morereturur, priusquam hæ sacræ Reliquiæ loco honorifico collocari possent, efflagitasse a. . . . Hallu et Francisco Montjoye ambobus presbyteris, ut pergerent ad dictum ecclesiæ ambitum, visuri et recogniturі varia loca inhumationis et apposita signa. 3° Rogatus an dicti Hallu et Montjoye reapse recognovissent dicta inhumationes et signa, affirmanter respondit : Recognoverunt.

a se visas minores pyxides ablatas ante dictam spoliationem;

70 4° Rogatus, vidissetne auferri alias minores thecas et reliquiarias capsas, quarum pars semper fuerat penes dictam ecclesiam, et quarum aliæ ad ecclesias suppressas pertinentes huc allatæ fuerant, respondit ante ablationem lipsanothecarum S. Eligii, S. Medardi, S. Godebertæ, S. Mummolini, S. Acharii, S. Albini et sancti episcopi et martyris, cujus nomen se lateat, se vidisse abripi et auferri plures ex his minoribus capsis et lipsanothecis, seque ignorare quid factum fuisset de modicis ossium particulis, quas capiebant.

71 5° Rogatus, vidissetne instrumenta authentiæ addita dictis Reliquiis, respondit se vidisse duas membranas, sigillis munitas, se eis potitum esse, easque ambas tradidisse Carolo Francisco Lejeune, uni e quatuor prænominatis presbyteris; qui hic præsens confestim exhibuit hæc duo instrumenta, spectantia ad Reliquias S. Medardi, prius incipiens his verbis : *Jacobus de Rucheze*, et desinens his aliis : *ad id vocatis*, datum 1 Julii 1650 et munitum sigillis episcopi Cabillonensis ejusque capituli; alterum spectans ad easdem Reliquias, incipiens his verbis : *Nous, Doyen, Chanoines*, et desinens his aliis : *les jour et an que dessus*, datum 1 Julii 1650, munitum sigillo capituli S. Stephani Divionensis. D

instrumenta authentiæ Reliquiarum S. Medardi a se visa et servata;

72 6° Rogatus an advertisset pannos, quibus involverentur prædictæ Reliquiæ, respondit singulis Reliquiis suum fuisse involucrum e serico rubro (in quantum meminit) contextum e pleraque hæc involucra a se posita fuisse cum dictis Reliquiis in foveis. 7° Rogatus num quid præterea monere vel docere posset, respondit se nihil præterea novisse. Lectione facta horum quæsitorum responsorumque, declaravit dictus Rohault se in suis dictis persistere, et in his scriptis veritatem contineri, præsentique instrumento nobis-
E cum subscripsit. — *Sign.* : Rohault. — Et cum prædicti Hallu et Montjoye notitiam habeant utilem et proficuam præsenti operationi, exemplo eos invitandos curavimus, ut eam nobiscum communicarent : quocirca affirmaverunt se non ita pridem vidisse dicta inhumationes et signa, qualia supra relata sunt, quandoquidem uterque prædicto tempore perrexerunt ad dictum ecclesiæ ambitum cum dicto Rohault. — *Sign.*: Montjoye. — *Deest in ecgrapho nostro signum* Hallu.

et item Reliquiarum involucra; indicati duo presbyteri testantur sibi locum monstratum fuisse.

Itur ad humationis locum;

73 Muniti his omnibus notitiis, monitis, et instructionibus, omnibus bene perpensis, et sancto Dei nomine invocato, invitavimus quatuor presbyteros, commissarios supra memoratos, dictum Rohault, dictos Hallu et Montjoye, Jacobum Mariam Ludovicum Dufour, medicum, Joannem Dominicum Damianum Boulongne, chirurgum, reliquum clerum dictæ ecclesiæ et multitudinem civium, ut nos comitarentur ad dictum ecclesiæ ambitum, sive ut viri necessarii recognitioni et exhumationibus supradictarum Reliquiarum, sive ut testes dictarum exhumationum et translationum. Omnes per portam claustrorum, qua itur ad sacraria S. Andreæ et S. Catharinæ, ingressi, F tetendimus sic stipati, et vestibus ecclesiasticis induti, usque ad plagam, quæ est e regione tertii arcus extremorum claustrorum, de quo in præsenti instrumento dictum, et quidem ad marginem foveæ, cui dictus Rohault iterum declaravit se infodisse absque confusione Reliquias S. Eligii, S. Medardi et S. Godebertæ; et dicti Hallu et Montjoye recognoverunt hunc esse locum et signa distinctiva quæ jam viderant; et continuo mandavimus terram eruendam esse donec appareret lapis sepulcralis et deinde ossa; quocirca terra unum pedem effossa, nobis apparuit lapis sepulcralis e marmore cæruleo *(bleu)* et nigro, duos pedes longus et decem uncias latus, quem continuo tollendum mandavimus; quod cum factum esset, nobis apparuit pannus e serico rubro, in duos saccos divisus.

effodiuntur et recensentur Reliquiæ S. Eligii,

74 Cum autem dictus Rohault præsens nobis dixisset saccum purpureum coloris obscurioris, et dicto arcui propius adjacentem, capere ossa et Reliquias S. Eligii, extemplo ipsi levavimus in præsentia totius concionis dictum saccum, quem fere integrum invenimus. Quem cum aperuissemus, et vocavissemus Dufour, medicum, et Boulongne chirurgum prænominatos, hi nobis indi-

caverunt

A caverunt ossium, quæ sat magno numero ibidem invenimus, sequentia nomina, scilicet : duas tibias, duo femora, humerum, duo minora ossa, (quæ cum eorum summa pars deesset, nominari nequiverunt), peronen, duo ossa innominata, vel ossa illicum, os sacrum, et tres vertebras, lumbares, duos calcaneos, astragalum, duplex os cuboides, unum scaphoides, et unum cuneiforme, rotulam, halangem digiti, partem costæ, maxillam inferiorem et plures particulas ossium, quæ nominari nequiverunt ; quæ omnia ossa cum dicto involucro continuo imposuimus linteo in qualo ovato, credito pro tempore dictæ operationis quatuor presbyteris in præsenti instrumento jam nominatis.

S. Medardi, 75 Deinde humo sustulimus alium saccum coloris minus obscuri, in quo dictus Rohault nobis illico declaravit se deposuisse et clausisse Reliquias S. Medardi et S. Godebertæ. Hos dictos saccos et involucra, integra fere a nobis reperta, cum aperuissemus, dicti Dufour et Boulongne varia ossa, in eis sat magno numero reperta, suo nomine insigniverunt, scilicet : femur sinistrum, B quod dictus Rohault nobis declaravit et recognovit extractum fuisse ex capsa reliquiaria S. Medardi, et a se ipso ut tale depositum esse in dicto sacco, in quo femore, utpote uno ex ossibus S. Medardi, ipsi statim vittam e charta alba apposuimus cum inscriptione : *os femur S. Medardi*, et sine mora traditum est dictis presbyteris.

S. Godebertæ, 76 Cum dictus Rohault iterum nobis dixisset et affirmasset reliqua ossa, dicto sacco inclusa, desumpta esse ex capsa et lipsanotheca nuncupata : *herma S. Godebertæ* (gallice *chef de sainte Godeberte*), dicti Dufour et Boulongne ea suis nominibus appellarunt, videlicet : totam partem superiorem cranii, duas tibias, duas partes humeri, femur dextrum fere integrum, femur sinistrum in duas partes divisum, tres vertebras dorsi, et plures partes dictarum vertebrarum, septem ossicula tum partium superiorum, tum partium inferiorum, duos calcaneos, duos astragalos, duplex os scaphoides, duplex cuboides, quinque cuneiformia. Tunc advenit Josephus Felix Apoix, medicus, quem rogavimus se jungere vellet dictis Dufour et Boulongne. Ossium descriptionem continuantes, dicti medici et chirurgus nobis indicaverunt ossa sequentia, nempe : tria ossa metatarsi, partem primæ costæ, et plura ossicula. Cum invenissemus in dicto sacco sigillum integrum et quinque fragmina sigillorum, ea cum omnibus prædictis Reliquiis S. Godebertæ imposuimus linteo in qualo ovato, quem credidimus dictis presbyteris servandum.

S. Mummolini; 77 Deinde aperiendam mandavimus foveam, in qua dictus Rohault affirmare pergit a se collocatas fuisse S. Mummolini Reliquias. Terra octo uncias effossa et lapidibus sublatis, nobis apparuit sat magna multitudo ossium cum modicis partibus panni e serico rubro ; quocirca dicti medici et chirurgus continuo sic nobis indicaverunt hæc ossa, videlicet : duo femora, duas tibias, duas partes perones, partem ossis cubiti (*vel* radii : *avant-bras*) duas partes humeri, duas partes ossis ilicum, maximam partem ossis sacri, primam costam, sex vertebras, partem maxillæ superioris, duos astragalos, duos calcaneos, duas partes rotulæ, et plura ossicula tum metatarsi tum metacarpi, duplex os scaphoides et plura alia ossicula ; quas omnes prædictas Reliquias continuo imposuimus linteo in qualo quadrato, credito ut supra.

78 Inde perreximus ad tres prædictas minores foveas, memoratas in præsenti instrumento ; mandavimus tres dictas foveas aperiendas, ut melius eas distinguere liceret ; animadvertimus ad unum e tribus locis (designatis a dicto Rohault,) et dicti Rohault, Hallu et Montjoye nobiscum animadverterunt terram videri motam fuisse post tempus designatum in præsenti instrumento. Cum vero terram fodiendam mandavissemus, tres vidimus ossium partitiones, sed minime secundum amussim ordinatas, secundum quam tamen a se locatas fuisse Reliquias S. Albini, S. Acharii et episcopi martyris, cujus nomen ut supra ei incognitum est. Cum autem terram paulo altius effodiendam curassemus, apparuit illic nobis magnus acervus ossium ad plurima corpora humana pertinentium. Cum itaque neque agnoscere potuerimus modum nobis indicatum, et quem verum esse nobis affirmare pergit dictus Rohault, neque distinguere dicta tria genera Reliquiarum, diversarum ab omnibus his ossibus, rogavimus ut omnia dicta illa ossa, qualiacumque forent, iterum in eodem loco humarentur, sed paulo altius quam antea ; quod continuo E in præsentia concionis factum est, et postulavimus a dicta concione, ut provideret modo ponendi signum characteristicum in loco dictæ inhumationis, siquidem prædictæ Reliquiæ illic fuerunt locatæ, quin queant hodie (*nescio quid interpositum illud ;* comme Dieu est *sibi velit*) distingui a cæteris ossibus : quod dicta concio se facturam esse pollicita est.

D *Reliquiæ SS. Albini, Acharii et Anonymi, ut pote loco motæ et suspectæ, denuo humantur.*

79 Omnibus exhumationibus, e terra elevationibus et recognitionibus Reliquiarum S. Eligii episcopi et patroni Noviomensis, S. Medardi item episcopi et patroni, S. Godebertæ virginis et patronæ Noviomensis et S. Mummolini episcopi Noviomensis in prædicto ecclesiæ ambitu sic factis, quatuor prædictis presbyteris reverenter portantibus prædictas Reliquias in præsentia omnium assistentium regressi sumus prius ad majorem sacristiam, unde profecti eramus. Quo progressi et ingressi, et sciscitati, an quæcumque ad reliquias ceremonias et translationem faciendam et officium divinum ut in festo Reliquiarum persolvendum pertinenti aparata essent, responso affirmante accepto, e prædicta sacristia, supplicantium ordine, circa horam secundam pomeridianam egressi sumus, (dum cantarentur hymni adjunctis proprii, et sacræ Reliquiæ, ut supra, portarentur) pergentes ad sanctuarium dictæ ecclesiæ ; quo pervenientes reperimus magnam mensam ornatam, cui statim impositæ fuerunt dictæ Reliquiæ juxta thecas eis capiendis paratas. Habita vero a nobismetipsis oratione præsenti ceremoniæ apta, benedixiumus capsas, hic inferius descriptas et a nobis decentes æstimatas ; et cum Ecclesia nullas Reliquias fidelium venerationi exhibeat, quin eas prius ut authenticas recognoverit, atque perfectam de illis notitiam nacta fuerit, dictus Dautrevaux legit alta et intelligibili voce coram concione præsentia rei gestæ acta ; qua lectione peracta manum admovimus ad transferendas prædictas Reliquias in capsas, singulis destinatas.

Priores Reliquiæ solemniter feruntur in chorum, et populo enuntiantur ;

F

80 Primum postquam colocavissemus omnes Reliquias S. Eligii, quales indicatæ et descriptæ sunt in præsenti instrumento, cum dicto ipso instrumento in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras extemplo consuendas mandavimus, quatuor distinctis locis suturarum apponi jussimus e rubra cera sigillum hujus ecclesiæ, constans e mono-

collocantur S. Eligii Reliquiæ in theca, quæ describitur ;

grammate,

A grammate, his litteris composito AVE M., eminente cruce et circumscriptione : ECCLESIA NOVIOMENSIS; deinde transtulimus et deposuimus dictas Reliquias sic involutas et sigillatas in capsa lignea, in qua jacebat pulvillus (*coussin de Dauphine*) floribus purpureis interpunctus, quam longa et lata est dicta capsa, quæ interius viginti sex uncias longa est, lata duodecim, et decem et dimidiam alta, sustentata octo globulis deauratis, basi sedecim et dimidiam uncias lata et triginta unam uncias longa; cujus basis ambitum ornat cymatium versum (*talon renversé*) et toreuma hemicyclicum (*quart de rond*) deauratum auro levigato; et cui basi innituntur octo columnæ tortiles, undecim et dimidiam uncias altæ, deauratæ auro levigato, et coronatæ trabeatione dorica, item auro levigato deaurata, nisi quod zophorus (*frise*) rubri venosique marmoris colorem imitatur. Porro hæc capsa in utraque collaterali parte tria vitra infixa habet, quorum duo (computata larga instita auro levigato deaurata) sex uncias lata, et novem uncias alta sunt; tertium, quod medium est, decem et dimidiam uncias latum et novem altum est; capsæ vero extremitates clauduntur vitro, novem et dimidiam uncias lato, et decem et dimidiam alto : quæ omnia vitra quatuor lineis procurrunt tum in partibus collateralibus tum in extremis; quatuor vero anguli trabeationis ornantur quatuor vasis ligneis tres uncias altis, et clauditur capsa gallico culmine, pro tempore croceis coloribus picto, septem uncias alto, et duabus testudinibus (*croupe*) instructo; quod culmen, utpote capsæ apertura, clausum et clavis continuo obfirmatum fuit, et dicto sigillo quatuor in locis cera signatoria obsignatum fuit. (*Quæ acta sunt*) ut dictæ Reliquiæ S. Eligii, translatæ, clausæ et obsignatæ, prout dictum est, in posterum, quemadmodum olim, exhibeantur venerationi fidelium in dicta ecclesia Noviomensi.

B

item Reliquiæ SS. Medardi, et Mummolini ;

81 Deinde cum S. Medardi Reliquias, quales in præsenti instrumento descriptæ sunt, cum ipso instrumento collocavissemus in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras extemplo consuendas mandavimus, quatuor locis suturarum dicti sacci dictum sigillum cera obsignatoria apponi jussimus, et dictas Reliquias cum Reliquiis Sancti MUMMOLINI pariter positis in sacco, ex simili panno, consuto et pariter obsignato simili cera in quatuor locis (instrumentum clausum in sacco, capiente S. Medardi Reliquias, commune est Reliquiis S. Mummolini) inclusimus capsæ ligneæ, in qua sternebatur pulvillus (*coussin de Dauphine*) floribus purpureis interpunctus, quam longa et lata est dicta capsa, quæ duos pedes in longitudinem et undecim et dimidiam uncias in latitudinem patet, et colore cæruleo picta ornatus rubros auro non levigato deauratos habet, et quæ sustinetur globulis deauratis auro levigato; ad alteram suam extremitatem instructa est ostiolo sex uncias lato, et septem et dimidiam alto, et munita tribus vitris arcuatis, quorum duo septem et dimidiam uncias alta et quinque et dimidiam larga sunt, et tertium quod medium occupat septem et dimidiam uncias altum et decem largum est. Capsæ vero culmen gallicum e duabus testudinibus septem uncias altis constat, et tota capsa colore rubro interius picta est. Duobus autem ostioli locis apponi jussimus cera signatoria dictum sigillum. (*Quæ acta sunt,*) ut dictæ Reliquiæ Sancti Medardi et Sancti MUMMOLINI in posterum ut olim fidelium veneration

C

exponantur in dicta ecclesia Noviomensi; et inseruimus dictæ capsæ authentiæ litteras episcopi Cabillonensis et capituli Divionensis, jam relatas in præsenti instrumento.

D

item cranium,

82 Præterea postquam collocavissemus cranium Sanctæ Godebertæ, quale superius descriptum et designatum est in pulvillo (*coussin de dauphine*) floribus purpureis interpuncto, in quo fixum et stabilitum est ope vittæ albæ floribus argenteis distinctæ, in crucem dispositæ, et cujus extremitates cera signatoria sigillatæ fuerunt, transtulimus, non secus ac supra, et posuimus dictum cranium vel caput, (cum præsenti instrumento sub dicto pulvillo collocato,) in capsa lignea, deaurata per totum suum ambitum auro levigato, quatuordecim et dimidiam uncias longa, larga undecim, et novem alta, suffulta basi et dein quatuor globulis, ornata quatuor parastatis ad quatuor angulos distributis, duas uncias largis, trabeatione dorica per capsæ ambitum tectis, et quadruplice linea procurrentibus, instructa ad utramque partem collateralem duobus vitris arcuatis, quatuor uncias longis, tres altis, tecta concamerato fastigio quinque uncias alto, et quatuor flammis (*vox lectu difficilior*) ad quatuor angulos, et interius colore rubro picta. (*Quæ acta sunt,*) ut dictum cranium vel caput, sic translatum, collocatum et sigillatum, in posterum ut olim, exhibeatur fidelium veneration in dicta ecclesia, potissimum in calamitatibus publicis, adversus quas speciatim majores nostri experti sunt ejus patrocinii faustos effectus et dictum concameratum fastigium in duabus ejus extremitatibus obsignavimus ut supra.

E

et cæteræ S. Godebertæ Reliquiæ; solemnitatis finis.

83 Postremum, cum cæteras Sanctæ Godebertæ Reliquias, quales superius descriptæ sunt, cum præsenti instrumento in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras ut supra consuendas mandavimus, et quatuor locis suturarum dicti sacci sigillum hujus ecclesiæ item ut supra apponi jussimus, prædictas Reliquias sic involutas et obsignatas transtulimus et posuimus in capsa lignea, cooperta chartis cæruleis, viginti duas uncias longa, larga decem, culmine gallico sex uncias alto, duabus testudinibus instructo, tecta; quod culmen, utpote aperturam, obsignandum mandavimus ut supra quatuor in locis, prius deponentes in dicta capsa sigillum integrum et quinque sigilli partes, de quibus dictum est in præsenti instrumento. (*Quæ acta sunt,*) ut prædictæ Reliquiæ sic translatæ, collocatæ et obsignatæ in posterum ut olim exhibeantur fidelium veneration in dicta ecclesia Noviomensi; et præsentem ceremoniam clausimus supplicatione intra ecclesiam facta cum omnibus prædictis Reliquiis; a qua reduces præcinimus et cantavimus hymnum TE DEUM; quem secutæ sunt horæ AD VESPERAS, cantatæ ut die festo Reliquiarum, et sub quibus dictæ sanctæ Reliquiæ manserunt expositæ fidelium venerationi. — Actum in dicta ecclesia, ubi subscripsimus præsenti instrumento cum omnibus viris in eo denominatis et cum multis civibus, postquam sigillum dictæ ecclesiæ apponi jussissemus. — *Sequuntur centum et decem subscriptiones.*

F

Explicantur miracula in Ecclesia S. Mummolini *olim fieri solita, et cultus Audomaropoli, Bononiæ, San-Quintinopoli, Brugis, Gandæ, Ipris,*

84 *Ut demum hunc de* S. Mummolino *Commentarium claudamus, pauca de ejus invocatione tum privata, tum publica memoranda videntur. Malrabncquius postquam meminit mortui a* S. Mummolino *ad Vitam revocati (de qua re diximus superius,) pergit in hæc verba* (*De Morinis lib.* IV, *cap.* XXIV, *tom. I, pag.* 502.) : Non opus est e finibus nostris excedere : satis eo loco, qui pene jam antiquo

A antiquo nomine oblitterato, non amplius Vetus monasterium, et æde ipsimet sacra, Mummolini nuncupatur, ejus sanctimoniam testata remanent in hodiernum diem vestigia. Siquidem in Belgio locus ipse hoc nomine advenis celebratissimus ; qui illic pueris trimis, vel quadrimis pene obmutescentibus, vel præpedita lingua in articulatas voces prorumpere nesciis propitium faciunt Mummolinum : pro more a parentibus toti garruli domum reducuntur. Dominus Eustachius Thery summus Bertinensium quæstor, dum illic ageret, mihi testatus est, etiam Parisiis advenas eo donatos beneficio. *(Liquet hanc pietatem ortam esse ex nomine* S. Mummolini, *seu* Mommoleni, *vicino voci theotiscæ* Mommolen, *latine* Mussitare, Mutire, *gallice* Grommeler.) Apud Audomarenses celebrior est ejus memoria, et peculiares addictæ preces. In Divorum Litania invocatur inter Confessores Eligium et Erkenbodonem, velut is qui moribundis subveniat. *Quod ad hunc tamen invocandi ordinem spectat, in Breviario Sant-Audomarensi anni* 1518 *et in renovato anni* 1785 *duplicem alium, utrumque prorsus diversum, reperio. Exulat*

B *vero* S. Mummolini *nomen non quidem ex antiquo Breviario, sed ex veteribus San-Quintinianis Litaniis, similiter ex veteribus atque amplissimis San-Donatianis Brugensibus et Proprio Brugensi. Gandæ numquam videtur fuisse cultus* S. Mummolinus, *licet olim pars maxima civitatis diœcesi Tornacensi subdita fuerit. Apud Atrebates recentior est* S. Mummolini *festivitas, atque ex conjunctione diœceseon Audomarensis et Boloniensis cum Atrebatensi videtur ortus. Anno saltem* 1632 *de eo istic non fiebat memoria, ut ex Officiis propriis hoc anno impressis nobis innotescit. At in Officiis, anno* 1817 *editis, occurrit ejus festum sub ritu semiduplici : lectiones eædem sunt ac illæ quæ in renovato Sant-Audomarensi exstant. Ipris vero, quas olim cum castello Menapiorum cepit diœcesis Tornacensis, donec apud ipsos Iprenses medio sæculo* XVI *episcopus constitutus est, cultus fuit* S. Mummolinus *ritu duplici saltem ab anno* 1629, *ut ex Proprio intelligimus.*

Tornaci et Noviomagi imprimis ;

85 *Usque ad iniens sæculum decimum septimum Tornaci, ubi neque olim, neque nunc ullæ servatæ fuerunt* S. Mummolini *Reliquiæ, (quantum ex antiquioribus scriptis Cousin, et ex nuperis Cl. V. Le*

C *Maistre d'Austaing* (*a*), *plura de* S. Mummolini *gestis, nihil de ejus lipsanis disserentibus, colligere queo,) obscura videtur fuisse hujus Tornacensis episcopi sanctimonia ; quin etiam in Officiis propriis Tornacensibus, anno* 1591 *Duaci excusis,* S. Mummolini *nomen abest a kalendario ; sed in aliis anno* 1626 *Tornaci editis* S. Mommolebius *confessor et pontifex signatur : cujus rei causa est, quod anno tantum* 1600, *ut tradit Cousin in Historia Tornacensi* (*b*), *Michael II de gente Esnea, episcopus Tornacensis, in synodo habita in ecclesia cathedrali jussit* S. Mummolini *festum per universam diœcesim celebrari; quod etiamnum obtinet. Nusquam autem majorem cultum olim habuit* S. Mummolinus, *quam Noviomi, ubi potissimum vixit, mortuus atque terræ creditus est. In Breviario enim Noviomensi anni* 1630 *festum ejus non tantum occurrit inter* duplicia tertiæ classis, quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur, *verum etiam inter* festa in diœcesi Noviomensi ex præcepto Ecclesiæ ab omnibus observanda, in quibus servile opus facere non licet. *Invocabatur quoque illic in Litaniis, quæ Ordinis commendationis animæ pars est. Ut jam ad ipsa diœceseon Officia transeam, hæc præter lectiones vix quidquam proprii habent. Unum Noviomense hanc antiphonam capit* ad Benedictus :

D

Exequias Sancti tristes comitantur alumni ;
Plebs in lamentis, clerus proclamat in hymnis :
Quo certe strepitu cœli devexa replentur.

In secundis vero vesperis ad Magnificat *hanc alteram:*

O pater et pastor, o præsul et alme sacerdos,
Mommolene, preces Christo, quas reddimus, offer :
Abluat ut culpas, detergat crimina nostra,
Quod sibi vivamus post mortem jugiter. Amen.

Antiqua Oratio hæc est : Deus, qui hunc diem Beati Mommolini Confessoris tui, atque Pontificis solemnitate consecrasti, præsta, quæsumus : ut ejus suffragia apud te sentiamus in cœlis, cujus hic pio amore solemnia veneramur in terra. Per. *In quibusdam diœcesibus, ubi vel cultus recentior est, vel breviarium novatum, aliam legere est. At satis mihi fuit quæ vetustatem sapiunt proferre. Mitto insuper dicere de crebris mutationibus in lectionibus factis, potissimum Audomaropoli, ubi anno* 1610 *omnia fiebant de Communi Pontificis ; Tornaci, ubi intio fere idem fiebat, etc. Ubique prope Missa* E Statuit *legitur, ut eam exhibet Missale Romanum.*

86 *Cultus vero ipse ad sæculum* X *saltem referendus est ; quoniam jam tum exstabat* basilica S. Mummolini *; quod liquet ex eo quod recentior biographus, qui hujus basilicæ meminit, loquitur quoque de sanctimonialibus S. Godebertæ ; atqui jam vidimus (licet nonnulli ut Malbrancquius hac in re aliam ingressi sint viam) has sanctimoniales tantum usque ad medium sæculum decimum exstitisse. Hæc de cultu in Gallia et Belgio. In Germania vero, ubi natus est, nulla de eo sacra memoria umquam facta fuisse videtur. Ejus quidem gesta explanat Helvetia Sancta* (*c*) *et Gabriel Bucelinus in Chronologia Constantiæ Rhenanæ* (*d*) *quædam, erroribus immixta, quoque affert ; at uterque prorsus silet de cultu. Initio hujus Commentarii diximus aliis diebus quam* XVI *Octobris* S. Mummolini *memoriam occurrere : imprimis Saussayus inter pios et sanctos nuntiat ordine alphabetico* S. Mummolinum monachum Luxoviensem, *licet* S. Mummolinum Noviomensem episcopum *jam* XVI *Octobris protulisset : uterque unus et idem est : ex Vita S. Audomari hunc* monachum Luxoviensem *absque dubio expiscatus fuerit. Memini jam num.* 58 *olim* S. Mummolini *elevationem* E *die* XXVII *Aprilis in Martyrologio Noviomensi celebratam fuisse ; præterea in duplici Martyrologio Benedictino Ms. atque inedito* XVIII *Maii nuntiatur festum* S. Mummolini episcopi Tornacensis ac monachi S. Petri *(primitus hoc nomen ferebat Sam-Bertiniana aut Sithivensis abbatia)* in diœcesi Bononiensi (*imo* Morinensi *aut* Sant-Audomarensi). *Inde editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri, qui hanc annuntiationem in Opere nostro ad* XVIII *Maii inter Prætermissos repererant, suspicati fuerunt* S. Mummolinum *hac die fuisse translatum ; verum non arridet hæc conjectura, quoniam ejus fundamentum, seu martyrologica illa annuntiatio nullius pretii est. Etenim ejus auctor nullius criticæ artis peritus erat ; adeo ut continuo subjungat :* Eodem die S. Ebertramni discipuli ejusdem (S. Mummolini), qui et ipse episcopus fuit post magistrum suum ; *quæ omnimode erronea sunt. Et quidem cum S. Ebertramnus in paucissimis Fastis, qui ejus nomen habent, ad* XXIV *Januarii annuntietur, nuspiam vero una cum* S. Mummolino, *crederem libenter eos in hoc kalendario una die prodire, quod* S. Mummolinus *et* S. Bertrandus *Convena-*

et, licet saltem ad sæculum X *ascendat, Constantiæ, in* S. Mummolini *patria, cultus ille non videtur exstitisse. Recensentur aliquot dies, quibus in Fastis sacris* S. Mummolinus *memoratur.*

(*a*) Recherches sur..... l'égl. cath. de Tournay, t. II, p. 19.— (*b*) Hist. de Tourn, lib. II, p. 123.— (*c*) P. 156.— (*d*) P. 116.

rum

A *rum episcopus die* XVI *Octobris coluntur, et proin abbatem Sancti Quintini confusum fuisse cum episcopo Convenensi. Præterea S. Ebertramnum, cujus cultus recentissimus videtur, nondum ex terra levatum autumamus; deinde kalendarium illud medio sæculo* XVII *recentius est, utpote de diœcesi Bononiensi agens; insuper confectum non est in agro Noviomensi, sed in Germania; et demum omittit* S. Mummolini *nomen ad* XVI *Octobris; unde denuo liquet meram transpositionem esse.*

De antiqua S. Mummolini *imagine.*

87 *Ad S.* Mummolini *quoque cultum pertinere voluit Ghesquierus* (*a*) *imaginem quamdam hujus Sancti, quam secundum ectypon, insertum Annalibus Mabillonii* (*b*), *cupro insculpatam post Commentarium de* S. Mummolino *exhibuit. Penes nos factus est Ghesquieri typus, eoque, utut imperfecto, nosmet ipsi infra usi sumus, quoniam operæ pretium visum non est novis impensis novum procurare.*



B

C

Invenerat Mabillonius hanc imaginem in codice Elnonensi cum formis S. Amandi Trajectensis episcopi, aliorumque qui hujus præsulis testamento subscripserunt, non secus ac S. Aldegundis, Malbodiensis abbatissæ, cui angelus S. Amandi cœlestem gloriam indicat. Cum autem Sancti nostri caput aureola cinctum illic exhibeatnr, ejusque nomini præponatur Sancti titulus, atque insuper S. Amandus tabulam quadratam ad caput habeat, quæ Sanctum adhuc viventem denotat, *ut Mabillonius* (*c*) *cum aliis bene multis statuit; scripsit Ghesquierus :* Quam vero minime recens sit Sancti nostri veneratio, abunde testatum facit Elnonensis codex antiquus, continens testamentum S. Amandi, cui Mummolinum subscripsisse ostendimus. *Verum, ut quod sentio, libere fatear, dubium mihi maxime est, an codex ille Elnonensis antiquior sit, quam Vita* S. Mummolini, *quam continuo edemus; et proinde an quidpiam ex eo colligi queat de antiquitate venerationis hujus Sancti. Nam quod spectat ad tabellam quadratam, S. Amandi capiti postpositam, nihil ea hic probare videtur; quandoquidem S. Amandus, anno* 679 *mortuus, tamquam vivus exhiberi non potuit, cum* S. Mummolinus, *anno* 683 *aut forte tardius vita functus, S. Bertinus circa annum* 700 *mortuus, aliique, qui S. Amando superstites fuerunt, cultum ecclesiasticum nacti essent. Neque nova est sententia, non omnes imagines, tabulas quadratas ad caput exhibentes, pictas fuisse, dum Sancti aliique quos efferunt in vivis essent. Nam, ut alia exempla mittam, exculpendam curavit Papebrochius noster* (*d*) *S. Gregorii Magni imaginem, quam ipse minime opinatur pictam fuisse, dum Sanctus ille viveret, licet tabula quadrata capiti applicita sit. Præterea Sancti titulus et aureola,* S. Mummolino *hic concessa, nihil certi evincere possunt, cum Baudemundus, S. Amandi biographus, testamenti scriptor et monasterii Blandiniensis Gandavi abbas, Sanctus quoque illic agnominetur et omnium ornatissimam aureolam habeat; licet in nullo, quod novimus, Martyrologio nomen ejus occurrat, eique Sancti titulus datus non sit Annalibus Blandiniensibus, nuperius a R. D. Vande Putte, tunc temporis collegii episcopalis Brugensis rectore, editis* (*e*). *Quare, etiamsi constaret codicem hunc ad exiens sæculum* VII *pertinere (nihil tamen statuit Mabillonius de vetustate picturæ et scriptionis), incertum tamen argumentum de vetustate cultus* S. Mummolini *inde deduceretur. Quod vero ad vestes cæterumque* S. Mummolini *habitum spectat, notatu digna est semilunaris in priore capitis parte tonsura, quam sæpius jam Hibernicam seu Scoticam nuncupavimus. De reliquis vestibus consulendus est præ reliquis Martinus Gerbertus in Vetere Liturgia Alemannica* (*f*), *in qua præclare pro more suo de vestibus sacris scripsit, et plurimas antiquas exhibuit formas. His annotatis, superest, ut jam edamus antiquissimam* S. Mummolini *Vitam, de qua in* § I *plura disseruimus.*

D

E

F

VITA

S. MUMMOLINI EPISCOPI

NOVIOMENSIS ET TORNACENSIS

Auctore anonymo.

Ex vetere Ms. codice Noviomensi.

Sancti patria; tirocinium vitæ religiosæ Luxoviense; prædicatio, et commoratio in aula Clotarii II; digressus ad S. Audomarum; condit Vetus et Sithivense monasterium; fit Tornacensis et Noviomensis episcopus; moritur.

Tempore Clotarii III S. Mummolinus *et alii multi florent.*

Tempore, quo præcellentissimus rex Lotharius, Ludovici filius *a*, hæreditario jure Fran-

(*a*) Act. SS., Belgii, t. IV. p. 412.— (*b*) Annal. Ord. S. Bened. ad ann. 675, lib. XVI. — (*c*) Ibid., § LVI, p. 478.— (*d*) Acta SS., Propylæum Maji, p. 90 *.— (*e*) Cfr. p. 55.— (*f*) Cap. III, part. I.

a

ciæ

A ciæ regnum gubernavit, dilectissimam Christi sponsam, sanctam videlicet Ecclesiam multimodo spiritalium filiorum germine contigit propaginari*. Resedata *b* siquidem divinæ respectu gratiæ persecutione, quæ tamdiu in Sanctos Dei desæviverat Martyres, suæ Christus Ecclesiæ quam plurimos coadunavit Confessores, quos si ipsa rabie tyrannica contigisset vixisse, eorumdem Martyrum pro certo credimus * fuisse consortes ; quoniam, quia materialis gladii cessasset persecutio, ipsi tamen ob divinæ gratiam majestatis multo sese corporum suorum excruciabat martyrio : inæstimabilibus namque insistentes jejuniis, multimoda inedia, multimodisque sese affligebant vigiliis, parentibus et amicis hilariter renuntiantes ad cœlestem solummodo remunerationem anhelabant.

* *lege* propagari

b

* *supple* futuros

c Eo in tempore *c* vir sanctissimæ religionis Mommolenus nomine, a regione sua egressus, in Gallias cum duobus comitibus devenit, ibique instanter verbum Dei prædicabat. Egressus siquidem de domo patrum suorum ob divinæ gratiæ remunerationem, ubicumque poterat fidei catholicæ non cessabat euangelizare veritatem. Toto autem

B nisu ad palmam festinans pertingere martyrii Galliarum fines, ubi ferventiorem persecutionis gladium in Sanctos desævisse compererat, audacter penetravit, diabolo et ministrorum suorum cruciatibus non refutans * corporis sui materiam, si necesse esset, temporalem, quoad cœlestis patriæ, quam ardenter desiderabat, spiritualem adscriberetur hæreditatem. Hac de causa voluptariam vitam spernens, elegit ad breve adversa pati, ut perenniter cum Domino regnare mereretur in cœlis. Ad cœlestis siquidem vitæ, quæ numquam finietur, comparationem, Sanctis Dei Confessoribus nullius videtur molestiæ omni vitæ suæ tempore corporalem quotidie perpeti passionem. Quomodo enim mortis eos putandum est pertimescere periculum, cum ipsi sibimet, etiamsi desit persecutor, mortis propinare non revereantur poculum? Jejunare siquidem et sitire, vigilare quoque et nuditatem pati mortiferas corporum nemo dubitabit esse molestias, quas servi Dei pro minimo reputant, dum ad cœlestium gaudiorum anhelant præmia repromissa.

* *loco* recusans

Concionatur in Gallia,

C 2 Hujus benignissimæ gratiæ causa Sanctus hic, de quo agitur, inspiratus, cum a mane usque ad vesperam prædicasset, pane tantum ordeaceo aqua cinerulenta composito reficiebatur. Postmodo vero si qua bibendi successisset necessitas, puræ ac solius aquæ poculum subsequebatur ; et ad corporales edomandas illecebras, parva in dormitione tenuissimo graminis stramine pro lecto utebatur. Prædicabat indefesse pauperibus confessionem et pœnitentiam, divitibus et palatio deservientibus sæcularem abnegare jactantiam, prædicabat impiis et infidelibus irremediabile supplicium, Deum autem timentibus vitam et requiem sempiternam. Edocebat omnes universaliter mundum cum omni sua concupiscentia periturum, regnum autem Dei, sicut ab ore Christi didicerat, in æternum mansurum ; exhortationem suam euangelicæ confirmabat sententia prædicationis ; cui, etsi objicerentur, nulla poterant figmenta obsistere argumentationis. Si quid enim in verbis suis alicui sentiebat ambiguum, ipso eodem in momento veteris seu novæ legis irrefutabile proferebat testimonium ; quod autem prædicando aliis commendabat, ipse apostolicæ sententiæ non immemor, totis admodum viribus exequebatur, ut qui aliis æternæ remunerationis suggerebat documentum, suæ quoque ipsius conversationis imitabile præberet exemplum. Aderant ei duo Bertinus *d* videlicet atque Bertrannus *e*, qui secum de sua exierant regione. Hos ipse instanter honestissime suæ sanctæ prædicationis inflammabat exhortatione. Astabant etiam ei a mane usque ad vesperam cum innumerabili populi conventu regalis aulæ proceres. Quorum quam plurimos ipsa Dei clementia per ejus infatigabilem prædicationem cœlicæ remunerationis gratanter postmodum adscripsit cohæredes ejus.

AUCTORE ANONYMO.

d

e

3 Sanctissimi patris nostri opinio longe lateque diffundebatur, et ubicumque perveniebat, Dei cui deserviebat gratia hilariter suspiciebatur. Pervenit tandem ad aures regis Lotharii *f*, qui tunc temporis arcem strenue regebat totius imperii *g*. Religiosorum igitur testimonio sancti Viri comperta relatione, suis eum conspectibus amicabiliter mandavit adesse. Quem ut vidit, benignissimo ut erat animo, quis, vel unde esset, sed et originis suæ seriem ab eo diligentissime cœpit percunctari. At ille ne recensendo prosapiam suam quolibet superbiæ fastu moveretur, originalem quidem nativitatis suæ lineam reticuit. Verum unde natus esset ad regiam interrogationem humiliter replicuit : Sum, inquit, tuæ servus dignitatis, civitate Constantia oriundus, illa siquidem Constantia, quæ non longe a flumine Rheno remota esse dinoscitur ; a puero vero regularem sub Sancto Eustasio *h* abbate percurri vitam ; cujus felix exhortatio multos ad remunerationem confortans * sempiternam. Ipse quidem Sanctus Eustasius, famosissimi Christi athletæ Columbani discipulus, cum omni mentis instantia, commissum sibi prædicationis officium suum quod ab eodem magistro suo didicerat, omni nisu viriliter executus est. Cum ergo sub ejusdem abbatem Eustasii magisterio ad maturiorem pervenissem ætatem, Dei dispositione et ipsius ordinatione, hanc quam videre licet indigne cum his duobus confratribus meis suscepi peregrinationem ; quod si quid in vinea Dei elaborare potuerimus, ad æternæ vitæ nobis proveniat remunerationem. Audierat siquidem quod et ipsi vidimus ex euangelica promissione : Qui me, inquit, sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Audierat quoque quod et nos in vera fide tenemus : qui non bajulat, ait crucem suam et sequitur me, non est me dignus. His et aliis a

vocatur in aulam Clotarii II, et anteactam vitam aperit; * *lege* suscipiebatur.

f

g

E

h

* *loco* confortavit

F Viro Dei diligentissime peroratis, ab ipso rege quam familiariter est susceptus atque intra ejus palatium non parvo temporis spatio cum multa reverentia est conversatus. Quamquam tamen regiam divinitus adeptus esset familiaritatem, tumultuantis tamen populi adulationes cautissime devitans, super afflictis et pauperibus regiam indesinenter sollicitabat dignitatem. Parum aut nihil voluptatis humanæ Virum hunc infecit in palatio, quod alicujus austeritatis rigore indicari oportuisset in monasterio. Ipse quidem omnes diligebat, et ab omnibus amabatur ; inter ipsas mundi concursiones officii sibi commissi ministerium inconcusse exequebatur. Sigillum *i* quoque regis habens, non multum de regia gloriabatur familiaritate ; verum ecclesiis, viduis, et orphanis apud eumdem Lotharium quam plurima officii sui subveniebat auctoritate ; et licet a monasterio recessisset corporaliter, in palatio tamen positus, spiritualis sui ordinis propositum non negligebat. Erat sancto Dei athletæ duplex in palatio jejunii supplicium, cum et deliciosis utpote regis in domo interesset dapibus, et ab ipso sese alienaret usu deliciarum.

i

4 Aliquantulo *k* itaque tempore in regiæ domus

k

transacto

AUCTORE ANONYMO.

ubi aliquandiu sancte commoratus, digreditur ad Sanctum Audomarum, l

transacto cohabitatione, Sanctum Audomarum, qui tunc temporis Ecclesiæ præerat Teruanensi, multa ergo Morinos fatigari comperit prædicatione. Morini *l* siquidem, circa maris littora inaccessibilibus paludum confisi munitionibus, vicinis sedulo non reverentur repugnare nationibus. Cum enim nullam a mari timeant hostium incursionem, circa manentis viciniæ omnem prorsus pro nihilo reputant indignationem. Nec mirum si sibi adjacentibus præsumunt repugnare; quos, *m* sicut a poetis *m* didicimus, ipsa quoque invicta *n* Cæsaris *n* virtus nullorum potuit debellare. Assueta igitur freti audacia, Sanctum quem prænominavimus Audomarum multa fremebant insania; audito nempe Christi nomine, admodum expavescebant; et tamquam surdæ aspides, auditu obturato, verbum Dei se suscepturos omnes omnino *o* abjurabant. Siquidem extremi homines *o* et in extremitate positi orbis terrarum, neque Dominum noverunt, neque tunc temporis alicui principali potentiæ suberant; verum suis per omnia proni voluptatibus, quod cuique visum fuerat impune et irreverenter exequebantur. Cum itaque B beatus Dei athleta tantam ejus populi audisset feritatem, tantamque adversus Sanctum Audomarum gentis illius rebellionem, toto mentis affectu corporalem in remissionem peccatorum suorum desiderans passionem, regi valedicens regiisque principibus, palmam jam martyrii se pœne adeptum esse in secreto cordis non parum gloriabatur. Spirituali ergo divinus * accinctus gladio, Sanctum cum suis confratribus adiit Audomarum, quatenus felici prædicationis divinæ gratia sanctarum consortio adscribi mereretur animarum. Audierant enim quia frater fratrem adjuvans ambo consolantur. Audierant quoque quod alter alterius onera portando legem Dei adimplet, et gratiam divinam promeretur. Ideoque quia Sanctum illum in labore prædicationis adeo præoccupatum compererant, ad supportationem ejus non sine multo palmæ triumphatricis desiderio summopere festinabant. Accesserat etiam et aliud quoddam charitativæ fœdus dilectionis, quia videlicet Sanctus idem Audomarus compatriota eorum erat, Constantiæ scilicet, de qua exierant, indigena civitatis. Advenientes itaque sanctos sanctus Dei pontifex gratanter et C benevole suscepit; et eos in adjutorium sibi a Deo missos non deæstimans, in messem Dominicam cooperaturos sibi post multam Deo gratiarum actionem redditam, gratulabunde ascripsit.

* *forte* divinitus

quem cum nonnihil concionando adjuvasset,

5 Ipse tamen Sanctus Audomarus gentem illam Morinorum maxima jam ex parte cum multo licet labore ab idolorum revocaverat cultura, et aris eorum subversis, divinæ religionis et ecclesiasticæ institutionis ordines eos suscepisse non minimum gratulabatur. In adventu ergo Sanctissimi Mommoleni super quam sperari possit delectatus, cum eum benevole suscepisset, et libenter eum audiebat, et libentissime ab eo audiebatur. Non est dubitandum tot et tantis viris divinam semper adesse clementiam, cum ab ipso Domini ore audierimus, ubi duo vel tres in suo nomine congregatos noverit, suam absque dubio interesse præsentiam; sermo siquidem eorum semper de Domino et de divinis erat institutionibus. Parum aut nihil, quod vaniloquii argui posset, inter eos disserebatur. A mane usque ad vesperam cum mutuæ in Domino consolationi, tum institutionis euangelicæ prædicationi, tum infirmorum curandis languoribus infatigabiliter insistebant. Post solis autem occasum pane tantum et aqua defessa refocillabant corpora; nocte vero subsequenti permodico in cinere et cilicio D somno reclinati, non sine multa difficultate tantas corporum suorum utcumque reficiebant molestias. Priusquam autem prædictus Dei famulus Mommolenus ad sanctum Dei pontificem pervenisset Audomarum, Sanctus idem Audomarus ob sanctæ religionis propagandum ordinem, quoddam mente conceperat ædificare monasterium *p*, *p* ubi religiosam ordinaret congregationem clericorum, per quos Deo pro universali omnium salute ex debito quotidiana orationem psalmodia ac sanctarum placatio conservaretur hostiarum. Hæc ea cogitanti divina non defuit clementia, quæ et ei ferventiorem benignitatis devotionem inspiravit, et quod ex Spiritu Sancto præcogitaverat secundum desiderii sui effectum usque perduxit.

et Adroaldus suam villam dedisset, prius condit cum SS. Bertino et Bertranno Vetus monasterium,

6 Erat siquidem ea in regione vir quidam Adrowaldus nomine, prædiis et pecunia opulentissimus, sæculi hujus vanis plenus deliciis, ac sæculari jactantiæ admodum deditus, et secundum suorum institutiones prædecessorum fantasticis deserviens cultibus idolorum. Virum hunc, quia non longe a Morinis aberat, et tamen Morinorum honorabilior erat, ante adventum Sanctis- E simi Mommoleni Sanctissimus Audomarus non sine multa prædicationis instantia ad catholicam converterat credulitatem, et eum jam baptismo per sanctæ dextræ suæ sanctificaverat impositionem. Suscepto itaque sanctæ christianitatis signaculo, Adrowaldus divina subito animatus inspiratione, tum pro mutua prædicatoris sui dilectione, tum quia filiorum carebat successione, tum præcipue pro peccatorum suorum remissione, omnem suam hæreditariam possessionem *q* Deo et Sancto Audomaro tradidit, sperans et *q* pro certo credens sese pro transitoriæ hereditatis largitione in perpetuum feliciter ascribendum esse. Ut ergo præfati sumus ante Sancti Mummoleni adventum in prædio illo quod vulgari nomine Sithiu vocatur, ipse sanctus pontifex Audomarus jam, Deo disponente, quamdam ædificaverit ecclesiam *r*, in qua ipsemet humanis post- *r* modum ærumnis exemptus gloriosam adeptus est sepulturam. Postquam vero aliquando temporis spatio sancti Dei athletæ Mommoleni sanctorumque sociorum ejus Bertini videlicet atque Bertranni jocundissima confortatus est consocietate, volens ulterius ab invicem separari, in eadem F quam ei Adrowaldus dederat hæreditate ad libitum suum cœnobiale fratrum concessit eis monasterium ædificare. Beatissimi ergo Dei athletæ in loco illo, quod hodieque Vetus dicitur monasterium, suam ædificare cœperunt mansionem.

quo relicto, Sithivense construit,

7 Verum ibi paucis remorantes annis, divina præordinante clementia, locum sibi eligere decreverunt aptiorem. Ne vero fatuitati seu ignaviæ tam subita ædificationis suæ imputaretur mutatio, quod mente conceperant divinæ Providentiæ commiserunt arbitrio. In stagnum siquidem, quod prædicto subter erat monasterio, sese navigio condonantes divinæ sese providentiæ absque ulla corporalis substantiæ comportatione commendaverunt, ac cum multa cordis compunctione, quo usque sibi habitationis Deo dignæ locus designaretur, numquam sese de navi egressuros voverunt. Circumferebatur itaque navicula Sanctorum per præfatum fluvium *s* absque ullo *s* nautarum remigio. Vagabatur circumquaque omni subsidio destituta temporali, utpote quam soli summæ divinitatis Dei athletæ commendaverant voluntati, quam plurima lacrymarum effusione ora perfusi Deum compuncte sollicitabant, Dei devotissimis orationibus paternitatem non sine

præcor-

præcordialibus suspiriis admodum inquietabant, nullomodo se voventes de stagno egressuros, nullomodo se corporalem victum sumpturos, quoadusque, quem sibi Deus orationis locum præordinasset, eos attingere contingeret, quatenus ibi sanctissima Sanctissimi Spiritus inspiratione animati, divinis omni vitæ suæ tempore præceptionibus mererentur deservire. Sanctissima ergo Dei pietas famulorum suorum devotioni compatiens, cum tantis eos obsequii sui gratia pervidisset defatigari elaborationibus, sua ipsius gratuita benignitate ad certum eos mansionis desideratæ traduxit locum, ubi super fluvium Agnionem non multo post monasterium, quod Sithiu vocatur, instanter ædificare cœperunt. Relicta mox navicula, Sanctus Dei Confessor Mommolenus cum prædictis confratribus egressus ad terram, cum circumquaque locum habilem sibi pervidisset, quam plurima devotione Deo gratias agebant, unusquisque secundum Davidicum illud dicentes : Hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam. Pauco post tempore (non est enim invalida manus Domini) gloriosum ibi peractum est monasterium ; in quo cum multa confluxisset cœnobialis congregatio, sanctus pontifex Audomarus sanctissimum Dei athletam Mommolenum maximæ illi multitudini præordinavit *t* monachorum.

ubi rigide atque pie vivit.

8 Cura igitur eorum suscepta, qui eo non parvi numeri confluxerant, quanta sese sanctus pater Mommolenus parsimonia maceravit, quanta corpus suum jejuniorum, vigiliarum et nuditatis inedia cohibuerit, si ad plenum referri oportet, humanam prorsus excederet facundiam : adeo enim in his et aliis sese exercebat virtutibus, ut et commissis suis et aliis, ad quos nomen ejus pervenerat, quasi quædam gratiæ divinæ glorificatio videretur. Utebatur pro veste cilicio, corpus aqua sola et pane tantum sustentabat ordeaceo, orationi sedulo incumbens devotissimis cum lacrymis gratias divinæ semper majestati referebat. Commissæ sibi obedientiæ vir beatus non immemor, utilitati fratrum semper invigilabat in claustro fratrum ; extra claustrum pauperum seu supervenientium necessitatibus insudabat, et secundum quod a sanctis canonibus acceperat hospitalitatem hilariter exequebatur. Quid plura ? Pauco in tempore multos, qui adhuc prophanis gentilitatis deserviebant illusionibus, ad idolorum fallaci convertit cultura, quos sacrosanctæ professionis signaculo præmunitos ad æternæ vitæ postmodum Christus introduxit præmia sempiterna. Largissimus ergo bonorum operum retributor Deus contra diabolicas reluctationes indefessam beatissimi patris Mommoleni aspiciens pugnam (oculi enim Domini super justos), almificis eum signis ac virtutibus remuneravit. Cæcis siquidem visum, surdis auditum, multimodam sanitatem per sacræ manus ejus impositionem corporibus restituebat paralyticorum, leprosos seu elephanticos non exhorrebat, immo tamquam uterinos filios contrectans, saucia eorum corpora balneis benigne refovebat.

Mortuo vero S. Eligio succedit S Mummolinus,

9 Contigit eo in tempore gloriosissimum Dei Confessorem Sanctissimum videlicet Eligium, Noviomensis seu Tornacensis Ecclesiæ pontificem, post officii sui felicissimam consummationem de mundo emigrare, et ecclesiam sibi commissam, tamquam naviculam, quæ sine remigio est, inter mundanas tempestates aliquandiu fluctuare. Tanto prærepto pastore, oves circumquaque vagabantur ; filii; patre decedente, suspirabant et lacrymabantur ; unanimi omnes voce super desolatione sua Dei piissimam benignitatem sollicitabant : jejuniis tandem et orationibus eorum Dei omnipotentis reflexa misericordia ; (prope est siquidem Deus omnibus invocantibus se ;) sacrosanctæ gratiæ suæ respectu populum suum consolari dignatus est. Abstractum namque non sine obedientiæ impositione ab ecclesia, quam prænominavimus, nominatissimum pastorem sanctæ Noviomensi seu Tornacensi Ecclesiæ sanctum patrem Mommolenum providum divinitus delegavit successorem. Erat siquidem pastor ipse mitis, alloquio providus, in consilio devotus, in orationibus, in vigiliis et jejuniis strenuus, prælatis benevole subditus, subditis amicabiliter imperans, bonis insistens operibus, vitiis indefesse repugnans, et solius divinæ pietatis gratiæ tyrannicis principum infestationibus viriliter resistebat. Sic itaque plebs illa secundum Dei athletam Mommolenum pontificem sibi, Deo disponente, unanimiter et elegit et habere promeruit, tum quia et latina et teutonica præpollebat facundia ; tum præcipue quia divinarum institutionum eum instructum audierant documentis. (Ecclesia siquidem Noviomensis romana vulgariter lingua, Tornacensis vero teutonica majori ex parte utitur ; utraque autem eruditiori Latinorum eloquio, sicut gratia hæc concessa fuerit, ad plenum respondere dinoscitur *u*). Quia ergo tot et tantarum linguarum peritum eum noverat, tum quia gloriosissimæ suæ vitæ conversationem audierat, præcipue vero quia eum in sibi commissæ pastoralitatis officio infatigabilem compererat, non sine multa obedientiæ impositione a monasterio abstractum sibi populus ille suscepit in pastorem, non minimum gratulatus sanctissimo prædecessori honestum sibi in Deo providisse successorem.

latinæ et teutonicæ linguæ peritus ; et cum viginti sex annos omnia episcopi munia

10 Suscepta igitur ecclesiæ prælatione, Beatissimus Christi Confessor Mommolenus, regularem ecclesiastici ordinis tenorem viriliter exequebatur ; regiam institutionis divinæ viam incedens, raro aut numquam ab ea deflectebat, in officio suscepto impiger semper et hilaris perseverabat, modestis modestus, pravos et rebelles justæ virga severitatis corrigere non negligebat. Erat ei semper præ oculis dies admodum tremenda futuri judicii ; retractabat secum et aliis prædicabat divinæ amplectendam gratiam retributionis. Impœnitentibus et quos Deo rebelles noverat pro certo intentabat æternæ supplicium damnationis. Infatigabili prædicatione infideles et incredulos ad fidem confortabat, et bono suæ conversationis exemplo ad peccatorum promerendam remissionem strenue informabat. Mirabantur in eo prudentes sæculi tantam divinæ inspirationis requievisse gratiam ; æmuli illius detractores, cum eum audissent, aut convertebantur, aut cum multa ignominia confusi diffugiebant ; unde factum est, ut multi per ejus instantissimam prædicationem ab idolorum cultura converterentur : et abrenuntiato profanæ gentilitatis errore, per impositionem sanctarum ejus manuum sacrosancti baptismatis lavacro se sanctificatos esse non minimum gratularentur ; nemo siquidem sapientiæ ejus resistere poterat, neque spiritui qui in eo loquebatur. Erat ei circa monasteria solertia indicibilis, circa pauperes et egenos compunctio inæstimabilis, circa hospites et extraneos charitativo admodum mentis affectu profluе utebatur ; humilibus humilis ; superbis (quia eorum viriliter confutabat superbiam) superbus nimium videbatur. Irreverentibus siquidem quadam vultus cervicositate pertinax videbatur;

AUCTORE ANONYMO.

AUCTORE ANONYMO.

batur; cordis autem ejus non ficta serenitas, quacumque hora ingemuissent, leniter eos demulcebat et consolabatur; et licet benigno mentis affectu Deum timentibus esset valde amabilis, hæreticis tamen et infidelibus aspectu et incessu non parum metuendus videbatur et terribilis.

inter medias omnigenas virtutes explevisset

11 Omni seposita carnalium voluptate deliciarum, totum se transfuderat ad æternarum desideria recompensationum. Exterioris hujus hominis speciem ipsam veræ sanctificationis expressam æstimares imaginem; in humanitate siquidem profusus, in doctrina præcipuus, paratus in sermone, multimodo probitatis ornatus erat honestate. In hoc Dei sacerdote, de quo præsens agitur sermo, ipsam patris nostri Abrahæ formam intueor. Abraham enim, secundum divinam promissionem de domo patris et cognatione sua egressus, in terram quam ei Deus demonstraverat, factus est in gentem magnam; hic autem paterna postposita hæreditate, voluntario in exilio multam Christianæ religionis Deo præparavit Ecclesiam. Abraham secundum quod de Maria Virgine audivimus: Et tuam ipsius animam per-
B transibit gladius, in monte quem ei Deus designaverat, seipsum Deo, (quia se in filio, etsi non actu, animo tamen) obtulit; Sanctus vero Mommolenus in sublimitate spirituali præordinatus seipsum Deo sacrificium justitiæ immolavit. Abrahæ, post victimam oblatam domum reverso, famuli domus et omnis ejus vicinia gaudentes occurrerunt; hunc vero Dei athletam post cursum feliciter consummatum Angeli Sancti suum in consortium receperunt.

et morti proximus clerum monuisset, pie moritur et sepelitur.

12 Peractis enim viginti et sex annis, postquam pontificalem adeptus est cathedram, cum divino in gazophylatio prædicationis suæ multam coacervasset spiritualem animarum pecuniam, gravissima corporis admodum infirmitate depressus, ut sibi exequialem sensit terminum instare, suos sibi discipulos assistere mandavit: Novi, ait, filioli, extremum mihi diem imminere, et quia ad præsens a vobis separari habeo, charitatem me vestram amodo diligentius oportet commonere. Si igitur vicariam meæ pusillanimitati rependitis dilectionem, futuri judicii præ oculis semper habeatis justissimam examinationem, quia ibi et justi præmia meritorum, et ini-
C qui suam suscepturi sunt condemnationem. Oportet itaque, fratres, ad eamdem nos discussionem diligentissime præparari, ne nos imparatos dies illa inveniat supremæ ultionis; ab illa siquidem hora nemo de Dei præsumere habet misericordia: ulterius enim nulla condemnatis sperari potest indulgentia. Cautissime igitur et diligenter ultimam patris vestri retractate commonitionem, quo in tremebunda illa examinatione vitæ perennis felicissimam a Deo promereamini remunerationem. Curam ei nostrarum commendo animarum, ejus salutifera passio nostrorum absolvat vincula peccatorum; et ecce vobis præsentibus in manus ejus Redemptoris nostri commendo spiritum meum. His ita peroratis, cum sacrosanctam universalis nostræ suscepisset Eucharistiam redemptionis, inter ipsas gratiarum actiones ultimum populo valedicens, spiritum exalavit. Sic igitur felix ejus anima corpore soluta putribili de terris evocata, collocata est in cœlis, et Sanctis consociata, Deum collaudat cum Angelis. Quia vero ci-
x vitas vivorum dicitur non mortuorum *x* a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem extra muros ante portam aquariam in ecclesia
y Sanctorum sepultus est Apostolorum *y*. Ibi frequenter multa præstantur beneficia incommoditatibus miserorum, ægri multoties per hujus pa- D
tris nostri piissimam intercessionem inibi sanantur, et peccatores vinculis absolvantur delictorum ad laudem et gloriam Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Lotharius, Ludovici filius, idem est ac Clotarius III, ut in* § I *Commentarii prævii monuimus; ubi fuse declaratum fuit, quomodo is locus interpretandus esset.*

b *Hæc omnia ex Vita S. Eligii deprompta esse docuimus num.* 6 *Commentarii prævii.*

c *Eo in tempore scilicet cum persecutio non amplius sæviret, circa annum forte* 614, *egressus est e patria* S. Mummolinus, *venitque Luxovium in Burgundia; inde aliquamdiu ante annum* 628 *perrexit ad aulam Clotarii II; de qua re vide* § II *Commentarii prævii.*

d *S. Bertinus, de quo sæpius dictum est in Commentario prævio, colitur die* V *Septembris; ad quam* E
diem fuse de eo egit Stiltingus noster.

e *S. Bertrannus, seu Ebertramnus ut Sanctus habitus fuit a Molano* (*a*) *et a Bollando* (*b*) *ad diem* XXIV *Januarii; Galliæ Christianæ prosecutores* (*c*) *ei Sancti titulum denegarunt. Verumtamen ab anno* 1785 *in diœcesi Sant-Audomarensi, et ab anno* 1817 *in diœcesi Atrebatensi, ejus cultus certus est, ut liquet ex Breviario Audomarensi et ex Proprio* (*d*) *Atrebatensi, quæ Officium ejus capiunt.*

f *Agitur hic de Clotario II, qui anno* 628 *obiit. Confer Commentarium prævium* § II.

g *Theodorico Burgundiæ et Austrasiæ rege mortuo, ejusque filio Sigeberto et universa familia exterminatis, monarchiam seu totius imperii arcem obtinuit Clotarius II anno* 613.

h *S. Eustasius, in exilium profecto S. Columbano, anno* 610 *abbas Luxoviensis factus est; ut in Commentario de S. Gallo num.* 54 *jam traditum fuit.*

i *Regium sigillum frequenter olim in Gallia et alibi locorum clericis creditum fuisse neminem latet. Conscripsit Lanovius opusculum de Sanctis Franciæ Cancellariis; Cangius, in Glossario latinitatis medii ævi ad verbum* Cancellarius, *edidit ex variis catalogum cancellariorum sub secunda et tertia stirpe; et Benedictini monachi. in ejusdem operis recognitione ad verbum* Referendarius, *catalogum* F
eorum, qui simile munus sub prima stirpe obierunt; jam antea Mabillonius (*e*) *talem recensionem a primis temporibus fecerat. Nusquam tamen hic prodit* S. Mummolinus; *quod mirum non est ob rationes, quas ex Mabillonio* (*f*) *facile discere est. Neque ab hoc officio deturbandus est* S. Mummolinus, *quod Rotbertus in Actis S. Ausberti et S. Angadrismæ, et Romanus Rotomagensis in Gestis ipsius Clotarii II regium annulum sub hoc monarcha gessisse dicuntur; quandoquidem, ut laudatus Mabillonius docet* (*g*), *ex authenticis instrumentis constet, plures olim referendarios seu cancellarios regibus Francorum fuisse.*

k *Vitæ recentiores, quas præ manibus habuit Ghesquierus, omnino aliter* aliquantulum *id* tempus *determinant:* Vir Domini Mommolenus, *hæc ibi leguntur,* cum suis sociis *(Vita antiquior nihil de sociis in aula Clotarii versantibus habet)* a rege honorifice est susceptus, et longo tempore intra regis palatium summa diligentia subrogatus. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri, ut longe lateque verbum vitæ spargerent, S. Audomarum tunc Teruanensem episcopum adierunt. *Dubium esse nequit quin lectio an-*

(*a*) Natales SS. Belgii ad XXIV Januar. — (*b*) Act. SS. t. II, Januar., p. 604. — (*c*) T. IX, col. 1040. — (*d*) P. 41. — (*e*) De Re Diplom., lib. II, cap. XII. — (*f*) Ibid., loc. cit. — (*g*) Ibid., cap. XI.

tiquior

A *tiquior melior sit, cum Clotarius II anno* 628 *vita sit functus, et* S. Mummolinus, *circa finem sæculi* VI, *ut videtur, natus, junior esset quam ut diu in aula Clotarii versari potuerit. Quid vero egerit Sanctus* Mummolinus *inter obitum Chlotarii II et suam ad S. Audomarum digressionem, difficile determinare est; quoniam, ut* § II *Commentarii prævii ad Vitam S. Audomari ostendit Stiltingus, incertum est tempus S. Audomari episcopatus, cujus quidem initium inter annum* 628 *et* 638 *vagatur. Pro libitu hac super re quisque conjiciat. Confer tamen quæ inferius in hac Vita num.* 4 *dicuntur.*

l *Morini, gens clara apud historicos, sat multa subministrarunt Malbrancquio gesta, quam ut eis egregium suum opus* de Morinis *tribus voluminibus conderet : in quorum primo* (*a*) *egit hic annalista de Morinorum nomine, variamque proposuit etymologiam. Licet proximis temporibus Cl. V. Raepsaet inierit sententiam, repetendum esse hoc nomen a theotisco seu flandrico vocabulo* Moer, *terram cœnosam referente, magis tamen vulgo assentiunt eruditi Malbrancquio, qui illud deducit a* Mor, *etiamnum apud inferiores hodiernos Normannos mare significante ; cum hodiedum maris accolis nomen* Morins *apud dictos Normannos mereatur. Quod vero in* S.

B Mummolini *Vita, etiam sæculo* VII, *plerique pagani perhibentur, non est cur fidem negemus. Tres scilicet S. Audomari Vitæ, a Stiltingo editæ, hac in re consonant; et quidem Malbrancquius, (ut Stiltingi aliorumque dicta mittam,) licet olim SS. Fuscianus et Victoricus et dein S. Victricius Rothomagensis episcopus hanc Dominici agri partem sedulo excoluissent, non dubitat ad annum* 622, *quo Dagobertus a patre suo Clotario II Galliæ regnum adeptus erat, hæc promere verba :* Vident in Morinis omnem exutam propemodum pietatem, quam pessumdarent morum feritas, idola colendi obstinatio... *Qui rerum status ortus videtur ex diuturniore absentia episcoporum a Morinensi, dein Teruanensi et Boloniensi sedibus; quæ brevi post in unam coaluerunt, electo in episcopum S. Audomaro.*

m *Nullus dubito, quin hic alludat biographus ad versum* 727 *libri* VIII *Æneados, licet Virgilius, nedum Morinos invictos illic prædicet, eos inter debellatas a Romanis gentes computat. Æneæ scilicet clypeus, a Vulcano confectus, cum exhibet futura Romanorum fata, immuneras quoque de barbaris victorias sibi appictas habet; quocirca ibidem*

....,.. incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
C Hic Nomadum genus, et discinctos mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahæ et pontem indignatus Araxes.

n *Julius Cæsar, qui absque dubio hic indigitatur, prima quidem in Morinos impressione, quam Malbrancquius* (*b*) *ad annum Urbis conditæ* 697 *refert, non debellavit Morinos, quod in silvis et paludibus se continerent. Verum non ita multo post* ex magna parte Morinorum ad *Cæsarem* legati venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent..., seque ea, quæ imperasset, facturos pollicerentur (*c*). *Rebellarunt quidem deinde plures e Morinis;* qui quum propter siccitatem paludum, quo se reciperent non haberent, quo perfugio superiori anno fuerant usi, omnes fere in potestatem Labieni venerunt (*d*), *quem Cæsar adversus eos miserat. Mitto sermonem facere de tumultibus pacationibusque Morinorum sub Cæsaris successoribus.*

o *Eadem fere verba in Vitis S. Audomari habentur; in quibus tamen nihil statuitur de vaga Morinorum libertate, qua* nulli principali potentiæ D *ineunte sæculo* VII subfuisse *dicuntur. Equidem neque Sancti Audomari biographos hæc prætermittentes, quoniam Morini jure censendi sunt Neustriæ pars, neque* S. Mummolini *biographum hæc asserentem redarguam, quoniam manifestum est principatum Francorum regum in populos, silvestrem fere vitam in paludibus et nemoribus agentes, facto inanem ferme fuisse.*

p *Hæc et sequentia conformia sunt Vitis S. Audomari, a Stiltingo editis, aliisque quarum fragmenta citat ecclesiæ Sant-Audomarensis defensor* (*e*). *Quod imprimis notandum est, consonant omnes hæ Vitæ in ordine gestorum; qui ordo, a Mabillonio aliisque impugnatus, restitutus fuit a Stiltingo in Commentario de S. Bertino* (*f*). *Hæsitat Cl. V. Guerard* (*g*) *inter Mabillonium et Stiltingum ; verum si cedat utriusque auctoritas, et veterum tantum maneant testimonia, dubium non est, quin Stiltingi prævaleat sententia.*

q *Altera Adroaldi donatio omnigenos jam tulit impetus a memorato scriptore Sant-Audomarensi* (*h*), *omnes intendente nervos, ut hanc donationem concutiat. Mitto quas ipse* suspicandi rationes *nuncupat, satis mihi ducens* tria falsitatis certa argumenta, *ut loquitur, diluere. Primum est, diplomate hujus* E *donationis destrui donationem S. Audomaro jam factam ; verum omnino contraria deberet esse conclusio, cum culpatum instrumentum habeat :* Dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ, in pago Taruanense, quam Domino patri Audomaro, apostolico viro, ad xenodochium suum ædificandum dare voluimus : sed ipse salubre consilium nobis donavit, ut ipsam rem vobis delegarem, ut ibi monasterium, *etc. Secunda exceptio petitur ex his verbis :* Sed ipse salubre consilium nobis donavit. *Monasterium scilicet condere salubre consilium non est, cum xenodochium utile censetur : quæ ineptior objectio est, quam ut refelli mereatur. Tertium autem argumentum sic fere conficitur : certum est* S. Mummolinum *Sithivensis cœnobii primum abbatem fuisse ; quam propositionem multis invictisque probationibus stabilit ; verum quam ex ea promit conblusionem nemo admittet : etenim ex eo, quod abbatialis dignitas postulasset, ut* S. Mummolinus *in hoc diplomate primus nuncuparetur, non autem secundus (quod tamen fit in Folquini chartulario), sequitur initium diplomatis mutatum fuisse, non autem ipsum diploma esse supposititicium.*

r *Ecclesia est S. Mariæ Audomaropolitana : plura vide de ea apud Stiltingum in Commentario de S. Bertino* (*i*). F

s *Agnio, gallice* l'Aa ; *quæ vox* aquam *significat.*

t *In Commentario prævio* § III *fuse cum Stiltingo de abbatis munere, quod* S. Mummolinus *in Sithivensi monasterio gessit diximus.*

u *Quæ parenthesi inclusa sunt, interpolatio videntur.*

x *Ubi id dicatur nescio, nisi hæc phrasis, mutato uno vocabulo, referat versum* 38 *cap.* XX *Evangelii secundum Lucam :* Deus autem non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei. *Cæterum lex* XII *Tabularum :* In urbe ne sepelito, neve urito, *notissima est. Confer Concilium Bracarense anni* 561 *can.* XVIII *cum Annotatis Josephi Catalani* (*k*), *et Commentarium prævium* § I, *num.* 8. *In Gallia hæ leges omnium primo labefactæ fuerunt in gratiam regum Francorum ; et quidem ut eos taceam, de quibus ambigi potest an reapse in civitatibus humati fuerint, Chilpericus II terra conditus est Noviomi, ut legere est apud plures priscos historicos; quos vide apud D. Bouquet* (*l*). *Sed inde nihil, ne quidem in favorem episcoporum, concludere licet.*

y *Confer Commentarium prævium num.* 55.

(*a*) De Morinis, t. I, p. 3. et seqq. — (*b*) Ibidem, p. 91. — (*c*) C. J. Cæsar, De Bello Gallico, lib. IV, cap. XXII. — (*d*) Ibid., cap. XXVIII. — (*e*) Vérité de l'église de S. Omer, p. 393 et seqq. — (*f*) Act. SS., t. II Septemb., p. 559 et seqq. — (*g*) Cartul. de S. Bertin. Préface, p. XXXII. — (*h*) Vérité de l'église de S. Omer, p. 71 et seqq. — (*i*) Act. SS., t. II Septemb., p. 565 et seqq. — (*k*) De Aguirre Concil. Hispan., t. III, p. 181 et 187. Edit. Romanæ 1753. — (*l*) Recueil des Historiens de France, t. III, p. 572, 655, 671 et 698.

DE

A D

DE S. BERCHARIO MARTYRE

ABBATE ET FUNDATORE MONASTERIORUM ALTIVILLARIS ET DERVI.

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria in sacris Fastis, cultus et Acta.

ANNO DCLXXXV.

B

S. Bercharii cultus probatur

Quamquam S. Bercharii *abbatis et Martyris memoria non occurrat in præcipuis et antiquioribus Martyrologiis, Adonis ac Usuardi, quæ cum aliis Classica appellamus, non est tamen, quod de ejus cultu dubitemus, quem hodiernum Martyrologium Romanum annuntiat. Etenim ipsa ejus Vita sæculo decimo ab Adsone, ut infra videbimus, scripta testatur num.* 26 *paucis ab obitu annis* S. Bercharium *cultu publico decoratum fuisse propter frequentiam miraculorum* : Ad tanti viri obitum, *ait*, viris undecumque religiosis concurrentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium, multis inibi Deo donante, miraculorum pollens effectibus. Sed cum jam Dominus ulterius Sanctum suum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo cæterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est, inde corpus Beati Patris debere transferri, ac illi inde translatum tumulaverunt retro altare, in basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat, ubi suffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis, *etc. Notum vero est solemnes translationes et elevationes corporis initia cultus ecclesiastici constituisse* (*a*).

e diplomatibus

C

2 *Ejusdem Sancti cultum adstruunt varia diplomata sæculis* IX *et* X *edita, quæ in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis Nicolaus Camuzat recitat : imprimis per unum ex eis* (*b*) *Carolus Calvus privilegium concessit monasterio Dervensi omnimodæ exemptionis a jurisdictione comitum et ministerialium, ac plenariæ libertatis in electione abbatis :* Data IX kal. Februarias (XXIV *Januarii)* an. XVIII regnante Carolo gloriosissimo Rege. Actum Carisiaco palatio regis. *(Quoniam* Carisiacum, *in Belgica secunda situm ad Austrasiam pertinebat, annos regni ab obitu patris currere censeo et propterea chartam ad annum æræ vulgaris* 857 *refero.) In hoc autem diplomate Carolus rex incolas territorii Dervensis appellat* homines S. Petri et S. Bercharii ; *adeo ut jam tum basilica Dervensis dedicata videatur sub invocatione S. Petri et* S. Bercharii. *Idem docet diploma Gualonis, Trecensis episcopi, quo concedit duo altaria monasterio Dervensi, seu Adsoni* ex monasterio S. Petri, ubi corpus requiescit S. Bercharii. Actum Trecis civitate publice die VIII id. (VII) Septemb. an. XVII regnante Domino nostro Lothario rege. *Ad quod diploma pauca annoto : non liquet scilicet cum quo anno æræ vulgaris concurrat annus* XVII *Lotharii regis, filii Ludovici IV seu Ultramarini. Quatuor enim ejus regni statuuntur initia, ut videre est apud auctores libri* l'art de vérifier les dates. *Cum tamen longe major pars diplomatum Lotharii regnum ordiatur a die* XII *Novembris anni* 954, *quo Remis* E *coronatus fuit, hunc quoque annum hic accipimus : unde* VIII *id. Septembris anni* XVII, *anno Christi* 971 *illigamus.*

et Martyrologiis

3 *Quamvis igitur Ado et Usuardus de Sancto nostro sileant, ex his tamen monumentis ejus cultus antiquus plene demonstratur. Præterea* Bercharium *laudant Martyrologia non pauca, licet recentiora. Imprimis, ut jam diximus, Romanum hodiernum Sanctum nostrum annuntiat his verbis :* S. Bercharii abbatis et Martyris. *Cui elogio Cardinalis Baronius in annotationibus ad Martyrologium sequentem notam subnectit :* Nequis.... similitudine nominis, ordinis, tituli et ministerii decipiatur, scire debet fuisse et Bertharium abbatem Cassinensem æque martyrem necatum a Sarracenis ante altare S. Martini in cœnobio Cassinensi anno Domini DCCCLXXXIV, ut scribit Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. I, cap. XXXV, XLVI et XLVII, Petrus diaconus Lib. de Viris illustribus montis Cassinensis cap. XII et Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib. III, cap. CCCXXI. *A S. Berthario Cassinensi, cujus Acta ad diem* XXII *Octobris edentur,* Bercharium *nostrum distinguunt ætas, patria totaque actæ vitæ series, ut* F *ex sequentibus satis patebit.*

recentioribus

4 S. Bercharii *memoriam celebrant quoque Auctaria Usuardina : in vetustissimo exemplari Pratensi,* manu quidem secundaria, *inquit Mabillon in præviis ad Sancti Vitam observationibus,* sed quæ annos quadringentos facile præ se fert, ita breviter scriptum legitur : « Monasterio Dervo S. » Bercharii Martyris et abbatis. » *Codici huic adjungi possunt matricula Ultrajectina apud Sollerium nostrum in Usuardo, Grevenus ac Molanus, qui sub hac die annuntiant Sancti translationem, paucis his verbis :* Ipso die translatio S. Bercharii abbatis et Martyris. *Neque immerito* translationem *indicant laudati scriptores, ut fidem nobis facit scriptor anonymus Miraculorum* S. Bercharii, *infra edendus, agens de instauratione monasterii Dervensis, hisce verbis numero* 7 : Hoc *(templum)* longa solitudine incultum, tribulis etiam et vepribus circum altaria horrentibus, comentes undique fratres famulique cum gloria magnæ laudis iterum in eo recondunt ossa pii Pastoris XVII kalend. Novembris. Hic dies eo loci celeberrimus habebatur ab antiquo, anniversario Dedicationis ejusdem basilicæ operatione B. Bercharii ipsius

(*a*) Cfr Bened. XIV De Canoniz. SS., lib. I, cap. VI, n. 2. — (*b*) F. 84 verso.

Dei

AUCTORE J. V. H.

A Dei ordinatione consecratæ in honore S. Salvatoris. Geminata itaque præscripti diei solemnitate, auctoritate præsentium sacerdotum decretum est, perpetuo celebrari ipso die natalis passionis gloriosi Martyris Bercharii, quam constat evenisse, instante festivitate paschali, ob quam rem manebat incelebris more Christianæ religionis. Hinc inolevit jocunditas hujus præclaræ celebritatis, qua hactenus exhilarantur tempora nostræ ætatis.

præsertim Gallicanis. 5 *Saussayus in suo Martyrologio Gallicano pro more suo sat longam synopsim vitæ exhibet. Martyrologia Parisiense Cardinalis de Noailles et Autisiodorense Caroli de Caylus Sancti memoriam recolunt in die obitus seu* VII *kal. Aprilis* (XXVI *Martii). Hoc vero speciale habet Autisiodorense :* In monasterio Dervo, Catalaunensis diœcesis, Sancti Bercharii fundatoris et primi abbatis, cujus Reliquiæ delatæ sunt ad conventum magnum apud Airiacum villam in pago Autisiodorensi habitum *(circa annum* 1020) præsentibus Rotberto rege, Hugone de Cabilone Autisiodorensi episcopo, Landerico Autisiodorensi comite, multisque aliis

B proceribus. *Confer Joannem Mabillon* (*a*) *et D. Bouquet* (*b*). *Parisiense quemadmodum et Autisiodorense citatum non tribuunt* S. Berchario *Martyris titulum, sub quo tamen illum colunt Ecclesiæ Catalaunensis et Trecensis ritu simplici in colore rubro, et quem illi alia Martyrologia adscribunt : quam quæstionem, ubi de ejus morte agemus, examinabimus. Benedictina quoque Menologia Menardi et Bucelini ejus memoriam celebrant. Menardus tamen in observationibus ad* XVI *Octobris, dicit* S. Bercharium *sub Eustasio abbate monachum egisse in Luxoviensi cœnobio ; verum videbimus infra, ad Waldeberti abbatis tempora revocandum esse monasticam professionem* S. Bercharii. *Bucelinus evidenter errat, ut postea constabit, statuens annum Sancti emortualem* 660. *Idem nulla facta mentione* Dervensis monasterii, *ita narrationem texuit, quasi in Altivillariensi cœnobio occisus fuisset, cum ex ejus Actis manifestum sit, Dervum palæstram cruentæ necis fuisse.*

Breve ejus elogium : 6 *Tamquam brevem totius vitæ* S. Bercharii *conspectum exhibebo, quæ Hugo Menardus habet loco citato :* S. Bercharius, *inquit,* fuit ex Aquitania oriundus, nobili loco. Relicta patria et parentibus,

C convenit S. Nivardum archiepiscopum Remensem : qui *(scilicet* Bercharius) cum ab eo ad pietatem non mediocriter excultus fuisset, perfectioris vitæ studio ad Luxoviense cœnobium se contulit : ubi sub Eustasii *(verius S. Waldeberti)* magisterio Christo militavit. Regularibus disciplinis sufficienter imbutus, ad S. Nivardum revertit, ut refert author Vitæ illius anonymus apud Nicolaum Camuzatium in Promptuario Antiquitatum. Hujus sancti pontificis ope et adminiculo ædificavit monasterium Altumvillare ad Maternam fluvium, seu, ut alii appellant, Matronam : ubi instituit monachos sub regula S. Benedicti et S. Columbani, ut docet Flodoardus lib. II, cap. VII. Hujus cœnobii ædificationem signo cœlesti sibi gratam et jucundam fore Deus manifestavit.... Tranquillitatis autem cupidus, relicto Altumvillari cœnobio, secessit in sylvam, quæ Dervus dicitur.... In intimo sylvæ recessu ædificavit cœnobium in diœcesi Catalaunensi, quod ab eo appellatur monasterium Dervense.... In hoc cœnobio S. Bercharius martyrio laureatus ad Christum migravit, a quodam perduelli Daguino, Dervensi monacho, quem de sacro fonte levaverat, in lecto trucidatus. *Hæc Menardus.*

Officium ecclesiasticum. 7 *Porro Martyrologiorum classicorum silentium satis indicat, numquam late propagatum fuisse* S. Bercharii *cultum, imo vix limites diœcesium, in quibus sua fundaverat monasteria, excessisse. In diœcesi Remensi nulla ejus fit memoria, quantum quidem assequi potui, tum ex antiquiori Breviario jussu Ludovici Lotharingi anno* 1630 *edito, tum ex Directorio liturgico anni* 1829, *quod cardinalis archiepiscopi de Latil nomen præfert. Ritu simplici Sanctum tanquam abbatem et Martyrem celebrant die* XVI *Octobris diœceses Catalaunensis et Trecensis, uti videre est in Kalendariis liturgicis anni* 1829. *Addunt antiquæ schedæ apud nos repertæ* » per » totam diœcesim Senonensem Sancti festivita- » tem servari solitam : quod demonstrant, *ut* » *ibidem dicitur*, nonnulla, quæ in suppellectili » nostra litteraria exstant, Senonensis metropo- » litanæ Ecclesiæ Breviaria : in quorum primo, » quod anno 1604 editum fuit, ad XVI Octobris, » si hæc in Dominicam non inciderit, prescribi- » tur in Vesperis et Laudibus post Antiphonas » BEATUS VIR, etc. QUI ODIT, etc., uti et reliquis E » horis et in Missa hæc de S. Berchario recitan- » da oratio seu COLLECTA : Præsta quæsumus » omnipotens Deus, ut qui B. Bercharii Marty- » ris tui natalitia colimus, intercessione ejus in » tui nominis amore roboremur. Si vero eadem » dies Dominica fuerit, dicta collecta in sola » Missa recitari jubetur. Solam itidem de Sancto » commemorationem præscribit alterum Seno- » nense Breviarium authoritate Nicolai Cardina- » lis a Pellevé et archiepiscopi anno 1625 edi- » tum ; sed in tertio, quod anno 1641 jussu » Octavii de Bellegarde archiepiscopi in lucem » prodiit, ejusdem Ecclesiæ Breviario, celebran- » dum signatur Sancti festum ritu simplici ; ha- » betque in matutino S. Bercharius tertiam » lectionem propriam, cujus solum initium Ms. » nostrum illius Breviarii compendium in hunc » modum exprimit : Is fuit abbas monasterii » Altivillaris. » *Hodie vero juxta Kalendarium anni* 1827 *memoria* S. Bercharii *prorsus oblitterata videtur, cum nulla ejus mentio fiat. Non dubito quin celebrior Sancti festivitas in utroque monasterio Dervensi et Altivillariensi olim haberetur.*

F *Acta S.* Bercharii *edenda* 8 *Quod ad Acta* S. Bercharii *attinet, illa publici juris fecit primum Nicolaus Camuzat in Promptuario Antiquitatum Diœcesis Tricassinæ, nullo addito auctoris nomine : eadem secundis curis collataque cum codice Ms. monasterii S. Cornelii Compendiensis edidit Joannes Mabillon* (*c*)*: qui in suis Observationibus præviis eorumdem auctorem assignat; Adsonem* S. Bercharii *in regimine Dervensi, post multos intermedios, successorem. Hanc opinionem jam antea admiserat Laurentius Surius in auctiori Vitarum Sanctorum editione, quæ prodiit Coloniæ anno* 1618 ; *eamque postea amplexi quoque sunt Baillet in Vitis Sanctorum, Benedictini auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (*d*) *ac tandem Nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Nivardi, Remensis archiepiscopi* (*e*)*, ad diem* I *Septembris. Cæterum Adsonem Vitam* S. Bercharii *elucubrasse diserte testatur anonymus monachus Dervensis, tum in ipso Libri Miraculorum exordio, tum ejusdem libri num.* 13, *ubi ita loquitur :* Gesta vero hujus Sancti piissimi protectoris nostri Bercharii ad extremum quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis sparsit totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte

(*a*) Acta SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 859. — (*b*) Rec. des Hist. de France, t. X, p. 172, 224 et 275. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 831. — (*d*) Hist. litt. de la Fran., t. VI, p. 489.—(*e*) Acta, SS. T. I Sept., p. 271. n. 18.

exarata

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

exarata habebantur et abdita. *Cum vero hic auctor non toto sæculo, ut infra videbimus, post Adsonis obitum, in ipso Dervensi monasterio floruerit, atque adeo de ipsius scriptis optime fuerit instructus, ejusdem auctoritas nobis certum et indubitatum reddere debet quamdam Sancti nostri Vitam ab Adsone re-ipsa conscriptam fuisse.*

auctorem habent,

9 *Porro Vitam, quam Nicolaus Camuzat aliique edidere, ab Adsoniana non esse diversam, satis certæ indicant notæ, quibus eam distinxit laudatus monachus Dervensis; quo teste, Adso non solum,* S. Bercharii *vitam, verum etiam miracula post obitum patrata scriptis mandare cogitaverat :* Quæ vero, *inquit ille auctor libri miraculorum num.* 1, post obitum beati viri ipsius meritis divino beneficio compensata *(miracula)* se relaturum *(Adso)* promiserat, minime explicuit, relinquens etiam intacta adnotatorum plurima, scilicet impedimentis diversarum actionum perturbatus, maximeque eventu festini obitus interceptus. *Jam vero se post vitam etiam Sancti miracula conscripturum editæ Vitæ auctor iisdem omnino verbis pollicetur in prologo, ubi ita loquitur :* Ea itaque prosequi intendimus, quæ vel ab ipso domestico sanctissimoque B ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis ætati nostræ perferri potuerunt. *Quæ sane verba genuinam hanc esse Adsonis lucubrationem tam clare ostendunt, ut mirum sit Cointium* (*a*) *et, qui eum secutus est, Pagium* (*b*) *in contrariam abiisse sententiam, editamque Vitam Anonymo cuidam, Adsone antiquiori, adscribere voluisse.*

quidquid obloquatur

10 *Unicum opinionis suæ vadimonium præbent Cointius et Pagius, verba Nicolai Camuzat, quæ, judice Cointio, litem facile dirimunt. Hic nempe in suo Promptuario* (*c*) *dicit :* Cum hucusque typographicæ operæ in excudenda D. Bercharii historia processissent, oportune admodum et consentanee animi mei voto, devenit in meas manus chirografus libellus, eamdem historiam in duos bipartitam tomos complectens. Prior continet quæ superius excusa sunt, paulo tamen fusius et uberius, cum referat eumdem S. Bercharium eo die, quo Christi resurgentis solemnitas celebratur, e vita excessisse anno DCLXXXV. Posterior plurima memoratu dignissima, quæ in Dervensi cœnobio contigerunt, multa etiam egregia miracula meritis ipsius beati Martyris facta percenset. C » *Hinc, ait Cointius, patet scriptas duas historias* » *de Vita, sive, ut titulus refert, de Passione* S. » Bercharii, *quarum alteram Camuzatus typis* » *edendam curavit, alteram adhuc ineditam in tene-* » *bris delitescere dolemus. Quæstio est, utra illa-* » *rum ab Assone scripta sit. E duobus tomis seu* » *libris, quos Camuzatus post editam Passionem* S. » Bercharii *nactus est, prior ipsam Assonis lucu-* » *brationem complectebatur, omissusque est ab eo-* » *dem Camuzato, qui cum historiam pene simili-* » *mam jam protulisset, stylo parum mutato bis* » *eamdem rem repetere noluit. Posterior vero tomus* » *seu liber, qui de diversis casibus Dervensis cœno-* » *bii, deque* S. Bercharii *miraculis inscribebatur,* » *scriptus fuit a monacho Dervensi, qui, quid ab* » *Assone abbate scriptum esset, initio suæ scriptio-* » *nis apertissime sic declaravit :* Hujus anterioris » executionem operis *(scilicet Vitæ* S. Bercharii) » divinæ dignationis ordinatione ad memoriam » informandam posterorum insignis prudentia » solertissimi Assonis abbatis sæpe denominatæ » ecclesiæ Dervensis luculentissimo sermone no- » bilitavit. » *Hæc Cointius.*

11 *Verum nullius ponderis esse Cointii assertum* D *Cointius,* *ex hoc elucet, quod in multis exemplaribus utrumque tomum seu librum complexis, eadem, quam excudit Camuzatus, Vita seu Passio reperiatur : tale fuisse Compendiense manuscriptum, testis est Joannes Mabillon in Observationibus præviis ad Sancti Vitam. Coram habeo codicem manu exaratum e monasterio Aquicinctino, qui omni ex parte, si pauca excipias, cum Tricassina editione Camuzati convenit. Hæc jam monstrant, quo sensu accipienda sint editoris verba, quando dicit chirographum libellum, qui, Vitæ historia jam excusa, in manus ejus devenit, paulo* fusius et uberius *quædam explicasse : ubertatem declarat exemplo, scilicet Ms. referre* S. Bercharium eo die quo Christi resurgentis solemnitas celebratur e vita excessisse anno DCLXXXV. *Nemo autem non videt similia additamenta in plerisque codicibus manuscriptis occurrere, quin propterea diversos nobis fingamus auctores. Immo Joannes Mabillon, quocum Filibertus Boulanger manuscriptum Dervense communicaverat, nihil immutandum censuit, exceptis paucis, quæ obitum Sancti nostri accuratius, ut infra videbimus, exponunt.* E

12 *Aliud est, quod suadet a Camuzato editam* *qui* *Vitam genuinum esse Adsonis fœtum. Anonymus auctor libri secundi, seu miraculorum* S. Bercharii, *num.* 13 *dicit, Adsonem* Gesta sancti ac piissimi protectoris Bercharii ad extremum, quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis sparsisse totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte exarata habebantur et abdita. *Nolo equidem immorari quæstioni, qua indagaretur num altera biographia ante Adsonem exstiterit, uti opinatur Joannes Mabillon, an vero potius antiqua quædam monumenta Dervi sparsim asservata Adsoni præluxerint : nam utroque sensu Anonymi dicta accipere licet, quemadmodum et illa quæ ipse Adso in suo prologo habet, se prosequi ea,* quæ ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis, ætati suæ perferri potuerunt. *Omissa hujusmodi quæstione, ex dictis Anonymi certo deducitur, illam lucubrationem Adsoni, quæ communior est, quæ vero abditior, antiquiori scriptori esse adscribendam :* abdita *namque erant priora Dervi monumenta; ast quæ Adso scripsit,* totius Galliæ oris sparsa fuerunt.

13 *His positis, nulli dubium esse potest, utra ex* F *refellitur,* *duabus biographiis sit communior : quam edidit Camuzatus, reperiebatur manuscripta Compendii, ut testatur Mabillon; coram habeo exemplaria e codicibus Longipontino, Cisterciensi, Aquicinctino, qui etiam collatus fuit cum chirographo monasterii Charitatis : illa exemplaria, pauculis exceptis, inter se omnino conveniunt. Ast alterius Vitæ nullum adhuc inveniri potuit vestigium : ipso itaque Anonymo judicante, manifestum est coram adesse Adsonis lucubrationem; antiquioremque Vitam, si quæ umquam exstitit, omnino deperditam fuisse. Huc etiam facit quod Acta vulgata non sunt, ut de antiquioribus loquitur Anonymus,* inculte *seu rudi stylo conscripta, sed potius variis verborum ambagibus flosculisque non mediocriter sunt ornata, ita ut aliis Sanctorum Vitis ab Adsone, multis pauca plerumque complecti solito, lucubratis et in Opere nostro jam vulgatis, verbi gratia, Vitæ S. Mansueti Tulli Leucorum episcopi* (*d*), *quoad stylum tam sint affinia, ut hinc etiam* S. Bercharii *Vitæ auctorem non alium fuisse quam Adsonem confici possit.*

14 *Tandem ut ad argumentum Cointii propius* *Adsonem* *Abbatem,* *accedam, nullatenus constat annum* S. Bercharii

(*a*) Annal. Franc. ad annum 656, § VII. tom. III, p. 425. — (*b*) Crit. Baron. ad annum 685. § XIV. — (*c*) Fº 86 verso. — (*d*) Acta SS., T. I Septemb., p. 637.

emor-

A *emortualem expressum fuisse in biographia Dervo submissa. Certe Joannes Mabillon, qui Vitæ vulgatæ subnectit, quæ Filibertus Boulanger, Dervensis monachus, ad illum miserat, hunc annum expressum in narratione necis* S. Bercharii *non invenit; cum in ea solum dicatur,* mane Dominica ipsius sacrosanctæ ab inferis Resurrectionis die carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu (Bercharius) felix petivisse. *Dein subnotat in eodem Ms. hæc legi :* Extremum vitæ diem obivit hic B. P. Bercharius anno ab Incarnat. Domini DCXXCV, Indict. XIII, Epacta XI, VI (*melius* VII) kalend. Aprilis, mane sacro Dominicæ Resurrectionis. *Ex qua loquendi ratione, mihi videtur sat clare insinuari, superiora verba glossam esse ad textum ex alio quodam monumento desumptam ; neque enim ejus auctoritatem labefactare mihi in animo est; unum dico, glossam ad textum non pertinere, et proinde infringi quidquid roboris superesse posset argumento Cointiano. Nihil igitur impedire debet, quominus cum laudatis supra num.* 8 *auctoribus ob rationes allatas Adsoni Dervensi abbati Vitam vulgatam indubitanter adscribere pergamus.*

B *cujus elogium texitur*

15 *Non alienum fuerit ab instituto nostro quædam de Adsone subnectere. Hunc impense laudat anonymus miraculorum* S. Bercharii *scriptor, infra edendus, num* 12 *et sequenti, eoque duce, de illo agunt Historiæ Litterariæ Franciæ auctores Benedictini* (*a*) *et nostri Majores variis in locis* (*b*) *præsertim in Commentario prævio ad Vitam S. Apri Tullensis episcopi. Verba Constantini Suyskeni, additis nonnullis, huc transcribo:* Adso *(in Jurensi Burgundiæ tractu nobili genere natus)* in Vosago sive in Luxoviensi monasterio eruditionis pariter ac sanctimoniæ fama florebat, cum a Tullensi episcopo et clero Tullum ad magisterium sacri ordinis accersitus est. Contigit hoc sub S. Gauzlino episcopo, qui collapsam in S. Apri cœnobio disciplinam feliciter restauraverat; quod anno Christi CMXXXV verisimilius innectendum esse in Commentario prævio de ejusdem Sancti gestis ad diem VII Septembris (*c*) dictum est. In eo monasterio per aliquanta temporum volumina docuerat, quando missus est ad Dervense cœnobium, diœcesis Catalaunensis in Campania, cujus *(post eas, quas noster miraculorum scriptor refert, calamitates, pene collapsi)* instaurationem idem S. Gauzlinus pariC ter instituerat verosimiliter circa medium sæculi X, secundum dicta (*Commentari prævii* (*d*) *de S. Gauzlini gestis*) Dervensibus denique abbas post Albericum præfectus est, annoque CMXCII, religionis ergo Hierosolymam navigans, e vivis excessit, *et in insula Astilia terræ mandatus fuit. Cæterum incertum est, quo præcise anno præfecturam Dervensium Adso susceperit, cum annus emortualis Alberici decessoris sui ignotus adhuc lateat. Attamen id non serius accidisse quam anno* 969 *probat Joannes Limpenus noster in Commentario prævio de S. Mansueto ad diem* III *Septembris* (*e*) *ex litteris donationis, a S. Gerardo Tullensi eo anno datis, quibus subscripsit* Adso abbas. *Similem ob rationem, si certo constaret initium regni Lotharii regis, quod, ut jam diximus, pleraque diplomata* XII *Novembris anni* 954 *illigant, dicendus esset Adso Dervensia gubernacula jam tenuisse initio anni vulgaris* 968, *cum Nicolaus Camuzat in Promptuario* (*f*) *exhibeat chartam Heriberbi comitis,* datam XVI kal. Febr. (XVII *Januarii*) anno XIV regnante Domno Lothario rege Francorum ; *sive anno* 968 *in qua de Adsone, tamquam abbate sermo fit. Sed non oportet de initio regiminis ejus operosius inquirere, quandoquidem Sancti nostri Vitam exarasse videtur non diu ante obitum suum ; morte enim præpeditus, teste anonymo Miraculorum scriptore num* 1, *propositum suum exsequi non potuit, eamdemque Vitam miraculis, quorum narrationem in prologo promiserat, imminutam reliquit.*

AUCTORE J. V. H.

16 *Jam observarunt laudati Historiæ litterariæ auctores* (*g*) *scriptam ab Adsone Vitam magna ex parte ex generalioribus tantum virtutum encomiis esse conflatam, et perpauca Sancti singularia gesta, non sine admixtis subinde erroribus, in ea exponi ; sed id magnopere mirandum non est: Adso enim ab ætate Sancti* Bercharii, *circa finem sæculi septimi defuncti, tribus sæculis distans, nimis remotus fuit, quam ut scribere posset Vitam, quæ omnia illius gesta minutatim eoque ordine exponeret, ut alicubi in errores quosdam chronologicos aliosque non impingeret. Attamen Adso, in Dervo abbatis munere fungens, varia quæ ad Sanctum ejusdem monasterii fundatorem spectabant, sibi præclucentia habuit antiqua instrumenta, prout supra num.* 12 *diximus ; fortassis quoque antiquiorem Vitam, si reipsa hæc,* E *uti Mabillon, Cointius, Pagiusque censent, ab Anonymo aliquo ante Adsonis ætatem conscripta, memoratis in miraculorum libro monasterii Dervensis cladibus fuerit superstes. Qua de causa eidem etiam fides, nisi major alicubi auctoritas contrarium suadeat, deneganda non videtur, præsertim cum ejus dicta ex aliis probatæ fidei monumentis, infra proferendis citandisve, passim confirmari queant. Digna proinde etiam nobis visa est hæc Adsonis lucubratio, ut eamdem ex sæculo* II *Actorum SS. Ordinis S. Benedicti cum Tricassina et Coloniensi editionibus cumque nostri exemplaribus manuscriptis Aquicintino et Longipontino, quod nonnihil contractius est, ut suis locis indicabimus, collatam hic recudamus.*

et stylus examinatur.

17 *Post Passionem seu Vitam edemus et aliam lucubrationem, quæ cum non solum Sancti miracula, sed etiam varias, quibus Dervense monasterium afflictum fuit, calamitates referat,* Liber secundus de Dervensis cœnobii casibus et miraculis S. Bercharii *inscribitur. Hujus auctorem fuisse monachum Dervensem, jam ante diximus; idque satis clarum est: nam et* S. Bercharium Patris, Protectoris *et* Patroni nostri *appellatione frequenter designat, et* F *quotiescumque illi de Dervensibus monachis sermo est, eosdem* fratres *aut* seniores nostros *appellat. Nec minus luculenter idem auctor ætatem suam indicat num.* 16, *ubi scribit monasterium Dervense ab Alberico et Adsone instauratum, magnopere floruisse* usque ad exitum Domni Brunonis,..... septem annorum lustris..... ecclesiam *(Dervensem)* gubernantis. *Hinc enim consequens fit, auctorem manum scribendo admovisse defuncto quidem Brunone, sed tamen non diu post ejus obitum, cum se ejusdem Brunonis* imperiis frequenter iteratis *ad scribendum impulsum fuisse profiteatur.*

Vitæ subnectitur liber miraculorum

18 *Bruno autem hic, ut ibidem etiam ait, in abbatem* ordinatus est Romæ a S. Papa Leone IX, donatus ejus cognomine cum baculo pastorali ; *factumque id est anno pontificatus Leonis secundo, uti liquet ex epistola ejusdem Pontificis ad Wilhelmum comitem Nivernensem* (*h*), *quæ legitur* data kal. Maji per manus Petri bibliothecarii... anno Domni Leonis noni Papæ secumdo, indictione tertia abbati S. Bercarii, quem eodem die ad ab-

sæc. XI *conscriptus.*

(*a*) Hist. litt. de la France, t. VI, p. 471. — (*b*) T. I Sept., p. 616, n. 3 et seq. et t. V. Sept., p. 56. n. 6 — (*c*) T. III Sept., p. 135, n. 30. — (*d*) Ibid., p. 139, n. 48. — (*e*) Ibid., p. 616, n. 4. — (*f*) Fol. verso 85. — (*g*) Hist. litt., t. VI, p. 489.— (*h*) Gall. Christ., t. IX, col. 917.

batem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

batem in capella sua Lateranensi benedixerat, et ei nomen suum, quod fuit Bruno, imposuerat. *Itaque anno S. Leonis secundo seu æræ Christianæ* 1050 *additis septem lustris seu annis* XXXV, *exsurget annus* 1085, *quo Bruno obiit, et circa quem proinde Anonymus noster Sancti miraculis conscribendis operam dedit. Porro cum ex dictis auctor non integro sæculo Adsone posterior fuerit, atque adeo eo tempore scripserit, quo miraculorum, tempore regiminis Adsonis, a quo initium scribendi ducit, patratorum sufficiens supererat memoria, cum inter scripta a se miracula fuerint plurima, ut eodem num.* 16 *dicit* a Brunone visa, vel a cernentibus vel fidelium et veracium testimonio subnixis tradita... pariter.... aliquanta (*Brunonis*) manibus scedulis adnotatæ, *tuto, mea opinione, fides narranti, adhiberi potest. Nunc* S. Bercharii *gesta, servato, quantum fieri poterit, ordine discutere aggredimur.*

B

§ II. Sancti Bercharii patria, tempus natale, monachatus Luxovii.

Nascitur Sanctus in Aquitania,

S. Bercharium *Aquitanum fuisse declarat Adso num.* 1 *Vitæ infra edendæ:* Prioris, *inquit,* monimenta temporis pagum Aquitanicum ortus ejus tradidere ac generis fuisse exordium. Parentes ejus vita venerabiles et valde religiosi in vita sua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati, et (quod longe est excellentius) quodam singularis innocentiæ, ac inter suos felicium proventuum privilegio insigniti. *Quibus verbis indicat quidem Aquitaniam patriam Sancti fuisse, quin tamen aperte significet in qua parte regionis vastissimæ natus fuerit. Illam regionem Galliæ describens Valesius in notitia Galliarum :* Primo quidem, *inquit,* una et et simplex fuit Aquitania inter Pyrenæum et Garumnam ac Oceanum..... deinde etiam diu post prolatos ab Augusto ejus terminos usque ad Ligerim una esse perseveravit provincia Aquitania..... Postea Constanti Maximi ordinatione, ut puto, ex una provincia duæ factæ, Aquitania altera, altera a Nevempopulis, Novempopulana dicta..... Demum remanentibus Novempopulis, Aquitania bifariam divisa est in Aquitanicam primam et Aquitanicam secundam ; provinciæ Aquitanicæ primæ metropolis facta Biturigæ, secundæ Burdigala.

C

in tractu, ut videtur, Pictaviensi,

20 *Propius designat locum natalem Sancti Adso, quando loco citato dicit :* Nam inter cætera quæ ex dote supernæ dispensationis hic vir sanctus acceperat non mediocribus quoque paternæ hæreditatis titulis a progenitoribus temporaliter etiam certum est floruisse, quod videlicet, si quis diligenter velit, in promptu est agnoscere, cum pœne usque ad hæc nostra tempora ejus juris villas et prædia tam ultra Ligerim, ubi Diseias dicitur, quam etiam infra fines Aquitaniæ constituta, hi qui sibi in monasterii sui regimine probantur successise, per longa temporum curricula jure quieto visi sunt possedisse. *Hæc Adsonis verba insinuant Sanctum nostrum, utpote cujus hæreditas præcipua* Diseias *dicitur, illic parentes suos habuisse commorantes, et proinde in eodem loco probabilius natum fuisse atque educatum.* S. Bercharius *ipse in charta traditionis infra citanda, quando de fundatione Dervensi agit, dicit hæreditatem suam, quæ ei* ex successione paterna et materna legibus obvenerat, *sitam in* Diseio *villa* ultra Ligerim supra fluvium Crete. *Superest vero ad nostra usque tempora ad* Clanem *fluvium duabus leucis gallicis Pictavis septemtrionem versus distans, vicus* Dissays *dictus, qui convenit aptissime, si pro* Crete fluvio, Clanis, Clenis *aut* Clitis *scribitur. Crete fluvii nomen mihi solum occurrit juxta Valentiam in præfectura Drumensi* (Dépt. de la Drôme) : *teste Baudrand,* Crestidium *seu* Crestum, le Crest, *vicus est rivulo cognomini insidens; sed hic locus cum Aquitania minime quadrat. Cæterum vanus fuit labor in quærendo* Crete *fluvio* ultra Ligerim, *neque aliquid lucis affuderunt investigationes operosæ in Atlante Cassini et in mappa hydrographica Francix, a viro de re geographica optime merito Ph. Vander Maelen humanissime nobiscum communicata. Nisi igitur quispiam malit divinare* Clanem *fluvium olim etiam* Crete *dictum fuisse, probabilis, non dubito, multis erit opinio vocem corrupte expressisse librariorum oscitantiam ; quæ etiam monstrabitur infra, quando nomini* Nivardi, *inusitatus illo ævo archiepiscopi titulus additus reperietur. Opinationem hanc confirmat, quod plura loca, in Bercharianæ charta recitata, inspicienti mappam facile occurrant, verbi gratia : Britello* Breuil, *Musciaco* Moussais, *Saviniaco* Savigny, *Gravisio* la Grève, *Aliaco* Aillé, *Nuhileio* Nieuil ; *quod si omnia reperire non licet, id evenit forsitan aut quia locorum nomina obliterata sunt, aut in ipso diplomate vitiose expressa : aut tandem quia non ita vicina sunt hæc loca* Diseio, *cum dicatur in textu :* villa et prædia tum ultra Ligerim..... quam infra fines Aquitaniæ, *id est, ut opinor, in ulteriori Aquitania.*

D

E

parentibus nobilibus,

21 *Cum porro ex superioribus Adsonis verbis habemus sancti* Bercharii *parentes* exteriore affluentia rerum non mediocriter fuisse decoratos, *vix dubium esse potest quin simul essent nobilitate conspicui : nam quo tempore Sanctus vixit, divitiæ plerumque cum generis nobilitate erant conjunctæ. Verum non ita verisimile est, quod asserit Edmundus Baugier (a). Sancti patrem exstitisse Aquitaniæ ducem : quamquam enim certum sit sæculo* VII *duces Aquitaniam administrasse, quia tamen nihil de Aquitanico illo patris ducatu dicitur ab Adsone aut ab Almanno monacho, biographo S. Nivardi, Edmundo Baugier sine ulla idonea ratione id asserenti fides haberi non debet. Maxime cam præfecti Pictaviensis tractus, ubi probabiliter Sanctus noster natus est, sibi titulum ducum Aquitaniæ non arrogarint ante medium sæculum nonum, ut monstrant Benedictini auctores Historiæ Aquitaniæ (b).*

F

non quidem regnante

22 *Quo vero tempore Sanctus in lucem fuerit editus, non facile determinari potest. Biographus num.* 2 *innuit eum natum fuisse Childerico II Austrasiæ regnum obtinente, et S. Nivardo Ecclesiæ Remensi præsidente; ait enim :* Eo tempore (*nativitatis* S. Bercharii) Francorum imperium regi Childerico felicissime disponente.... B. Nivardus.... sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. *Jam vero initium episcopatus S. Nivardi figendam esse circa medium sæculi* VII, *docuit Stiltingus noster ad diem* I *Septembris, in Commentario Vitæ ejus prævio (c), et Childericus II Austrasium anno* 660 *gubernare cœpit : ante quem proinde annum, si positis a biographo notis standum sit, Sancti nativitas collocari non potest; ast cum hoc natali tem-*

(a) Mém. hist. de la Prov. de Champ. t. II, p. 155.— (b) Hist. Gén. du Lang. t. I, p. 723.— (c) T. I Sept., p. 270, n. 12.

pore

A *pore non conciliatur reliqua vitæ chronotaxis. Si enim Sanctus non ante annum* 660 *natus dicatur, idoneæ ætatis haud exstitit, cui, vivente eodem rege ad annum solum* 673 *superstite, construendi regendique Altivillariensis monasterii cura a S. Nivardo committi potuerit. Quod si Sancti nativitas sub initium episcopatus S. Nivardi, id est circa annum* 650 *constituatur, non omnis difficultas vitabitur : nam credibile non est, Sanctum, (si circa medium sæculum* VII *natus supponitur,) exactis adolescentiæ annis, ad S. Nivardum accessisse, hinc in Luxoviensi monasterio disciplina ita imbutum fuisse, ut, verba sunt Adsonis num.* 11, divinæ militiæ in utramque partem præmunitus, *quæ* longo exercitio *didicerat* in lucri dominici dispensationem jam plurimorum saluti consulere potuerit, *atque utrumque cœnobium Altivillariense ac Dervense condiderit, iisque cum abbatis titulo præfuerit. Sane hæc omnia difficulter intra annum* 650 *et* 673 *aut* 674, *circa quem S. Nivardum obiisse probabiliter monstrat Stiltingus ad* 1 *Septembris* (*a*), *constringuntur.*

Childerico II, B 23 *Natum itaque sub Childerici II regno et episcopatu S. Nivardi Sanctum a biographo dici opinor, quod illustriora ejus gesta cum hac epocha conjuncta fuerint : nam* solemne *est inquit Mabillon in nota ad hunc textum,* auctoribus, qui res gestas Sanctorum litteris mandaverunt, ut quo quisque rege floruit, eodem natum fuisse affirment. *Utut sit, Sanctum diu ante S. Nivardi episcopatum in lucem editum fuisse, ob rationem num. præcedenti allatam agnoscunt omnes, quamquam non una sit quoad tempus ejus natale sententia. Adrianus Baillet et Albanus Butlēr ad hunc diem adstruunt Sanctum natum circa annum* 636 ; *quod quo fundamento faciant, ignoro. Nihilominus ejus nativitas aliquot annis antevertenda videtur, cum dictus Baillet, tacente Bultero, Joannem Mabillon* (*b*) *et Antonium Pagium* (*c*) *secutus, statuat fundatum monasterium Altivillariense anno* 662 : *quo quidem casu Sanctus noster hujus monasterii abbas fuisset constitutus, anno circiter* XXVI *ætatis suæ; quod, quia insolens fuisset in tanta juventute abbatem aliquem præfici, et proinde non parum ad laudem* S. Bercharii *contulisset, probabiliter diligentiam biographi Adsonis non effugisset. Deinde, uti num. præcedenti monstravi, ipsa vitæ series aliud omnino indicat : litteris scilicet primum in patria eruditus fuit, in adulta* C *ætate ad S. Nivardum missus est, sub disciplina Remacli fuit exercitatus, et tandem Luxovium adiit, atque illic per annos aliquot sub disciplina monastica versatus fuit; quæ omnia prohibent quominus ejus gesta, usque ad fundatum Altumvillare intra viginti sex annorum angustias claudantur.*

sed Clotario II circa annum 625; 24 *Cointius* (*d*) S. Bercharium *natum opinatur circa annum Christi* 608 : *tum quia illum discipulum facit S. Remacli, regii scrinii adhuc procuratoris* (*e*), *et proinde ante annum* 628, *quando id munus deposuit ; tum maxime quia ex Adsone illum monachum egisse credit sub Eustasio Luxoviensi abbate, anno* 625 *defuncto* (*f*). *Sed neutra assertio quidpiam solidi fundamenti habet, ut infra monstrabitur. Joannes Mabillon* (*g*) *nullum determinatum assignans annum, natum statuit sub principatu Clotarii II, qui regnum ab anno* 613 *ad* 628 *tenuit. Cui sententiæ standum reor, quatenus propius ad finem Clotarii regiminis ortum Sancti nostri figamus; et proin a vero alienum non existimaverim illum, qui Sancti nativitatem anno* 625 *adscribendam putaverit : tunc enim omnia rite procedunt, neque quidpiam occurrit, quod huic opinioni repugnet ; atque adeo in hac sententia Sanctus, ut exigit Adsonis narratio, adolescentiæ annis in patria transactis, ad S. Nivardum accessit sub initium episcopatus ejus, postea disciplina monastica Luxovii sufficienter imbutus ac idoneæ ætatis, sive annorum circiter* XXXVI *factus, circa annum* 662 *recipere potuit regimen monasterii Altivillariensis.*

AUCTORE J. V. H.

prius Bereus *dictus,* 25 *A nativitate Sancto inditum fuit nomen* Bererus, *aut ut habet Camuzatius* Bereus; *imo Aquicinctinum nostrum apographum* Herrerum *habet ; idque nomen secundum Adsonem significat* bonæ hereditatis herum. *Quid de hac vocis* Bereri *sive* Berei *significatione sit, nescio : conjecturis id utcumque elucidare, esset operam perdere, cum hujusmodi interpretationes, a Sanctorum biographis nonnumquam usurpatæ, eruditis plerumque displiceant. Si certior esset Aquicinctina lectio, constaretque Adsonem in Jurensi tellure editum teutonice locutum fuisse, facilis esset interpretatio, vocabulo* Herrerus Erfheer, *hæreditatis herum significante. Si autem Sanctus a pueritia vere illud nomen habuerit, necesse est ut illud postea mutatum fuerit;* E *nam ipsemet Adso semper et ubique* Bercharium *vocat, idemque faciunt Almannus monachus in Vita S. Nivardi, Sanctus quoque Nivardus in charta privilegii Altivillariensi cœnobio concessi, atque ipse Sanctus in litteris donationis pro monasterio Dervensi,* Bercharium *scribit. Laudatus Almannus asserit* Bercharium *a S. Nivardo episcopo* de sacris fontibus *fuisse susceptum ; verum hoc incertum esse, quod neque apud Adsonem, neque apud Flodoardum legatur. jam observavit Stiltingus ad Vitam S. Nivardi* (*h*). Si vero id factum est, *ait,* contigisse debuit ante episcopatum Nivardi, cum Adso affirmet Bercharium simul ac in lucem prodierat sacro fonte renatum. *Ante episcopatum quoque S. Nivardus iter Aquitanicum, de quo loquitur Adso num.* 3, *suscipere debuit, quando apud parentes* S. Bercharii *diversatus bonam indolem* Bercharii *adhuc pueri miratus est.* Crediderim igitur, *verba sunt Stiltingi loco citato,* S. Nivardum jam tum episcopum dici, quia eam dignitatem postea est consecutus.

adolescens 26 *Attamen, si sola Adsonis narratio de hoc S. Nivardi itinere spectetur, concludi posset talem non fuisse Adsonis mentem ; sed hunc reipsa existimasse S. Nivardum, dum Aquitanicum iter obiret,* F *jam fuisse episcopali dignitate ornatum : ast, quidquid censuerit biographus, ob rationem superius datam, et maxime ob tempus nativitatis* S. Bercharii, *certum videtur illud iter ante episcopatum fuisse susceptum. Quamquam vero Adso circa tempus itineris hallucinatus fuerit, neque etiam Almannus aut Flodoardus ejusdem meminerint, illud tamen locum habuisse negari non debet. Etenim ex Flodoardo constat* (*i*), *S. Nivardum ex hæreditate materna trans Ligerim, sive infra fines Aquitaniæ possedisse varia bona, quæ possessoris præsentiam quandoque exigebant, ut vel hinc narratum ab Adsone iter verosimile etiam evadat. Porro S. Nivardus in hoc itinere apud Sancti nostri parentes hospitatus,* cum quamdam, *verba sunt biographi num.* 3. futuræ habitudinis speciem miraretur in puero boni operis candidato, *eumdemque* divino instinctu sacris mysteriis applicandum esse *jam* præcenseret, *iisdem auctor fuit, ut filium suum litteris imbuendum curarent. Quibus autem magistris San-*

(*a*) T. I Sept., p. 276, n. 34. — (*b*) Annal., lib. XV, § XXIII, t. I, p. 429. — (*c*) Crit. Baron. ad an. 662, § V. — (*d*) Ad an. 612, § XXIV, t. II, p. 635. — (*e*) Ibid., § XVII. — (*f*) Act. SS. XXIX Mart., p. 784. n. 1 — (*g*) Act. SS. Bened., sæc. II, p. 832, not. *a*. — (*h*) T. I. Septemb., p. 271 n. 18. — (*i*) Hist. Rem. Eccl., lib. I, cap. X. Bibl. Max. PP., t. XVII, p. 537.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

ctus puer a parentibus traditus fuerit, uti cætera quæ in domo paterna puer ac adolescens gessit, silentio involvit Adso, nisi quod insignem ejus in scientia virtutibusque progressum extollat sequentibus laudibus num. 4 : Igitur dum puer bonæ indolis tam scientia quam virtute animi coævos suos præcederet, atque paulatim bonæ intentionis primordiis ad cœlestis militiæ perfectius tyrocinium decrevisset intendere... cœpit altius adspirare, terrenarum rerum contemptu sufficiens, atque ea, quæ virtutum incrementa respiciunt, perennis intuitu gloriæ totis nisibus attentans, æterna præ oculis indefesse constituere,... diversis afflictionum generibus affectionum carnalium molimina coarctare, atque adolescentiæ gressus divini amoris virtute roborare.

S. Nivardum adit ;

27 *Hisce generalioribus laudibus præmissis, mox refert biographus Sanctum, relicta patria, ad S. Nivardum Remos accessisse, idque iterum, si eumdem biographum audiamus, factum fuit, regnante jam in Austrasia Childerico II et Remensi Ecclesiæ præsidente S. Nivardo. Sed, ut jam præmonuimus, universam* S. Bercharii *ætatem intra regni*

B *Childericiani angustias sive intra annum* 660 *et* 674 *biographus coarctat. Hoc quidem probabilius est, Sanctum Remos adventasse, S. Nivardo ejusdem Ecclesiæ cathedram adepto : quod, ut supra diximus, circa annum* 650 *accidit. Talis vero jam tum erat* S. Bercharius, *ut, si fides biographo habenda est, illi partem sollicitudinis pastoralis non modicam tuto committere potuerit beatissimus episcopus ; quod nostram confirmat sententiam Sanctum vix tardius anno* 625 *natum fuisse.* Hic igitur *ait num. citato,* beatus pontifex, ut semper optaverat, tali ac tanto suppare adepto, quoniam ipse exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ dispositionis consiliis et actibus frequenter interesse, pontificalis providentiæ pondus volens nolensve cœlesti ordinatione perferre, ministerium sibi injunctum tum publice tum privatim increpando, arguendo, obsecrando, ut perfectus agricola, sedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore, atque in divinis operibus devotissimo consorte. *Quæ postrema verba indicant* S. Berchárium *brevi post suum Remos adventum presbyteratus ordinem suscepisse, ad quem secundum disciplinam sæculi* VII *an-*

C *nus* XXX *requirebatur. En iterum nos reductos, ut tempus sancti* Bercharii *natale ad annum circiter* 625 *referamus.*

necdum presbyter

28 *Nam ante suum ex Aquitania egressum sacerdotio initiatum non fuisse, probabile mihi faciunt verba Adsonis eodem numero relata, quibus sat aperte insinuatur* Bercharius, *adhuc adolescens, patriam reliquisse.* Igitur, *ait,* dum puer sanctæ indolis tam scientia quam virtute animi coævos suos brevi præcederet... cœpit altius adspirare... atque adolescentiæ gressus divini amoris virtute roborare. Spretis deinde propinquorum et patriæ retinaculis,... Sanctissimum Nivardum Remorum pontificem flagrat ardore expetendi. *Dein post amplissimas laudes sancto præsuli tributas, pergit :* Hujus itaque tantæ opinionis gratiæ provocatus, felix adolescens Bercharius, ecclesiasticis sacramentis, fide, habitu et actu aptissimus, cum illo beato sene, cui jampridem dictum a Domino fuerat : Egredere de terra tua, *etc.*, fidem participans et meritum, cognationem relinquens et patriam, post longi laboris excursum fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo pontifice civis felicissimus.... sanctæ Remensis Ecclesiæ. D *Ex his verbis satis patet* Bercharium *in adolescentia, proindeque ante susceptum sacerdotium e patria migrasse, et per ordinationem, pro more illorum temporum, factum esse* civem felicissimum sanctæ Remensis Ecclesiæ. *Sed cum post hæc verba statim subsequantur ea quæ numero superiori citavimus, evidens quoque fit non ita diu post suum ad S. Nivardum accessum sacerdotio initiatum fuisse, excolendum tamen dein accuratius scientiis et virtutibus, quibus utiliorem laboranti Ecclesiæ operam navare posset. Traditur itaque* S. Bercharius *informandus Remaclo, procuratori sacri scrinii palatii, cujus* prudentiæ, *ait Adso num.* 5, et sanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio veneranda : qui scilicet vir inclytus, confessor postmodum Domini gloriosus, multis signorum virtutibus approbatus, placidus cunctis, benignus universis, in prosperitate modestus, in adversis patientissimus, vita laudabilis, eloquio affabilis, sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna semper ab oculis non averteret.

traditur eruditendus Remaclo cuidam

29 *Mabillon in Observationibus prævviis ad Vitam* S. Bercharii *et Nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Remacli ad diem* III *Septembris (a) dubitant utrum Remaclus, præceptor Sancti nostri,* E *idem sit ac sanctus Trajectensis episcopus ; quod absolute denegat Adrianus Baillet in nota marginali ad Vitam* S. Bercharii. *Certe ratione temporis nihil obstat, quominus Sanctus sub disciplina S. Remacli fuerit : ita enim coævi erant, ut alter alterum ætate superat. Verum hanc qualemcumque probationem evertunt plane rationes oppositæ. Imprimis luculentum sane elogium texuit Adso, ut continuo vidimus, quin tamen vel verbo attingat aut ejus apud Trajectenses episcopatum, aut fundata, illo hortante et curante, monasteria duo nobilissima, Malmundariense scilicet et Stabulense ; quod profecto non tacuisset scriptor, qui non solum* procurationis regii scrinii *mentionem ingessit, sed etiam encomium sic concludit, ut omnia ad procuratoris officium referenda sint :* Sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna ab oculis non averteret. *Deinde cum S. Remaclus Trajectensis probabilius initio anni* 648 *episcopus consecratus fuerit, uti Nostri monstrant in Commentario prævio ad ejus Vitam (b), proinde ante pontificatum S. Nivardi, qui non ante* II *Idus Martii* (XIV *Martii*) *anni* 649, *quando ejus decessor Lando* F *obiit, Remensem cathedram conscendere potuit (c), nullum relinquitur tempus informando* S. Berchario *aptum.*

diverso ab homonymo Trajectensi

30 *Cointius quidem (d) Sancti nostri disciplinam sub S. Remaclo annum* XXXIII *sæculi septimi præcessisse contendit : quia, teste Adsone, id factum fuit, quando S. Remaclus adhuc laicus, procuratoris regii scrinii munere in aula fungebatur, Clotario II regnante, qui diem supremum ejusdem sæculi anno* XXVIII *obiit. Verum de hoc munere a S. Remaclo administrato altum est silentium in ejusdem Sancti Vita ab auctore anonymo circa medium sæculum* IX *conscripta atque in Opere nostro ad diem* III *Septembris edita. Idem silentium observant duo alii ejusdem Sancti biographi Notgerus et Herigerus. Qua de causa admodum incertum esse, an reipsa S. Remaclus illud munus in aula regia gesserit, merito jam observarunt Mabillon ad Vitam* S. Bercharii *et Veldius noster in Commentario prævio ad S. Remacli Vitam. Ad hæc quicumque concinnatum a Veldio Commentarium perlustraverit, facile perspiciet Sanctum hunc semper in Neustria, et ple-*

(*a*) T. I Septemb., p. 673, n. 18. — (*b*) Ibid., p. 675, n. 21, — (*c*) Cfr. Coint. an. 649, § IX, t. III, p. 239; et Nostros, t. I. Sept., p. 270, n. 12. — (*d*) Ann. 612. § XVII, t. II, p. 631.

rumque,

A *rumque, si non semper, in civitate Bituricensi moratum fuisse, donec post laudabilem Solemniacensis monasterii gubernationem, a Sigeberto II, Austrasiæ rege, in aulam evocatus fuit,* ut illius prudentia, *inquit Anonymus Stabulensis* (*a*), disponerentur regni negotia ; *quod proinde ante annum* 638, *quo regnare cœpit Sigibertus, non accidit. Omnino igitur improbabile est* S. Bercharium *circa annum* 628 *magistrum habuisse S. Remaclum : tum quia vix natus erat, ut supra vidimus ; tum quia S. Nivardus optimæ spei juvenem homini extero, utpote Neustrio, non tradidisset. Fuerit igitur præceptor Sancti nostri Remaclus aliquis, (hoc facile propter Adsonis testimonium admittemus,) dummodo ille omnino diversus a sancto Trajectensi episcopo statuatur.*

deinde sub Walberto 31 Interea, *inquit Adso num.* 6, cum beati viri *(Remacli)* justus adolescens per aliquod tempus magisterio frueretur, et cœlestis pro viribus præ-libasset haustum sapientiæ, Luxoviense monasterium accepto tulit expetere.... Bercharius itaque, famulus Christi, ad altioris vitæ semper instituta conscendere desiderans, pontificis sui
B authoritate et gratia celeri gressu ad locum hunc pro voto properat, præfati patris *(Eustasii scilicet, de quo jam locutus fuerat Adso)* alacritate condignus approbatur, sanctæ monachorum cohorti, non tam corpore quam mente et actu sociatur. *In hac narratione Adsoni obrepsit error chronologicus ; quando scilicet initium monachatus* S. Bercharii *statuit sub regimine S. Eustasii, Luxoviensis post S. Columbanum abbatis. Constat enim S. Eustasium defunctum esse anno* 625, *uti videre est in ejus Vita ad diem* XXIX *Martii* (*b*), *quo tempore, ut jam diximus, vix puerulus erat* Bercharius. *Etenim, si sub S. Eustasio monasticam vitam Luxovii professus fuisset* Bercharius, *oporteret primum, ut diu ante episcopatum adiisset S. Nivardum, deinde ut per annos circiter* XXV *Luxovii perseverasset ; neutrum autem cum chronotaxi concordat. Igitur S. Eustasio substituendus est S. Waldebertus vel Walbertus, qui* XL *annos Luxovium gubernavit, et quo duce et magistro Sanctus noster monasticæ vitæ stadium percurrit. Hunc quidem Adsonis errorem non admittit Cointius, sed* Bercharium *reapse a S. Eustasio monachorum Luxoviensium albo inscriptum fuisse opinatur ; quia videlicet eumdem multo citius*
C *id est circa annum* 624 *in aula regia magisterio S. Remacli usum fuisse credidit. Sed cum id, ut ex supra dictis liquet, sit nullatenus probabile, non video quomodo ab errore excusari possit Adso.*

Luxovii 32 *Quantum in vitæ sanctitate et regulari observantia profecerit, colligi potest ex Vita num.* 7 *et* 8, *ubi insignibus quamvis generalioribus, encomiis exornantur præclaræ ejus virtutes, et præcipue obedientia, quam etiam Deus, si biographo credimus, voluit declarare illustri prorsus miraculo, quod ex Vita loco citato in compendium sic redigo. Promptuarii præfectus* Bercharius, *dum cervisiam fratribus ministrandam in vas exciperet, contigit, ut ab abbate subito vocaretur ; abbatis imperio sine mora obsecutus, non clauso epistomio promptuarium reliquit, atque ad abbatem accessit ; reversus dein, nihil cervisiæ in terram defluxisse, sed eamdem instar columnæ mansisse supra amphoram elevatam, miratus est. Idem miraculum in Vita S. Columbani, ab Jona conscripta, observat Mabillon* (*c*), *ac propterea in suis ad Vitam* S. Bercharii *adnotationibus ita loquitur :* Berchario *(narratum miraculum)* aptari non potest : siquidem factum dicitur Columbani imperio, quem Bercharius suppar videre non potuit. *Ast potuit istud miraculum bis fieri, primo quidem sub abbate Columbano, atque iterum sub Waldeberto ; adeoque ob allatam a Mabillone rationem miraculum certo rejici non potest. Est tamen alia de causa dictum miraculum suspectum : Adso, a* S. Bercharii *ætate duobus sæculis remotus, miraculum refert non ex antiquis monumentis, sed ex sola, ut ejus verba insinuant, traditione, quæ sæpe dux est admodum infida in notis personarum et temporum : igitur etiam Adsonis auctoritas sufficiens non est, ut idem miraculum in eodem monasterio bis factum fuisse existimare debeamus : facile crediderim, Adsonem quod sub S. Columbano factum narratur, perperam in* S. Bercharium *transtulisse.*

AUCTORE J. V. H.

monachum agit. 33 *Præter dictum miraculum, valde, ut ex dictis liquet, suspectum quæ Sanctus in Luxoviensi monasterio singillatim gesserit, biographus non explicat ; siletque quamdiu in eodem monasterio moratus fuerit. De eo tamen tempore duo liquida sunt, videlicet : et ante annum* 662, *quo Altumvillare, ut infra monstrabitur, fundatum fuit, jam Remos rediisse ;* E *et* longo tempore, *ut habet Adso num.* 9, *Luxovii habitasse ; quod tamen intra octennium decenniumve circumscribendum suadet initium pontificatus S. Nivardi. Cur vero Sanctus noster Luxoviense monasterium bona haud dubie venia abbatis sui reliquerit, atque Remos fuerit reversus, in causa certo fuit, quod S. Nivardus, ejusdem quem jam ante familiarem sibi habuerat, opera uti in condendo quod meditabatur, monasterio, eumdemque abbatem præficere vellet : neque etiam absurdum fuerit cogitare ea lege Sanctum nostrum a B. Nivardo Luxovium fuisse directum, ut postea Remos reversus, haustam plurimorum annorum exercitio disciplinam in novo monasterio propagaret.*

§ III. Fundata a S. Berchario monasteria Altumvillare, Puellare et Dervense.

S. Bercharius *tria præcipua fundavit monasteria scilicet* Altumvillare *in episcopatu Remensi,* Puellare *pro fœminis et* Dervense *pro monachis. utrumque in saltu* Dervo, *unde et nomen derivatur.* F *Erat autem Dervensis saltus in finibus diœcesium Catalaunensis et Tricassinæ situs. Quod ad monasterium Altivillariense attinet, non est quod diutius ejus originibus explicandis immoremur, cum in Commentario prævio Vitæ S. Nivardi* (*d*) *et in* S. Bercharii *Vita infra edenda late descriptæ fuerint : ne igitur actum agamus, hic recudere nolumus. Sufficiat hic explicare varietates inter Adsonem et Flodoardum circa dicti monasterii fundationem occurrentes, quasque Stiltingus noster discutiendas ad Vitam S.* Bercharii *probabilius rejecit. Prima quæ occurrit, difficultas nascitur ex eo, quod Adso num.* 9 *locum, in quo conditum est Altumvillare,* juris *S. Nivardi fuisse ; Flodoardus* (*e*) *vero dictum locum ad Bavonem et Theodoramnum fratres spectasse dicat ; sed* illos eamdem possessionem S. Nivardo commutatione ab eo sumpta tradidisse : *ut constat etiam ex fragmento chartæ donationis* (*f*). *Vera autem est utriusque narratio, Adsonis quidem ultimum possessorem, Flodoardi vero etiam præcedentes indicantis.*

S. Bercharius *Altumvillare*

(*a*) T. I. Septemb., p. 693, n. 2. — (*b*) T. III Mart., p. 790. Cfr Mabill. Act. SS. O. S. B., sæc. II, p. 123. — (*c*) Act. SS. O B., sæc. II, p. 16. — (*d*) T. I. Septemb., § IV, p. 272. — (*e*) Hist. Rem. Eccl., lib. I, cap. VII. Bibl. Max. Patr., t. XVII, p. 536. — (*f*) Gall. Christ., t. X, Instr. col. I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE V. J. H.

monasterium fundat,

35 *Discrepat quoque Flodoardus a biographo, quod hic visionem columbæ, quæ occasionem construendi monasterii præbuit, referat contigisse in S. Nivardi itinere Sparnacum versus ; ille vero in ejusdem Sparnaco Remos reditu. Differt pariter, quod biographus nullum e primis Sancti nostri discipulis, qui in Altivillariensi monasterio habitum monasticum induerunt, nominet ; Flodoardus vero tres nominatim recenseat, his verbis* (*a*) : Ubi *(in Altumvillari)* etiam præfatus Theodoramnus monachus efficitur. Sed et Reolus filium suum, nomine Gedeonem, de nepte S. Nivardi susceptum ibi monachum fieri petiit, et rerum suarum partem ad idem monasterium condonavit. Beatus autem Nivardus, constituto monasterio, quidquid possessionum ante episcopatum fuerat visus habere, ad ipsum locum tradidit, et exhortatus Beatum Reolum *(Campaniæ comitem et S. Nivardi in episcopatu successorem)* religionis ei suasit assumere habitum. *Eodem, quo Flodoardus, modo loquitur Almannus in Vita S. Nivardi ; verum cum neutrius verba, ut observat Stiltingus noster* (*b*) *absolute exigant, ut reipsa monachus factus fuerit,*

B *facile hunc sensum patiuntur, ut S. Reolus clericalem solummodo vestem induerit, cum in ejus Vita a Stiltingo citata, dicatur* S. Nivardi salutaribus monitis informatus, tonsuram clericalem assumpsisse ; *cæterum hæc quæstio poterit fortassis maturius discuti quando ad diem* XXV *Novembris ejus Acta edentur.*

probabiliter

36 *Sed quæ maxime notanda inter utriusque narrationem intercedit differentia, ea est, quod biographus silentio quædam involvat, quæ Flodoardus loco citato ejusdem cœnobii structuram præcessisse refert :* B. Nivardus, *ait,* dum ex communi consensu totius concilii præsulum Galliæ Namnetis Romani jussione Pontificis exhibiti, rege favente, restruxisset ecclesiam monasterii, super ripam Maternæ fluminis in loco nuncupato Villari dudum siti, sed a Barbaris diruti, et ab eo constructa hæc funditus cecidisset ecclesia, in alio loco rursus ab eo restructa, rursum traditur corruisse. *Hæc verosimiliter omiserit biographus noster, quod reditum* S. Bercharii *e Luxoviensi monasterio præcesserint. Ex male intellecto Flodoardi loco, esset fortassis quispiam, qui suspicari posset cœnobium Altivillariense a* S. Berchario *fundatum*

C *fuisse paulo post concilium Namnetense, quod Sirmondus* (*c*) *et Labbeus* (*d*) *anno* 658, *Longuevallius* (*e*) *autem anno* 650 *celebratum statuit. Opinatur scilicet Longuevallius concilium illud coactum fuisse, ut fieret satis mandatis S. Martini Papæ I : præscripserat enim Pontifex epistola ad S. Amandum, qua mittit acta synodi Lateranensis mense Octobri anni* 649 *celebratæ* (*f*), *hæc mandata :* Ut synodali conventione omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem encyclicæ a nobis directæ, scripta una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda, concelebrent, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide et destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ a nobis statuta fuerunt. *Porro hæc Namnetensis synodus satis recte quadrat cum S. Martini epistola, ut anno* 650 *aut sequenti statuenda videatur.*

circa annum 662

37 *Si qui igitur initium Berchariane fundationis in Altumvillari cum concilio Namnetensi connectat, dicti monasterii originem ad annum* 658 *aut probabilius ad annum* 650 *referat oportet : cujus quidem erroris Mabillonium arguit D. Bouquet* (*g*). *Nullibi* D *tamen hanc quam Mabillonio tribuit opinionem inveni : in Annalibus Ordinis S. Benedicti* (*h*) *fundationem Altivillariensem sub annum* 662 *ordinat ; in Actis vero Sanctorum ejusdem Ordinis tempus nullum statuit. Sed cum ex Actis* S. Bercharii *num.* 17 *sciret vir eruditissimus* Childerici regis Francorum opitulante clementia *conditum fuisse cœnobium, certum profecto illi erat, non ante annum* 660, *quo regnare cœpit Childericus II, opus inchoari potuisse. Tempus igitur fundati a* S. Berchario *Altivillariensis monasterii, inter hunc annum propter Childericum regem, et annum* 673 *propter obitum S. Nivardi statuendum est. Stiltingus noster* (*i*) *circa finem episcopatus S. Nivardi initia Altumvillaris ponit ; ast cum* S. Bercharius *procul dubio aliquot annos in ædificando regendoque dicto cœnobio insumpserit, cumque dein Dervense, superstite etiamnum S. Nivardo, circa annum* 672 *construxerit, initia Altivillariensia magis ad medium quam ad finem episcopatus S. Nivardi sunt revocanda.*

diu ante obitum S. Nivardi.

38 *Unum tamen est, quod suadere posset Altumvillare ædificatum fuisse circa finem episcopatus S. Nivardi ; Adso scilicet sancti episcopi mortem fun-* E *dato monasterio subnectit, unde concludit Pagius* (*k*) *breve temporis intervallum inter utrumque eventum intercessisse. Sed Dervum non prius fuit ædificatum, ut habet Adso num.* 20, quam res tam exteriores quam interiores prædicti Altivillarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatæ *essent ; tunc, ait biographus,* opportuna sibi loca lucrificandi gratia perquirebat. *Stiltingus autem ab errore liberare tentat Adsonem, cum inquit* (*l*) : Adso mortem quidem Nivardi narravit, ante quam loqueretur de fundatione Dervensi, sed nullibi asseruit mortuum esse Nivardum ante dictam fundationem. *Credo equidem Adsonem hic vere errasse et posuisse tempus obitus S. Nivardi, quando imperfecta adhuc erat Altivillariensis fundatio : nam paulo post agens de eodem cœnobio dicit :* Qui licet tanti patris fuerit solamine destitutus, nequaquam tamen a cœpti operis intentione desistens, *etc. Porro infra num.* 50, *monstrabimus S. Nivardum pluribus annis superstitem fuisse. Recte igitur plerique chronologi recentiores censent fundationem Altivillariensem circa annum* 662 *collocandam esse; cum non multo citius propter regis Childerici II initia, neque multo tardius statui possit, propter sub-* F *sequentes* S. Bercharii *fundationes, quæ non incepit, nisi bene constituto Altumvillari, ejusque disciplina rite stabilita, ut probant Adsonis verba supra allata.*

Dein in Dervo

39 *Gradus nobis nunc est faciendus ad alias sancti viri fundationes in saltu* Dervo *factas. Erat autem saltus Dervensis, ut jam dixi, finitimus inter diœceses Catalaunensem et Tricassinam ; hodie vero, saltem quoad partem territorii in quo Dervense et Puellare monasteria sita sunt, ad episcopatum Lingonensem et ad præfecturam Matronæ superioris* (Département de la Haute-Marne) *pertinet. Primum quidem cœnobium in saltu Dervensi fundavit pro fœminis : unde nomen* Puellare monasterium (*gallice* Puellemontier) *accepit. Ejus fundationem sequentibus verbis refert Adso num.* 20 : Abinde *(e cœnobio Altivillariensi)* egressus, Dei munere præcurrente, vastam saltus Dervensis solitudinem petere contendit : quo in loco, qua venerat intentionis non immemor, aptum ædificandi cœnobii statum invigilando sollicite scrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum, Dei gratia præ-

(*a*) Bibl. max. Patr., t. XVII, p. 536. — (*b*) T. I Sept., p. 274, n. 27 et p. 283, not. *d*. — (*c*) Conc. Gall., t. I, col. 495. — (*d*) T. VI Conc., col. 486. — (*e*) Hist. de l'Egl. Gall., t. IV, p. 7. — (*f*) Labbe. t. VI Conc., col. 383. — (*g*) Rec. des Hist. de France, t. III, p. 588 in nota. — (*h*) Lib. XV, § XXIII, t. I, p, 429. — (*i*) T. I Septemb., p. 272, n. 21. — (*k*) Critic. Baronii, ad an. 662, § V. — (*l*) T. I Sept., p. 276. n. 33.

duce,

A duce, contulit se ad quamdam matronam, Walthildem nomine; quæ superbo nobilitata sanguine, plurimorum a proavis prædiorum affluentia lætabatur: a qua vir sanctus condicti pretii dono emit sibi partem silvæ, eum scilicet locum, qui dicitur vulgo Mangisvillare; ibique cellulam ædificans, eamque B. Mariæ ad honorem consecrans, puellarum cœtum Deo Matrique servitutarum, prout posse fuit, diligentissime aggregavit.... Ex hoc igitur, Christi adminiculante suffragio, excrevit numerus virginum adusque sexagenarii cumulum, quibus etiam prædictis pater neptem supra scriptæ matronæ Walthildis solemniter abbatissam præfecit.

Puellarum 40 *Puellare monasterium primum fuisse, quod* S. Bercharius *in saltu Dervensi fundavit, ex eo liquet, quod transiens biographus ad alias Sancti fundationes, dicat:* His quoque rite peractis; *quæ verba omnino indicant, reliquas constructiones in Dervo subsecutas fuisse hoc virginum monasterium. Has vero ita describere pergit biographus:* His quoque rite peractis, secretiora saltus infatigabiliter excutiens, cognoscere summopere gestiebat, sic-

B ubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperisset; veniens in quemdam locum, Lutosas nomine, cellam construendi aptum reputans, nimia sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur propriis viribus nullo modo ducens aggredi, cujus erat hoc prædium potestatis adiit. Eo siquidem tempore Childericus rex, regnum Francorum nobilissime gubernans, libentissime sancti viri petitionibus adquiescebat. Hunc ergo pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris, Dei amore ferventibus, Leodegario et Mummuleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam S. Martini in honore consecravit, prædictus rex Childericus circumquaque ab ecclesia silvæ leuga una benigne donavit.

et Virorum 41 *Post ædificatam S. Martini basilicam, alias cellas erectas fuisse monstrant ejusdem biographi verba:* Beatus vero Bercharius neque his contentus cellulam sibi juxta locum, qui dicitur Puteolus, ea in parte, quæ nunc Monasteriolum dicitur, ad honorem B. Mauricii condidit, sperans aptum monasterium ædificandi locum reperisse.

C Verum, cum hoc etiam sibi habile non videretur, super fluvium Vigeræ quamdam ecclesiam S. Sulpicii honori dicavit. Neque ibi etiam statum cœnobii aptum fore ducens, mente pervigili, ut sapiens architectus, eum qui petentibus se adesse comprobat, dare loca congrua votis poscebat. *En varia tentamina, ut aptum sibi suisque cœnobium fundaret* Bercharius *noster: disciplicuerant priora, propterea locum magis favorabilem exquirit. Joannes quidem Mabillonius* (a) *hæc* omnia potius principi monasterio postea accessisse existimat: *ita ut ordinem chronologicum intervertisse Adsonem suspicetur. Profecto, si cellulas S. Martini, S. Mauritii et S. Sulpicii construxisset* Bercharius, *tamquam prioratus seu appendices principalioris cujusdam monasterii, nullum superesset dubium, quin Dervense præcessisset majus monasterium; verum ex toto contextu habemus imprimis, varias cellulas fuisse initia quædam principalis monasterii, sed cum ea loca ob ignotas nobis rationes non placerent, varias a Sancto exquisitas fuisse stationes, donec tandem Dervensem repererit. Si igitur prænarratæ Sancti fundationes ad principalem Dervensem postea accesserint, hoc non adeo ex præconcepta aliqua intentione, quam ex subsecuto eventu accidit. Deinde Adso, quem solum in hisce fundationibus auctorem sequi possumus, omnino indicat chronologico se ordine voluisse procedere in enarrandis Sancti fundationibus: a quo proin nobis non licet recedere, donec afferantur monumenta, quæ contrarium evincant.* AUCTORE J. V. H.

post varia tentamina, 42 *Ex verbis itaque Adsonis omnino concludendum est, fundatione monasterii Dervensis sanctum virum coronidem quodammodo suis laboribus imposuisse; quod satis indicant Adsonis verba dicentis:* Quodam igitur tempore, cum jam divina clementia ulterius famulantis animum per diversa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis, locum votis congruum iri repertum dedit. *Hæc certe confirmant, quæ supra diximus de variis tentaminibus, quibus* S. Bercharius *aptum construendo monasterio locum reperire conatus est: quem primo quidem non invenit, postea vero, Deo ita disponente, aptissimum sibi elegit, ut luculenter narrat biographus num.* 23: Nam abdita silvæ perlustrans, casu quemdam ad locum devenit, ubi pastores subulcos reperit: quos blande allocutus, aureique illos numismatis munere donans, poposcit ostendi sibi quæ habi- E liora aliquando silvas circumeundo ad habitandum loca pervidissent, dicens sibi animum esse, uti congruo habitandi loco extirpando silvas cœnobitarum tabernacula designaret: se quidem diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. *Narrant dein subulci locum quemdam esse in saltu, cœlesti portento insignem. Post quæ pergit Adso:*

fundat tandem 43 Ibi ergo B. Bercharius multo labore silvis radicitus eruditis, cœnobii ædificandi statum præelegit. Exinde ad palatium progreditur, regis gratiam, ex cujus desiderio ista agebat, S. Leodegario episcopo, et Almarico majore-domus, Fulcoaldo quoque et Wlfaudo, Nivardo etiam et Atelano episcopis, impetravit sibi dari silvam ex suo fisco, qui vocatur Vassiacus, in circuitu præfati loci, sicut ex auctoritate regia tenetur exterminatum: unde sumptus habere valeret ac prædia ad cœnobium constituendum.... Unde ipse Domnus Bercharius ecclesiam Deo in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum appellavit. *Totam hanc narrationem consideranti evidens fit, Adsonem sectatum fuisse ordinem chronologicum fundationum* S. Bercharii; *proindeque omnia illa cœnobia constructa fuisse ante tempus, quo Childericus II diploma dedit pro monasterio virorum Dervensi, seu ante annum III regni ejus.* F

principale 44 *Inter schedas a decessore de* S. Berchario *relictas, et post concinnatum hunc commentarium prævium repertas, statuitur opinio Adsonianæ narrationi contraria, eaque duobus argumentis fulcitur. Prius est,* S. Bercharium *ante omnia principale monasterium Altumvillare constituisse, adjecisse deinde Oratoria et cellulas S. Joannis Baptistæ et B. Mariæ Virginis: unde concludit,* vel hinc Mabillonii opinionem, qua minores cellas principaliori cœnobio postea adjectas fuisse arbitratur, prorsus amplectendam videri. *Equidem lubens amplecterer opinionem Mabillonii, si Adsonis verba confuse aliquid sonarent, sed nimis accurate ordinem temporis signat biographus, ut propter analogiam quamdam ab illius chronotaxi discedere audeam; idque maxime, cum Adso efficacem rationem adducat, cur* Bercharius *non a præcipuo quodam cœnobio, sed a cellis quibusdam exorsus sit, ut numeris superioribus ostendi. Neque objicere juvat Adsoni, jam sæpius lapso credendum non esse: facile errare potuit*

(a) Ann. ad an. DCLXXII, lib. XVI, § XVIII, t. I, p. 469.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

potuit biographus circa infantiam S. Bercharii, *et res ejus Remis gestas, quarum narratio traditione nitebatur; ast aliud omnino est, quando de Dervensi fundatione tractat; etenim coram procul dubio habebat certiora monumenta, quibus fidem facere posset.*

monasterium;

45 *Alterum argumentum, quo probare conatur decessor, Adsonem historicum ordinem intervertisse, est,* quod nullatenus verosimile sit S. Bercharium prædicta omnia sacra ædificia construxisse, priusquam a Childerico rege fundum in quo Dervense principalius cœnobium conderet, impetrasset; id autem factum esse dici debere, si quis stare velit ordini narrationis ab Adsone instituto. *Verum non credo ad hujusmodi angustias me esse redactum: ipsa quippe charta Childerici supponit non omnem fundum fuisse regium, et proin cellæ aliquot in privato fundo ædificari potuerunt. Certe Puellare monasterium ad regem non spectabat, sed ad nobilem, ut vidimus num.* 39, *matronam, Walthildem nomine, a qua pretio dato* S. Bercharius *emit partem silvæ. Dein duplex est Childerici donatio: prior, teste Adsone allato supra num.* 40, *fundationes cellarum præcedit, et concessa fuit consiliantibus Leodegario*

B *et Mummoleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus; altera donatio ad Dervense principale monasterium spectat, quæ sola hodie superstes, testes habet, omisso Mummolino, supralaudatos et insuper Nivardum et Atelanum episcopos et Fulcoaldum optimatem, ut habet Adso citatus supra num.* 43. *Duo itaque fuere Childerici II diplomata, quorum posterius ad nos devenit. Utrumque certe in tabulario suo habebat Adso; unde confirmatur quoque ejus narratio, et proin quam amplexus sum, opinio.*

cujus fundationis

46 *His expeditis, superest altera eaque non parva difficultas circa annum, quo Dervense principale monasterium,* Puteolus *dictum, incepit: quia alii Childerici annos a regno Austrasiæ seu ab anno* 660, *alii ab obtenta monarchia totius Franciæ seu ab anno* 670 *aut sequenti computatos volunt. Priorem sententiam amplectuntur: Brequigny* (*a*), *D. Bouquet* (*b*) *et Pagius* (*c*); *quorum rationes postea expendemus; posteriorem vero sequuntur: Joannes Mabillon* (*d*), *Cointius* (*e*), *atque Adrianus Baillet in Vita* S. Bercharii. *Ante omnia ipsum Childericianum diploma e Gallia Christiana* (*f*), *cum exemplari Nicolai Camuzat* (*g*) *collatum, in medium producamus: tum quod confirmandis biographi dictis, tum etiam*

C *determinando, quod huc maxime spectat, conditi Dervensis monasterii tempori apprime subservit:* Celsitudo regalis clementiæ religiosorum virorum petitionibus semper debet annuere, maxime gerentibus studium curæ ecclesiasticæ, quatinus divinum cultum exhibentibus benigno affectu subveniat, et opem suæ devotionis impendat, ut eorum oratio apud Domini clementiam nobis succurrat, et pro pace et stabilitate regni nostri jugiter interveniat. Quapropter ad notitiam cunctorum pervenire jubemus, quoniam adiit serenitatem nostram venerandus ac religiosus abbas Bercharius, supplicans, ut concederemus ei quemdam locum in foreste Dervo et in fine Vuaciacinse, in quo sibi liceret construere monasterium, et ut daremus sumptus ac prædia; per quæ ea, quæ competerent monasterio vel locis cellarum, compleret, et monachorum congregationem ibidem aptaret.

diploma duplex

47 Placuit igitur reverentiæ nostræ summi viri supplicatio, et quæ postulaverat concessimus illi: qui monasterium construens supra fluvium Vigoræ in honore Beatorum Petri et Pauli vel ceterorum Sanctorum, petiit altitudinem nostram, ut, pro rei totius firmitate, integram emmunitatem circa ipsum monasterium contraderemus. Nos igitur cœlesti beneficio promoti, consensu episcoporum et optimatum nostrorum, precibus tanti viri aurem accommodantes, jubemus, ut de omni facultate ipsius monasterii, tam quod ego ipse ibidem delegavi, quam etiam, quod a reliquis Christianis hominibus noscitur esse condonatum, quodque ad præsens in quibuslibet locis, territoriis, et ex ejus hereditate vel studio, tam ultra Ligerim in Herla scilicet et Saturiaco, vel Domnofronte cum appenditiis suis quam etiam citra Ligerim possidere videntur, seu quod ibidem adhuc inantea in Dei nomine a Christianis hominibus juste et rationabiliter fuerit additum vel condonatum, pro quiete ipsius regni nostri integram emmunitatem pro reverentia ipsius sancti loci concedimus, ut nullus judex publicus, quolibet modo judiciaria accinctus potestate, in curtes ipsius monasterii ubicumque ad præsens eorum

D

maneat possessio vel dominatio, aut quod inant- E ea, ut diximus, fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, nec * freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum * infra urbes vel in mercatis extorquendum, nec ullas paratas *, aut quaslibet redhibitiones exactare præsumatur, sed in omni facultate ipsius monasterii, ut præfatum est, in omnibus locis et territoriis, ubi aliquid possidere videntur, absque interdictu judicum, remotis et resecatis omnibus petitionibus de partibus fisci, usque super ripam fluvioli Magnentis. progrediente in directum termino ad locum, qui Vallis profunda nuncupatur, sub emmunitatis nomine inconcusse, tam nostris quam futuris temporibus valeant dominari vel possidere, quo fiat; ut et nos de præstito beneficio ad mercedem pertineat, et ipsos servos Dei, in ipso monasterio consistentes, melius delectet pro stabilitate regni nostri attentius Domini misericordiam deprecari.

* procurationes
* vectigal
* mulctas

48 Et ut hæc emmunitas firmior habeatur et *Childerici II* per tempora conservetur, manus nostræ et fidelium nostrorum, tam episcoporum quam optimatum subscriptionibus, subter eam decrevimus corroborari. Signum Reoli episcopi. Sig. Leodegarii ep. Sig. Atleani ep. Sig. Wlfaudi majorisdomus. Sig. Almarici. Data IV nonas Julii anno III regni Childerici regis. Actum Compendio palatio. *Antequam ad solvendam quæstionem chronologicam de anno dati diplomatis accedamus, aliqua observanda recurrunt. Imprimis in ea saltus Dervensis parte quam se* S. Berchario *dedisse in hoc diplomate profitetur Childericus rex, situs erat locus* Puteolus (*gallice* Puisie) *dictus, quem secundum Adsonem Sanctus noster ab eodem rege impetravit, atque ubi primariam basilicam sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli consecratam, ipsumque monasterium construxit, atque ea de causa Dervense monasterium* Puteolus *appellatur in litteris donationis ipsiusmet* S. Bercharii *infra recitandis et in diplomate Theodorici III, regis Neustriæ, qui, mortuo fratre suo Childerico, Austrasiam affectabat* (*h*).

F

49 *Ad elucidationem Childericiani diplomatis, conferunt non parum litteræ donationis* S. Bercharii, *de quibus supra mentionem fecimus, et præterea*

(*a*) Tabl. Chronol. des Dipl., t. I. p. 63. — (*b*) Rec. des Hist., de France, t. IV, p. 645. — (*c*) Crt. Bar. ad an. 663. § VII. — (*d*) Annal., lib. XVI, § XVII, t. I, p. 468. Cfr. tamen quæ idem habet in Act. SS., Sæc. II, p. 841, not. *a*. — (*e*) Ann. Fr. ad an. 671, § XI. t. III, p 634. — (*f*) T. X. Instr. col. 147. — (*g*) Prompt. Antiquit. Tricass, f° 79. — (*h*) D. Bouquet, t. IV. p. 662.

insigniter

A *insigniter illustrant, quæ de Sancti patria, parentibus, divitiis docuimus* § II. *Quare illas integras ex Nicolai Camuzat Promptuario* (*a*) *hic transcribimus :* Ego Bercharius in Christi nomine abbas. Illud in Dei nomine potest ad animæ nostræ remedium pertinere, cum ad loca Sanctorum aliquid voluntate bona fuerit condonatum, et idcirco per hanc epistolam donationis ad monasterium, cujus vocabulum est Puteolus, supra fluvium Vigeræ, quod proprio labore, donatione et adjutorio regum ædificavimus, dono ibidem a die præsente hæreditatem nostram in villa Diseio ultra Ligerim supra fluvium Crete cum appendiciis suis, hoc est, quidquid visus sum habere in Cavannas, in Saviniaco, in Balgiaco, in Britello, in Musciaco, in Bissiaco, in Crisceio, in Cassiniaco, in Abloniaco, ibi habetur capella in honore S. Aniani, in Gravisio, in Laminiaco, in Nuhileio, in Luceio, in Sacron, in Virgiolo, in Sorgenio, in Vergenio, in Aliaco, in Montiniaco, in Cartal et Ferziaco, quæ omnia superius nominata nobis ex successione paterna atque materna legibus obvenit, tam terris quam domibus, ædificiis, mancipiis ibidem commanentibus, quæ in præsenti B tempore tenere videmur totum ad integrum, ita ut hæc omnia superius intimata ad jam dictum monasterium volo esse in dominicatum, ut ibidem in perpetuo proficiat in augmentum, et monachi qui ibidem deserviunt die noctuque pro peccatis meis et regum et totius populi deprecari debeant : et si quis (quod fieri non credimus) de hæredibus vel prohæredibus nostris contra hanc epistolam donationis insurgere conatus fuerit, in primis vita propria careat, atque cum stirpe sua captivus.... et sic ut Sodoma et Gomorrha in præsenti seculo percussa est, similiter percutiatur potestas et habitatio ipsius..... Actum Remis civitate, sub die III cal. Septemb. (xxx *Augusti*), præsente Domino et glorioso Childerico Rege, an. IV regni ejus. Signum Nivardi archiepiscopi. S. Leodegarii episcopi Augustidunensis. S. Mummoleni epis. Noviomensis. S. Hermari abbatis. S. Hilduini abbatis. S. Bercharii abbatis, qui hanc cartam donationis fieri jussit.

et imprimis utriusque C 50 *Circa utrumque hoc antiquitatis monumentum, Childericianum scilicet diploma et donationem Bercharianam, duplex nunc oritur quæstio : prima, an genuinæ sint, quibus utraque charta munitur, subscriptiones ; altera, ad quem æræ Christianæ annum binæ hæ litteræ sint referendæ. Childericiani diplomatis subscriptiones genuinas non habet Pagius* (*b*) *quoniam inter subscriptos Bercharianis litteris episcopos contendit male legi S. Nivardum, quem ab interpolatore quodam loco Reoli substitutum autumat. E contrario Cointius* (*c*) *et Mabillonius* (*d*) Bercharii *litteris recte subsignatum dicunt S. Nivardum et in Childerici diplomate male notatum Reoli nomen pro signo Nivardi. Ut vero opinionem suam probent, tam Cointius et Mabillonius, quam Pagius, ad Sancti nostri Acta recurrunt. Pagius itaque contendit S. Nivardum ante fundationem Dervensis monasterii, nodumque absoluta, quam anno* 662 *cœptam existimat, Altivillariensi fundatione, obiisse ; quia tunc ejus obitum narrat biographus noster ; adeoque S. Nivardum diplomati post mortem suam dato subscribere nequivisse. Cointius vero et Mabillonius S. Nivardum in vivis adhuc, cum fundaretur Dervense monasterium, superstitem fuisse contendunt. Neque immerito ; id enim suadent tum Bercharianæ litteræ, Childerici diplomate posteriores, quibus Nivardus subscriptus legitur, tum clarissima Adsonis biographi verba, dicentis num.* 24 : Auxiliantibus..... Nivardo *(procul dubio Remensi, ut infra monstrabimus)*, et Atelano episcopis impetrasse sibi (Bercharium) dari silva e *regio* fisco.

AUCTORE J. V. H.

diplomatis subscriptiones,

51 *Pagium insuper inter arctiores limites vitam S. Nivardi circumscripsisse, liquet ex diplomate Drauscionis seu Drausii Suessionensis episcopi pro monasterio puellari ejusdem civitatis anno* 666 *dato, cui subscriptus legitur Nivo seu Nivardus* (*e*). *Liquet pariter ex fragmento Vitæ S. Lantberti, ad diem* XIV *Aprilis a Nostris edito* (*f*), *S. Nivardum adhuc in vivis fuisse* undecimo anno *(Childerici II)* regis in Austria, qui fuerat primus in Neustria, *seu anno Christi* 671 *: cum vero haud diu post hunc annum transcriptum supra Childerici diploma, ut mox videbimus, concessum fuerit, admodum verisimile evadit, S. Nivardum, inter eos quorum apud regem favore Sanctus noster idem diploma impetravit, a biographo nostro recte recenseri, et proinde hujus nomen inter subscriptos episcopos loco Reoli esse restituendum ; idque eo magis, quod procul dubio Adso, Dervensis abbas, coram habuerit originale* E *diploma Childerici, ex quo fautorum nomina desumpserit. Ut suam tamen sententiam Pagius tueatur, reponit Nivardum, Drauscionis diplomati subscriptum, in fragmento Vitæ S. Lantberti memoratum, ac tandem a biographo nostro inter* S. Bercharii *apud regem fautores recensitum, a S. Nivardo seu Nivone Remensi episcopo esse distinguendum, et ignotæ cujusdam sedis in Gallia episcopum exstitisse. Si hæc ita se haberent, non posset non mirum videri, nullam hactenus in Gallia civitatem repertam fuisse, quæ Nivardum hunc a Remensi distinctum et ex tot antiquis monumentis cognitum, inter suæ sedis episcopos vindicaret. Præterea qui factum est, ut Nivardus ille, quem biographus inter auxiliatores nominat, subscriptus non reperiatur, cum reliqui omnes, qui intercessores apud Childericum pro* S. Berchario *leguntur, diploma nomine suo firmasse videantur ? Qui pariter factum est, ut diplomati nunc subscriptus compareat Reolus, cujus mentionem non facit biographus ? Sane non aliam ob rationem mihi factum fuisse videtur, ut Nivardus inter subscriptos episcopos disparuerit, et Reolus illi substitutus fuerit, quam quod interpolator ille putaverit, reipsa agi ibidem de Nivardo Re-* F *mensi cujus propterea successorem nominat Reolum.*

dein annus 52 *Admodum igitur probabile est, perperam Reoli nomen Childericiano diplomati irrepsisse, nisi dicatur potuisse Reolus pro Nivardo vicaria potestate* (*g*) *subscribere, et in Bercharianis litteris recte Nivardi Remensis nomen subscriptum legi, quin tamen probandus sit* archiepiscopi *titulus ab interpolatore quodam appositus ; vulgo enim notum est vocem illam circa medium sæculi* VII *in Galliis cognitam quidem fuisse, sed tamen ante sæculum* VIII *aut* IX *ab ipsismet episcopis non fuisse usurpatum. Male itidem in* S. Bercharii *litteris expressam esse Childerici annum* IV, *patescet ex iis, quæ circa alteram, quæ nunc discutienda est, quæstionem, quo videlicet anno, Childerici II et* S. Bercharii *litteræ datæ sint, proferemus. Duplex initi a Childerico II regni epocha invenitur usitata : una inchoatur a tempore, quo a S. Bathilde matre sua solius Austrasiæ rex constitutus est ; altera vero ab adita post Clotarii III mortem, et depositum rasumque Theodoricum III, Neustriæ atque Burgundiæ possessione. Proinde,*

(*a*) F° 81. — (*b*) Crit. Bar. ad an. 663. § VIII. — (*c*) Ad ann. DCLXXI, § XIII, t. III, p. 637. — (*d*) Ann., Bened., lib. XVI, § XVII, t. I, p. 468 — (*e*) Mich. Germain. Hist. de l'abb. de N. D. de Soissons, p. 421. — (*f*) T. II Apr., p. 217, n. 3. — (*g*) Cfr. t. I Sept. p. 274, n. 33.

ut

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

ut sciatur cum quo anno æræ Christianæ annus tertius Childerici regis, quando diploma datum fuit, componi debeat, sciendum non solum est, a qua ex duabus epochis annus Childerici tertius inchoandus sit, verum etiam quo tempore idem Childericus primum in Austrasia, deinde in Neustria et Burgundia regnare sit exorsus. Duplex hoc regni initium operose inquisivit Cornelius Byeus noster in Commentario prævio ad Vitam SS. Leodegarii et Gerini (a), *probavitque Childericum regnare cœpisse in Austrasia anno* 660; *et deinde in Neustria ac Burgundia. Theodorico III, qui aliquot mensibus post Clotarium III, sub finem anni* 669 *aut initio sequentis defunctum, utrumque regnum tenuit, e solio deturbato, anno* 670 *ad mensem Octobrem provecto regnare cœpisse.*

utriusque diplomatis discutiuntur;

53 *Ex dictis consequens fit sæpe dictum Childerici diploma datum fuisse aut anno* 662 *aut* 672, *prout ab alterutro regni initio numeretur. Posteriorem epocham designari, seu diploma datum fuisse quando tertio jam anno Childericus universam Franciam gubernabat, censent Cointius* (b) *et Mabillonius* (c) *ordinantes fundationem sub anno* 672; *horumque sententiam merito amplexi sunt e Majoribus nostris Stiltingus in Commentario de S. Nivardo* (d) *et Byeus* (e) *in Commentario de SS. Leodegario et Gerino. Etenim dictum Childerici diploma datum notatur* Compendio palatio : *id autem palatium in Neustria situm, atque istic reges Neustrasianos plerumque demoratos fuisse, passim notum est* (f). *Constat quoque Mummolinum* S. Bercharii *litteris subscriptum Noviomensem in eadem Neustria, Leodegarium qui utrumque monumentum sua subscriptione communivit, Augustodunensem in Burgundia episcopos exstitisse : jam vero nullatenus verisimile est, memoratis chartis subscribere ex Burgundiæ Neustriæque regnis episcopos, aut regium Childerici diploma in Neustrasiorum regum palatio dari potuisse, antequam Childericus Neustriæ et Burgundiæ dominaretur : sane* aliis argumentis, *ait Cointius loco citato, quam quæ a loco dati diplomatis et subscriptorum episcoporum sedibus petuntur*, non est opus ut intelligas annos Childerici regis non a die numerari quo primum Austriæ dominari cœpit, sed a die quo se monarcham totius Franciæ dixit, exauctorato Theodorico fratre, Burgundionum Neustrasiorumque rege.

refutatur Pagius,

54 *Hisce tamen argumentis a Cointio allatis, subscribere non vult Pagius, qui* (g) *oppositam sententiam tuetur, variisque rationibus probare nititur, utramque præfatam chartam datam fuisse, quando Childericus in sola Austrasia regnabat. Præcipuum opinionis suæ fundamentum statuit Pagius in litteris* S. Bercharii, *atque ex hisce ad dictum annum sic argumentatur :* Posterior charta data sub die III kal. Septemb. anno IX regni Childerici Cointium in transversum egit, et in causa fuit, cur mortem Sigeberti regis anno DCLIV, mortem Clodovei II et initium Clotharii III, ejus filii, anno DCLV, ejusdem Clotharii mortem et initium monarchiæ Childerici II anno DCLXIX consignarit, sicque chronologiam Francorum non parum perturbarit : si enim monarchiam Childerici II numerasset ab anno DCLXX, quo is revera eam adeptus est et Clothario fratri successit, quartus illius annus cum III kalendas Septembris conjunctus, in posteriori charta incidisset in annum Christi DCLXXIII, quo tamen anno et mense jam forte Childericus occisus erat, quove tempore fatetur Cointius, Leodegarium in monasterio Luxoviensi inclusum fuisse. Cum itaque Cointius persuasum haberet chartam illam datam esse anno quarto Childerici monarchæ et quidem exeunte Augusto, et Childericum anno DCLXXIII, quod ultimum verissimum est, interfectum esse, non potuit Clotharii III, Clodovei II et Sigeberti mortem non antevertere, in quæ etiam, aliaque incommoda, quemadmodum ille, volens nolensque incidet, qui laudatum præceptum Childerici et donationem Bercharii, illo in Neustria et Burgundia regnante, emissa est voluerit. *Ita Pagius variorum errorum in chronologia Cointium incusans; litterasque donationis* S. Bercharii, *adeoque etiam, quod ante has emissum fuit, regium Childerici diploma ad illud tempus, quo Childericus in sola Austrasia regnabat, revocanda esse, duplici potissimum ex capite, ex tempore videlicet exilii S. Leodegarii cædisque Childerici contendit.*

qui Childericianum

55 *Dubitandum quidem non est, quin Pagius varios chronologicos errores in Cointio recte notarit ; sed nihilominus commode et absque errorum illorum, in quos Cointius incidit, periculo statui posse diploma Childerici et* S. Bercharii *litteras data fuisse eo tempore, quo Childericus non tantum in Austrasia, verum etiam in Neustria et Burgundia regnabat, demonstrant Nostri in Commentario prævio de S. Leodegario* (h). *In hoc tamen recte habet Pagius, quod nolit in litteris* S. Bercharii *admittere subscriptum S. Leodegarii nomen, conjunctum cum die* III *kal. Septembris, anni* IV *Childerici monarchiæ : tunc enim dictus S. Leodegarius in Luxoviensi monasterio exul degebat ; proinde aut hæ litteræ revocandæ sunt ad annum* IV *Childerici regnantis in sola Austrasia, sive ad annum* 663, *aut in eosdem mendum aliquod irrepsisse dicendum est. Reipsa autem hujusmodi mendum irrepsisse incuria amanuensium, qui cum oculo minus attento in autographo quod præ manibus habebant anno* III *regni ejus, unitate posteriore cum media pene inferius coeunte, exaratum adspicerent, annum* IV *regni descripserunt ; idcirco mihi persuasum habeo, quod, nisi hic amanuensium error admittatur, characteres chronologici in Bercharianis litteris expressi, necessario, ob S. Leodegarii exilium, referendi sint ad Childericum in sola Austrasia regem ; id autem fieri vetant subscriptorum episcoporum sedes extra Austrasiam positæ, et summa improbabilitas quæ in eo est, ut* S. Bercharius *anno* 663, *novem scilicet annis ante obtentum regium privilegium, bona sua omnia contulerit in Dervense monasterium, verosimiliter nondum constructum, ut supra vidimus. Ipsum autem cum Pagio Childericianum diploma ad idem tempus revocare, non patiuntur dati diplomatis locus,* Compendium, *in Neustria situm, et ipsiusmet, Childerici verba :* Ut hæc emmunitas firmior habeatur et per tempora conservetur manus nostræ et fidelium nostrorum tam episcoporum quam optimatum subscriptionibus subter eam decrevimus roborari. *Nam* fidelium *nomine designat Childericus subditos suos, inter quos computare non potuisset Leodegarium, si, cum id diploma ederet, solum Austrasiæ regnum tenuisset.*

diploma

56 *Reponit quidem laudatus Pagius, Childerici verba ita accipienda esse, ut fidelium seu subditorum nomine alii tum episcopi tum optimates diplomati subscripti, neutiquam vero Leodegarius Burgundio, intelligantur.* Quid enim, *inquit l. c.*, impediebat, ne Childericus, qui in Neustriam ad Clotarium

(a) T. I Octobr., § VIII, p. 381. — (b) Ad an. DCLXXI, § IX, t. III, p. 634. — (c) Annal., lib. XVI, § XVII, t. I p. 468. — (d) T. I Septemb., p. 275. n. 32. — (e) T. I. Octob., p. 384, n. 122. — (f) Andr. Valesius Notit. Galliæ. — (g) Crit. Baron. ad an. 663, § XI. — Acta SS., T. Octobr., p. 381, § VIII.

fratrem

AUCTORE J. V. H.

A fratrem videndum, aut aliam ob causam nobis ignotam venerat, dare posset bona ad fiscum suum pertinentia, et quos volebat, testes adhibere; res enim hæc non est dominii, sed jus etiam privatis commune. Magis urget loquendi modus Childerici, ad quem Cointius animum non advertit; ait enim : « Et ut hæc emmunitas fir- » mior habeatur, manus nostræ ac fidelium no- » strorum tam episcoporum quam optimatum » subscriptionibus subter eam decrevimus cor- » roborari. » Fidelium quippe nomine vassali et subditi designantur, qualis non erat Leodegarius. Verum Childericus rex fidelium nomine non comprehendit Leodegarium, Clotarii fratris sui subditum, sed Reolum episcopum Rhemensem, Attelanum episcopum Laudunensem, Wlfaudum majorem-domus Austriæ et Amalricum ex optimatibus suis unum. *Hæc quidem a Pagio commode dicuntur, sed difficilius probari possunt. Nihil enim affertur, quo utcumque fulciatur responsum. Potuit Childericus fratrem suum adire : hoc quidem possibile, sed nullatenus probabile est. Namque hoc Childerici, tertium annum in Austrasiæ*

B *regno atque vix decimum ætatis aut undecimum agentis, iter in Neustriam, a Pagio excogitatum, a verisimilitudine abest. Merito timere poterant Austrasii, si regem suum adeo juvenem regno excedere et in Neustriam proficisci sinerent, ne eumdem perpetuo amitterent, atque iterum Austrasia cum Neustria Burgundiaque, quod maxime aversabantur, sub unius Clotarii principatu conjungeretur, atque adeo novi etiam motus bellorum excitarentur; quos ut sedaret, S. Bathildis regina non diu ante Austrasios a ditionibus Clotarii divellere. hisque regem Childericum, qui soli Austrasiæ dominaretur, concedere coacta fuerat* (*a*).

refert ad annum 662; 57 *Huc accedit argumentum ex ipsomet Pagio desumptum : citat* (*b*) *duo diplomata a Childerico, in sola adhuc Austrasia regnante, indubie emissa; chartam videlicet donationis villæ Barisiaci Sancto Amando factæ, quæ data notatur* anno II regnante domno nostro Childerico rege, *seu anno Christi* 661 *aut* 662, *alterumque ejusdem regis præceptum pro monasteriis Stabulensi et Malmundariensi, datum* anno VIII regni domni Childerici regis; *utriusque autem diplomatis initio præmittitur atque in subscriptione repetitur Childerici regis et Hymni-*

C *childis reginæ nomen : id vero fieri eam ob causam recte observat Pagius, quod Hymnichildis S. Sigiberti regis vidua, nepotis sui Childerici, dum Austrasiæ regno admoveretur, octo vix annos nati tutelam gereret, donec ad sufficientem ætatis maturitatem pervenisset. Jam vero si annus tertius in transcripto Dervensi diplomate signatus referendus esset ad Childericum, in sola Austrasia regem, hoc diploma æque ac duo alia mox laudata, datum fuisset eo tempore, quo Hymnichildis pro nepote suo Austrasiam moderabatur, debuisset profecto in ejusdem diplomatis initio et fine Hymnichildis reginæ mentio fieri : quod cum factum non fuerit, probabile saltem indicium est, dictum diploma ad illa tempora pertinere, quibus Childericus majorennis universam Franciæ monarchiam regebat.*

quod potius ad ann. 672 58 *Quod vero Pagius dicit nomine* fidelium, *qui in diplomate recurrunt, non venire Leodegarium, est nuda assertio nullatenus probabilis : generali voce utitur Childericus, tam pro episcopis, quam pro optimatibus : cui generalitati velle derogare, non est tam quæstionem chronologicam factis aptare, quam ad præconceptam aliquam opinionem facta quæcumque detorquere. Ait dein Pagius diploma a Childerico datum* rem non esse dominii sed jus etiam privatis commune. *Donatio quidem partis silvæ non excedebat jus privato cuilibet competens; sed præterquam quod Dervo donata fuerant varia a variis* tam ultra quam citra Ligerim : concessit *etiam Childericus* pro quiete regni sui et pro reverentia ipsius sancti loci, ut nullus judex publicus quolibet modo judiciaria accinctus potestate in curtes ipsius monasterii ubicumque ad præsens eorum maneat possessio, *aliquid exerceat jurisdictionis. Hæc exemptio a judicibus publicis, est certe res dominii : cum itaque ultra Ligerim in Aquitania, quæ ad Burgundiam pertinebat, dominium exerceretur, consequens fit, ut diploma illud concessum fuerit, postquam Childericus universæ monarchiæ Francicæ præesse cœperit. His addi potest quod concessio loci, quæ* Lutosa *appellatur, quam Joannes Mabillonius diœcesi Trecensi* (*c*), *Lexicon autem topographicum Franciæ, auctore d'Expilly, Lingonensi adscribit, facta fuerit ante fundationem Dervensem, ut supra num.* 41 *et seq. monstravimus; aique hic iterum recurrunt SS. Leodegarius et Mummolinus, hic Neu-* E *strasianus, ille Burgundio : imo cum diœceses et Trecensis et Lingonensis extra Austrasiam ad Burgundiam pertinerent, consequitur tempore donationis Lutosæ Childericum jam universam Franciam obtinuisse.*

pertinere videtur. 59 *Coronidis loco sit, ipsa impossibilitas, ut* S. Bercharius *anno* III *Childerici, in Austrasia regnantis, id est anno Christi* 662 *aut* 663 *Dervum monasterium fundaverit : nam, fatente ipso Pagio* (*d*), *fundatio Altivillariensis huic anno recte illigatur, et ex Adsone num.* 20 *habemus, Sanctum nostrum non prius alias fundationes accepisse, quam* rebus tam exterioribus quam interioribus prædicti Altivillarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatis; *quæ omnia vix intra anni spatium absolvi potuerunt; accedunt dein Puellaris monasterii, cellarum apud Lutosam, apud Monasteriolum et S. Sulpicii fundationes, quæ cum principalis cœnobii Altivillariensis constructione intra unius anni angustias essent constringenda, ut Dervense diploma anni* III *Childerici in Austrasia ad annum æræ Christianæ* 662 *aut* 663 *referri posset. Neque Pagio suffragatur vetustus catalogus abbatum Dervensium* (*e*), *in quo dicitur* S. Bercharius anno F 644 accepisse donum et privilegium a Childerico rege Francorum et post viginti et unum annos *obiisse : nam privilegium illud Dervensibus concessum fuisse neutiquam dicit Catalogus; imo ad Altumvillare potius pertinere nobis suadet, præter rationes supra allatas, narratio Adsonis, quæ num.* 17 *nobis exhibet Childericum beneficum erga Altivillarienses. Quod vero Pagius* (*f*) *dicit, ex hac chronologia multa enasci incommoda, quasi annus emortualis Clotarii III, Clodovei II et Sigiberti regum antevertendus esset, abunde et solide a Nostris refutatum est in Commentario prævio Vitæ S. Leodegarii* (*g*) : *unde hic nihil ea de re repetendum venit. Manet igitur, ut nihil exaggerate dicam, probabilissimum, diploma Childerici II datum fuisse Compendio palatio* IV *non. Julii anno* III *regni ejus, ac proinde initia monasterii Dervensis ad annum* 672 *pertinere.*

(*a*) D. Bouquet. t. III, p. 690. — (*b*) Crit. Baron. ad an. 661, § VI — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 840. In not. ad Vitam S. Bercharii. — (*d*) Crit. Baron. ad an. 662, § VI. — (*e*) Biblioth. Cluniac. not. Andr. Du Chesne ad epist. Petri Venerab., p. 114. — (*f*) Crit. Baron. ad an. 662, § XI. — (*g*) T. I. Octob., p. 381, § VIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

§ IV. Bercharius variis Sanctorum Reliquiis monasterium Dervense ditat: institutæ propterea peregrinationes Hierosolymitana et Romanæ.

S. Bercharius *Hierosolymis*

S. Bercharius *non solum plurimas temporales possessiones cœnobio Dervensi contulit, monialiumque Puellaris monasterii sustentationi haud dubie, sive ex propriis, sive ex aliorum fidelium donationibus, sufficienter providit; sed non minima quoque illi cura fuit, ut utrumque a se conditum monasterium sacris Beatorum pignoribus locupletaret. Ea de causa, uti narrat biographus num.* 28 semel *quidem Hierosolymam,* multoties *vero Romam Sanctus noster peregrinatus est, plurimasque inde Sanctorum Reliquias retulit; quin tamen laudatus biographus exponat, quorumnam Sanctorum eæ fuerint. Inter hosce autem sanctos thesauros ad Dervense monasterium delatos, corpus S. Theodosiæ diserte recenset* B *codex Ms. ejusdem monasterii, a Joanne Mabillon in suis ad Sancti Vitam Annotatis* (*a*) *laudatus, in quo legitur:* Anno Verbi Incarnati MCVIII, epacta XVII, idus Septemb. eodem anno, quo obiit rex Philippus, filiusque ejus in regem unctus est, a D. Rotgero abbate, anno ordinationis ejus XI, positum est in hoc scrinio corpus S. Theodosiæ Virginis, quæ pro Christi nomine multa tormenta, etiam capitis abscissione, in Cæsarea Palæstinæ passa est; hanc tamen ex eadem urbe S. Bercharius abbas, cum multorum Sanctorum Reliquiis detulit, ac in hoc monasterio, quod dono regali exstruxerat, decenter collocavit.

dicitur retulisse corpus S. Theodosiæ:

61 *Ejusdem S. Theodosiæ, uti et* S. Bercharii *tamquam in Dervo quiescentium mentio fit in diplomate apud Joannem Mabillon* (*b*), *quod datum fuit* anno quarto regni præstantissimi regis Karoli *Calvi, seu Christi* 845, *binisque aliis ejusdem regis diplomatibus posterioribus* (*c*): *adeoque indubie fallitur Saussayus, qui ad diem* II *Aprilis in S. Theodosiæ elogio, ejusdem exuvias partim ad diœcesim Leodiensem, partim ad monasterium Dervense tempore Notgeri præsulis delatas fuisse scribit, cum ex dictis liqueat, ejusdem Sanctæ corpus, seu potius* C *ejusdem partem,* (*nam partem alteram Constantinopolim quandoque advectam fuisse non improbabiliter opinatus est Henschenius noster in observationibus præviis ad ejus Vitam* (*d*)) *jam ab anno saltem* 845 *et proinde integro sæculo, priusquam Notgerus, qui ab anno* 972 *ad* 1007 *sedit, ecclesiam Leodiensem moderari sit exorsus, in Dervensi monasterio quievisse. Ast vero in diplomate Ludovici Pii a Mabillonio exhibito* (*e*), *dicitur in eodem cœnobio* S. Bercharii *corpus requiescere, nulla facta corporis S. Theodosiæ mentione, fortassis quod id tunc temporis nondum illuc esset translatum, et in Martyrologio Dervensi, cujus verba post passionem* S. Bercharii *recitat Nicolaus Camuzat* (*f*), *non dicitur hoc corpus translatum fuisse a* S. Bercharo, *sed* a fratribus loci *hujus. Quare, quemadmodum hujus sacris corporis translatio* S. Bercharo *non undequaque abjudicanda est, propter asserta citati codicis Dervensis, ita quoque non est sufficiens ratio ut indubitanter eadem illi adscribatur: sola enim laudati codicis, utpote qui non ante annum* MCVIII, *et proinde plus quam quatuor sæculis post Sancti nostri obitum, exaratus fuit, auctoritas infirma aliquantum est, nisi perpetua traditione, de qua non constat, adminiculetur.* D

inquiritur num socium

62 *Aliud præterea peregrinationis, quam Sanctus secundum biographum in Palæstinam suscepit, adjunctum refert scriptor Miraculorum num.* 14; *scilicet* S. Bercharius adiens Hierosolymam fertur duxisse secum Waimerum tormentorum S. Leodegarii reum, *Quod si veritati consonum sit, non potest sancto viro non summæ laudi verti, quod hujus peccatoris conversioni tantopere allaborarit. Verum cum scriptor tribus sæculis* Bercharo *nostro posterior sit, cumque Waimeri peregrinationem non adeo ex probatis monumentis, quam e vulgari quodam rumusculo, ut verba citata satis indicant, didicerit; verendum sane est, ut tota hæc narratio ob solam ejus auctoritatem ab omnibus certa habeatur. Unum est quod fidem narrationis adstruere posset, nempe videri Sanctum nostrum rebus S. Leodegarii implicatum fuisse. Nam Walthildis, a qua* Bercharius *fundum Puellaris monasterii emit, conjux dicitur Waimeri, in charta Bertoendi Catalaunensis episcopi infra recitanda; dein in Vita S. Leodegarii ab anongmo coævo conscripta* (*g*), *legitur* per quemdam monachum nomine Bertharium (*alii legunt* Bercharium) ei (*S. Leodegario*) de suo fuisse interitu nuntiatum. E

itineris habuerit

63 *Joannes Mabillon in suis ad Vitam* S. Bercharii *observationibus præviis* (*h*), *hanc quæstionem in suspenso relinquit atque judicio lectoris permittit. Quia tamen anonymus S. Leodegarii biographus monitionem tribuit* Bercharo monacho, *non videtur* abbatem *nostrum, indicare voluisse; quoties enim de Ermenario, Meroaldo, Bertone aliisque monasteriorum rectoribus sermo est, abbatis titulum numquam prætermittit; id proin quoque præstitisset, si* Bercharium *nostrum celebrem profecto, et regi Childerico gratiosum, nominasset. Alium igitur Bertharium seu Bercharium hic indicatum censeo, maxime quod nomen illud satis illo sæculo commune fuerit, ut videre est in Indice Onomastico ad calcem voluluminum D. Bouquet. Simili responsione elidi potest argumentum petitum ex Waimero, marito Walthildis: nihil certe impedit quominus plures id nominis gesserint: atque hinc fortassis enata fuit hallucinatio scriptoris Miraculorum* S. Bercharii, *quæ, ut prædiximus, vadem alium non habet, quam rumor quidem vulgaris.*

Waimerum persecutorem F

64 *Imo omnino esset rejicienda scriptoris opinatio, si constaret de legitima lectione Vitæ coævæ S. Leodegarii, in qua diserte traditur Waimerus, sancti præsulis persecutor, impœnitens obiisse. Sed non omni ex parte sincera videtur illa lectio, sive textum ipsum, sive ejus adjuncta consideremus. En verba* (*i*): Waimerius etenim, qui ad supradictum famulum Dei (*Leodegarium*) capiendum et ad implenda Hebroini dicta socius perniciei extiterat, posteaquam ab ipso Hebroino eo quod in ejus ultione consenserat, episcopatus *(Trecensis)* gradu dolo fuerat sublimatus, post paululum intervallo interposito in offensam incidens, Dei, ut opinamur, nutu multis flagellis obtritus est: nempe, ut fertur, laqueo suspensum ac morte turpissima, ut decebat justi proditorem, condemnatum transmisit ad tartarum. *Mirum certe est scriptorem coævum, ut Nostri monstrant* (*k*), *testi oculato saltem æquiparandum, certo non cognovisse, quo supplicii genere affectus fuerit Waimerus, et potius, injecta laquei mentione, rumorem, quemdam vagum sectatum fuisse. Genuitati textus officit, quod desit in*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc. II, 841.— (*b*) Annal. Bened., t. II. Append. LXVIII. p. 696. — (*c*) Ibid. t. III. Append. III et IV, p. 619 et seq. — (*d*) T. I. Apr., p. 62, n. 12. — (*e*) Ann. Bened., t. II. Append. LIV, p. 687. — (*f*) Prompt. Ant. Tric. fol. 112.— (*g*) T. I Octob., p. 466, n. 17. — (*h*) Sæc. II, p. 831. — (*i*) T. I Octob., p. 475, n. 45. — (*k*) Ibid., p. 361, n. 24.

plerique

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *plerisque codicibus manuscriptis, ut adnotant nostri ad hunc locum, quam ex Chesnio supplere debuerunt.*

S. Leodegarii. 65 *Suspectum etiam facit textum ejusdem repetitio in alia Vita coæva, ab Ursino conscripta, in qua recurrit ad verbum expressa* (*a*)*; in aliis tamen narrationibus Ursinus, Anonymum sectatus, neutiquam se servilem exhibet, et licet facta concordent, tamen verba et stylus differunt. Tandem Anonymus sibi contradicere videtur : nam quem narrat impœnitentem obiisse, eumdem paulo ante, S. Leodegario suadente, virum frugi factum asseruerat* (*b*) : Post longam, *ait*, quam Dei martyr pertulit, famis inediam, reminiscens Waimirus humanam in eo naturam non aliter posse ita durare, nisi eum Christi gratia sustentaret, in domum suam eum jubet perduci : dura etenim viscera cœperunt emolliri. Cum enim in familiari colloquio ei fuisset assuetus, ita feritatem ejus in parvo temporis tractu edomuit, et tam ipsum quam conjugem ad Dei timorem convertit, ut argentum ecclesiæ, quod nuper pro redemptione civitatis Augustiduni receperat, ei devotus offerret, et quidquid exinde facere decrevisset, concederet. *Siquidem hæc verba Waimerum conjugatum exhibeant, et sciamus eumdem episcopum fuisse non solum ex loco supra citato, sed etiam e Vita coæva S. Præjecti, ad* XXV *Januarii* (*c*)*, pro more illorum temporum conjuge illius habitum assumente. Quamvis hæc ita se habeant, non tamen credo illa sufficientia esse, ut Waimerum, persecutorem S. Leodegarii, eumdem ac Waimerum comitem* S. Bercharii *peregrinantis affirmem.*

B

Inchoatur Gaugiaci puellare monasterium. 66 *Pro coronide fere eorum, quæ gessit* S. Bercharius, *Joan. Mabillon* (*d*) *exhibet chartam Reoli Remensis episcopi datam* in villa Compendio sub die kal. Maji, anno XIII regni Theodorici (III) regis, *seu anno Christi* 683 *aut* 686, *prout numerantur anni Theodorici a morte Clotarii III, quæ anno* 670, *aut a liberatione e cœnobio Sandionysiano, quæ post triennium contigit : priorem certiorem dicimus, siquidem* S. Bercharius *anno* LXXXV *ejusdem sæculi, ut infra monstrabimus, obiit. Ex hoc diplomate liquet, Sanctum nostrum, præter Dervense, Puellareque monasterium, aliud insuper virginum cœnobium condere voluisse, atque hunc in finem ab eodem Reolo* locum de rebus ecclesiæ.... Remensis, infra urbem Catalaunensium, in pago

C Pertensi, supra fluvium Matrona, in villa, quæ dicitur Gaugiacus, sive et alio vocabulo, quæ dicitur Episcopi-villa, obtinuisse. *Verum, ut observant Mabillon* (*e*) *et Auctores Galliæ Christianæ* (*f*), in chartaceo codice veterrimo, Dervenses habere dicuntur in Gogiaco mansum indominicatum unum cum terra arabili ad seminandum modios triginta, et cum vinea, ubi possunt colligi vini modii tres, nulla monasterii facta mentione ; *simile etiam est de eodem parthenone in aliis vetustis monumentis silentium : quamobrem laudati auctores censent,* S. Bercharium *hoc postremum suum propositum exsequi non potuisse, utpote, antequam manum operi admoveret, violenta nece verosimiliter e medio sublatum.*

§ V. Obitus S. Bercharii.

Monstratur imprimis Nunc *ad varias circumstantias mortis* S. Bercharii *deveniendum est. Et imprimis vidimus martyrologium Romanum, aliaque Sanctum nostrum* Martyrem *appellare, quem tamen titulum omittunt Parisiense et Autisiodorense, quin ullam hujusmodi omissionis rationem indigitent. Martyrium ex communi sententia theologorum definit Prosper Lambertini* (*g*): Voluntariam mortis perpessionem sive tolerantiam propter fidem Christi vel alium virtutis actum in Deum relatum. Martyrio ergo duæ personæ debent intervenire, hoc est persecutor et Martyr. *Has autem martyrii notas in nece* S. Bercharii *concurrisse, facile est demonstrare. Imprimis mortem a persecutore inflictam, a sancto viro acceptatam fuisse simulque causam habuisse virtutis actum in Deum relatum, e tota narratione elucet.* Inter ordinandum igitur, *inquit Adso*, plurima, forte accidit, ut filiolum suum, quem de sacro fonte susceptum monachum esse statuerat, Daguinum nomine, exigentibus culpis suis verbere increpationis, ut moris est, feriendum decerneret. Nam hic, ut postea claruit, pessimus et flagitiosus, fronte polita, sub ovina pelle rapacis contegebat gestamina belluæ. Itaque ex merito suæ iniquitatis, diabolo cum Juda proditore traditus, indigne ferens doctrinalia patris objurgamina, intumescente mascula sub pectore

E bili, contendit insanus sanctum virum injustæ tradere neci. Denique cum beatus pater diurno anxietatis labore non modice fessus, una cum fratribus lectulo reclinatus membra sopori dedisset, quia odium incurrit, qui arguit criminosos, idem filius satanæ armis impietatis armatus, postquam eum fessum soporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentavit. *Mortem itaque* S. Bercharius *subiit, quia abbas monachum suum pro ratione officii increpuit, et quia devium ad tramitem religionis et sanctitatis reducere tentavit : quod profecto aliud non est, quam exercere virtutis actum in Deum relatum.*

S. Bercharius vere Martyr dici posse : 68 *Mirum proinde est Martyrologia Parisiense et Autisiodorense, omittendo titulum Martyris, eumdem quasi negasse : cum Martyr quis esse potest tam propter fidem agendorum, quam propter fidem credendorum, ut probat Doctor Angelicus* (*h*) : Martyres, *inquit*, dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati quæ secundum pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Unde et Martyres dicuntur quasi testes ipsius. Hujusmodi autem est F veritas fidei, et ideo cujuslibet martyrii causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solum per verba quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Jac. II.: Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Unde et de quibusdam dicitur ad Titum I : Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat, et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Unde et Beati Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit. *Apposite ad rem nostram subnectit S. Doctor exemplum B. Joannis Baptistæ, quem utrumque Breviarium, Parisiense et Autisiodorense, Martyrem appellat : illud in oratione pro festo decollationis die* XXIX *Augusti petit*

AUCTORE J. V. H.

(*a*) T. I, Octobr., p. 489, n. 18. — (*b*) Ibid., p. 471, n. 36. — (*c*) T. II, Januar., p. 632 n. 12. — (*d*) T. I Annal. Append. XXX, p. 644. — (*e*) Ann., lib. XVII, § XLIII, t. I, p. 351. — (*f*) T. IX, col. 904. — (*g*) De Beatif. et Canoniz. Serv. Dei, lib. III, cap. XI, n. 1.— (*h*) Summa Theol. 2. 2. Quæst. CXXIV, art. V.

a Deo

AUCTORE J. V. H.

a Deo, ut sicut ille veritatis et justitiæ Martyr occubuit, ita nos pro veritate et justitia ad mortem usque certemus; *Autisiodorense vero :* Deus cujus veritati testimonium fuso sanguine perhibuit præcursor filii tui; da nobis, *etc. Dicitur quidem pro veritate sanguinem suum fudisse S. Joannem Baptistam, quod tamen ita intelligendum est, ut mortem pro recte facto, quod radicem in veritate atque doctrina habet, pertulerit. Atqui hoc idem dici potest de Sancto nostro* Bercharío : *unde nulla idonea apparet ratio, cur Martyris titulus illi denegetur; adsunt e contrario momenta gravissima, quæ hanc illi gloriam propriam reddunt.*

exhibita duplici

69 S. Bercharii *necem late describit biographus Adso; sed ab ejus narratione differt fragmentum, quod tamquam appendicem Vitæ Adsonianæ subnectit Joannes Mabillon* (*a*). *Quoniam itaque inter utrumque non parvum intercedit discrimen, operæ pretium fuerit utrumque in medium proferre. Hæc autem narrat Adso :* Tantis igitur laborum certaminibus in hujusmodi stadio pro vitæ cœlestis bravio transcursis, cum jam Dominus operarium suum digna donare mercede disponeret, resolutionis corporeæ imminens tempus ante dedit agnoscere. Nam jam paschali instante solemnitate, feria quinta, qua Cœna Domini habebatur, gregis sibi commissi pater sollicitus, monasterium puellarum devote adiit, pro more fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba et consolationum affamina, hoc quoque eis prædixit, quod de resolutione proprii corporis divinitus sibi notificatum manebat.... Cum psalmis autem et hymnis peractis omnibus, ad cœnobium redeundi iter aggrediturr.... *Narrat deinde quomodo redux eadem nocte a Daguino lethale vulnus acceperit, qui ipse, scelere suo territus, signum pulsare cæpit.* Fratres vero, ut audierunt signum inconsueta hora, cum magna admiratione surgentes, et sanctum virum interfectum audientes, ad lectum illius cucurrerunt; sed adhuc anxietate nutantem in eo spiritum repererunt. *Refert porro quomodo Daguinus ad* S. Bercharium *perductus, veniam obtinuerit, et Romam iverit ad absolutionem criminis impetrandam : deinde narrationem prosequitur :* Beatus vero Bercharius diutissime angore vulneris morbidus, tandem carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu felix petivit. Ad tanti quoque viri obitum, viris undecumque religiosis confluentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium, *etc.*

narratione illatæ necis;

70 *Hæc Adso : Manuscriptum vero Dervense, cujus fragmentum affert Joannes Mabillon ad calcem Vitæ* S. Bercharii, *rem aliter exponit sequentibus verbis* : Beatus Bercharius durissimi languore vulneris morbidus, licet trahens suspiria vix proloqueretur, fesso anhelitu tamen Dominicæ Passionis et Resurrectionis solemnia, suæ etiam depositionis obsequium ac locum sepulturæ humiliter ordinans, discipulis multa ventura prædixit : indicendo eis sollicitudinem divini timoris ac observantiæ sanctæ religionis. Tandem triumphanti Domino, cum palma victoriæ occursurus, mane Dominica ipsius sacrosanctæ ab inferis Resurrectionis carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu felix petivit. Ad tanti viri quoque obitum viris undecumque religiosis confluentibus, sepultus est, ut jusserat, quodam loco extra ecclesiam, multis inibi, Deo donante, miraculorum pollens effectibus.

monstratur Sanctus post biduum

71 *Consideranti vel leviter utrumque textum manifestum fit, alterum alteri subserviisse, cum multa utrinque eodem verborum tenore exponantur. Uter vero sit præferendus, non videtur dubium. Dervensis enim longe magis verisimilis est, et expositis in utroque manuscripto circumstantiis magis congruus. Uterque in eo convenit, nocte feriæ quintæ, in Cœna Domini, percussum fuisse* S. Bercharium mortali vulnere, *a Daguino monacho, ita ut reliqui monachi putarent, illum jam interfectum fuisse ;* sed adhuc anxietate nutantem in eo spiritum repererunt. *Hæc verba clare ostendunt tale vulnus sancto viro inflictum fuisse, ex quo mors proxime secuta fuerit. Unde probari non potest prior lectio dicens* Bercharium diutissime languore vulneris morbidum *fuisse. Facile malæ lectioni mederi posse cogitabit fortassis quispiam, immutato vocabulo* diutissime *in* durissimi, *atque hujusmodi errores scriptorum oscitantia textui obrepere in comperto esse ; verum quominus hunc errorem mere librario incurioso adscribamus, impedit, quod in corrupto textu sequitur :* tandem carne solutum *fuisse ; quod sane insinuatur sat longum intervallum inter vulnus acceptum et mortem fluxisse. Videtur igitur textus omnino corruptus in omnibus exemplaribus Adsonianis, quæ vidimus ; et præferendus esse ille, qui e Dervensi codice eruitur.*

72 *Atque id tanto magis, quod, ut testatur Nic. Camuzat in Promptuario Tricassino* (*b*), *in alio Adsonis exemplari, post excusam vitam ad manus allato, referatur* S. Bercharius eo die quo Christi resurgentis solemnitas celebratur e vita excessisse anno DCLXXXV. *Joannes Mabillon ex eodem manuscripto codice, ex quo fragmentum supra citatum extraxit, affert aliud, quod ita sonat :* Extremum vitæ diem obiit hic B. P. Bercharius anno ab Incarnat. Domini DCXXCV. Indict. XIII, epacta XI, VI kal. Aprilis, mane Dominicæ Resurrectionis. *Qui characteres chronologici, inquit, non conveniunt, nisi legas* VII *kalendas Aprilis, in quem Pascha anno* DCLXXXV *incidebat. Quibus omnibus apprime confirmatur fragmentum Dervense supra citatum, videlicet Sanctum nostrum vix biduo suo vulneri superstitem fuisse, proindeque perperam legi apud Adsonem, prout illum exhibent pleraque exemplaria,* Bercharium diutissime angore vulneris morbidum, tandem carne solutum, cœlestis vitæ gaudia petivisse. *Manet itaque inconcussum Sanctum in festivitate Dominicæ Resurrectionis vitam mortalem cum immortali commutasse.*

obiisse, die XXVI *Martii,*

73 *Stabilita die emortuali* S. Bercharii, *accedendum est ad quæstionem aliquantulum operosiorem, scilicet quo anno diem supremum obierit. Ex supra allatis monumentis constat, multos martyrium* S. Bercharii *ad annum Christi* 685 *retulisse, quibus accensendus venit auctor vetusti catalogi Dervensium abbatum, ab Andrea Du Chesne nobis servati* (*c*), *in quo legitur :* S. Bercharius abbas Dervensis monasterii, anno Domini sexcentesimo sexagesimo quarto, accepit donum et privilegium a Childerico rege Francorum. Post viginti et unum annos, S. Berchario de hoc sæculo translato, Synaulius abbas successit, anno Verbi Incarnati DCL et XXX et V tempore Theodorici, fratris Childerici. *Nullis dubito quin omnes in hanc concederent opinionem, nisi obstaret diploma Bertoendi, episcopi Catalaunensis, Dervensibus concessum, ad cujus calcem legitur :* Actum Remis publice, data quem fecit mensis Februarius die XV, anno secundo gloriosi Domini nostri Clodovei regis. *Clodovæus III, Neustriæ rex, de quo hic agitur, regnare cæpit anno* DCXCI, vere ineunte : *proinde dies* XV *Februarii anni secundi in annum* XCII *aut sequentem ejusdem sæculi, prout Clodovæus regnum adierit, ante vel post* XV *Februarii incidit.*

anno 685, *non obstante*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 843.—(*b*) F°. 86 verso. — (*c*) Notæ ad Epist. Petri Venerab., p. 144 in Biblioth. Cluniac.

A 74 *Cum igitur in citato diplomate dicatur de* S. Berchario : Ubi *(in monasterio BB. Petri et Pauli Dervensi)* et ipse abbas præesse videtur ; *cum præterea ipse privilegium petivisse narretur ; sequitur obitum* S. Bercharii *citius anno* 692 *aut sequenti statui non posse. Immo, cum ex aliis monumentis constaret illum e vita excessisse* VII *kalendas Aprilis* (XXVI *Martii) in die Paschatis, differendum fuit ejus martyrium in annum* 696, *notatum litteris dominicalibus B A, paschali Dominica* XXVI *Martii occurrente. Non esset quod repugnarem huic sententiæ, quam calculo suo probarunt Adrianus Baillet et Albanus Butler ad* XVI *Octobris, nisi mihi summe suspecta esset diplomatis authenticitas. Admissa enim veritate privilegii Catalaunensis, habemus testimonium solemne, coævum, quo invicte demonstratur Sanctus noster, saltem ad annum* XCII *sæculi septimi superstes fuisse : parvi proinde facienda essent reliqua monumenta, quatenus recentiora, quæ annum* LXXXV *ejusdem sæculi indigitant. Ast, ut dixi, suspectum incertumque est diploma, infirmum igitur ad aliquid stabiliendum : quod ut clarius eluceat, illud lectori exhibemus, cum variis lectionibus, quæ in exemplari, ab academico de Brequigny edito occurrunt, in margine adnotatis.*

B *Bertoendi episcopi Catalaunensis*

75 (*a*) Dominis Sanctis et summi culminis Apostolicæ,* Pontificalis cathedræ speculis * præsidentibus, in Christo fratribus seu coepiscopis Rigoberto * metropolitano (*b*), Basino, Stephano, Adalberto, Aloni, Madalgario *, licet indignus in ordine, tamen Katalaunensium episcopus, supplex in Domino mitto salutem. Quamquam priscæ regulæ decreta nos doceant, et quæ oportet perenniter custodire et patrum consueta indiminute servare, attamen et nos super hæc regulariter decernentes, vota supplicium et maxime orthodoxa fide fulgentium, ut illi provisione tractantes eorum petitionibus libentissimo animo volumus affectum mancipare. Quoniam igitur gloriosus domnus Clodoveus rex, et vir illustris Pipinus major-domus, pro * religiosa sollicitudine perspicue nobis postulasse noscuntur, ut privilegium monasterio Puteolos in vasta Dervi, in honore Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Sancti Joannis Baptistæ, et Sancti Joannis Euangelistæ seu et omnium Sanctorum, a viro religiosissimo Sancto Berchario, ubi et ipse abbas præesse videtur, ex munificentia quondam Childerici regis constructo : seu et alio monasterio puellarum super fluvium Vigoræ, etiam et Dria * in Dervo in fine * Flaciniacense, quod Waimerus * et conjux sua Waltidis *, et Domnus Bercharius abbas pariter construxerunt. In quo loco* sacrata Waltidis mater esse videtur multarum virginum præsenti tempore, et se cum eis multimodæ aggregationis agminibus, piæ devotionis paribus studiis sociaverunt in Dei laudibus, uno regulæ Spiritu superna inspiratione commota, ad laudes omnipotenti Deo concinendas * pium exhibet famulatum ; conferre deberemus. Quod salubriter annuentes, hoc privilegium quod plena devotione petierunt, perenni auctoritate servandum, libenti animo præstitisse comperite. Nec enim nova postulantium vel indulgentium est auctoritas privilegium largiendi, dum profecto cunctis * retro Apostolicæ Sedis præsules, unde sacra propagatur auctoritas non solum in vicinis provinciis constitutis, sed etiam in cæteris longe regionibus procul sitis postulata semper indulgenda sanxerunt. Unde obsecro Domnos successores Ecclesiæ prænotatæ pontifices, satis superque per omnipotentiam Trinitatis immensæ, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti obtestare, imo conjurare * præsumo, ut commendatum * prænominatum monasterium piis mentibus jubeant diligere, jubeant fovere, jubeant continere, jubeant conservare. Et ne succidua fraternitas sacerdotum hoc nos in * regionibus propriæ deliberationis instinctu, aut nova inventione æstimet decreta fuisse ; cum sub hujus constitutionis norma Sanctorum Agaunensium locus, imoque et monasterium Lirinense, seu monasterium Luxoviense, multaque alia monasteria, necnon et basilica Domni Marcelli, et innumera in Orientis partibus monasteria, propriis ex decreto pontificum servantur privilegiis. Ergo uno conspirationis consensu, Dei nutu, antedictorum Patrum religionem pensantes, ita ab omnibus decretum est, ut nullam dominationem nos successoresque nostri in superscripta monasteria virorum seu puellarum virginum, ubi sunt congregati, quod pro salute animarum suarum prædictus vir Bercharius et Waimerus seu et conjux sua Waltidis una pariter construxisse noscuntur, habeamus : quatinus eis liberius liceat, Deo juvante, sine impedimento rei alicujus, contemplativam vivere vitam. Et cum pater monasterii fuerit de sæculo evocatus, quem unanimiter omnis congregatio ipsorum servorum Dei undecumque sibi optime regulam compertam elegerint, seniorem sibi abbatemque constituant : seu et cum mater virginum de sæculo fuerit evocata, quam unanimiter omnis congregatio ipsarum ancillarum Christi undecumque sibi optime regulam compertam elegerint, sibi seniorem matrem una cum consilio monachorum Dervensium fratrum abbatissam instituant ; et si eis opportunum fuerit abbatem benedicendi, aut chrisma consecrandi, vel sacros ordines percipiendi, hoc tantummodo nobis propter canonicam institutionem et præjudicium Ecclesiæ nostræ absque ullo motu reservamus.

76 Cæterum vero, ut superius continetur, nullam potestatem aut dominationem neque nos vel archidiaconus, successoresque nostri, vel quælibet persona habere non debeat, aut quacumque de eodem monasterio vel cellulis ejus *, parochiis aut cæteris monasteriis causam audeat præsumere vel auferre. Et si aliquid ipsa congregatio de earum religione tepide egerint secundum regulam S. Benedicti, vel domni Columbani ab eorum * abbate vel abbatissa, qui pro tempore spiritalis pater vel mater exstiterint, corrigantur. Nam nullum pontificium * a nobis neque a successoribus nostris in eodem monasterio pro causa cupiditatis, aut (quod absit) avaritiæ habeatur ; sed proprio in Dei nomine fruantur privilegio. De rebus namque præfatis, constructoribus ejusdem sancti monasterii pro sustentatione prædictorum sanctorum monachorum *, puellarum virginum, victum quoque ac vestitum collatum, seu a cæteris Deum timentibus personis in antea collaturis, vel a regia potestate fuerit concessum, nihil ex hoc neque pontificum, nec quarumlibet personarum distrahendi minuendive causa potestas omnimodo non habeatur, nisi in matribus vel patribus ejusdem monasterii, suisque præpositis *, gubernandi, regendi, dispensandique arbitrio seu dispensatione consistat. Ideo * quoque præstitimus privilegium, quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei et maxime contemplativam vitam ducentibus, pro quiete tranquillita-

AUCTORE J. V. H.

* conjectare
* commendem

* addit B his

E

quod exhibetur, diplomate :

* addit B. sed et

F

* earum

* addit B. neque

* seu

* propositis

* addit B. Deo

(*a*) Exstat in Spicilegio Luc. d'Achery, t. III. p. 317 et apud Brequigny Diplomata, etc., t. I, p. 326. — (*b*) Sedes horum præsulum require Act. SS. XXIX Septemb., p. 164, n. 28.

tis

* addit B. apice, omittit B. apostolicæ
* specula
* Ingoberto
* addit B. episcopali Cathedra præsidentibus Bertoendus
* pie
* Drea
* linem
* Watmerus
* Waltildis
* addit B. Deo
* concinnandas
* cuncti

AUCTORE J. V. H.

tis tribuitur. Quod si quis calliditate aut cupiditate præventus, ausus fuerit ea quæ sunt superius comprehensa temerario spiritu violari, a divina ultione prostratus, reatui * anathematis subjaceat, veniatque super eum lepra Naaman Syri, excommunicatusque a sancta efficiatur Ecclesia Catholica. Et nihilominus hoc privilegium perpetuis temporibus maneat incorruptum. Quæ constitutio nostra ut firmis subsistat temporibus, manus nostræ subscriptionibus est roborata. Et ut plenius confirmetur, cæteris fratribus et coepiscopis qui ad præsens non fuerunt, destinavimus insuper roborandam. Actum Remis publice data quem fecit mensis * Februarii die XV, anno secundo gloriosi Domini Clodovei regis.

* reatum

* mense

quod interpolatum, quoad contenta

77 *Non pauca sunt, ut prædixi, quæ incertum suspectumque faciunt Bertoendi diploma. Imprimis* Bercharius *noster, licet vivens, appellatur* Sanctus, *qui titulus plerumque obitum importat : non dicam plane semper hunc titulum solis vita functis aptari, ut numquam vivis impositus fuerit ; ast non credo facile concedendum in diplomate solemni, a variis episcopis subscribendo, talem titulum viventi cuidam tribui. Fuerit igitur librarii vitio perperam additus : hoc certe consequetur non undecumque genuinum ad nos devenisse diploma : quod si aliqua ex parte vitiatum fuerit, quis fidem suam pro veritate reliquorum narratorum obligare poterit ? Deinde Bertoendi chartam sibi non constare, aut magnam inter varia exemplaria existere discrepantiam, monstrat index titulorum chartarii Dervensis* (*a*), *qualis a Nicolao Camuzat exhibetur :* Privilegium datum a Bertoendo, episcopo Cathalaunensi, ad rogatum claræ memoriæ Clodovæi regis et Pippini majoris-domus regiæ, in quo idem episcopus dat nobis electionem abbatis et abbatissæ, tam in nostro, quam in Puellari monasterio, qui etiam prius dedit nobis in villa nostra et aliis circum vicinis omnimodam jurisdictionem, nihil sibi retinens, præterquam benedictionem abbatis et abbatissæ *(de benedictione abbatissæ nihil dicitur in citato diplomate)*, confectionem crismatis, collationem ordinum et pœnitentiales. *Pœnitentialis, de quo nobis hic est sermo, interpretatur Supplemento Glossarii Cangiani* jus instituendi pœnitentiarios vel imponendi pœnitentiam ; *apponitque in exemplum, chartam Guidonis, episcopi Catalaunensis, anni* 1183, *ex tabulario Dervensi :* Præterea nobis retinuimus chrisma, Pœnitentiales, et sanctam synodum, ad quam abbas, si citatus fuerit, pro omnibus clericis suis debet venire. *Porro nullo verbo hujusmodi Pœnitentiales in charta Bertoendi attinguntur : hinc certe liquet discrepantiam inter varia exemplaria exsistere ; quæ omnem authenticitatem tollit.*

B

C

et Bercharii *nomen videtur :*

78 *Immo, si fides habenda est catalogo vetusto supra num.* 73 *citato* (*b*), *diploma Catalaunense non* S. Bercharo, *sed successori ejus Synaulio datum legitur, his verbis :* Anno Verbi Incarn. DCXCIII... data est abbati Synaulio emunitas et privilegium a Berthoendo, Cathalaunensi episcopo, rogatu Childeberti regis fratris Theodorici. *Hic hallucinatur scriptor ; illo anno non Childebertus, sed Clodovæus regnavit, uterque tamen non frater, sed filius Theodorici III. Admisso autem quod Synaulius receperit diploma, confirmatur, quam statuo, sententia de obitu* S. Bercharii *anno* 685. *Atque hæc quidem scripturam incertam faciunt, monstrantque infirmo nimis fundamento niti, qui propter illam Sancto nostro vitam usque ad annum* 696 *prorogant, parvi facientes testimonia, quæ licet coæva non sint, radicem tamen habere videntur in traditione domestica, quæ in Dervensi cœnobio semper viguit.*

D

79 *Hæc quidem sufficerent ad refellendam nobis oppositam sententiam ; sed unum superest vitium, quod diploma magna ex parte interpolatum ostendit. Concedit scilicet Bertoendus monialibus monasterii, quod Walthildis construxerat, quodque Puellare monasterium dicebatur, ut* cum mater Virginum de sæculo fuerit evocata, quam unanimiter omnis congregatio ipsarum ancillarum Christi undecumque sibi..... elegerint, sibi seniorem matrem, una cum consilio monachorum Dervensium fratrum, abbatissam instituant. *Unum tamen præter abbatis benedictionem et clericorum ordinationem, quæ ad monasteriorum virorum magis spectant, sibi reservat episcopus* propter canonicam institutionem et præjudicium ecclesiæ suæ, *scilicet chrismatis confectionem. Quis dum hæc legit, non sibi persuadebit utrumque cœnobium, tam virorum, quam puellarum intra unius ejusdemque diœcesis fines contineri ? Attamen aliter se res habet. Puellare Dervense monasterium ad Trecensem episcopatum pertinet* (*c*), *ut inter omnes convenit, et manifeste probat charta Frotmundi, qui ab anno* 998 *ad* 1034 *Trecensem cathedram occupavit* (*d*). *Chartæ verba recito* (*e*) :

dein Bertoendus usurpat jus

E

80 In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis P. et F. et S. S. Ego humilis Frotmundus, Augustæ Trecorum pontifex, ut ipse disposuit magnus et omnipotens rex, præsentibus et futuris notum esse cupimus, quod venerabilis abba Bruno ex SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Bercharii Martyris monasterio ad nos venit supplicans mansuetudini nostræ, ut cuidam altari, quod est in villa, quæ dicitur Puellare monasterium, largiremur libertatem. Est autem illud altare in honore S. et perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, ubi quondam plurimarum extiterat congregatio virginum, in quorum loco monacbos sub jugo abbatis prædicti loci ordinandos esse constituit, et idcirco maxime libertatem poscit, ut ibidem servientes Deo, nulla turbare possit inquietudo. Hujus ergo petitionem, quia Deo placitam esse credidimus, suscipere dignum duximus, et quod petiit, cum fidelium nostrorum clericorum et laicorum consensu, libenter concessimus, ipsamque ecclesiam cum altari ab omni consuetudine vel redhibitione, liberam esse reddidimus, salva tamen ordinatione pontificali, eo tenore, ut unoquoque anno, in SS. Omnium festivitate, persolvant duos solidos mihi successoribusque meis. Actum Trecorum civitate publice, pridie kal. Maii, regnante Henrico Francorum rege.

episcopi Trecensis,

F

81 *Hisce positis, non videtur, quomodo Bertoendus Catalaunensis episcopus potuerit libertatem concedere monasterio, quod nec ad suam diœcesim, nec ad ipsam provinciam Remensem pertineret. Frustra obtenderetur de consilio fratrum coepiscoporum, ut in diplomate dicitur, id factum fuisse : manet difficultas : deest enim ejus consensus, qui ante omnes alios requirendus fuerat, episcopi nempe Tricassini, Illa tempestate huic ecclesiæ præerat Aldobertus, cujus nomen in capite diplomatis Catalaunensis non occurrit ; et merito quidem, cum in Concilio Remensis provinciæ datum censeatur ; Tricasses vero ad Senonensem spectarent. Dicit quidem Cointius* (*f*) *qui compendium privilegii viderat, non ipsas litteras :* Quæstioni locus esse potest, quomodo Bertoendus benedictionem sibi reservarit tam abba-

quamvis dicat Cointius

(*a*) Antiquit. Tric., fol. 82. — (*b*) Bibl. Cluniac. Not. ad lib. I, ep. Petri Ven., p. 114. — (*c*) Gall. Christ., t. XII, col. 533. — (*d*) Ibid., col. 494. — (*e*) Camuzat. Antiq. Tric. fol 84. — (*f*) Ann. Fr. ad an. DCXCIV, § III. t. IV.

tis

A tis in suo episcopatu, quam abbatissæ in aliena diœcesi : *jam diximus in privilegio non agi de benedictione abbatissæ, sed varia sibi reservare Bertoendum ; hinc quæstioni est locus, quam ita solvit Cointius :* Accessit procul dubio consensus episcopi Trecensis. Exemplum simile jam occurrit in monasteriis Malmundariensi et Stabulensi, quæ, Cuniberto episcopo annuente, dicata sunt ab uno eodemque Remaclo Trajectensi pontifice, quamvis Malmundarium pertineret ad diœcesim Coloniensem, Stabelaus ad Trajectensem. Qua de re se sic Notgerus in Vita S. Remacli (*a*) : « Rex, quia ecclesiæ recens ædificatæ episcopali » benedictione indigebant, Beatum Remaclum » accersiens, tam eam, quæ erat Coloniensis » parœciæ, annuente venerabili Cuniberto epi- » scopo, quam illam, quæ nostræ diœcesis est, » ab eo voluit solemniter consecrari. »

id factum fuisse, permittente Trecensi episcopo,

82 *Non possum equidem meo calculo probare, quæ ad explicandum Catalaunense privilegium, affert Cointius. Ut enim omittam, in re gravissima et extraordinaria necessarium videri, ut exceptio ipsa in diplomate exprimeretur, nimirum eidem accessisse consensum episcopi Trecensis, exemplum a Cointio allatum nullatenus quadrat cum casu per privilegium expresso. Pro monasterio Malmundariensi exprimitur, etiam in simplici narratione, consensus episcopi diœcesani ; dum e contrario, ne verbo quidem Trecensis episcopi mentio fit in litteris authenticis, quæ, ut satis notum est, omnes juris apices sectari consueverunt. Et quod caput quæstionis est, in facto S. Remacli agitur de consecratione alicujus ecclesiæ, nempe de unico actu semel ponendo, ad quem si consensus proprii episcopi accesserit, nihil omnino ejus jurisdictioni deperit. Ast longe alius est casus in diplomate Bertoendi : subjicitur scilicet perpetuo Catalaunensi Ecclesiæ monasterium alienum ; scimus autem rarissimum esse id alienationis genus, nec licitum fuisse secundum disciplinam sæculo* VII *vigentem, nisi* cum totius cleri tractatu atque consensu (*b*) : *imo nihil alienatum a Trecensibus fuisse constat ex diplomate Frotmundi num.* 80 *citato.*

B

aut agi de puellari

83 *Unum fortassis ad veritatem diplomatis utcumque vindicandam dici posset, Bertoendum scilicet agere non tam de Puellari Monasterio in Tricassina diœcesi sito, quam de alio, quod* S. Bercharius *obtinuit a Reolo Remensi episcopo. Donaverat Reolus, ut ipse dicit in charta donationis* (*c*) locum de rebus ecclesiæ Remensis infra urbem Kathalaunensium, in pago Pertensi, supra fluvium Matronam, in villa quæ dicitur Gaugiacus, sive et alio vocabulo, quæ dicitur Episcopi-villa, quam sanctimonialis fœmina, nomine Ama, quæ sub titulo religionis vitam finivit, per suas cartas ad Ecclesiam Remensem condonavit. *Statuit deinde :* Si forsitan, quod adsolet, de ipso loco in alio loco ipsæ famulæ Dei migrare voluerint ad monasterium ædificandum..., teneant ipsam villam Gaugiacum.... ad monasterium Altumvillare, quod antecessor noster domnus et pater noster Nivardus, quondam episcopus, suo opere construxit, debeat revertere cum ipsa epistola, quam spontanea voluntate fieri rogavimus.... Actum in villa Compendio, sub die kal. Maji, anno XIII regni Domni nostri Theodorici regis. *Mabillon annum* XIII *Theodorici III regis connectit cum anno Christi* 686 *aut etiam sequenti* (*d*). *Quoniam vero* S. Bercharium *obiisse dicit loco citato* XXVI *Martii, patet ejus chronotaxim non sibi recte constare ; vidimus autem supra ad numerum* 65 *commodo computari initium Theodorici ab anno* LXX *ejusdem sæculi, unde devenimus ad annum* LXXXII *aut sequentem quo* Bercharius *noster certo vivebat.*

C

AUCTORE J. V. H.

monasterio Gaugiacensi.

84 *His obiter prænotatis, redeamus ad quæstionem nostram. Bertœndus certe non loquitur de Gaugiaco monasterio, quod numquam fundatum fuisse videtur, ut dixi supra num.* 65. *Verum etiamsi exstitisse dicamus, tamen manifestum est de Gaugiaco parthenone sermonem Bertoendo non fuisse. Agit enim de Puellari Monasterio, per Walthildem constructo, de quo loquitur quoque Adso num.* 20, *quod ipsum pertinet ad Trecensem diœcesim : neutiquam vero de monasterio, quod* Ama sanctimonialis *dederat, prout dicitur in charta donationis Reoli episcopi. Aliud quoque obstat, quominus Bertoendum de Gaugiaco loquentem introducamus : secundum Reoli litteras, deficiente parthenone, fundus debebat ad Altivillarienses redire : atqui id testatur nobis Joannes Mabillon his verbis loco citato :* Nunc Episcopi-villa pertinet ad Altivillarense monasterium, prout Reolus statuerat, deficientibus nimirum eo loci sanctimonialibus. *Monasterium Trecensis diœcesis e contrario suberat abbatibus Dervensibus, ut ipsæ Bertoendi litteræ abunde testantur.*

E

Refellitur tandem ratio,

85 *Ex his omnibus liquet Bertoendum reipsa agere de Puellari Monasterio, quod extra fines Catalaunensis episcopatus constitutum, ad ipsum nulla ratione pertinere poterat. Unde merito concluditur interpolatum esse diploma, cui proinde chronotaxis inniti non potest. Restant igitur documenta, quæ supra num.* 73 *attulimus, quæque testantur anno Christi* 685 *sanctum* Bercharium *obiisse. His profecto adhærendum est, donec certioribus argumentis alius annus nobis demonstretur. Unum superest, quod scrupulum aliquem movere posset : scilicet anno* S. Bercharii *emortuali, dies Martii* XXVI *non incidebat in festum Dominicæ Resurrectionis apud Latinos, sed in Dominicam Palmarum, ut ad hunc annum adnotant auctores libri* l'Art de vérifier les dates. *Frequens quippe erat in Ecclesia Latina usus cycli Victoris Aquitani sub S. Leone Magno, aut ejus successore Hilaro inventi, qui dissidia quidem inter Occidentales et Orientales de* mense *paschali orta exstinxerat : eas tamen discordias, quæ* diem ipsum *Paschalis afficiebat, intactas reliquerat* (*e*). *Nam lunam decimam quintam a paschalibus solemniis excludens, efficiebat ut, quoties ea in Dominicam diem incideret,* octiduo *post Orientales, id est luna* XXII, *sacratissimum Pascha celebraretur. Hic casus occurrit anno* S. Bercharii *emortuali* 685, *quo sabbatum* XXV *Martii concurrebat cum luna paschali* XIV. *Proinde sequenti die dominica non Pascha, sed Palmas celebrarunt Occidentales, et proin quoque fallunt documenta allata, quæ statuunt* S. Bercharium *in Dominica Resurrectionis obiisse.*

F

quæ e diverso computo

86 *Jam plus vice simplici insinuavi me habere illa documenta, non tamquam coæva facto, quod exprimunt, sed quatenus innixa traditioni domesticæ, cui fides obsque idoneo fundamento deneganda non est. Errarint itaque scriptores in conjungendo diem* XXVI *Martii anni* 685 *cum paschali solemnitate, utpote quam secundum cyclum Dionysii Exigui dein computarint ; unum manet inconcussum eosdem diem et annum Sancti emortualem, diem* XXVI *Martii anni* 685 *constituere. Cæterum non credo cycli Victoriani usum tam universalem fuisse, ut in Occidente Ecclesia ab illo desciverit. Luculentum certe hujus rei testimonium suppeditat S. Gregorius Turonensis* (*f*), *quod anno* 590 *illigandum probat Pa-*

(*a*) Eadem habet Anonymus, t. I Septembr., p. 695, n. 11. — (*b*) Cap. LII, caus. XII, q. II. — (*c*) Mabill. Ann. Ben. Append. XXX. T. I, p. 645. — (*d*) Ibid., lib. XVII, c. XLIII. T. I, p. 531. — (*e*) Cfr Henr. Sanclement. de Vulgaris æræ emendat., lib. IV, cap. X, p. 487. — (*f*) Hist. Fr. lib. X, cap. XXIII, ap. D. Bouquet, t. II, p. 378.

gius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

gius (*a*) : Dubietas Paschæ fuit, *ait Gregorius*, ob hoc, quod in cyclo Victor luna decima quinta Pascha fieri scripsit. Sed ne Christiani, ut Judæi, sub hac luna hæc solemnia celebrarent, addidit, Latini autem luna vigesima secunda. Ob hoc multi in Galliis decima quinta luna celebraverunt; nos autem vigesima secunda. *Siquidem anno* 590 *jam* multi *in Gallia Latinorum consuetudinem, de qua Victor, quoad diem haberent antiquatam, nemo mirabitur eamdem opinionem post annos nonaginta quinque longe plures adhuc sectatores habuisse : e quorum numero facile esse potuerunt Dervenses monachi.*

paschali

87 *Diuturnior certe fuit in Hispania usus cycli Victoriani, siquidem Hadrianus Papa I, sæculo octavo in finem vergente, exprobret Hispanis per varias epistolas illos in paschatæ celebrando dissentire a reliquis Ecclesiis* (*b*) : Pervenit, *ait*, ad nostras apostolicas aures, quod multi in partibus illis in insipientiam atque cordis dementiam devoluti, prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum, et nostras relationum atque admonitionum series, secundum venerandi Nicæni concilii institutionem de paschali festivitate, ita contemnere audent, quod si plenilunium quarto decimo scilicet lunæ die, Sabbatho contigerit, alio die Dominico, videlicet quinto decimo lunæ die Pascha sanctum minime celebratur, sed prætermisso eodem quinto decimo die, in alio sequentis septimanæ Dominico, qui est vicesimo secundo lunæ die, Paschalis festi gaudia pronunciant celebranda. Quo si interius mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni concilii trecentorum et octo patrum simul convenientium promulgata paschalium festitivatum ratio, procul dubio omnis error, omnisque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. *Monstrat porro quomodo ex decretis Nicænis Pascha constituendum sit, et dein concludit* : Pro quo non silemus, charissimi, impensius vos commonere, ut a falsis fratribus caveatis, et eo modo quo sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, paschalem celebrat solemnitatem, et recte, si Dei tenet traditiones, et vos procul dubio celebrare studeatis, ut sicut pares nos Christianorum fidei religio efficit, æquales nimirum in festivitatibus efficiat.

B

C

veti posset,

88 *Hæc satis probant meo judicio exulasse jam diu e Galliis errorem, quem solis Hispanis exprobrat Hadrianus. Habemus igitur quasi terminos binos, inter quos medius stat annus emortualis* S. Bercharius : *scilicet annum* 590, *in quo, teste S. Gregorio Turonensi citato, jam multæ Ecclesiæ in Gallia Pascha celebrarunt die* XV *lunæ, et annum circiter* 780, *quo Hadrianus id erroris solis Hispani impingit : nemo certe monstrare poterit Dervenses male Pascha computasse, maxime si attendat* Bercharium *nostrum Luxovii educatum, ubi diu viguit Scotorum computatio, (quæ permittebat ut luna* decima quarta *in diem Dominicam incidente, paschalis solemnitas haberetur,) in mediis dissidiis, si quæ tum adhuc fuerint, illam opinionem probabiliter tenuisse, quæ quam proxime accederet ad computandi rationem* S. *Columbani. Scimus autem non levem sibi creasse invidiam Columbanum, quia, Scotorum more, Pascha in Galliis celebrare voluit, uti latius explicabitur ad diem* XXI *Novembris, quando de hujus Sancti gestis sermo recurret.*

D

§ VI. Variæ Reliquiarum S. Bercharii translationes.

Corpus S. Bercharii

Jam exposui supra num. 4 *cur festivitas* S. Bercharii *in diem* XVII *kal. Novembris translata fuerit ; quia scilicet ea die recurrebat annua celebritas translationis Sancti nostri et dedicationis basilicæ Dervensis. Variis autem temporibus translatum fuisse corpus* S. Bercharii *monstrat tum Vita, tum liber Miraculorum. Primum Sanctus extra ecclesiam sepultus fuerat :* Sed, *ait Adso num.* 26, cum jam Dominus ulterius occultare nollet, ex præfato cultelli (*aquæ supernatantis*) miraculo cæterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est inde corpus beati patris debere transferri, ac illi inde translatum tumulaverunt retro altare in basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat, ubi suffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis. *Juxta Historiam Dervensem manuscriptam, ad nos missam cura et studio R. D. Gérard Parochi in Dervo, quam conquisitis undique documentis exaravit D. Grossard, Dervensis monachus et past turbas Galliæ curatus in* Planrupt, *juxta Dervum, hæc translatio facta censetur pridie idus* (XIV) *Februarii, qua die ejus memoria celebratur tam in Dervo monasterio, quam in ecclesia collegiata* S. Bercharii *Castrivillani, ubi aliquæ ejusdem Sancti Reliquiæ habebantur* (Châteauvillain, Département de la Haute-Marne, arrondissement de Chaumont.) *Credo hanc primam translationem accidisse anno* 686, *quia inter cætera prodigia, tamquam rationem affert miraculum cultelli, quod, quoniam in omnium memoria vivum erat, non longiori intervallo separari potest a corporis elevatione. Addit quoque :* Ex cujus sepulchro longo post tempore oleum pullulans in vas ad hoc paratum visum est defluxisse, cunctis morbo oppressis nimium salubre (*c*). *Ipsa Adsonis verba indicant olei fluxum non fuisse diuturnum. cum jam ante ejus ætatem desiisset.*

E

90 *In Dervensi basilica quieverunt deinceps* S. Bercharii *Reliquiæ usque ad annum Christi* 921, *quo, imminentibus Hungaris, in Burgundiam translatæ fuerunt sub Rudolfo, Burgundiæ duce, ut infra videbimus, postquam respondero difficultati, quam alia documenta facessere videntur. Constat enim ex epistola Formosi Papæ, anni* 891 (*d*) *et e diplomate Ludovici, dicti Cæci, Burgundiæ regis, anni* 896 (*e*), *primam aliquam migrationem Dervensium monachorum in Burgundiam circa illud tempus accidisse. Ad illos quidem scribit Formosus :* Audientes vos de Trecassino comitatu ex monasterio Dervo a facie paganorum elapsos, et quod ab eodem venerabili episcopo *(Barnoino Viennensi)* misericorditer suscepti estis, inclinati precibus vestris, per hujus auctoritatis privilegium vos inibi, *(in monasterio S. Theuderii, Saint-Chef, Département de l'Isère)* firmiter et quiete Deo militare confirmamus. *In diplomate autem Ludovici hæc leguntur :* Barnoinus.... petiit, ut quoddam monasterium præfatæ Ecclesiæ Viennensis in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Theuderii Confessoris Deo dicatum, in ejusdem Ecclesiæ parochia situm, atque Adalrico, abbati monachisque quondam Dervensis cœnobii ad regendum et Deo serviendum commissum, præcepto nostræ auctoritatis muniremus.

F

(*a*) Crit. Baron., ad an. 594, § III. — (*b*) Gretser, Opera, t. VI, p. 785. — (*c*) Circa oleum e SS. cadaveribus manans, consule Prosp. Lambert. de Canoniz. SS., lib. IV, part. I, cap. XXXI, n. 19. — (*d*) D. Bouquet, t. IX. p. 202. — (*e*) Ibid., p. 679.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *non ante sæculum* x

91 *D. Bouquet in notis ad citatam epistolam Ludovici videtur hanc migrationem cum translatione Reliquiarum* S. Bercharii *confudisse. Et id quidem perperam : nam duplex hæc migratio incidit in tempus diversum, devenit ad diversum locum, ac tandem nacta est patronum diversum. Prima quidem migratio ultimo decennio sæculi noni, altera vero post annum vigesimum primum sæculi decimi accidit ; dein monachi Dervenses in prima migratione, corpus fundatoris sui in Dervo relinquentes in* regnum *Burgundiæ, quod Alpibus, mari Mediterraneo et Druentia, adjuncto ducatu Lugdunensi, claudebatur, confugere* (*a*) ; ducatus *autem Burgundiæ, in quo refugium sibi statuerunt Dervenses iterum exulantes, cis Ararim et Rhodanum situs, provinciis Nivernensi, Borbonnensi, Campana, Sequanica, Bellojocensi et Brixinensi terminabatur* (*b*). *Unde sponte sua fluit in duplici exilio duplicem nactos fuisse Dervenses refugii patronum : in priori scilicet Ludovicum Cæcum, regem ; in posteriori autem Rodulfum, ducem Burgundiæ. Neque fraudi nobis esse potest silentium scriptoris Miraculorum, qui unam referens, alteram migrationem ignorasse videtur. Nempe*

B *silentium unice adscribo rationi, quod tunc corpus* S. Bercharii *suo loco motum non fuerit ; atque hinc alienum fiebat ab Anonymi scopo hujusmodi narrationi immorari.*

translatum fuisse,

92 *Fatebor tamen Anonymum videri, utramque migrationem una narratione complexum fuisse, quum scribens Dervenses* tranquillitate jocundæ pacis *ad hæc usque tempora usos fuisse, alludere videtur ad epocham, quæ primam migrationem præcessit.* Tranquillitatem, *ait num.* 5, tam jocundæ pacis, multis abusive vertentibus in augmentum impietatis, rursus severitas animadversionis Hunnorum rabiei exponit depopulationem Christiani populi : maxime addictis stragi Neustria et pleraque parte Gallici regni. Tempora hujusmodi infelicitatis impediebantur regimine Karoli Junioris, qui Simplex ferebatur nomine, non tam innocentia quam ignavia omnis rei civilis et militaris, omnino referens mores Ludovici genitoris, qui ob nimiam vecordiam vocitatus est Nihilfaciens. Imperium ergo hujus, quippe justo Dei judicio instigatus, parvipendens Hunnorum exercitus, quaquaversum debacchando insignes funditus evertens urbes, gladiis et incendio orationum

C domos plurimarumque gentium delevit populos. Itaque tam immanis crudelitatis frequentibus nuntiis territi fratres supradicti Dervensis cœnobii, erumpentibus etiam ab occiduis partibus, Astingo duce, Wisigotis, qui et Normanni, communi consilio, ut audierant aliarum greges ecclesiarum, decernunt, sumptis secum ossibus B. Bercharii, fuga perquirere latibulum ; hocque statuunt circa ripas Araris fluminis ; quæ regio ipsis temporibus ferebatur immunis omnis inquietudinis regimine Rodulfi, filii nobilissimi Richardi Burgundiæ ducis, qui justi tenax, ejusque famosissimus ultor extitit.

monstratur,

93 *Facilis determinatu est epocha, qua Dervenses in ducatum Burgundiæ corpus sancti sui fundatoris transtulerunt. Nam migratio accidit, Rodulfo Burgundiæ jam duce, necdum vero Francorum rege : id est inter kal. Septembris anni* 921 (*c*) *et* III *Id.* (XIII) *Julii anni* 923 *quo rex Suessionis eligitur et inungitur a Walterio Senonensi* (*d*). *Habemus e Flodoardi Chronico* (*e*) *anno ejusdem sæculi* XIX Hungaros Italiam, partemque Franciæ, regnum scilicet Lotharii *(Lotharingiam Campaniæ conterminam)* deprædatos fuisse. *Imminebant juxta idem Chronicum Normanni, qui eodem anno* omnem Britanniam in Cornu-Galliæ, *(Cornouaille, Dépt Finistère)* in ora scilicet maritima sitam, depopulabantur, proterebant atque delebant, abductis, venditis cæterisque cunctis ejectis Britonibus. *Aliquam facessit difficultatem, quod nempe Wilhelmus Gemeticensis in Historia Normannorum dicat* (*f*) Hastingum, Normannum, *vendita Tetboldo comiti urbe Carnutensi,* distractis omnibus, peregre profectum disparuisse ; *ex serie autem narrationis videtur illa disparitio ad sæculum* IX *pertinere. Sed recte adnimadvertit Vossius de Historicis Latinis* (*g*) multas in scriptore hoc fabulas de Normannis legi ; quod non inficiabitur, qui cum eo contulerit, quæ de ætate sua in Chronicis suis retulit Flodoardus. *Hinc apparet sublestæ quandoque fidei Wilhelmum Gemeticensem esse ; cujus asserta corrigenda sunt ex antiquiorum scriptorum effatis, qualis est noster Anonymus.*

AUCTORE J. V. H.

sub duce Rodulfo

94 *Alterum est quod suspectam reddere videtur narrationem Anonymi Dervensis : negat scilicet Urbanus Plancher Benedictinus in sua Burgundiæ* E *Historia* (*h*), *Rodulfum Richardi filium umquam Burgundiam ducis titulo occupasse, atque propterea* Ducem suppositium *appellat, hac ductus ratione quod Richardus dux Burgundiæ kalendis Septembris anni* 923 *defunctus sit, duobus scilicet mensibus postquam filius ejus Rodulfus rex Francorum inunctus fuisset ; vadem hujus asserti affert Joannem Mabillon ; sed perperam. Ambigue hic quidem loquitur, sed si conferatur ejus textus cum iis quæ aliis in locis jam dixerat, nullus dubitandi superest locus. Suburbanæ, ait* (*i*), *Basilicæ S. Petri Senonensi* tum *(anno* 923) præerat Samson venerabilis abbas, qui Aigloni ante biennium successerat, quo tempore Richardus Burgundiæ dux, Rudolfi novi regis parens, Justitiarius dictus, sepultus est in monasterio S. Columbæ kalendis Septembris. *Voces* quo tempore *referendas esse ad verba* ante biennium, *hinc elucet, quod agens de Rodulfo* nondum rege *dicat* (*k*) *sub anno* 922, *illum fuisse* Richardi Burgundiæ ducis recens mortui filium. *Cæterum multis confirmatur mortem Richardi statuendam esse anno* 921 (*l*), *Rodulfum vero biennio circiter serius regem inunctum fuisse* (*m*). *Ruit igitur præcipuum argumentum quo Urbanus Plancher nititur, dum affirmat Gislibertum Richardi generum illi successisse* (*n*) ; *et Rodulfus inter duces Burgundiæ reponendus est, uti faciunt Benedictini, auctores libri* l'Art de vérifier les dates (*o*). F

in Burgundiam ; quamvis incertum sit,

95 *Incertum est quo loco constiterint Dervenses tempore secundæ hujus migrationis ; non dubium tamen illos a Rodulfo fuisse susceptos, ut narrat Anonymus noster num.* 7 : *Miraculorum* rumore celeberrimo accensus memoratus princeps Rodulfus suscepturus insignia totius Francorum imperii, supplex locum ipsum Reliquiarum. B. Martyris adiit, se suamque felicitatem ejus committens suffragiis : multisque donatum muneribus, fratrum necessitates plurimis relevavit largitionibus, et eos benignissime consolatos, spem propere ac prospere remeandi, Dei sanctive Martyris auxilio et sui laboris juvamine repromisit ; quod feliciter Deo favente contigit. Nam idem memoratus princeps, laturus auxilium præfatæ calamitati, imperium Francorum subiit, nequaquam tyrannice, sed divinæ pietatis præ-

(*a*) Plancher Hist. de Bourgogne, t. I, p. 155. — (*b*) Ibid., p. 224. — (*c*) D. Bouquet, t. IX. Index chronol., p. LXXXIX. — (*d*) Ibid., p. XCI. — (*e*) Ibid., t. VIII, p. 176. — (*f*) Ibid., p. 255. — (*g*) Lib. II. cap. XLIX, p. 405. — (*h*) T. I, p. 233. — (*i*) Lib. XLII. § LIV, t. III, p. 348. — (*k*) Ibid. § XLVI, t. III, p. 344. — (*l*) Bouquet, t. IX. Index Chronol., p. LXXXIX. — (*m*) Ibid., p. XCII. — (*n*) Hist. de Bourg., t. I, p. 237. — (*o*) T. II, p. 492 et seq.

AUCTORE J. V. H.

destinatione ob meritum suæ probitatis, electus a pontificibus ac proceribus totius Gallici regni, ad effugandam inde rabiem paganæ perversitatis. Ejus itaque formidine potestatis, protinus exterrita omni feritate barbarica, restaurata tranquillitate pacis, repedandi ad propria capessunt audaciam, qui ob metum paganorum dispersi diversa petierant loca exilii. Grex quoque Ecclesiæ Dervensis, juncto sibi cœtu fratrum Fossatensis cœnobii, qui metu supermemoratæ internecionis eo confugientes devexerunt secum ossa Confessoris Christi Mauri, pari consilio aggrediuntur iter repatriandi, pariter incedentes, simulque divina celebrantes officia, donec itineris progressione attingerent, quo ab invicem discesserunt, fines Dervenses atque Campaniæ.

in quem locum :

96 Igitur adventui pretiosissimi Martyris occurrentibus cum plurima turba sacerdotum clericorumque multis, ac ejus familia, quaquaversum dispersa, undique recurrente, excipitur eximius protector patriæ liminibus templi, quod vivens exstruxerat in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hoc longa solitudine incultum, tribulis B etiam et vepribus circum altaria horrentibus, comentes undique fratres famulique cum gloria magnæ laudis iterum in eo recondunt ossa pii pastoris XVII kalend. Novembris. *Posito, quod jam supra diximus, Rudolfum III id.* (XIII) *Julii anni* 923 *solium regale conscendisse, ex verbis Anonymi conjectare licet, eodem anno Dervenses patris sui translationem celebrasse : nuntiat enim Rudolfus illos* propere *ad sua redituros,* quod feliciter, *ait,* contigit : *nam ejus* formidine potestatis protinus exterrita *est omnis feritas barbarica. Atque hæc secunda est translatio corporis* S. Bercharii.

sæpius supplicantium ritu

97 *Nescio num aliqua deinceps a Dervensibus celebrata translatio sit usque ad* 1671 *; nisi fortassis quædam facta fuerit circa finem sæculi* X *; quando basilica nova, vetere destructa, erecta fuit ab Adsone et consecrata a Gebuino Catalaunensi episcopo* VIII *kal. Decembris anni* 998 (*a*). *Nihilominus aliquando ad varia loca exportatæ fuere sacræ Martyris Reliquiæ. Sic circa annum* 1020 gloriosus rex Robertus, *ait Anonymus noster num.* 33, apud villam, Aireyas nomine, noscitur concilium habuisse, ubi cum innumeræ plebis multitudines diversi utriusque sexus et ætatis concurrerent, ad cu- C mulandam quoque populi proficiscentis devotionem plurima Sanctorum corpora a fidelibus viris advehi coperunt. Inter quorum veneranda pignora, seniores nostri de sacro patroni nostri corpore non ignotas detulere Reliquias, convenienter in feretro ad earum translationem præparato. *Causam convocandæ synodi exprimit scriptor Historiæ episcoporum Autisiodorensium* (*b*) ; *scilicet* pro redintegranda seu firmanda pace ; *ast simul, ut loquitur chronicon Autissiodorense S. Mariani* (*c*) statuta sunt multa Ecclesiarum statui profutura. Aireyas, *quod etiam* Airiacum *dicitur* (Airy *vel* Arcy-sur-Cure, *departement de l'Yonne*) *Autisiodoro quatuor circiter milliaribus distat. Cæterum moris erat, ut testatur Glaber Rudolfus* (*d*), *ad conciliorum conventus* multa deferri corpora Sanctorum atque innnmerabilos sanctarum apophoretas Reliquiarum (*e*) *Huc referenda sunt, quæ e Martyrologio Autissiodorensi supra num.* 5, *exscripsimus.*

deportatæ Sancti Reliquiæ :

98 *Ter adhuc delatæ S. Martyris Reliquiæ nosscuntur, uti narrat Anonymus num.* 34 *et sequenti. Primo scilicet, grassante* prægrandi mortalitate, et utriusque dignitatis hominibus Sanctorum suf- D fragia quærentibus, *perductum est corpus* S. Bercharii super Blesam *fluvium ;* et Sancti cinere advecto fugit ipsa hominum mortalitas. *Secundo, eædem Reliquiæ portatæ fuere ad Summam Veram (prope Dervum) in ecclesiam S. Mariæ ; fatetur scriptor se non recordari,* qua pro causa devotio compulerit *solemnem hujusmodi supplicationem instituere. Tertiam tandem sacri corporis delationem auctor ipse testis oculatus describit num.* 36 : Non pluerat, *ait,* ab ipsis fere gloriosæ Dominicæ Resurrectionis diebus usque in Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hoc igitur infortunio non modice pavefactis omnibus, majores natu plebis hujus Ecclesiæ in unum conglomerati, expetunt Domini abbatis Brunonis præsentiam *(fortassis anno* 1053 (*f*) *quo siccitas magna fuit)* postulantes concedi sibi B. patris Bercharii corpus, quatinus liceret eis per agros suos et confinia famulari bajulatione illud circumferre, ut suo sancto interventu propitiatio cœlestis subveniret afflictis. *Consensit abbas : indicta solemnitate in festum SS. Apostolorum, ipsa die pluvia* diu negatam terræ infudit abundantiam, terraque frugum suarum E desideranti plebi parturivit copiam.

anno vero 1671 in novas capsas

99 *Neque aliud mihi occurrit circa Reliquias* S. Bercharii *usque ad sæculum* XVII, *cujus anno* XXVII *reconciliata fuit ecclesia Dervensis et iterum ejus altaria consecrata fuerunt ; erant quippe profanata per vastationem Calvinianam ; ignoro autem, num in hoc turbine e suo loco motum fuerit corpus S. Martyris. Ast e jam laudato manuscripto D. Grossard habemus ejusdem sæculi anno* LXXI *in novas capsas fuisse translatas Reliquias, cujus quidem visitationis et translationis processum, ut aiunt, verbalem, e Gallico in latinum idioma traductum, subjicimus ex eodem manuscripto.* Anno 1671 die Martis, trigesima prima die Martii, primo pontificatus Clementis X, XXVII Ludovici XIV regis Galliæ et Navarræ gloriose regnantis, indictione IX, nos monachi, prior et conventus abbatiæ B. Mariæ in Dervo, Ordinis S. Benedicti, congregationis S. Vitoni, personaliter præsentibus D. Gaspare Pesme, D. Francisco Faudel, D. Claudio Baupoil, D. Remigio Lemaire, antiquis religiosis, *(qui scilicet reformationem Congregationis S. Vitoni non receperat)* D. Bonifacio Peronne, priore, D. Ludovico de Recicourt, D. Mauro F Montignon, D. Clemente Michel, procuratore, D. Cypriano Loiselier, D. Huberto Mutel, secretario capituli, D. Andrea Caillet, D. Paulo Horguelin, D. Odilone Aubry, F. Antonio Cocquart, F. Adriano Lefebure, religiosis professis dictæ abbatiæ, constituentibus et repræsentantibus capitulum ejus.

repositæ; cujus

100 Juxta decretum capituli nostri jam pridem latum de visitando sacras Reliquias in ecclesia nostra asservatas in thecis et capsis ligneis, easdemque tranferendo in pretiosiores, quas fieri curavimus ad honorandum Deum in Sanctis suis, eorumque auxilium implorandum, hesterna die trigesima hujus mensis aperuimus dictas thecas, et per instrumenta et inscriptiones recognovimus in illa, quæ S. Bercharii dicebatur, sacra ossa ejus involuta telæ damascenæ rubræ, excepto capite, quod capiti argenteo inclusum est..... Invocato dein Spiritu Sancto, et recitatis precibus præscriptis, præsentibus pluribus ecclesiasticis viris et ingenti multitudine populi tum Dervensis, tum finitimorum locorum,

(*a*) Gall. Christ., t. IX, col. 871. — (*b*) D. Bouquet, t. X, p. 172. — (*c*) Ibid., p. 275. — (*d*) Lib. IV. Hist. cap. V. D. Bouquet. Ibid., p. 49. — (*e*) Cfr Chron. S. Petri Vivi Senon. D'Achery, t. II, p. 474. — (*f*) Chron. Fontanel. App. apud D. Bouquet, t. XI.

cum

A cum omni qua potuimus reverentia et ceremoniis in simili casu consuetis, fecimus translationem dictarum sacrarum Reliquiarum... Ordinavimus deinde processionem generalem per vicum Dervensem, in qua istæ sacræ Reliquiæ solemniter delatæ fuerunt. In quorum fidem, postquam nos, monasterium nostrum et quidquid illi cedit, Dei Sanctorumque suorum (quorum, Reliquiarum nos sequestros, divina majestas facere dignata est,) præsidio et tutelæ commendavissemus, hoc instrumentum scribi curavimus et manu nostra secretariique nostri munivimus. *Sequuntur nomina supra citata.*

translationis exhibetur instrumentum.

101 Hodie, ultima die Martii MDCLXXI, hora decima matutina Michael Braudy et Nicolaus Regnault notarii regii in ballivatu Calvimontensi, requirentibus Dominis venerabilibus religiosis, priore et conventu abbatiæ B. Mariæ Virginis in Dervo, consistentes in ecclesia dictæ abbatiæ in facie altaris majoris, in quo erant thecæ, quibus nunc Reliquias supra expressas imposuerunt, requisiti fuimus instrumentum actorum conficere : quod illis dedimus ad effectum prout de

B jure, præsentibus : D. Alexio Bruaux subpriore in Montier-marcy, D. Francisco Grignon, monacho ejusdem abbatiæ, DD. Nicolao, Joanne et Ludovico de la Marche, D. Lud. Parison, presbytero curato, D. Edmundo Renaudot, Claudio Hurlot, Ludovico Abreveux, Adriano Francisco Philiberto Martinet et Ludovico Baudry, notabilibus incolis loci Dervensis, et D. Joanne Potaye Ballivo in Chavange ; qui omnes nobiscum Notariis manu sua firmaverunt instrumentum in theca S. Bercharii reconditum. *Itaque usque ad motus Gallicos et omnium monasteriorum eversionem corpus* S. Bercharii *in ecclesia Dervensi, caput quidem in scrinio argenteo, reliqua ossa in theca asservata fuerunt ; quod quidem pro suo tempore testatum nobis reliquit Joannes Mabillon* (*a*).

Anno 1829

102 *Quomodo vero hæc sacra pignora in mediis posterioris ævi turbinibus servata fuerint, explicant instrumenta ad nos transmissa per RR. DD. Favrel, vicarium generalem Diœcesis Lingonensis et Gérard, parochum in Dervo, quorum eximiæ benevolentiæ iterum iterumque impense gratias agimus. Duplex coram habeo instrumentum : unum catalogum Reliquiarum exhibet ; alterum continet approbationem Gilberti Pauli Aragonès d'Orcet, tunc Lingonensis episcopi. Utrumque e gallico latinum facio. Prius declarationem Reliquiarum continet et sic sonat* : Anno millesimo octingentesimo vigesimo nono, prima die Junii, nos infrascripti Joannes Baptista Drion Parochus in Dervo , Claudius Drion Clericus tonsuratus, Edmundus Ogé sacristanus et organædus, Joannes Baptista Moraux ludimagister, Stephanus Augustinus Bouillevaux et Alphonsus Petit, ambo choristæ Parochiæ S. Remigii in Dervo, præmisso serio examine, certi facti sumus, quod ex omnibus Reliquiis, quarum mentio fit in variis catalogis diversorum annorum, non aliæ notas probabiles et authenticas, quibus fides adhibenda sit, habeant quam in majori scrinio corpus integrum Sancti

C Bercharii.... (*sequitur declaratio aliarum Reliquiarum in variis scriniis, thecis et feretris*) : in theca portatili, caput S. Bercharii.... signatum erat ; Ogé, C. Drion, Moraux, Bouillevaux, Drion.

visitatæ

103 *Jam indicavi supra num.* 89 *aliquas* S. Bercharii *Reliquias Castrivillani olim fuisse : hinc quando dicitur* corpus integrum *S. Martyris in Dervo reperiri, intelligendum est de potiori ejus parte. Suprascriptam declarationem ratam habuit Lingonensis episcopus Paulus d'Orcet instrumento sequenti* : Gilbertus Paulus Aragones d'Orcet, miseratione divina et sanctæ sedis apostolicæ gratia Episcopus Lingonensis. I. Viso processu verbali de statu Reliquiarum ecclesiæ Dervensis, et signis authenticis, quibus, post serium examen, munitur : II. Viso quod scrinia tam majora quam minora et aliæ reliquiariæ thecæ, non possunt esse et reapse non sunt, juxta unanimem opinionem parochianorum et finitimorum, aliud quam pretiosa hæreditas, quam antiqua et celebris abbatia Dervensis, una cum nomine et templo, reliquit parochiæ, quæ utroque etiam hodie gloriatur : III. Visa verificatione facta per D. Donadéi, vicarium nostrum generalem et archidiaconum districtus Vassiacensis, cujus relatio nihil omittit quod conferre potest ad stabiliendam aut potius confirmandam authenticitatem thecarum et Reliquiarum in eis contentarum, scilicet, acta authentica etiam Notarii manu firmata conservationis et translationis earumdem, quæ fecerunt in favorem parochiæ monachi, antequam discederent ; acta etiam post discessum monachorum E confecta a magistratu civili et ecclesiastico tum ad easdem conservandas, et eripiendas latrociniis rebellium, qui vasa pretiosa exigebant ad monetam cudendam, tum ad easdem reponendas in sepulcrum sive sacellum, unde vi extractæ fuerant.

AUCTORE J. V. H.

S. Bercharii Reliquiæ

104 Attento quod universus populus honorat adhuc, sicut semper honoravit dictas sacras Reliquias, et si inscriptiones singulis appositæ non muniuntur iis litteris authenticis, quæ veneration-em olim conciliarunt, in causa est rabies persecutorum illas destruentium post dispersionem piorum cœnobitarum, qui illas conservabant, tamquam certissimum præsidium devotionis in illis repositum : attento insuper quod titulus scriptus desinit esse necessarius, quoties adest possessio immemorialis, pacifica et omnino publica, et quod veneratio dictarum Reliquiarum nullum detrimentum passa sit ex destructione titulorum : attento etiam quod si per errorem involuntarium, alicui ex dictis Reliquiis affixa fuisset inscriptio ad alias pertinens, non esset cur veneratio unicuique earum debita denegaretur, saltem in quantum in eadem theca conjunctæ reperiantur: F attento demum, quod si contra omnem veri speciem, irrepsissent, tam in scriniis quam in thecis, quæ omnes varias Reliquias continent, aliquæ particulæ minus certæ, quam aliæ, quibus utpote authenticis, absque piaculo cultus debitus denegari non potest, tamen ejusmodi cultus habendus non esset tamquam superstitiosus, utpote qui exhibetur in globo omnibus quæ sancta et sacra continentur in dictis scriniis et thecis : attento tandem, quod si consequenter ad supra dicta, aliqua particula sola reposita in scrinio, dubium quoddam excitaret, posset conjungi cum una, quæ nulli dubio subjaceret, ita ut theca hujusmodi tantam fidem excitaret, quam aliæ, quæ sunt in simili casu :

ab episcopo Lingonensi,

105 Hinc nos moti sensu tum justitiæ erga Sanctos, quorum hæ sunt Reliquiæ, tum caritatis erga fideles, qui tanti eorumdem veneration-em faciunt, (involutis prævie in pannos sericos Reliquiis iis, quarum authenticitas dubia erat, ut sic reconderentur sub altaribus dictæ ecclesiæ aut in parte inferiori scrinii majoris) et ut Sancti, quorum hæ sunt Reliquiæ non defraudentur cultu juste illis debito a fidelibus, qui eosdem elegerunt aut eligent in suos patronos, et ut illis,

qui

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 843.

AUCTORE J. V. H.

qui ad dictos Sanctos eorumque sacras Reliquias recurrent, nihil juris quod sancta Ecclesia concedit, depereat, quoties vera et rationabili devotione ad Sanctos eorumque Reliquias confugiunt; permisimus et per præsentes permittimus, ut omnes Reliquiæ, quarum mentio fit in præsenti processu verbali, porro exponantur venerationi publicæ; et volumus ut nullo umquam tempore, nulloque prætextu fraudentur honore illis debito. Insuper, ut idem cultus extendi et sufficere possit pietati fidelium, qui eum in suam ecclesiam inducere vellent, per præsentes concedimus D. Drion hodierno curato dictæ parochiæ, quotiescumque alicui personæ aut ecclesiæ utile judicaverit, facultatem extrahendi particulas dictarum Reliquiarum, ast una dumtaxat vice in præsenti rerum adjuncto; non intendentes concedere eidem jus aliquod ordinarium, imo e contrario volentes, ut non possit authenticas litteras tradere de iisdem Reliquiis, quin specialem faciat mentionem se non extraxisse, nec potuisse extrahere, nisi vi specialis et transitoriæ facultatis, quam eidem fecimus per præsentes : ita tamen, ut si
B utile judicaverit, possit eamdem facultatem petere a nobis aut successoribus nostris. Apographa singularum authenticarum litterarum affigentur tum dicto processui verbali et includentur in unaquaque theca. Datum Lingonis sub signo, sigilloque nostro, et sub signo secretarii nostri die XXIII Octobris MDCCCXXIX. Signatum erat : † G. P. Episcopus Lingonensis. De mandato, Rieusset.

itemque anno 1838.

106 *Confirmavit citatum diploma prædecessoris sui hodiernus episcopus Lingonensis Illustrissimus ac Reverendissimus D. Petrus Ludovicus Parisis, litteris sequentibus :* Nos Episcopus Lingonensis in actu visitationis parochiæ Dervensis, visa recognitione SS. Reliquiarum in ecclesia dictæ parochiæ asservatarum, facta per unum e prædecessoribus nostris; inventa quoque in thecis, in quibus ossa sacra deponi curaverat, magna parte eorum, de quibus mentio fit in processu verbali, qui instrumento dictæ recognitionis præfigitur; sigillo nostro munivimus I. magnum scrinium ligneum cum vitro in antica facie, expositum supra altare in xysto *(galerie)* sanctuarii; II. Duo
C scrinia minora, ante et retro vitro munita; et ordinarie recondita intra altare B. Mariæ Virginis. Confirmamus et prorogamus concessam a dicto prædecessore nostro licentiam exponendi dictas Reliquias venerationi fidelium. Datum Dervo monasterio XXI Maji MDCCCXXXVIII. P. L. Episc. Lingonensis. *Hæc omnia instrumenta concordare cum suis originalibus attestatur* die XII Februarii 1842 J. P. Gérard Curatus in Dervo monasterio.

Status hodiernus cœnobii Dervensis.

107 *Magnificum olim Dervense monasterium tempore turbationis Gallicæ ad duas tertias partes destructum est, quæ vero post vastationem superstes remansit hodie stabulum est equorum admissariorum* (Haras). *Felicior fuit sors ecclesiæ abbatialis sub SS. Apostolorum Petri et Pauli invocatione dedicatæ : scilicet, eodem tempore destructa parochiali ecclesia sub titulo S. Remigii, parochiani abbatialem emerunt, qua hodie utuntur sub patrocinio SS. Remigii et* Bercharii. *Liceat tandem coronidis loco completam facere Dervensium abbatum seriem, qualem exhibet Gallia Christiana* (a) : *Claudium Antonium de Choiseul-Baupré excepit Antonius de Lastic, episcopus Convenarum ; sed paucis post mensibus mortuo successit Antonius Eleonor Leo le Clerc de Juigné anno* 1781, *translatus a sede Catalaunensi ad Parisiensem archiepiscopatum. Seriem abbatum claudit Anna Antonius Julius de Clermont-Tonnerre, et ipse Catalaunensis episcopus consecratus anno* 1782, *dein, renovato Ecclesiarum ordine et statu, archiepiscopus Tolosanus et S. R. E. Cardinalis.* D

(a) T. IX, c. 909 et seqq.

VITA S. BERCHARII

ABBATIS DERVENSIS ET MARTYRIS

AUCTORE ADSONE, ABBATE DERVENSI.

Ex editione Nicolai Camuzati in Promptuario Ecclesiæ Tricassinæ, et Joannis Mabillon in Actis SS. Ordinis S. Bedicti ; collata cum codice Aquicinctino.

PROLOGUS. E

Cur Adso hanc Vitam conscripserit.

Cum gloriosas virorum illustrium palmas, ac præmia meritorum, sancta per orbem et universalis competentis obsequii functionibus sollemniter persolvat passim mater Ecclesia Catholica ; nos quoque pro infructuosi ignavia silentii multandos fore arbitror, si gesta ejus lateant, cujus specialiter apud nos et virtutum exuberat copia, et sanctæ institutionis refulgent incrementa : præcipue cum facta præcedentium, salutis sit materies ad memoriam relata posterorum. Actus igitur ac laborum certamina B. Bercharii abbatis et Martyris gloriosi summatim perstringere cupientes, tanto difficilius hanc narrandi materiam sumimus, quanto ad explicandam hujus operis magnitudinem nos impares esse sentimus ; sed non est illi difficile elinguem in verba resolvere, quem constat muta etiam elementa consonis vocibus sollemniter prædicare. Ea itaque prosequi intendimus, quæ vel ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis, ætati nostræ perferri * potuerunt. * proferri *A. C.* F

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *S. Bercharii ortus, prima institutio apud parentes et S. Nivardum : monachatus Luxovii.*

S. Bercharius Aquitanus,

Prioris monimenta temporis pagum Aquitani cum ortus ejus tradidere ac generis fuisse exordium. Parentes ejus vita venerabiles et valde religiosi in vita sua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati *, et (quod longe est excellentius) quodam singularis innocentiæ ac inter suos felicium proventuum privilegio insigniti ; qui cum conjugalis pudicitiæ jura fidei integritate servarent, commodis temporalibus præcellentes, divinorum tamen operam pia intentione studio * perflagrantes, supernæ dispositione clementiæ tantam ac talem meruerunt sobolem accipere, cujus institutione et meritis in cœlestibus castris niveas * militantium innumerabilis multitudo bonorum fructuum palmas perferret, et multiplex antiqui deceptoris versutia, ablatis

* locupletati *A.C.*

* studioque *A. C.*

* nivea *A. C.*

fidelium

A fidelium animarum spoliis, deperiret. Quod facile est deprehendere, si quis altioribus abstinens, hæc pauca in consequentibus dignetur advertere. Cui videlicet ex matris utero cum divini jam tunc sanctificatione muneris in luce prodeunti, more Aquitanico Bererum * a parentibus inditum constat fuisse vocabulum, tamquam ab ipso jam nascendi exordio bonæ hereditatis herum.

* Hererum *A. C.*

natus parentibus opulentis,

2 Eo tempore Francorum imperium rege Childerico * *a* felicissime disponente, viro quidem rebus bellicis potentissimo, circa * ecclesiarum autem Dei cultum devotissimo, B. pontifex Nivardus *b* sanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famosissimus, apostolica auctoritate cœlestem in terris vitam agens, sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. Qui, quia esset plenus auctoritatis et gratiæ, cum peteretur quoque diversas terrarum vel nationum tam pro vitæ merito, quam etiam doctrinæ affluentis eloquio, partes invisere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetisse, atque ad illud usque prædium traditur pervenisse, in quo viri Dei parentes videbantur propria statione recedisse. Nam inter

* Chilpericum *A. C.*

a

* in.... cultu *A. C.*

b

B cetera quæ ex dote supernæ dispensationis hic vir sanctus acceperat, non mediocribus quoque paternæ hereditatis titulis a progenitoribus temporaliter etiam certum * est floruisse, quod videlicet, si quis diligenter velit, in promptu est agnoscere, cum pœne usque ad hæc nostra tempora ejus juris villas et prædia tam ultra Ligerim, ubi Diseias *c* dicitur, quam etiam intra fines Aquitaniæ constituta, hi qui sibi in monasterii sui regimine probantur successisse, per longa temporum curricula jure quieto visi sunt possedisse. Sed ingruentium causa malorum, partim negligentia torpentium, partim etiam crudeli perversarum infestatione gentium videntur amissa, quæ quondam monachorum fuerant usibus attributa.

* certus *A.C.*

c

litteris prius in patria imbutus,

3 Sed, ut ad id quod cœpimus exsequendum redeamus, cum prædictus pontifex sanctus, a viri Dei parentibus debitæ venerationis liberalitate, ut par erat, officiosissime susceptus, quamdam * futuræ habitudinis speciem miraretur in puero boni operis candidato, divino instinctu sacris mysteriis eum applicandum esse præcensuit. Hac itaque sanctissimi pontificis auctoritate animati

* quemdam... spe... candidatum *A. C.*

C devotissimi genitores, infra teneros annos exactæ infantiæ, temporis opportunitatem * nacti *, litteratoriæ * professionis salutaribus disciplinis mox mancipandum esse decernunt; in quo præeunte supernæ illustrationis munere *, cum sacræ institutionis instantia spiritualium etiam donorum fulserunt incrementa. Qui scilicet non otiose passus illa de lucidissimo litterarum fonte commercia sub ætatis teneræ crepundiis ardentius aggregare, quibus postea in virile robur adsurgens, et sibi et aliis ad mensuram Dominicæ dispensationis potuisset prodesse. Ita jam tunc puerilis inconstantiæ motus, quibus sæpe illa ætas labilis et fluxa resolvitur, rigore virtutis ingenitæ et moderaminis justi componens honestate, ut præter hæc, quibus addictus * fuerat litterarum conamina; nil in se aliud residere pateretur, nisi forte dum aut opera pietatis ageret, aut certe, prout natura concesserit, sacris orationum exercitiis devotius insudaret.

* opportunitate subeunte *A.C.*

* *deest* nacti *A. C.*

* clericalis puerum *A.*

* providentia *A. C.*

* intentus *A. C.*

ad S. Nivardum episcopum

4 Igitur dum * puer sanctæ indolis, tam scientia quam virtute animi cœvos suos brevi præcederet, atque paulatim bonæ intentionis primordiis ad cœlestis militiæ perfectius tirocinium decrevisset intendere; supernæ vitæ æstuantis animi desiderio cœpit altius adspirare, terrena-

* cum *A. C.*

rum rerum contemptu sufficiens, atque ea, quæ ad virtutum incrementa respiciunt, perennis intuitu gloriæ totis nisibus attentans *, æterna præ oculis indefessa * constituere, peritura manentibus compensare, diversis afflictionum generibus affectionum carnalium molimina coartare, atque adolescentiæ gressus, divini amoris virtute roborare. Spretis deinde propinquorum et patriæ retinaculis, diligenter replicans, quia qui novæ conversationis rudimenta suscipiunt, tamquam peregrinos et advenas non cives suos mundus adspiciat *; præfatum Sanctissimum Nivardum Remorum pontificem flagrat ardore * expetendi. Qui, sicut diximus, apostolicæ institutionis prærogativa suffultus, nobilitatis honore clarissimus, variis virtutum generibus adornatus, inter Francorum proceres primus in aula regis, vita et conversatione dignissimus fulgebat.

AUCTORE ADSONE.

* acceptans *A. C.*

* *addit* cœpit *A. C.*

* se esse pro certo aspiciant *A. C.*

* amore *A.C.*

Remos pergit,

5 Per id temporis ea civitas Sanctorum stipata cohortibus, et licet inter militares alas sub principe suo Childerico, capiti tamen suo consona, divini amore cultus urbs populosa spirabat. Hujus itaque tantæ opinionis gratia provocatus felix adolescens Bercharius, ecclesiasticis sacramentis, fide, habitu et actu aptissimus, cum illo beato sene, cui jam pridem dictum a Domino fuerat: Egredere de terra et de cogitatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, et faciam te crescere in gentem magnam, * fidem particiE pans et meritum, cognationem relinquens et patriam, post longi laboris excursum, fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo pontifice civis * felicissimus (ut patulum est in sequentibus deprehendere) sanctæ Remensis Ecclesiæ, in augmentum videlicet operationis divinæ, quam Domini omnipotentia Redemptoris in lucrandis fidelium animarum quæstibus per hos duos synergos * felicissimos præordinaverat adimplere.

* *Genes. cap.* XII ℣℣. 1 *et* 2.

* pater *A. C.*

* proceres *A. C.*

6 Hic igitur beatus pontifex, ut semper optaverat, tali ac tanto suppare adepto *d*, quoniam ipse exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ dispositionis consiliis et actibus frequenter interesse, pontificalis providentiæ pondus volens nolensve cœlesti ordinatione perferre, ministerium sibi injunctum, tum publice tum privatim increpando, arguendo, obsecrando, ut perfectus agricola, sedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore atque in divinis operibus devotissimo consorte. Quapropter cupiens eum undecumque perfectius erudiri, sanctioribus ac religiosioribus divinæ scientiæ viris, quos sibi undique collata familiaritate addiderat, copulandum esse constituit, ut videlicet plurimorum instituentium auctoritate disceret, quod postmodum plurimis ministraret. Inter quos tunc temporis in regis Francorum aula præpollentis beatissimi Remacli *e*, procuratoris quidem sacri scrinii palatii, prudentiæ et sanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio veneranda; qui scilicet vir inclytus, Confessor postmodum Domini gloriosus, multis signorum virtutibus approbatus, placidus cunctis, benignus universis, in prosperitate modestus, in adversis patientissimus, vita laudabilis, eloquio affabilis, sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna semper ab oculis non averteret.

a quo erudiendus Remaclo traditur;

d

F

e

7 Hujus talis ac tanti viri sacri institutionibus *, rore superni nectaris illustrandum B. Bercharius, nutu prædicti pontificis, se maluit pro tempore ire copulatum, ut in quo perfectam doctrinæ scientiam intellexerat, ipse quoque per hunc ætatis suæ ac morum imbecillitati consulens, non

hinc Luxovii i

* pio consortio *A. C.*

tam

AUCTORE ADSONE.

tam scientiæ, quam sanctæ puritatis commercia reportaret. Interea cum beati viri justus adolescens per aliquod tempus magisterio frueretur, et cœlestis pro viribus prælibasset haustum sapientiæ, Luxoviense monasterium accepto tulit expetere, quoniam B. Columbani districtis commendata regulis, ad se perlata fuerat fama religionis. Erat enim eo tempore in cunctis Galliarum partibus hoc cœnobium cum in multimodis rerum possessionibus, tum etiam divinæ venerationis cultibus nomen singulare habens, quod illic et districtior institutio, et studium sapientiæ plenius haberetur : quem videlicet miræ spectationis * locum idem B. Columbanus pater in vasta Vosagi eremo a fundamentis construxerat, inventis antiquissimi operis ædificiis cum aquis naturæ ferventibus e terræ venis ultro prodeuntibus, ubi et ipse postmodum, aggregato fidelium numero sexcentorum ferme monachorum rector exstitit, longoque tempore eidem monasterio nobilissime præfuit, multisque miraculorum signis in eodem loco claruit, donec Brunechildis *f* regina impiissima, eo quod duos filios suos quos ex adulterino Theodorici nefandi regis, filii videlicet regis Sigeberti, conjugio susceperat, suo colloquio et benedictione indignos judicasset, ab eo loco, instinctu diabolico, proturbavit. Qui non sine magno mœrore et luctu omnium recessurus inde, Eustasium virum æque sanctissimum dignitate generis et vita illustrissimum, quem ipse pago oriundum Lingonico * a puero instituerat, eidem numeroso fratrum collegio rectorem præfecit. Inde Italiam expetens, Bobiense cœnobium *g* non minus decenti opere statuit, in quo consummatus virtutibus, beato fine quievit.

* *deest* in *A. C.*

* dispectationis *A. C.*

f

B

* *addit* honeste *A. C.*

g

monasticam vitam profitetur,

8 Sanctus vero Eustasius loco Patris residens, non minimam monachorum multitudinem in Domini servitute verbis et exemplis præmuniens, nominis et meriti magistri heres exstitit. Audita igitur fama tanti nominis, viri religiosi illuc undecumque confluunt, se suosque liberos plurimi certatim imbuendos offerunt, illud ante omnia ducentes permaximum, si vel post longævam probantis injuriæ tolerantiam, quodammodo admitti mereantur in congregationem. Jam vero quis locus vel civitas non gaudeat, ex beati viri disciplina rectorem habere pontificem vel abbatem, cum constet ex hujus virtute magisterii pene totum Francorum orbem decretis regularibus fuisse primum decenter illustratum ? Bercharius itaque famulus Christi * ad altioris vitæ semper instituta conscendere desiderans, pontificis sui auctoritate et gratia, celeri gressu ad locum hunc pro voto properat, præfati patris *h* alacritate condignus approbatur, * sanctæ monachorum cohorti, non tam corpore quam mente et actu sociatur.

C

* Dei *A. C.*

h

* *addit* et *A. C.*

et virtutibus,

9 Susceptus autem in commune cum ceteris, aggressusque denuo tamquam athleta recentissimus militiæ gymnasium cœlestis, præteritorum immemor certaminum, et quasi qui virtutum in scammate * positus, ad perfectionem pugnæ nihil plene ante peregisset ; cœpit rursus divinis operibus spiritum coercere * ; veluti eum cerneres monasticæ districtionis tunc primum rudimenta suscepisse, seipso semper validior, et gratia supernæ illustrationis vitæ præcedentis qualitate jucundior. Jam vero stili non patitur opera, quanta in viro Dei fuerit humilitas, quanta virtus obedientiæ, quanta modestiæ gravitas, quanta caritas, quanta benignitas, quanta mansuetudo, quanta etiam patientiæ fortitudo. Obedentiæ sibi injunctæ negotium ita jubentis percurrit imperio, ut mentem in sublime dirigens, nec laudis humanæ compendia quæreret, et suæ præmium gloriæ, rei pereuntis pretio nullo compensaret. Studebat etiam aliorum consideratione seipsum despicere, et cum apud se cunctis judicaretur inferior, in humilitatis tamen culmine certabat omnibus inveniri sublimior : mœstissimum revolvens, si quis * in illo sancto collegio aliqua fortia attrectaret, quæ ille, favente Dei gratia, segnius attigisset.

* congressu *A. C.*

* exercere *A. C.*

D

* quilibet *A. C.*

10 Traditur siquidem per id tempus, hunc in eo loco factum aliquando ministrum a caliculis in curam promptuarii, rectoris nutu, vicibus successisse. Cumque ille hanc officinam corporum * dispensandam acciperet, quippe quem strenuum ad omnia sancta obedientia fecerat, quæ commissa fuerant prudenter inferebat. Quadam vero die, dum talibus tenetur implicitus, jussu patris est subito vocatus. Forte ille tunc promptuarium ingressus, ante vas steterat et sudem, quæ vulgo ducidulum a potu scilicet educendo dicitur, in manu tenens, cerealem amphoræ potum infundebat ; mirum dictu ! ad unius jussionis nutum, audito abbatis nomine, relictis quæ habebat præ * manibus, concitus cucurrit, oblitus ardore obedientiæ et vasis observantiam et amphoræ cautelam. Cumque vocatus adstaret ante abbatis præsentiam, interim potus ille in vasculum non cessans defluere subter positum, postquam ad superficiem vasis pervenerat, in modum columnæ superne constipatum in gyrum coronari cœpit. Ultro cerneres illud genus liquaminis, quod vix claustris * contineri valeat, ut quondam, Dei transeunte populo, absque littoribus Jordanis fluenta in sublime tolli : ut liquido patesceret, quanta esset virtus obedientiæ, cujus fructus nullomodo possit in terram deperire. At vero ille non sine abbatis admiratione reversus, factum stupuit, quod prius potuisse a se fieri omnino non præsumpsit : tamen vir ille sanctus hoc quod acciderat non suo, sed totum abbatis sui merito deputavit.

maxime obedientia, eminet.

* *addit* fratribus *A. C.*

* in *A. C.*

E

* clausum *A. C.*

ANNOTATA.

a *Quo sensu ætas* S. Bercharii *cum regno Childerici II, qui ab anno* 660 *ad* 674 *regnavit, conjungatur, explicuimns in Commentario prævio num.* 22 *et sequenti.*

F

b *Colitur S. Nivardus seu Nivo Remorum archiepiscopus die* I *Septembris : vide ejus Acta ad illum diem* (*a*).

c *De situ loci natalis* S. Bercharii, *qui hic* Diseias *dicitur, in charta ipsius Sancti* Diseium *appellatur, vide Commentarii prævii num.* 20. *Cæterum ex Adsone liquet, jam sæculo* X *donationem* S. Bercharii *Dervensibus factam periisse.*

d *Aliter habet codex Aquicinctinus :* Quoniam ipse in exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis contra voluntantem suam multotiens implicatus, atque regiæ dispositionis consiliis, ministerium sibi divinitus injunctum, tum publice, tum privatim....

e *Commentarii prævii num.* 29 *monstratum est, Remaclum, de quo in Vita, non esse confundendum cum Sancto homonymo episcopo Trajectensi et fundatore monasterii Stabuleti et Malmundariæ, qui colitur die* III *Septembris, cujus Acta vide ad dictum diem* (*b*).

f *Omnia hic confundit Adso : nam Brunechildis Theodorici II avia erat, uxor autem Sigeberti I, regis Metensis : Jonas scriptor coævus in Vita S. Columbani num.* 32 (*c*) : Evenit ergo, *ait*, ut quadam

(*a*) T. I Septemb., p. 267. — (*b*) Ibid., p. 669. — (*c*) Ap. Mabillon. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 18.

die

A die B. Columbanus ad Brunechildem veniret; erat enim tunc apud Brocariacam villam. Cumque illa eum in aulam venisse cerneret, filios Theodorici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit : quos cum vidisset, sciscitatur quid sibi vellent. Cui Brunechildis ait : Regis sunt filii, eos tu benedictione robora. At ille : Nequaquam, inquit, istos regalia sceptra suscepturos scias, quia de lupanaribus emerserunt. *Cæterum sancti viri severitas causa fuit expulsionis. Colitur S. Columbanus die* XXI *Novembris.*

g *Jam in Vita S. Galli ad caput* II, *nota* a *egimus de tempore fundati Bobiensis monasterii. Est autem* Bobium *civitas episcopalis sub metropoli Genuensi, caput districtus cognominis, in hodierna partitione Genuensi : incolas* 3743 *complectitur* (*a*). Henricus sanctus imperator, *ait Ughelli* (*b*), ibidem episcopatum instituit perpetuum *(temporaneus enim Bobiensi populo datus ante fuerat episcopus)* de licentia comprovincialium episcoporum, Benedicto VIII Pontifice annuante, anno 1014, ut Ditmarus refert lib. VII. *Sedes episcopalis primum immediate Romano Pontifici, dein Ravennati archiepiscopo et tandem ab anno* 1133 *ad nostra*
B *usque tempora metropolitano Genuensi subjecta fuit ; attamen concordato Pedemontano anni* 1803 *suppressa fuerat sedes Bobiensis, restituta dein per litteras apostolicas datas* XVII *Julii* 1817.

h *Colitur S. Eustasius die* XXIX *Martii : vide Acta Sanctorum ad illum diem* (*c*). *In Commentario prævio num.* 36 *ostensum fuit Eustasio substitutum esse S. Walbertum seu Waldebertum, qui, mortuo S. Eustasio anno* 625, *per* XL *annos Luxoviensibus præfuit : confer ejus Acta ad diem* II *Maii* (*d*).

CAPUT II. *Luxovio redux fundat cum S. Nivardo monasterium Altivillariense.*

S. Bercharius monasticis disciplinis eruditus,

Ita vero cum jam esset regularis adprime disciplinis edoctus, divinæ militiæ in utramque partem armis præmunitus, ut videlicet per hæc, quæ longo exercitio didicisset, in lucri Dominici dispensationem jam plurimorum saluti consulere potuisset ; in provinciam Remorum ad S. Nivardum pontificem revertitur, qui tam virtutibus quam rebus, ut diximus, supra gregis sui custo-
C diam vigilans, hostis insidias relidebat, atque ecclesiasticam dignitatem profusis successibus ampliabat : cuique olim, volventibus annis, divinæ inspirationis instinctu hic ardor sensibus inerat, uti in quolibet suæ diœcesis contubernio, eo loci ad serviendum Deo viventi domum construeret, ubi rerum competentia aptiora divinæ servitutis commoda prætulisset. Illa erat in hac deliberatione morarum causa permaxima, quoniam deesset persona voti ad id agendum socia, quæ ad desiderium suppleret pontificis, et strenua in Dei rebus inveniretur instantia suscipiendæ tantæ collaborationis. Sed diu in dubio suspensus animus nequaquam frustrari potuit spe jampridem conceptæ intentionis. Bercharium itaque præripit, voto applicat, consultu præeligit, virum quidem in Dei rebus idoneum, religione præditum, animo efficacem, exteriorum experientia non minus agilem quam prudentem. Cumque per id temporis urbs illa, ut diximus, et multorum floreret ingenio et in admiratione reipublicæ, divinorum operum insignis haberetur commercio, hunc tamen solum, hunc sibi adsciscit præcipuum, cui consona auctoritate et merito futuræ fabricæ curam deponeret, et sane dispositione consilii omni illi structuræ specialiter præficien dum decerneret. AUCTORE ADSONE.

12 Prædium est publicum in pago Remensi, octo millibus ab urbe disparatum, cui videlicet ævo præcedenti Sparnacus *a* nomen fuisse constat impositum, quod olim quidem, tempore scilicet Chlodovei Francorum magni principis, quem Beatus Remigius apostolica auctoritate et præditus et probatus, doctrina et virtutibus magnificus, cum suo exercitu, ut in gestis ejus legitur, angelico ministerio sacro chrismate aquæ regenerantis illinierat, idem pater mirificus non modicæ quantitatis pretio adquisierat, ac Remensem Ecclesiam, cui, auctore Deo, præsidebat, heredem constituerat *b*. Denique gloriosissimus Dei pontifex Nivardus postoralis sollertiæ condigne administrans officium, tum ad alia suæ diœcesis loca invisenda, tum quoque ad hunc sæpe vicum egrediens, non tam propriæ causas agebat utilitatis, quam cunctis se affabilem quoque exhibens, salutem subjectorum sedulus impendebat. Cumque dies ac noctes * ædificandi cœnobium E in aliquo prædiorum suorum, quibus nobiliter * temporali quoque * emolumento pollebat, desiderii continuatione pervigiles duceret, assumpto * suo illo, ut sæpe solebat, domestico Beato Bercharío causa exstitit, qua præfatum vicum expetere pro more cogitaret. Hujus processu itineris, quo ad eundem vicum, Maternæ fluminis litoribus contiguum, tenditur, quidam sui juris locus erat gratissimus, qui, paululum reducto sinu in montis latere amœnissimo * herbis virentibus aquarumque rivulis ex sublimi vertice leniter effluentibus, arboribusque ac vineis in declivi circumquaque constipatus, intuentium oculis oblectamenta præstabat.

a S. Nivardo eligitur

a

b

* plurimas cœnobii ædificandi *A. C.*
* *addit*, ut superius diximus *A. C.*
* *deest A. C.*
* secum *addit A. C.*

* amœnissimus *A. C.*

13 Sanctus igitur Pontifex hoc iter aggressus, cum jam eas partes per clivum montis attigisset, qua * decontra illa loci gradientis visibus se amœnitas propius objecisset, super equestre, quo ferebatur, vehiculum eo gravi sopore deprimitur, ut omni protinus eundi facultate proscriptus, symmistem suum * B. Bercharium inclamaret, omnemque illum equestrem, qui tunc forte se comitabatur, ordinem stare loco præciperet, et quibus ad soporem urgeretur stimulis patientius indicaret. Ecce, inquit, irruente soporis immanitate, F secus solito concutior : ita ut hinc gressum promovere, impotem me esse omnino confiderem *. Procuretur ergo fessis artubus inter hæc vireta amœnitas paululum divertendi, ut, redeuntibus per soporem viribus, cœptum reddatur facultas iter peragendi. Inter late patentia nemora diffusis frondibus, virentibus foliis, instanti rei grata fagus eligitur.

in socium ad fundandum

* ubi *A. C.*

* coactus socium suum *A. C.*

* considerem *A. C.*

Hæc alias inter tantum caput extulit alnos,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Huic itaque arbori ocius se subter injiciunt gratia quiescendi. Ita individui sui comitis B. Bercharii solo decumbentis festinans composito vertice gremio recipi, sternitur hic patulæ recubans sub tegmine fagi. Quid vero tunc miraculi cœlitus sit ostensum, stili duxi officio non improbe intimandum, ut supernæ illustrationis veritas ostenderet, qui essent, quos silvarum densitas obtexisset.

14 Interim pontifice quiescente, sanctus vir Bercharius in cœlum defixis luminibus adspicit subito aere per serenum conspicuo columbam e subli-

cœnobium, mirabili visione

(*a*) Vide : Informaz. Statistiche Censiment. della popolaz., p. 45. Torin 1839. — (*b*) Ital. Sacr., t. IV. col. 925. — (*c*) T. III Mart., p. 784. — (*d*) T. I Maji, p. 275.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ADSONE.

sublimibus descendere, niveo fulgore radiantem, atque eidem cui substrati manserant arbori leniter insidentem. Cumque in eam oculorum dirigeret aciem, diligenter explorare cupiens, quasnam in partes ales ille niveus * declinare decerneret, repente alarum soluto remigio, ab arbore cui insiderat prosilit, et rumpens aera vacuum futuræ spatium fabricæ circumvolans, locum, in quo cœnobium construi debeat, gyro designat, præsentia sanctificat; expleto hoc lustramine, rursus nota recipitur arbore. Cumque eosdem sui ambitus circulos cœli nuntius ad futuræ rei firmitatis indicium tertio repetisset, patenti* cœlo reconditur, et nihilominus hominibus in terra degentibus divinæ voluntatis præsagium aperitur, et novæ admirationis vestigium relinquitur. Intelligit hic vir sanctus, puro ut erat animo, signum esse cœleste, quo et dubitantium animi firmarentur, et diu dilatum opus in Dei servitute fundaretur *c*. O beatum virum cui ostenditur corporali intuitu angelicæ dignitas visionis, in specie columbæ rutilantis, ad comprobandum testimonium innocentiæ et puritatis! Est etiam in hac re illud quoque non minus admirabile, quia quod iste corporalibus deprehenderat oculis, hoc idem quiescens sanctus pontifex senserat sopore cœlestis visionis. Qui cum post aliquantulum perceptæ quietis spatium somno excitus, caput ab imis* superna revelatione prædoctus erigeret: O, inquit, votorum meorum compar fidelissime, quam gratum mihi est huc paululum gratia soporis pro tempore divertisse, quem constat per Dei gratiam tantæ revelationis mysterium cœlitus agnovisse. Ecce enim hic jam lætus progredior, cœlorum signa sequor, quod diu differens corde gestaveram, mirandæ visionis arcano maturius aggrediendum esse compellor; sed ne longius res inopinata te duxerit*, quid viderim patenter expedio.

15 Et prius præsentias hic esse domum Dei, ut felicissimo * quondam antiquo patriarchæ, et portam cœli * mihi indigno Christi * Domini famulo divinitus ostensam *. Nam mox submissis artubus, subito hic sopore præreptus, cum vix in utramlibet partem vis naturæ quiescentem impelleret, videre mihi videor a supernis, instar nivei candoris, speciem adesse columbæ, quæ post hujus arboris sessum, non incerta quo tenderet, locum hunc præpeti cursu volando præcingit, trinoque gyro æque peracto cœli cacumen tendit. Credo equidem hoc spei conceptæ proficuum a Deo portentum, ut quod erat voto susceptum, jam, cœlo præmonente, sit celerius exsequendum. Sancto hæc pontifice perorante: Me, inquit B. Bercharius, qui sancto viro gremii sui reclinatorium fecerat, quidquid, pater sanctissime, cœlesti prodigio in visione spiritus divinitus tibi testaris illatum, manifesta Dei virtute noveris etiam corporaliter fuisse conspicatum. His igitur alternis ita conserentibus*, altero quidem quod in somnis senserat, altero vero quod oculis corporeis adspexerat, res in prospectum deducitur, locum illum angelica perlustratione signatum ad agendum divinæ servitutis obsequium mira dispositione a Deo esse quam dignanter electum. Ita vero percepta tantæ revelationis de cœlestibus simul et consolationis gratia certiores utrique facti, et quod erat ambiguum, loci designatione specialiter edocti, inde ambo consurgunt, ac sic oculos antistes beatissimus in cœlum dirigens, illum protinus tota cordis intentione collaudans, gratias egit, in quem ab æterni Patris secreto Spiritus Sanctus corporali specie* in columba descendit, ac fluenta Jordanis sacri corporis tinctione in nostrorum ablutionem scelerum cœlo patente beavit.

16 Præcedente itaque in conditionem æterni tabernaculi tanto ac tali auspicio: Tibi, inquit ad B. Bercharium præsul eximius, tuæque industriæ hoc sanctum opus dispono committere, ut quem prudentia et sanctitate perfectum esse non dubitem, principem quoque in constructione cœlestis fabricæ te jure consciscam. Quod vir Domini, ardens ut erat, totis affluens in Dominum visceribus, cui inimica profecto omnis ignavia*, amica vero indefessa laboris efficacitas, libenter suscipiens tanto amplectitur desiderio, quanta in eo superna gratia meritorum excreverat magnitudo. Et quoniam seipsum jam * ante Spiritus Sancti templum virtutis effecerat, ipse quoque terrenæ molis pulcritudine templum Domino oculis etiam spectabile fundare exoptabat, confisus videlicet undique tam divino quam S. pontificis in cunctis auxilio. Nam et universis sui temporis Francorum regibus, episcopis quoque ac regiæ dignitatis proceribus tam gratum acceptabilemque eum certum est extitisse, ut si quid in divinis cultibus seu etiam terrenæ commoditatis opportunitatibus cordi esset, ab eis facile obtineret: quod in consequentibus quoque diligens lector suo loco patenter poterit invenire, si ea quæ diversis temporibus regiæ majestatis ac Francorum principum munificentia sibi concessa fuerint, recensere voluerit beneficia. Quorum videlicet fultus auctoritate et gratia, jam maturius componendæ fabricæ negotiis accingitur, copias sumptuum præparat, et universa quæ tanto operi necessaria videbantur sedulus * operator adsignat.

17 Itaque in supradicti prædio loci quod * in declivi montis latere (ut diximus) situm, reducto profusius sinu pulcherrimam blandientis amœnitatis planiciem reddit * atque in prospectu suo subjacentia Maternæ fluminis longe lateque litora circumdespicit*, mulcenti quadam visionis voluptate compellat, ab antiquo * Altum villare nomen acceperat, angelicæ designationis spatium, ut cœlitus ostensum fuerat, murorum ambitu jactis fundamentis complectitur, omnesque illius parietes ædificii ad modum columbæ in aere permeantis suspecta permensione metatur. Nec ante divini cultoris opera destitit, donec, superna annuente Providentia, Childerici etiam regis Francorum ac sacri antistitis opitulante clementia, opus quod ad laudem Dei susceperat optata perfectione compleret *d*. Ea vero arbor, quæ quondam opulentissima fagus * steterat, in qua columba cœlitus emissa pridem resederat, ac suo gyro situm monasterii volando expresserat, habita deliberatione succiditur, et collatis in commune omnium votis in loco cui affixa fuerat, aram in veneratione B. Petri Apostolorum principis statuit. Ad consecrationem vero basilicæ cum S. Nivardo metropolitano pontifice, alii etiam episcopi conveniunt, clerus omnis et numerosæ plebes utriusque * sexus irruunt, proceres quoque Francorum non minori voto concurrunt et per B. viri Bercharii opus laudabile in Dei laudibus pari omnis magnitudine jocunditatis exsultant. In australi vero ejusdem montis latere, aliam struxit vir sanctus ecclesiam, quam Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi semper Virginis Mariæ nomine decrevit honorandam. Septa etiam monasterii et universas competentis ordinis officinas, ad sectandam vitæ regularis observantiam prudentissime composuit, monasticæ conversationis viros religiosos aggregavit, et cuncta quæ huic ordini commoda judicabantur, diligenter implevit. Co-

piosos

* *deest* niveus: *addit* fortuito *A. C.*

* aperto *A. C.*

c

B

* *deest* ab imis *A. C.*

* sed ne longius rem inopinatam differam *A. C.* *præmonstratum*, * *addit* illi *A. C.*

* Dominus *A. C.*

* *deest* Domini *A. C.*

* ostendit *A. C.*

C

* conferentibus *A. C.*

* *loco* in *habet* sicut *A. C.*

D

juxta Sparnacum villam,

* fuerat otiositas *A. C.*

* *loco* jam *habet* dignum *A. C.*

E

* ut fidelis *A. C.* *in loco, qui* pro eo quod *A. C.*

* reddat *A. C.*

* circumdespici *A. C.* * *addit* tempore *A. C.*

F

d

* *loco* fagus *habet* ibidem *A. C.*

* utrumque *deest* sexus *A. C.*

piosos vero prædiorum sumptus sanctissimus antistes, tam ea quæ sui juris esse videbantur, quam quæ etiam, Beato interveniente Berchario, ab ipsis Francorum primoribus obtineri poterant, in necessarios servorum Dei delegavit usus, ut videlicet in eodem cœnobio et merito et numero populus Deo serviens utriusque laboribus augeretur.

Altumvillare appellatur. * *deest* hujus *A. C.*

18 Hæc sunt igitur hujus * B. Patris nostri Bercharii magnorum operum sancta principia : sed adhuc restant ad divinæ obsequium majestatis priorum laborum majora certamina, quæ in hoc postmodum monstrabit opere rerum consequentia. Qui videlicet, cum esset in spiritalis exercitii sublimitate perfectus, in divinæ legis meditatione continuus, temporalem tamen non auspicatus est gloriam, sed mentis puritate jugiter concupivit æternam, nec levi felicitati inclinari nec inani, voluit laude resolvi. Jam vero consummata omni sacri illius templi structura, his duobus sanctissimis viris quanta fuerit immensitas exsultationis, quam grata societas unanimis affectionis, quantus divinitatis amor, quantus vitæ cœlestis ardor ; nec sermo capere, nec lingua ullo modo valet explicare.

ANNOTATA.

a *Sparnacus, gallice* Epernay, Département de la Marne, *ad diœcesim hodie Catalaunensem pertinens ; per concordatum anni* 1801 *diœcesi Meldensi tributa fuerat civitas, olim Remensi cathedræ subjecta. Nomen antiquum hujus civitatis, si fides habenda est Dictionnario Geographico Franciæ canonici d'Expilly, erat,* Aquæ perennes *propter fontes multiplices, unde derivatum* Aixperne, *analogice cum* Aix, *Aquæ Sextiæ,* Aix-la-Chapelle, *Aquisgranum : unde porro* Espernay *et* Sparnacus ; *nam id nomen recentius esse insinuat ipse Adso, cum dicit :* præcedenti ævo *hoc* nomen impositum fuisse constat. *Ad ecclesiam Remensem locum illum spectasse, habemus e diplomate Caroli Calvi dato anno* 845 Kal. Octobris anno VI, regnante gloriosissimo rege Carolo, indictione VIII. Actum in pago Andegavensi, in villa Avegio. *Vide Flodoardum* (*a*). *Illo siquidem diplomate dicit Carolus se* Hincmaro archiepiscopo Rhemensi præsentialiter restituere, tum Sparnacum, tum Juliacum : *Sparnacum demum, ut habet hic Adso, ex hæreditate S. Remigii provenire, monstrat prolixius ejus testamentum apud citatum Flodoardum* (*b*) ; *quod, quamvis ut spurium rejecerint Majores nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Remigii* I *Octobris* (*c*), *fatentur tamen ex omissione prædii Sparnacensis probari mutilum esse testamentum brevius, quod genuinum habent.*

b *Vide prolixius S. Remigii testamentum in quo habetur :* Sparnacus villa, quam datis quinque millia libris argenti ab Eulogio comparavi, tua (sanctissima heres mea) non extraneorum heredum meorum esse cernitur, eo quod cum criminis accusatione regiæ majestatis idem teneretur obnoxius et se minime purgare posset, non solum ne occideretur, dato jam dicto pretio de thesauris tuis, sed ne pecunia ejus publicaretur, una tecum obtinui ; et ideo ut præfata Sparnacus perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum stipendiisque tui pontificis deserviat, liberali sanctione firmavi. *Videtur igitur testamentum prolixius jam sæculo* X *cognitum fuisse. Confer Nostros loco citato.*

c *Paulo aliter eamdem visionem refert Flodoardus* (*d*), *uti explicuimus Commentarii prævii num.* 39 *et sequenti ; quoniam laudatus auctor seriem fundationis clarius explicat, non ingratum fore lectori arbitror narrationem Flodoardi coram habere :* Quadam vero die, ait, veniens de villa Sparnaco, simul comitante secum præfato abbate Berecario, visum sibi est, transito flumine, debere paululum requiescere ; sicque caput in sinum sedentis reclinans Berecarii, obdormivit, et visum vidit, scilicet columbam locum sylvæ circumire, et in fago quadam post circumitionem resedisse : idque tertio columbam videt eamdem egisse, tumque cœlos petisse. Quam visionem sicut ipse in somnis, ita prædictus Berecarius vigilans fertur accepisse. Quo viso, compunctus idem cœpit abbas fundere lachrymas. Experrectus autem beatus præsul a somno, ex lacrymis ejus sibi faciem reperit udam ; et interrogans quæ illi causa fletus existeret, accipit eum propter sui ruinam flevisse operis. Invicemque sibi visa referentibus, traditur pontifex hæc etiam cuidam Dei servo, nomine Bavoni, cujus erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui oratorium in honore Sanctæ Crucis illic habens, ibi conversabatur. Qui etiam postquam visionem præsulis et ejus agnovit voluntatem, obtulit illi eamdem possessionem suam, partem quoque possessionis cujusdam fratris sui, nomine Baldini. Alterius vero fratris, Theoderamni nomine, causam retulit, quod esset scilicet in factione contra Reolum comitem, qui Remensis postea extitit episcopus, pro filiis ejus quos occiderat in ultione filiorum suorum, quos Reolus pro latrocinio, quod exercebant, suspendio necaverat. Unde Dominus Nivardus eum cum Reolo, qui neptem suam filiam Childerici habebat uxorem, pacificavit, et sic ipse Theoderamnus simul cum cæteris fratribus suis eamdem possessionem S. Nivardo, commutatione ab eo sumpta, tradidit.

d *Quæ ad fundationem Altivillariensem pertinent, discussa vide in Commentario prævio a num.* 39 *ad num.* 44. *Subnectimus vero fragmentum chartæ, quæ fundationem Altivillariensem explicat : dolendum vero instrumenti periisse notas chronologicas, quibus controversia dirimi posset : periit enimvero pars posterior diplomatis, quod e Gallia Christiana* (*e*) *hic damus :* In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Nivo, sive Nivardus, etiamsi peccator, episcopus, dum omnes episcopi fratres mei etiam et de viris christianis et de bonis hominibus, monasteria secundum regulam sanctorum patrum ædificare non cessarent, petiit nos Bercharius abbas cum fratribus suis, ut ubi talem locellum eis perquirere deberemus in nostra proprietate, ubi ipsi secundum regulam patrum Sancti Benedicti et S. Columbani vivere deberent, et pro nobis die noctuque misericordiam Domini debeant deprecari, ut in futurum veniam de peccatis merear obtinere ; sed cum minime hic talem locellum in nostra proprietate inveniremus, qui ipsis monachis ad monasterium faciendum placuisset, repertus est nobis una cum ipsis locellus, qui dicitur Altivillaris in fine Remensi, super fluvium Maternæ prope villam Disiacum, quem a Bavone et Theodoramo de villis Ecclesiæ nostræ concambivimus, unde et ipsa instrumenta ex hoc in archivis Ecclesiæ retinentur ; villam quoque Disiacum, cum ecclesia et altari B. Timothei martyris, in cujus parochia situs est Altivillaris locus, eidem monasterio legaliter confirmavimus. Sed sic pensitavit ipse Bercharius

(*a*) Hist. Eccl. Rem., lib. III, cap. IV. Biblioth. Max. Patt., t. XVII, p. 549. — (*b*) Ibid., lib. I, cap. XVIII. — (*c*) T. I, p. 106 et p. 108, n. 270. — (*d*) Hist. Rem., lib. II, cap. VII. Bibl., p. 536. — (*e*) T. X, Instrum., col. 1.

AUCTORE ADSONE.

una cum fratribus suis pro novissimis temporibus ut dum advivimus, ipsum monasterium, quod dicitur Altivillare, quod ego pro æterna beatitudine, vel pro remedio animæ nostræ ad sanctam regulam conservandam ædificavi, in honorem Sanctorum Petri et Pauli, seu etiam S. Joannis, et cæterorum Martyrum et Confessorum, quorum pignora ibidem venerari noscuntur, in nostra potestate debeat esse, ut ipsos monachos melius delectet secundum disciplinæ ordinem et regulæ vivere, vel quieto residere : et taliter nobis consenserunt de fratribus meis coepiscopis etiam et de comitibus nostris archidiaconis, seu et abbates, vel etiam clerus noster Remensis, etiam et de viris illustribus, quorum manibus subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. *Confer Bréquigny, Diplomata, etc. ch.* CLV.

CAPUT III. *Defuncto S. Nivardo, perfectoque monasterio Altivillariensi, S. Bercharius Dervum fundat, et injuste occiditur.*

B

Defuncto S. Nivardo,

At vero cum in his sanctorum operum studiis quam gloriose tenerentur inserti, sanctæ exhortationis gratiam per populos infundentes et ad æternitatis gloriam quaquaversum animos fidelium incitantes, cum jam superna clementia antistitis sui Nivardi vitam laudabilem perpetuæ jocunditatis commercio compensare et pro labore brevi palmam decrevisset permanentis rependere gloriæ; opere perfectus, virtutibus consummatus, adveniente kalendarum Septembrium die, mortis nexibus absolutus migravit ad Dominum *a*, beatæ immortalitatis stolam consecutus, Angelorum * agminibus in illa cœlestis curiæ dignitate concivis factus, Apostolorum particeps, Martyrum et Confessorum coheres, illius insatiabiliter adspectu fruitur, cujus amorem ab ejus pectore numquam recessisse certum tenetur; qui licet pro lege carnis debitum solverit humanæ conditionis, vivit tamen in gloria perpetuæ exsultationis, nostris autem * illic procul dubio miseriis præstantius, si ex corde rogatus fuerit, occurrere paratus, quanto nunc potentius illi summo atque invisibili Spiritui cernitur esse conjunctus, per virtutem universa scientis ipse scius omnium ac exauditor effectus. Ad cujus exsequias corporis tota Remorum civitas ruit, clerus ac populus utriusque sexus convenit, ex vicinis etiam urbibus multi adfuerunt tanti pastoris excessum * admixtis pio mœrori hymnorum solemnibus obsequiis adsignantes. Cujus quidem corpus diversis populorum catervis constipatum usque ad basilicam S. Remigii a S. Berchario nec non et sanctis pontificibus, qui ea die illuc confluxerant, universa * gregis sui multitudine prosequente, condigno honore defertur, ac excellenti mausoleo condendum, decentissimam ibidem accepit sepulturam, sanctissimo viro Berchario in supradicto Altivillari cœnobio glorioso præsuli superstite relicto.

a

* *addit* quoque *A. C.*

* *deest* autem *A. C.*

C

* *addit* sanctissimum *A. C.*

* universi *A. C.*

S. Bercharius *fundationem Altivillariensem perficit:*

20 Qui licet tanti patris fuerit solamine destitutus, nequaquam tamen a cœpti operis intentione desistens *, subjectorum animos exemplis instruebat et verbis. Locum vero quem ædificare cœperat, rebus ac vario decore collustrans, nihil subtraxit industriæ, donec ad culmen proveheret perfectionis summæ. Spiritualium enim donorum perfusus rore, vitæ jam consertus Angelicæ, civis cœlestis patriæ,

* a divinis, cessabatoperibus, sed *A. C.*

Dogmate justiciæ Christi refovebat ovile, D
Constituens plebi cœlestia templa fideli.
Nec minus in magnis flagrans resplenduit actis;
Quæ gessere patres, fulti pietate, priores,
Optima dans vitæ populis documenta beatæ.

Domini namque gratia præeunte, multis miraculorum signis in eo loco claruit, ac superventibus diversarum incommoditatum casibus se opponens, multa cœlestis beneficii emolumenta populis impendebat; sanitates corporum, salutem animarum. Francorum quoque regibus diverso tempore sibi succedentibus ac palatii optimatibus ita in cunctis erat affabilis, ut, eorum usus pro voto familiaritatibus, quæ intenderet, citius obtineret, et in construendis servorum Dei habitaculis sumptus ei et copias eorum largitas pleniter ministraret. Si quis his hæsitans forte manet incredulus, prædicti loci miretur mœnia, adspiciat ædificia, perlustret, diligenter opera : patebit scire cupienti quanti fuerit meriti, per quem Dominus tanta ac talia dignatus sit operari.

et pergit in silvam Dervensem,

21 Rebus igitur tam exterioribus quam interioribus prædicti Altivillarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatis, jam dictus pater Bercharius corporeæ quietis impatiens, opportuna sibi loca lucrificandi gratia perquirebat. Abinde namque egressus, Dei munere præcurrente, vastam saltus Dervensis solitudinem petere contendit : quo in loco, qua venerat, intentionis non immemor, aptum ædificandi cœnobii statum invigilando sollicite scrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum *, Dei gratia præduce, contulit se ad quamdam matronam, Waltildem nomine, quæ superbo nobilitata sanguine, plurimorum a proavis * prædiorum affluentia lætabatur : a qua vir sanctus condicti pretii dono emit sibi partem silvæ, eum scilicet locum qui dicitur vulgo Mangis-villare : ibique cellulam ædificans eamque B. Mariæ ad honorem consecrans, puellarum cœtum * Deo Matrique serviturarum *, prout posse fuit, diligentissime aggregavit *b*. Nam viam publicam vulgo Cantillam dictam expetens, pretio a prætereuntibus suscepit captivas puellas * octo, quas in sancta religione edocens, Deo dicatas ibi manere constituit. Ex hoc igitur, Christi adminiculante suffragio, excrevit numerus virginum adusque sexagenarii cumulum, quibus etiam prædictus pater neptem supra scriptæ matronæ Waltildis solemniter abbatissam præfecit.

E

* eo cogitante *A. C.*

* valde *loco* a proavis *A. C.*

* puellas centum *A. C.*

* ejus serviturus *A. C.*

b

* puellulas *A. C.*

F

ubi varia inchoat cœnobia,

22 His quoque rite peractis, secretiora saltus infatigabiliter excutiens, cognoscere summopere gestiebat, sicubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperisset : veniens in quemdam locum Lutosas *c* nomine, cellam construendi aptum reputans, nimia sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur propriis viribus nullo modo dignum ducens aggredi, cujus erat hoc prædium potestatis, adiit. Eo siquidem tempore Childericus rex regnum Francorum nobilissime gubernans, libentissime sancti viri petitionibus acquiescebat. Hunc ergo pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris Dei amore ferventibus Leodegario et Mummuleno episcopis, Amalrico quoque et Wulfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam B. Martini in honore consecratam prædictus rex Childericus circumquaque ab ecclesia silvæ leuga una * *d* benigne donavit. Beatus vero Bercharius neque his contentus, cellulam sibi * juxta locum qui dicitur Puteolus *e*, ea in parte quæ nunc Monasteriolum dicitur, ad honorem Beati Mauritii condidit *f*, sperans aptum se

c

* leugam unam ei *A. C.*

d

e

* aliam divina gratia inspirante jux-

f

mona-

monasterium ædificandi locum reperisse. Verum cum hoc etiam sibi habile non videretur, super fluvium Vigeræ quamdam ecclesiam S. Sulpicii honori dicavit * *g*. Neque ibi etiam * statum cœnobii aptum fore ducens, mente pervigili ut sapiens architectus *, eum qui petentibus se adesse comprobat, dare votis congrua loca poscebat.

23 Quodam igitur tempore, cum jam divina clementia ulterius famulantis animum per diversa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis locum votis congruum iri repertum * dedit. Nam abdita silvæ perlustrans, casu quemdam ad locum devenit, ubi pastores subulcos reperit : quos blande allocutus, aureique illos numismatis munere donans, poposcit ostendi sibi quæ habiliora aliquando silvas circumeundo ad habitandum loca pervidissent, dicens sibi animum esse, uti congruo habitandi loco exstirpando silvas cœnobitarum tabernacula designaret : se quidem diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. At illi, præmio accepto, talibus animi votis sancto viro respondent : Nos quidem cum fides teneat firma, munerati tuis ad vota processibus parere decrevimus *h*, locumque habitandi habilem pro nostro scire ostendere parati sumus : nam persæpe inibi suillos greges jam desperati invenimus, nec seductos aliorsum spes est requirere porcos, cum illum semper absque aliquo * ductore perditi sues expetant locum. Adest quoque ibi, domine pater, quædam non ignoti miraculi fagus, subter quam luminaria sæpe * cum accensa * absque hominum accessu viderimus, divini aliquid fore suspicamur *. Nunc, inquit B. Bercharius, ocius præite, tantique præsagii loca significate, meque consequentem jamjamque diu suspensum animo æquiorem reddendo, tanta curarum mole absolvite. * His dictis, prædictus Pater ad locum properat fidem dictorum excepturus ; nec inaniter ferens testimonium pastorum divinitus credidit factum esse miraculum, et a Deo sibi locum ostensum, qui non pateretur servum suum diversis intentum, proprio labore frustrari. Nam qui eo cœtum bonorum exsecutione operum pollentem adunandum prænoverat, digne tali præsagio initia operum beati viri præsignavit : qui locus duobus integris milliariis a præfato loco, qui dicitur Puteolus, disparatur. Ibi ergo B. Bercharius multo labore silvis radicitus erutis, cœnobii ædificandi statum prælegit. Exinde ad palatium progreditur, regis super hoc negotio clementiæ supplicaturus.

24 Auxiliantibus vero sibi per divinam gratiam, ex cujus desiderio ista agebat, S. Leodegario *i* episcopo et Almarico Majore-domus *k*, Fulcoaldo quoque et Wulfaudo, Nivardo etiam et Atelano *l* episcopis, impetravit sibi dari a rege silvam ex suo fisco, qui vocatur Vassiacus *m*, in circuitu præfati loci, sicut ex auctoritate regia tenetur exterminatum, unde sumptus habere valeret ac prædia ad cœnobium constituendum. Cum etiam Deo disponente ad plurima sibi rex libentissime faveret, ad hoc usque processit, ut aulam sibi decenti ornatu, ut regiam decebat majestatem, in loco qui dicitur Puteolus fabricatam, ubi causa venandi crebro adventare consueverat, dono ei concederet : unde ipse domnus Bercharius ecclesiam Deo in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum appellavit. Sanctus vero vir quando supra memoratas puellas emit *, simul cum ipsis pretio suscepit viros octo captivos, quos in sancta religione edocens, primos in eodem loco monachos constituit. Multi vero sanctam conversationem illius ac religiositatem admirantes per ipsius exhortationem Deo favente, qui neminem vult perire, relinquentes omnia quæ in sæculo habere videbantur, sub monastica norma et sub doctrina sancti ipsius patris Deo se mancipaverunt. Ipse ergo aquam ad ipsum cœnobium de longe perduxit, officinas ad omnia necessaria paravit, habitacula quoque puellarum ordinate disponens, Hierosolymam adiit sacrasque plurimum Reliquias impetravit, tabulasque eburneas optimas secum deportavit ; sicque Romam multoties adiens, plurimorum * Sanctorum Reliquias detulit, et honorifice cum episcopis in præfatis locis conservandas condidit : in quibus locis suffragantibus illorum Sanctorum meritis, quorum Reliquiæ ibi * delatæ sunt, præstante Christo, uberiora fidelibus populis beneficia largiuntur.

25 Tantis igitur laborum certaminibus in hujus mundi stadio pro vitæ cœlestis bravio transcursis, cum jam Dominus operarium suum digna donare mercede disponeret, resolutionis corporeæ imminens tempus ante dedit agnoscere. Nam jam Paschali instante solemnitate, feria quinta, qua Cœna Domini habebatur, gregis sibi commissi pater sollicitus monasterium puellarum devote adiit, pro more fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba et consolationum affamina, hoc quoque eis prædixit quod de resolutione proprii corporis divinitus sibi notificatum manebat. Scitote, filiolæ, superna instante vocatione, me in hoc ulterius corpore manere nullo modo posse ; nec mœreatis * quasi pastorem ablatum, cum vos æterno custodi regique sponsatas certa cordis devotione teneatis fixum. Nullo igitur corporeo ex me adjutorio amplius sustentandas, cœlesti rectori ut proprias commendo filias. Ad harum ergo consolationum affamina cum vehementi ululatu erumpentes in lacrimas, pater sanctus dolorem verbis exhortationum mitigans, valedicens eis et benedicens abscessit. Cum psalmis autem et hymnis peractis omnibus, ad cœnobium redeundi iter aggreditur, eadem monachis, pauperibus et peregrinis facturus.

26 Inter ordinandum * igitur plurima, forte accidit, ut filiolum suum quem de sacro fonte susceptum monachum esse statuerat, Daguinum nomine, exigentibus culpis suis, verbere increpationis, ut moris est, feriendum decerneret. Nam hic, ut postea claruit, pessimus et flagitiosus, fronte polita sub ovina pelle rapacis contegebat gestamina belluæ. Itaque ex merito suæ iniquitatis, diabolo cum Juda proditore traditus, indigne ferens doctrinalia patris objurgamina, intumescente mascula sub pectore bili, contendit insanus sanctum virum * injustæ tradere neci. Denique cum beatus pater diurno anxietatis labore non modice fessus, una cum fratribus lectulo reclinatus membra sopori dedisset ; quia odium incurrit, qui arguit criminosos, idem filius satanæ armis impietatis armatus, postquam eum fessum soporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentavit. Nam cultello illum rabidus feriit, et patris sanguine manus proprias impudens filius maculavit. Arreptum vero Daguinus * quo Sanctum percusserat ferrum, reatus sui conscius in piscinam, quæ intra claustra monasterii tunc temporis habebatur, quam citissime potuit, velut occultandum dejecit. Videres tunc laticem velut tanti sceleris cognitorem, ferrum in se receptare expavescere. Mox enim, ut aquam tetigit, velut levissimæ pluma materiei super aquas mirabiliter natavit ; ipse autem homicida amens factus ecclesiam

A ta locum illum, qui nunc monasterium dicitur, ad honorem B. Martini condidit *A. C.*

g * quemdam actutum..... honori ædificavit *A. C.* * igitur *loco* etiam *A. C.* * *addit* super hoc *A. C.* *donec tandem juxta Puteolum* * paulo post *loco* iri reperum *A. C.*

h

B

* *deest* aliquo *A. C.*

* cum oculis nostris *A. C.* * *deest* cum accensa *A. C.* * subputamus *A. C.*

* *addit* Cum *A. C.*

C

aptum monasterio locum invenit : *i k*

l

m

* emerat *A. C.*

AUCTORE ADSONE.

* *addit* inde *A. C.*

* illo *A. C.*

moritur

E

* lugeatis *A. C.*

occisus a Daguino monacho,

* In ordinando *A. C.*

F

* *addit* se *A. C.*

* *deest* Daguinus *A. C.*

AUCTORE ADSONE.

siam petiit, cruentisque manibus signum pulsare cœpit.

ui ignoscit :

27 Fratres vero ut audierunt signum inconsueta hora, cum magna admiratione surgentes, et sanctum virum interfectum audientes, ad lectum illius cucurrerunt ; sed adhuc anxietate nutantem * in eo spiritum repererunt. Comprehensum igitur prædictum Daguinum fratres sancto viro obtulerunt, scire cupientes quid de admisso tanto scelere severitas clementiæ ejus judicaret. Denique sanctus pater verborum Domini non immemor, quibus Patri pro persecutoribus supplicavit, dicens : « Pater, ignosce illis quia nesciunt quid » faciunt, » clementer remisit illi, quam in se exercuerat culpam. Deum tibi, frater, inquiens, pœnitentialiter placabilem fieri studeto : nam quantum ad me attinet, omni te liberum impietate remitto. Romam ergo, fili, progredere, ut te hoc scelere immunem exhibeat qui ligandi solvendique potestate suscepta, diversis morborum generibus subvenit corporis umbra *. Egressus igitur Daguinus, ex præcepto beati viri Romam petiit ; unde postea non est reversus.

* Deo volente *pro* anxietate nutantem *A.*

* divina clementia *A. C.*

B

sepelitur in Dervo. n

28 Beatus vero Bercharius diutissime angore vulneris morbidus, tandem carne solutus *n*, cœlestis vitæ gaudia, exultanti spiritu, felix petivit. Ad tanti quoque viri obitum viris undecumque religiosis confluentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium, multis inibi Deo donante miraculorum pollens effectibus. Sed cum jam Dominus ulterius Sanctum suum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo ceterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est, inde corpus Beati Patris debere transferri, ac * illi inde translatum tumulaverunt retro altare in basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat ; ubi suffragantibus ejus meritis, multa tribuuntur dona populis. Ex cujus sepulcro longo post tempore oleum pullulans in vas ad hoc paratum visum est defluxisse, cunctis morbo obsessis nimium salubre. Hujus igitur, quia peccatorum pondere prægravati summa operum adsequi propriis viribus nequaquam præsumimus, ejus qui dixit : « Sine me nihil potestis » facere, » imploremus auxilium gratiæ, quatenus, qui merito peccatorum deprimimur, dextera virtutis suæ sublevemur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur Deus in sæcula sæculorum. Amen.

* at *A. C.*

C

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 51 *monstratur S. Nivardus superstes per plures annos fundato monasterio Altivillariensi.*

b *Is locus ad nostra usque tempora retinuit nomen Puellaris monasterii*, Puellemontier, *estque nunc in diœcesi Lingonensi, paræcia succursalis sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis consecrata, et* 511 *incolas capit* (*a*).

c *Hodie* Louze, *paræcia pariter succursalis incolarum* 781 ; *cujus patronus adhuc est S. Martinus* (*b*) : *neque confundendus hic locus cum suo homonymo Lutosa*, Leuze, *hodie in diœcesi Tornacensi.*

d Leuga *seu* Leuca *apud antiquos frequentissime sumitur pro spatio* 1500 *passuum seu pedum* 7500. *Vide Glossarium du Cange verbo* Leuca.

e *Locus ab antiquo jam ad prædium rusticum redactus, hodie* la ferme de Puysy. *Vide d'Expilly, Dictionnaire Géographique de la France, article* Joinville. D

f *Duplex mihi occurrit locus circa Dervense cœnobium quod* monasteriolum *dicitur : alterum quod* Montreuil-sur-Blaise, *alterum quod* Montreuil-sur-Thonnance *appellatur ; sed neutrum, quod sciam, patrocinio S. Mauritii gaudet ; cum hoc Dei Genitricem, illud S. Margaritam titularem habeat* (*c*). *Unde non improbabile mihi videtur hic magis indicare locum dictum* Ville-en-Blaisois *vel* Ville-en-Bois, *qui patronum habet S. Mauritium, et toparcham habebat abbatem Dervensem ; erat præterea prioratus a Dervensi principali cœnobio dependens. Vide la Martinière Dictionnaire Géographique verbo* Ville-en-Bois. *Utrum vero vicus qui* Montreuil-sur-Blaisois *appellatur, nec multum distat, antiquum* monasterioli *nomen retinuerit ex hac* S. Bercharii *fundatione, non ausim pronuntiare.*

g *Aliam in hac vicinia sub invocatione S. Sulpitii ecclesiam dicatam non invenio, quam in* Louvemont, *vicus qui super Blesam* (la Blaise) *non super Vigeram* (la Voire) *situs est. Non credo tamen, licet codex Aquicinctinus optimæ notæ nomen fluvii expressum non habeat, de illo loco hic agi : nam lib.* II *Miraculorum num.* 21 *dicitur ecclesia S. Sulpitii juxta viculum, qui dicitur* Tiliolus, *quem* Thilleux *ad Vigeram interpretor. Ecclesiam vero S. Sulpitii destructam opinor ex iis quæ infra citato numero* 21 *narrantur.* E

h *Satis discrepat Aquicinctinus codex, qui habet :* Voce, ut erat, supplici venerabilis miles Christi, succensus igne Spiritus Sancti, diligenter poposcit, ut sibi locum ad cœnobium faciendum aptum ostenderent, si quem forte lustrando sylvas ad hoc idoneum alicubi invenissent. Se quidem dicit diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. At illi præmio accepto, talibus sermonibus sancto viro respondent : Nos quidem per vasta hujus sylvæ devia pro officio nostro persæpe euntes, plurima in eadem conspeximus, locumque.....

i *S. Leodegarii Acta vide ad diem* II *Octobris* (*d*).

k *Perperam Almarico tribuitur dignitas majoris-domus Childerici II : cum id officium gesserit Wulfaudus, ut constat tum ex ipsis litteris Dervensis fundationis citatis Commentarii prævii num.* 47, *tum ex Chronico Sigiberti Gemblacensis* (*e*) *et aliis.* F

l Atelanus *episcopus, quem alii* Azelanum *et* Telanum *scribunt, idem videtur ac Attila, Laudunensis episcopus, qui apud Flodoardum lib.* II, *cap.* VII (*f*) *legitur cum S. Nivardo* quasdam res commutasse pro utriusque partis opportunitate.

m Vassiacus, *hodie* Vassy, *caput olim pagi Vallensis* (le Vallage), *nomen sortiti a vallibus amœnissimis : pagus Vallensis finiebatur ad septemtrionem pagis Catalaunensi et Perthensi, ad orientem Barrensi, ad meridiem Bassiniacensi, ad occidentem Campania proprie dicta. De la Martinière, Dictionnaire Géographique Article* Vallage. *Hodie caput est districtus præfecturæ Matronæ superioris,* (Arrondissement du Département de la Haute-Marne) ; *subest in spiritualibus episcopo Lingonensi.*

n *Passionis adjuncta vide Commentarii prævii num.* 69 *et sequentibus.*

(*a*) Annuaire du Dioc. de Langres, ann. 1838, p. XL. — (*b*) Ibid. — (*c*) Ibid., p. XLI. — (*d*) T. I Octob., p. 355. — (*e*) Ap. D. Bouquet t. III, p. 343. — (*f*) Bibl. Max. Patt., t. XVII, p. 535.

LIBER

A

LIBER SECUNDUS.

De diversis casibus Dervensis cœnobii et miraculis S. Bercharii, auctore anonymo. Ex editione Surii Vitæ SS. collata cum Promptuario Nicolai Camuzati et codice Ms. Aquicinctino.

CAPUT I. *Casus Monasterii Dervensis sub Carolovingis.*

Occasio scriptionis.

Hujus anterioris executionem operis divinæ dignationis ordinatione ad memoriam informandam posterorum, insignis prudentia solertissimi * Assonis abbatis sæpe denominatæ ecclesiæ Dervensis luculentissimo sermone nobilitavit: ea ut prætulit intendens prosequi, quæ qualicumque modo notata a successoribus sive discipulis sanctissimi abbatis et Martyris Bercharii, ætati ejus potuere perferri. Quæ vero post obitum beati viri ipsius meritis divino beneficio compensata se relaturum promiserat, minime explicuit, relinquens etiam intacta adnotatorum plurima, scilicet impedimentis diversarum actionum perturbatus, maximoque eventu festi obitus interceptus: unde nostra ætas hactenus obnubilatur inscitia miraculorum almi prius sæpissime denominandi Bercharii, quæ innumeris ante volutis temporibus vel ad ejus tumulum, sive per diversa loca ipsius nominis invocatione divinæ sublimitatis operatio mirifice præstiterat *a*. Hæc intuli minime derogans vitæ simplicitati, aut affectans fastum modernæ adulationis, sed ne obloquatur alicujus levitas, quod ante venerabilis Assonis tempora, sit muta omnis nostra antiquitas: quod contigit non tam incuria et scriptorum raritate, quam irrumpentium gentium barbara feritate, seu etiam crebra inter se populorum vicinorum concertatione.

* Adsonis

a

Dervum deformatum

2 Nam haud longe post transitum gloriosi Martyris, exorta altercatione inter Ragafredum Carolumque, qui ob nimiam et Christianis temporibus antea invisam inquietudinem, Martellus vocitatus est *b*, innumeris nobilibus pene aporiatis, ecclesiæ plurimæ sunt ad nihilum penitus redactæ, distributis earum possessionibus, mancipiis quoque ac sacerdotalibus vasis et rebus, secularia arma et intestina bellorum negotia tractantibus. Hujuscemodi perturbationis eventu compulsi sunt fratres supradicti Dervensis loci cum monastico habitu militaria arma arripere, decernentes proprio arbitrio sibi suisque posteris opprobriosæ fœditatis dedecus adscribi, si causa talis exercitii paterentur se perpetuo privari possessionibus rerum variæ opportunitatis, procuratione Beati Bercharii eorum stipendiis diversis in locis delegatis. Hac occasione habitu potiti incongruo, primo a sacri ordinis tramite expeditionibus studendo, deviare, demum, ipsa etiam vestimenta propria, velut armorum impedimenta monstruosa habentes, ægre pati cœperunt: sicque priori paulo melius adjicientes consilium, spretis cucullis, clericalibus sese indumentis operuere, judicantes se decentius eo ornamento Deo omnipotenti mundanis quoque studiis famulari.

b

B

C

instaurat Odo Abbas Stabulensis.

3 Tali modo magnificentia ipsius loci facie mutata, pessumdari atque in deterius labi variis impulsionibus cœpit, donec miseratione divina et meritis Beatissimi protectoris nostri Bercharii, rumor tantæ perditionis * attigit aures Augusti Ludovici. Hic adeo omni bonitatis luce refulsit, ut jure proprium sibi Pii nomen adsciverit, cujus prudentissimis consiliis assidue intererant sacerdotes sanctissimi, abbates etiam religiosissimi, inter quos spectabilis vitæ honestate, omnisque scientiæ probibate habebatur Odo *c* abbas loci, quem Stabuletum vocitatum, anterioris textus descriptio prælibavit exstructum a Sancto Remaclo pontifice, cujus conditioni felix Martyr Bercharius quondam tradidit imbuendos primævos flores suæ adolescentiæ, relinquens eo loci conspicuum memoriale proprii tyrocinii. Cum itaque rex memoratus, ecclesiarum Dei cultum variis tribulationibus depravatum, satageret in melius restaurandum reformare, regalis decreto consilii, supra nominato abbati curam delegavit Dervensis cœnobii: quo ejus industria, quiret capessere idem locus alimenta et monimenta priscæ institutionis ac nobilitatis, quam plurimam extitisse etiam annales regii testabantur. Itaque domnus Odo abbas venerandus, memorandæ operationis executione suscepta, pontificum ac coabbatum collegio fultus, præfatum locum adiens, religiositate omni ab ævo proturbata, fratribusque sui ordinis strenuissimis inibi ordinatis ecclesiæ prædia sive xenia, innumeris casibus profligata, regia simulque * pontificum auctoritate distributa, etiam pretii maxima quantitate usibus fratrum restituit: perquirens prisca privilegia, imperiali, ut decuit, munificentia roborata: nec destitit donec ad unguem polita cuncto Francorum orbi refulsit religio ipsius loci.

* proditionis *Camuzatius*

AUCTORE ANONYMO.

c

E

* insimulque *Aquicinctinus codex*

4 Ipsis quoque ejusdem loci fratribus, haud defuit specialis provisoris Bercharii conspicua virtus, qua eis suam cœlitus adesse magnificam notificaret præsentiam. Instante etenim annua solemnitate natalis Sancti Remacli pontificis venerandi *d*, rectores delegati procurationis ejusdem cœnobii, inter multa prædicamenta sacræ doctrinæ, etiam mirificos actus pretiosi Confessoris Christi, subditorum sæpissime inculcabant memoriæ: quibus accensi fratrum animi, pari voluntate cuncti spondent in ipsius vigiliis sese celebrem Sancto Bercharo peragere noctem. Interea evenit, Deo favente, pridie ipsius celebritatis, adesse ibi quemdam contractum omnibus membris, adeo ut viderentur femoribus plantæ pedum ipsius conjunctæ, isque magnarum conatibus precum cœpit insistere, ut pernoctando in eadem basilica, foret sibi licitum Dei expectare auxilium, dicens sibi cœlitus notificatum, quod in ecclesia Beati Martyris, festoque die S. Confessoris esset sibi initium optatæ sospitatis. Fratres vero hoc audientes, multo magis exhilarati, concedunt supplicanti omnem opportunitatem, ut poposcerat, pernoctandi. Celebrata itaque synaxi completorii, capessentibus fratribus quietem primi somni, æger repentinis clamoribus, ædituos templi ac cunctos excitat fratres quiescentes in conclavi dormitorii. Surgentes autem subita perturbatione stupefacti, intrant, ut ita dicam, inviti ad peragenda solemnia nocturni officii: riteque peractis omnibus, adeunt inspicere mirabile factum, scilicet membra contracti restituta in integrum statum.

S. Bercharii ope sanatur

d

F

contractus.

5 Inde nimium, ut optaverant, lætificati, iterum excitantur ad repetendas laudes omnipotentis Domini: reddentes altisonis vocibus supplicia vota, super prædictorum Sanctorum consolatione piissima. Interrogatus vero ægrotus, quid illi visum fuisset, qua hora clamor ejus eorum insonuit auribus, retulit vidisse se quemdam angelici vultus ac habitus ecclesiam ingredientem, eique

manum

AUCTORE ANONYMO.

manum porrigentem, cujus visu in pedes constiterat, non sine nimio angore nervorum et vertibulorum. Itaque sospitati redditus, qui ante aliorum fuerat subvectus auxilio, propriis jam gressibus cœpit iter carpere gratulabundus, relinquens eo loci stuporem ingentis miraculi, cum maximo studio ac dilectione monastici propositi. Hoc modo primæ exorbitationis Dervensis cœnobii meritis gloriosi Martyris Bercharii statu in melius reformato, per plurima temporum volumina sacræ religionis tramitem, et antiqui decoris inflexibiliter tenuit gloriam. Sed tranquillitatem tam jocundæ pacis multis abusive vertentibus in augmentum impietatis, rursus severitas animadversionis, Hunnorum rabiei exponit depopulationem Christiani populi : maxime, addictis stragi Neustria, et pleraque parte Gallici regni. Tempora hujuscemodi infelicitatis impediebantur regimine Caroli Junioris, qui Simplex ferebatur nomine, non tam innocentia quam ignavia omnis rei civilis ac militaris, omnino referens mores Ludovici genitoris, qui ob nimiam vecordiam vocitatus est Nihil faciens *e*.

e

B

Normannorum metu

6 Imperium ergo hujus, quippe justo Dei judicio, instigatus, parvipendens, Hunnorum exercitus, quaquaversum debacchando insignes funditus evertens urbes, gladiis et incendio orationum domos plurimarumque gentium delevit populos. Itaque tam immanis crudelitatis frequentibus nunciis territi fratres supradicti Dervensis cœnobii, erumpentibus etiam ab occiduis partibus Astingo duce Wisigotis, qui et Normanni, communi concilio, ut audierant aliarum greges ecclesiarum, decernunt, sumptis secum ossibus Beati Bercharii, fuga perquirere latibulum, hocque statuunt circa ripas Araris fluminis : quæ regio ipsis temporibus ferebatur immunis omnis inquietudinis regimine Rodulfi, filii nobilissimi Richardi Burgundiæ ducis, qui justi tenax, ejusque famosissimus ultor extitit. Cum itaque deliberatione habita, fratres satagerent in quodam domicilio res ecclesiasticas, ac suas qualescumque involucris componere sarcinulas, cruciculam quamdam, a tempore S. Bercharii eidem loco venerabilem, secretarius monasterii suspensam parieti ejusdem domicilii alio recurrens oblitus, ad horam reliquit, cum repente ignis inibi accensus

C

congeriem stipularum sibi vicinam, nemine advertente, corripiens, flammis in tantum domum replevit, ut ingrediendi omnis abesset facultas. Fratres vero undique concurrentes incendium domicilii utpote discessuri parvipendentes, in commodum patrocinii sibi a Sancto Martyre relicti ac multa * tempestatum discrimina eatenus reservati, lachrymabili gemitu, culpis propriis exigentibus, se admisisse deflebant, querimoniosis vocibus flagitantes id sibi vel ad solatium

* permulta

suæ * exultationis a Beato patrono reddi.

* *forte* exultationis *aufugiunt Dervenses in Burgundiam,*

7 Nec defuit pii patris præsentia, solaturus mœstissimos solita clementia : nam consumptis in incendio contignatione parietibusque domatis, super prunas ardentes crucicula adeo reperta est illæsa, ut etiam tenue ligamentum auro textum, quo hactenus suspensa, a vi ignis fuerit omnino incontaminatum. Hoc fausto omine exhilarata fratrum mœstitia, eximii protectoris sibi adesse munimen sentientes ac spem quandoque remeandi nacti, alacriores deliberata petiere loca refugii. Quanta vero quibusve in locis hic pater sanctus divina dignatione miracula gesserit, nulla nostræ memoriæ retulit scedula vetustatis antiquæ : tantummodo innumera priscorum adstipulatione, priores nostri nobis testati sunt extitisse, tam per spatia itineris, quam in loco destinatæ mansionis. Quorum rumore celeberrimo accensus memoratus princeps Rodulfus, suscepturus insignia totius Francorum imperii, supplex locum ipsum Reliquiarum B, Martyris adiit, se suamque felicitatem ejus committens suffragiis : multisque donatum muneribus, fratrum necessitates plurimis relevavit largitionibus et eos benignissime consolatos, spem propere ac prospere remeandi, Dei Sanctive Martyris auxilio, et sui laboris juvamine repromisit ; quod feliciter, Deo favente, contigit. Nam idem memoratus princeps, laturus auxilium præfatæ calamitati, imperium Francorum subiit, nequaquam tyrannice, sed divinæ pietatis prædestinatione ob meritum suæ probitatis, electus a pontificibus proceribus totius Gallici regni ad effugandam inde rabiem paganæ perversitatis. Ejus itaque formidine potestatis, protinus exterrita omni feritate barbarica, restaurata tranquillitate pacis, repedandi ad propria capessunt audaciam, qui ob metum paganorum dispersi, diversa petierant loca exilii.

D

8 Grex quoque ecclesiæ Dervensis, juncto sibi cœtu fratrum Fossatensis cœnobii, qui metu supra memoratæ internecionis eo confugientes devexerant secum ossa Confessoris Christi Mauri *f*, pari consilio aggrediuntur iter repatriandi, pariter incedentes, simulque divina celebrantes officia, donec itineris progressione attingerent, quo ab invicem discesserunt, fines Dervenses atque Campaniæ. Igitur adventui pretiosissimi Martyris occurrentibus cum plurima turba sacerdotum clericorumque multis, ac ejus familia quaquaversum dispersa undique recurrente, excipitur eximius protector patriæ liminibus templi, quod vivens exstruxerat in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hoc longa solitudine incultum, tribulis etiam et vepribus circum altaria horrentibus, comentes undique fratres famulique cum gloria magnæ laudis iterum in eo recondunt ossa pii pastoris XVII kalend. Novembris. Hic dies eo loci celeberrimus habebatur ab antiquo, anniversario dedicationis ejusdem basilicæ operationis B. Bercharii ipsius Dei ordinatione consecratæ in honore ac nomine S. Salvatoris. Geminata itaque præscripti diei solemnitate, auctoritate præsentium sacerdotum decretum est, perpetuo celebrari ipso die natalis * passionis gloriosi Martyris Bercharii, quam constat evenisse instante festivitate paschali, ob quam rem manebat incelebris more Christianæ religionis. Hinc inolevit jocunditas hujus præclaræ celebritatis, qua hactenus exilarantur tempora nostræ ætatis.

et pulsis hostibus, redeunt Dervum.

f

* natale *A. C.*

F

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 17, *exposuimus, quo tempore et qua occasione Anonymus Dervensis librum de* Casibus Dervensis cœnobii et miraculis S. Bercharii *conscripserit.*

b *Quæ bella inter Ragafredum seu Ragunfredum majorem-domus et Carolum Martellum exarserunt ab anno* 716 *ad* 724 *refert Fredegarii Chronicon continuatum part.* II, *cap.* CVI (*a*). *Cæterum satis notum Carolum* Martellum *dictum, non ob sævitiam in monachos, sed ob victoriam de Sarracenis* (*b*).

c Odo, *aliis* Hautho *aut* Audo, *decimus sextus a S. Remaclo fuit abbas Stabulensis et Malmundariensis. Merito habetur ut instaurator Dervensis cœnobii, ut liquet e diplomate dato a Ludovico Pio et Lothario imperatoribus, quod hic damus ex Collectione Historicorum Franciæ* (*c*) : In nomine Do-

(*a*) Ap. D. Bouquet, t. II, p. 453.— (*b*) Cfr Chron. Aimardi, ap. D. Bouquet, t. II, p. 574. — (*c*) Ibid., t. VI. p. 552.

mini

A mini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus et Hlotharius, divina ordinante providentia, Imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei justis et rationalibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir religiosus Hauto, abba ex monasterio, quod vocatur Puteolus, quod est in Dervo constructum, in honore Beatorum Petri et Pauli, suggessit mansuetudini nostræ, eo quod prædictum monasterium, ubi ille Dei cultor abba præest, aptum esset ad monasterium regulare, quia non solum idem locus, ubi præfatum monasterium fundatum est, verum etiam et omnes adjacentias congruas haberet servis Dei monasticam vitam degere volentibus. Nam et privilegia qualiter ipsum monasterium ad monasticum ordinem perficiendum fundatum esset; et præcepta regalia nobis ostendit, ubi liquido apparuit, quod antiquitus regulare monasterium fuisset. Nos vero hanc rem diligentius scire vo-
B lentes, jussimus venerabilem virum Hebonem Remensem archiepiscopum et aliquos ex suffraganeis suis ad prædictum locum ire, et diligenter intueri, non solum si ipse locus aptus esset ad monasticum ordinem observandum, verum et utrum clerici ibi degentes monastice vellent vivere, an non. Illi vero nostris jussionibus obtemperantes, sicut nobis prædictus Hebo archiepiscopus renunciavit, et aptum locum invenerunt ad normam regularem custodiendam, et clericos ibi degentes sponte vitam monasticam sicut illis professi sunt, suscipere et perpetuo observare velle. Sed ut prædictus ordo monasticus in eodem loco nostris et futuris temporibus, ad nostram successorumque nostrorum perpetuam eleemosynam digne observaretur, et monachi per tempora degentes secundum regulam S. Benedicti vitam degerent; prædictus Hauto abba precibus, quibus valuit rogavit, ut nostrum confirmationis præceptum idem monasterium habere mereretur, sicut cætera monasteria monachorum in regno, Deo propitio, nostro habere noscuntur. Cujus petitionem justam et rationabilem judicantes, per hos imperiales apices nostros præcipimus atque ju-
C bemus, ut abhinc in futurum prædictum monasterium sub monastico ordine persistat, et monachi ibi degentes sub regula S. Benedicti, Domino sibi adjuvante, perenniter vitam ducant monasticam. Et quando quidem divina vocatione prædictus abba ab hoc sæculo migraverit, quamdiu ipsi monachi inter se talem eligere potuerint, qui illis secundum regulam præesse et prodesse possit, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates; quatenus monachi per tempora ibi degentes, pro nobis, conjugibus ac liberis nostris, seu totius regni nostri stabilitate Domini misericordiam indesinenter exorare delectentur. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio et confirmatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludowici gloriosissimi Imper. signum Hlotharii serenissimi Augusti. Durandus Diaconus ad vicem Fredugisi recognovit. Data II Id. Feb. anno, Christo propitio, XIV imperii Domini Hludowici piissimi Augusti et Hlotarii V, Indictione V. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter.

(a) Acta SS., T. I. Januar., p. 1059, n. 40.

d *Num fortassis ab Odone introducta solemnitas S. Remacli fundatoris Stabulensis occasio fuit, ut diceretur* S. Bercharius *eumdem habuisse institutorem? Nam quod dubiis verbis ediærat Adso in Vita num.* 6, *hic aperte enunciatur.* D

e *Ex his videre licet, quo tempore hæc Dervensium migratio accidit : Carolus simplex, filius Ludovici II dicti Balbi, sceptrum Franciæ tenuit ab anno* 893 *ad* 929.

f *De S. Mauri translatione in Burgundiam vide ejus Acta ad diem* XV *Januarii* (a).

Caput II. *Instauratio cœnobii Dervensis, et abbatum series.*

Collapsa Dervi disciplina

His succincte prælibatis, ocyus exaretur series inertium hæc subsequentium temporum, quæ adeo obnubilavit inscitia negligentiaque sacri ordinis, ut cœnobitæ istius de quo tractamus loci, publice intra claustra monasterii uterentur conjugibus, nuptiarum solemnia celebrantes, undique generos ac soceros adsciscebant; distribuentes generis ornamenta vel prædia, undecunque bonorum studio summo labore antiquitus comparata. Hinc ad tantam pervenere rusticitatis ignaviam, ut spretis militaribus expeditionibus, conspectuque regalis ac sacerdotalis conventus, non tam zelo sacri ordinis, quam voluptate desidis otii maluerint inrecuperabiliter amittere distribuendam vicinis militibus summam mille quingentorum et quinquaginta mansorum cum opportunitate ad ipsos pertinente, videlicet, sylvarum, pascui et agriculturæ. Abbatum tamen sibi faventium subjacebant dominio, quorum quia infanda monimenta, etiam nomina a nostra sunt abrasa memoria *a*, excepto eorum penultimo domno Alardo, cui successit lues tantæ perversitatis domnus Benzo, juste ab ipso deturbatus cœnobio. Hujus itaque expulsio, ac ejusdem monasterii iterata Omnipotentis prædestinatione interius exteriusve restauratio, ut liquidius pateat, supra memorati excellentissimi regis Rodulfi memorandorum gestorum referantur ad medium maxima præconia. Regulam etenim sanctissimi patris nostris Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum imperii *b*, solertissima industria istius principis, jubar suæ claritatis plurimis infudit Ecclesiis. Qui vero ipsis temporibus qualecunque præferebant monasticum schema, famosissimi quondam Luxoviensis nominis sese tuebantur consuetudine aliquantula. E a b F

restituitur, introducta regula S. Benedicti,

10 Sed rex prudentissimus ad decoranda jura sibi a Deo collati regiminis, ut justitiæ sectator insuperabilis, ita ecclesiarum existens instaurator inflexibilis, nequaquam passus umbraticum monachos gestantes habitum, absque aliqua ulterius aberrare doctrina, cœnobium Floriacense, insigne Reliquiis corporis piissimi patris monachorum Benedicti, corrigendum tradidit S. Odoni abbati monasterii Cluniacensis *c*. Gloriosus autem abbas locum prædictum, ut in gestis ipsius legitur, sibi a S. Benedicto adoptatum religiosissime ordinans, libellum regulæ ejusdem patris, primus eidem loco intulit. Tanta postmodum rei celeberrima fama excitus domnus Gauslinus, Leucorum urbis pontifex *d* nobilissimus, prædictum locum adiit, inspecturus rumore ad se perlatum ordinem religionis, indeque remeans, sollicitus gregis a Deo sibi commissi, descriptionem omnis monasticæ conversationis quam inibi religiosissimam inspexit, supradictam quoque re-

c d

gulam

AUCTORE ANONYMO.

gulam beati patris secum deferens, primus urbi Tullensi innovationem monastici ostendit propositi. Fretus igitur pontifex sapientissimus multimodis divinæ institutionis documentis, viris prudentibus undecunque collectis, cœnobium S. Apri, situm in suburbio Tullensi *e*, regularibus disciplinis strenue imbutum, multorum commoditati profuturum, decentissime reddidit illustratum.

e

et expulso Benzone abbate nefario;

11 Hinc itaque, exardescente circumquaque zelo sacræ religionis, horrescentibus etiam tyrannicis principibus inordinatos actus habitatorum Dervensis cœnobii, pari consensu totius regionis, domnus Benzo supradictus abbas, abinde proturbatus, coactus petere (cui loco abbatis præerat) cellam Bobini Germanicæ Insulæ, in suburbio Trecorum Augustæ *f*. Discessurus tamen, clientum pravorum hortatu, cuncta privilegia, ornamentorumque aliquanta exosæ sibi ecclesiæ secum tulit ; monachis vero suis metu invisæ regulæ in diversa fugientibus, successerunt fratres adducti a monasterio S. Apri : qui memoriam suæ prudentiæ, nostræ hactenus ætati ostentant etiam ecclesiasticorum voluminum sagaci ordinatione. Sed quibus auctoribus intromissi, priores fuerint expulsi supersedi scribere : ne ineptæ controversiæ aliquando videar fomentum præbuisse. Qui autem, qualesve exstiterint, quorum optimo studio idem locus post asperitatem tantæ hyemis, quasi revirescendo floruerit, decrevi promere scriptis, ut noscant posteri, quantæ fuerint bonitatis, quos miseratio venerandi Bercharii præordinavit pastores, posthac, et per hos suo felici ovili.

f

B

cui succedit Albericus:

12 Primus igitur eorum dominus claruit Albericus, nobilissimis natalibus ortus, indigena Remensis, monachusque S. Apri Tullensis, qui post supradictum Benzonem, competens suæ bonitati, cum regimine pastorali suscepit nomen abbatis, adoptato sibi ad supplementum omnis auxilii, domino * Assone jam dicto ac frequentius memorando, doctrina philosophica ac vitæ probitate spectabili. Hic ditissimis nobilibusque parentibus Jurensi tellure satus, Luxovio diversis litteratoriæ artis plenissime imbutus, quem in primævo flore juventutis affluentem verbo sanctæ eruditionis cum puritate vitæ innocentis, perspicue agnoscens pontifex clerusque Tullensis, multis supplicationibus eductum a Vosago, substituerunt urbi Tullensi ad magisterium sacri ordinis, ut lumen lucernæ super statuam candelabri. Ibi per aliquanta temporum volumina variis insudans divinæ præceptionis exercitiis, post maximam multorum instructionem, iterum claritas divini splendoris, videlicet Asso, opponitur effugandis Dervensibus nebulis, ad inseranda plantaria superni obsequii. Ibi postmodum, excedente vita domino * Alberico, abbas effectus basilicam SS. Apostolorum a B. Berchario quondam exstructam parvissimam reputans, maximi quod nunc frequentamus templi fundamenta jecit amplissima. Villas duas Dreiam *g*, et eam, quæ vocatur Puellare monasterium, priorum incuria amissas, rusticis earumdem agresti rabie, ut sunt adhuc pessimæ institutionis, familiæ Sancti sibi vicinæ multas inferentibus injurias, cooperante Heriberto Trecassino comite, expenso precio quantitatis non modicæ, propriæ restituit ecclesiæ, deponens ab ipsis et a pluribus aliis exactiones importunissimas, tyrannica vi superpositas.

* Do m *A. C.*

C

* Domno *A. C.*

g

quem excipit Adso

13 Ipso etiam comite amminiculante, privilegia ejusdem loci, quæ supra retulimus a domno Benzone insidiose deportata ad locum Insulæ Germanicæ, cuncta recuperavit munificentia domni Odonis illius loci abbatis, cujus precibus hic famosissimus Asso Vitam Confessoris Christi Flodoberti, primi ipsius monasterii instauratoris et abbatis, sermone veracissimo, simplici exaravit stilo. Hic etiam precibus ac jussione S. Gerardi, Tullensis urbis episcopi *h*, Vitam B. Mansueti *i*, primi dirigente Petro Apostolo ipsius urbis pontificis, dissertissime composuit. Gesta quoque S. Confessoris Basoli *k*, præfationibus facundis antepositis, cum subsequentia miraculorum lepide edita digessit ad liquidum, hocque non præsumptive, sed interpellatus a sapiente Gerberto tunc Remensis urbis archiepiscopo *l*, atque a sibi cognomine præclarissimo viro scilicet Assone abbate monasterii prædicti Confessoris. Cujus, defuncti haud post multum temporis, tumulum gratia specialis dilectionis versibus honoravit propriis, inquiens inter alia :

D

h i

k

O felix Asso, titulum tibi condidit Asso.

Opuscula præterea plura versifice composuit, hymnorum etiam aliquanta cantica, Ambrosianos hymnos elucidans glossulis. Sed et secundum librum dialogorum S. Papæ Gregorii, videlicet gesta SS. monachorum patris Benedicti carmine nobilitavit heroico, priscorum poetarum carminibus excellentiori omni modo, devictus supplicatione sibi familiarissimi Abbonis, abbatis *m* supra scripti monasterii Floriacensis, qui vir maximæ prudentiæ ferro insons noscitur occubuisse. Gesta vero hujus sancti piissimi protectoris nostri Bercharii ad extremum quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis, sparsit totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte exarata habebantur et abdita.

E

m

cujus gesta referuntur;

14 Nec vero tantummodo proderat monachalibus cœnobiis, verum plurimis clericalibus ecclesiis; inter alia commoda tradidit modos et horas orationum ac multiplicis psalmodiæ, tam æstatis quam hyemis quadragesimæve tempore, ut hactenus palam testatur verbis et affectu clerus Trecassinæ Ecclesiæ. Hujus tunc temporis Manasses præsul *n* hunc abbatem miro colebat affectu, se propriæque parochiæ actus ejus committens industriæ. Istius pontificis frater, Hilduinus nomine, eo tempore comes Arceiacensis Campaniæ, militari audacia multa crudelia commiserat facinora. Hunc Asso piissimus adeo est insequutus, quorum erat affluentissimus verbis sanctæ prædicationis, ut eum in se reversum cogeret cuncta relinquere, et profiteri laborem Hierosolymitani itineris, se ei dans comitem subeundi tanti laboris gratia piissimæ consolationis, referens actus B. Bercharii : qui adiens Hierosolymam fertur duxisse secum Wamierum tormentorum S. Leodegarii reum *o*. Itaque hujuscemodi opinionis promulgatione, multis viris illustribus excitis, determinatione istius patris dies decernitur, loca cunctis congrua ordinantur subsequendi, aut opperiendi Assonem doctissimum, operis paucis attentati famosum signiferum. Igitur anno Verbi incarnati DCCCCXCII pius pater vale dicens charissimis filiis ac fratribus ob hoc inibi plurimis congregatis, largiter flendo, deosculatis omnibus, ipse prosequutus cunctorum ingenti ululatu et gemitu, ingreditur iter via Hierusalem mundanæ. jam sibi pactis valvis matris nostræ Syon cœlestis.

n

F

o

Adsoni defuncto

15 Secuti sunt autem eum a cœnobio frater quidam et famuli usque ad ingressum maris, inde deportaturi cæteris consolatoria verba patris. Ipse vero non tantum verba, verum manu propria conscriptas inde direxit litteras, intimans se die datarum litterarum intrasse mare, ducens ad

portum

A portum urbis Babylonicæ. Sed festinantem ad majora certamina dignatio Omnipotentis evocat ad bravium cœlestis remunerationis : nam in ipso mari correptus lauguore ultimi exitus, cœpit urgeri extremi angoris singultibus, lingua tamen inrecuperabilis mansit, a sociorum consolatione inflexibilis, minime vacans a laudibus piissimi Redemptoris, cujus flentes socios commendans custodiæ, beatam animam a puppi exultationis transmisit ad gaudia patriæ cœlestis. Hujus corpus defuncti, comites illustres viri ipsius sanctitatis conscii, nequaquam passi, ut mos est, pelagi fluctibus dari, sed maximo cum honore secum quatriduo devehentes, quinto die prospero
p cursu ad portum insulæ, quæ fertur Astilia *p*, appulsi, decentissimo, ut par erat, condiderunt inibi mausoleo. Inde plurimis ejusdem comitatus perpetuum voluntarie subeuntibus exilium, aliquanti optati itineris labore peracto, remeantes, diem obitus locumque sepulturæ ac extrema mandata diu expectati patris mœstissimis detulere discipulis.

succedit Bruno.

26 Præcedentibus succincte transcursis, libuit
B paulisper immorari laudibus istius beati viri, quia hic omni felicitate felix multorum Sanctorum gesta scriptis depinxit propriis, atque ab ejus in hunc locum cum domno Alberico ingressu, omni infelicitate supradicta hæc caruit ecclesia, nec dicam caruit solummodo, verum, quod fausto utinam proferam omine! testor, augmentatam omnis decoris honore usque ad exitum domni Brunonis, septimi a venerando Alberico abbatis, septem annorum lustris hanc honorifice gubernantis. Hic vir prudentissimus ordinatus est Romæ a S. papa
r Leone IX, donatus ejus cognomine *r*, cum baculo pastorali, et benedictione condigna tanto patri. Hic etiam inter multa suæ sagacitatis memoranda opera, sæpe adiens Romana concilia, faventibus ejus probitati archiepiscopis magnæ auctoritatis, Athelenardo Lugdunensi, Hugone Crisos politano *s*, ac Mainardo Senonensi, aliisque sacerdotum quam plurimis, annuum censum Diseiacensis prædii, post tempora supra memoratæ infelicitatis primus suo loco, cujus erat juris, restituit. Usus quoque sibi decenti familiaritate successorum supra denominati S. papæ Leonis scilicet Stephani, Nicolai, Victoris atque Alexandri,
C plurima prisca privilegia, multaque moderna eorum auctoritatis confirmatione roborata, solicitus post se venturæ ætatis, istius loci prudens recondidit archivis. Ejus imperiis frequenter iteratis, impulsus hoc arripui opusculum muta pagina, a nomine auctoris, quæ ut reor stat aliquanti nimium loquacissima garrulitate inepti sermonis
t *t*. Sed scienter malui patere irridentium cachinnis, quam non implere jussa tanti patris, super miraculis B. Bercharii, quorum ipse plurima visa vel a cernentibus vel fidelium et veracium testimonio subnixis tradita, sæpe recensens, pariter ostentabat aliquanta suis manibus scedulis adnotata. Horum gratia multa præfatus sum minus utilia, scilicet causa excusationis, cur rara sint memoriæ tradita ante tempora sæpe memorandi Assonis, a cujus regimine quia narrandi inchoamus initium, eo vivente facta primum replicentur miracula.

D

ANNOTATA.

a *Abbatum Dervensium nomina non ita abrasa sunt ut nulla supersit eorum memoria : nam Gallia Christiana* (*a*) *octo enumerat abbates medios inter* S. Bercharium *et Alardum, scilicet :* Synaulium, Odonem *seu* Hautonem, Altmarum, Pardulum, Wlfaudum, Humfredum, Adalgarium *seu* Algarium, *et* Adalricum.

b *Exaggeratum merito videtur Joanni Mabillon, quæ hic de regula S. Benedicti, quasi adhuc sæculo* X *incognita esset Gallis : vide dicta a Nostris ad diem* IV *Octobris in Commentario prævio de S. Aurea Virgine abbatissa* (*b*). *Certe in Concilio Moguntino anni* 813, *a* XXX *episcopis et* XXV *abbatibus celebrato, dicitur canone* XI (*c*) : Abbates autem censuimus ita cum monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi, qui in præsenti synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt; id est secundum doctrinam sanctæ regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas. *Si igitur* regula sanctissimi patris Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum imperii *fuerit, hoc ita intelligendum est, ut ejus memoria apud Francos, collapsa regulari disciplina, omnino fere oblitterata fuerit.* E *Cæterum, si ante Odonem Cluniacensem Dervenses umquam Benedictinam regulam professi fuerint, utpote qui a* Bercharío *patre Luxoviensem normam edocti fuerant, difficile dictu est. Confer quæ in hoc argumentum scripsere Nostri ad citatam Vitam S. Aureæ* (*d*).

c *Obiit S. Odo abbas Cluniacensis anno* 942. *Ejus festum colitur die* XVIII *Novembris.*

d *Obiit S. Gauzlinus anno* 962, *die* VII *Septembris, ad quem diem Nostri ejus Acta edidere* (*e*). *Vide chartam, qua restituit monachos in cœnobio* (*f*).

e *Erat cœnobium S. Apri sub regula S. Benedicti et Congregationis SS. Hidulphi et Vitoni. Colitur S. Aper, episcopus Tullensis die* XV *Septembris, ad quem diem ejus Acta require* (*g*).

f *Cella Bobini, hodie* Monstier la Celle, *Congregationis S. Vitoni cœnobium erat, ejus primus abbas fuit S. Frodobertus, cujus Acta vide ad diem* VIII *Januarii* (*h*). *Unde nomen* Insulæ Germanicæ *loco adhæserit, non mihi constat : clausus est duplici fluviolo cui nomen Vigenna,* la Vienne.

g Dreiam, *hodie* Droyes, *a Dervo non multum dissita est parochia ruralis.* Heribertus *seu* Harbertus, *de quo hic agitur, est hujus nominis* secundus, *comes Campaniæ et Trecarum, filius Heriberti* F *I, comitis Veromanduorum et Trecarum, frater Roberti, cui successit anno* 968 : *obiit* IV *kal. Januarii anni* 993. *Nicolaus Camuzat refert diploma Heriberti* (*i*) datum XVI kal. Febr. an. XIV, regnante domno Lothario rege Francorum. Actum monasterio Dervo publice. *Hoc diplomate concedit Heribertus Dervensibus mercatum, pontanaticum atque salnivum, quoad medietatem, quatenus in villa Olumna exsistunt.*

h *Colitur S. Gerardus die* XXIII *Aprilis, defunctus anno* 994 ; *ejus Acta occurrunt ad dictum diem* (*k*).

i *Mansueti memoria celebratur die* III *Septembris : ejus Acta ad hunc diem Nostri dederunt* (*l*).

k *S. Basolus in agro Remensi colitur die* XXVI *Novembris.*

l *Gerbertus, Remensis archiepiscopus, anno* 999 *summum pontificatum obtinuit, dictus Silvester II.*

m *S. Abbo Floriacensis abbas martyrium subiit circa annum* 988 ; *colitur die* XIII *Novembris.*

n *Manasses I obiit, ut videtur, anno* 991. *Dedit Adsoni Dervensi tria altaria* videlicet : de Laderciaca Corte *(Lassicourt),* de Doninica Corte *(St Crestophe)* et de Requiniaca Corte *(Cors S. Leger lez Briené).* Actum Trecorum civitate publice

(*a*) T. IX, col. 910. — (*b*) T. II Octob., p. 481, n. 34. — (*c*) Labbe, t. VI Conc. col. 1245. — (*d*) T. II Octob.. p. 478 et seqq. — (*e*) T. III Septemb.. p. 129. — (*f*) Ann., t. III, p. 653. — (*g*) T. V Septemb., p. 55. — (*h*) T. I Januar., p. 505. — (*i*) Promptuar. Ant. Tricass., fol. 85. — (*k*) T. II April., p. 206. — (*l*) T. I Septem., p. 615.

A sub die v April. anno IV regnante domno nostro Hugone rege (*anno* 991) (*a*). *Confer Atlantem Cassinianum.*

o *Confer Commentarii prævii num.* 62 *et sequentem.*

p Astiliam insulam *e solis* S. Bercharii *Actis cognoscimus ;* Astypeleam *hodie* Stampaliam, *insulam archipelagi, suspicantur esse auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (*b*).

r *Bruno, ante benedictionem* Wandelgerus *dictus, baculo pastorali donatus fuit a S. Leone IX, kalendis Maii anno* 1050 (*c*).

s *Chrysopolis* Vesuntio *dicta medio ævo : originem nominis require in Hadriani Valesii Notitia Galliæ, verbo* Vesuntio.

t *Hisce verbis, ut præmonui Commentarii prævii num.* 17, *ætatem Anonymi indicatam habemus.*

Caput III. *Miracula S. Bercharii.*

Heribertus comes sanatur ;

a

B Heribertus comes, qui cognominatus Vetulus, cujus supra meminimus *a*, incurrit quondam validæ febris nimium incommodum, cujus ardoribus frigoribusque dum laboraret multo tempore, plurimorum quæsivit auxilia Sanctorum, ut eorum meritis quiret adipisci aliquod remedium, Parisius, Mettis, Trecis Sanctorum expetiit suffragia, Sancti quoque Remigii, et B. Memmii *b* adiens sepulchra, aliorum etiam Sanctorum visitavit loca, quorum non placuit meritis ut præstarent opem illius sanitatis. Novissime Vitriacum venit nimis afflictus, auxilium Domini sperans, virtute qui inibi habetur clavi ejus. Verum Dominus noster Jesus Christus, qui nec sic ei largitus est sanitatem, inspiravit, ut superprædicandi patris Bercharii interventu, posceret fratrum hujus loci orationum solamen. Mittens ergo ad magnum abbatem Assonem, obsecrat, ut pro eo, tam ipse, quam omnis congregatio, Dei ac Sancti Martyris imploraret meritum, quia vitæ suæ nullum ultra aliud sperabat auxilium, nec ei veniendi ad S. Bercharii limina aliqua suberat facultas. Hanc legationem recolendus Asso benigne suscipiens, quoniam ut adhuc liquido patet, hujus loci utilia idem princeps, ac si sua, procurabat : adscita omni congregatione, statuit ut C propriam ea nocte pro eo funderent orationem, soluturi in crastino Missæ matutinalis itidem pro eo celebrationem. Ipse quoque Deo devotissimus abbas, Missa peracta, catenam S. Petri cum aliqua parte Reliquiarum S. Martyris lavans, ei in vase parvissimo transmisit ad potandum. Ipsam ergo lavationem ut libavit, mox somno corripitur, surgensque post longam pausationem, nullo monente, cibum petiit, sanitati deinceps restitutus. Ipse autem ut Samaritanus Deo gratias reddens, ob memoriam tanti beneficii, medietatem terræ, quam habemus, Ulcenias, sanctis Apostolis Petro et Paulo et B. Berchario Martyri dedit, ipsemet eo pergens, atque ad confirmationem largitionis inde se expelli a quodam nostro monacho nomine Albuino fecit *c*.

c

rusticus prædo punitur :

18 Relatum est supra studio memorandi Assonis, ac auxilio jam dicti Heriberti comitis, restitutas dominio hujus ecclesiæ villas duas, id est Dreiam et Puellare monasterium, quibus vicinus est locus parvissimæ insulæ, dictus ab antiquo Mangisvillare. Ibi B. Bercharius avidus vitæ solitariæ, primam olim construxit ecclesiam in honore S. Albini, perlustrans abdita Dervensis sylvæ, quo postea vitans frequentias sæcularium, D sæpe Deo fudit gratiarum *libamina precum, solitus pernoctare ibi cum discipulis, si quando contigisset, causa alicujus necessitatis demorari circa Puellarum monasterium, in villa istius nominis ab eo exstructum. Verum peccatis imminentibus monasterium illud monialium postmodum est adnullatum, et ecclesia illa funditus redacta ad nihilum, non tamen omnino locus desolatus largitate cœlestium donorum : nam villæ Puellaris monasterii quidam rusticus, nomine Vulfarus, cernens studio venerandi Assonis undecunque saxa adunari ad ampliationem hujus templi, parvipendens, utpote alienus, dominium monachorum, adnexis plaustro quatuor paribus boum, pergit devehere lapidem altaris ecclesiæ supradictæ insulæ. Hunc ergo plaustro impositum, rediens venit ad vadum per quod introierat, moxque tanto pondere fixi sunt boves, ut trahere ad aquam minime possent : exclamat itaque rusticus, stimulo fustibusque agitando boves, sed nequaquam proficit : volens flectere animalia ad dexteram vel ad lævam, nec sic adipiscitur efficiendi aliquam possibilitatem. Ad hoc factum E villæ jam dictæ multi convenientes, mirabantur super hac re, ac divinitus inspirati, protestabantur nolle Deum, ut altare exstructum opere famuli sui, ab eo loco posset educi : quod audiens, versus ad orientem, spondet Deo Sanctoque Berchario lapidem sese loco proprio relocaturum, si ejus nutu reciperent animalia perditum gressum. Hæc dicens, boves concutit, et statim mirum in modum videres eos citius retro redire, quam antea fecissent in nullo recto itinere, atque ita suo loco restitutum est altare. Exinde Dominus illic multas virtutes operari et locus cœpit venerationi haberi : ea occasione ac opera Assonis abbatis, qua sunt redditæ villæ supradictæ ditioni hujus loci. Quando, Deo disponente, domni Assonis tempore hoc cœnobium cœpit germinare, ut iterum quasi virescendo relevaretur, sicut sæpe superius protulimus, non solum villæ cœperunt rehabitari, sed etiam in locis et saltibus, ubi numquam fuerant, cœperunt rustici, qui undique confluebant, incolæ fieri.

* gratarum *A. C.*

cæca visum recipit :

d

F 19 Itaque per id temporis construebatur quoddam mansionale super Sufflanam fluvium *d* desuper Lutosas, quod adhuc, a primi habitatoris nomine, Haraoth mansionale nuncupatur. Ibi inter primos habitatores quædam vidua commanens cæcam habebat filiam. Factum est autem ut monerentur a scientibus vicinis, quatenus ad ecclesiam Lutosas, quam S. Bercharius ædificavit ad honorem S. Martini, properarent, imploraturæ Domini misericordiam, Sancti quoque Bercharii ipsius constructoris, et S. Confessoris Martini, cujus nomini ac honori B. Martyr eam dedicando tradiderat. Mater, ut hoc comperit, die statuto petitura ecclesiam, ibi quam ferret filia plena fide, paravit candelam. Dum ergo pergentes ad ostium venissent ecclesiæ, filia cæca quæ a matre ducebatur, contemplatur divinitus accensam, quam gerebat manibus suis, candelam. Exclamans autem dicit matri suæ : Mater, candela mea accensa est ; genitrix respiciens videt candelæ flammam, et cum exultatione interrogat filiam : Tenerrima filia quomodo scis ? Et illa : Quoniam bene domina prospicio. Tunc utræque, oblato munere ac fusa oratione Christi Martyri sanctoque Confessori, gaudentes, et Deo gratias agentes, domum sunt reversæ. Ut autem comprobaretur juvencula utroque suffragatore sanitati reddita, palam ostendit se, ibi suscepisse munus

gratiæ

(*a*) Camuz. Promptuar., fol. 83. — (*b*) Hist. de la Fr. litt., t. VI, p. 475. — (*c*) Gall. Christ., t. IX, col. 917.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A gratiæ duplicis, scilicet restaurationem luminis, et custodiam perpetuam virginitatis, nam perfectissime lumen promerita, sacrum velamen suscepit, quod per plures annos usque ad obitum devotissime servavit.

S. Berchario insultans,

20 Locus, Monasteriolus dictus, cum ecclesia, quam ibi B. Bercharius in honorem Sancti Mauricii ædificaverat, ad nihilum ipsius temporibus sic erat redactus, ut nec super sacratissimi altaris lapidem remansisse contingeret operturam : nec etiam ab ullo frequentabatur ; sed cura et juge studium officinas hujus monasterii renovantium, haud procul ab illo repererat semitam, qua facilius possent lapides advehi. Ipse quidam locellus, undique sylva magna circumseptus, penitus vero circa præscriptum lapidem confusa frutetis gramina abundabant. In hac præterea monasterii villa, Joannes vocitatus quidam extiterat homuncio, habens malæ institutionis filium nomine Dagobertum. Hic die quadam circa prædicti loci confinia dum ob custodiam sequeretur animalia, cæteris cum pastoribus sequentibus gregem, pro comperta fertilitate interiora penetrantem, nequid abduceretur, adolescens nefandus solus remanens, sacrum ascendit altare, atque ipsum quod gestabat ferro tangens, ait : Mea hic erit statio, pecusque meum, cujus reversionem haud comperero, inreverenter ab hoc exigam Sancto. Tali vesaniæ insistentem socii ut repererunt, nimia vix supplicatione ut descenderet meruerunt. Sed ut ex tantæ benedictionis fastigio malesanus descendit, tantus nimiæ tribulationis vigor super eum ascendit, ut nisi per contribulium subvectionem ad genitorem valeret repedare mansionem, plurimosque dies lethali angore contritus, et oculis orbatus, post modicum lamentandæ pravitatis indultum spatium, præsentis vitæ accepit terminum. Exinde arborum densitate radicitus eruta, oratorium illud reædificatur, hactenus habitatorum assiduitate usitatum, fruunturque illic dominica miseratione, qui tota eam expetierint devotione.

B

et alius altare violans punitur :

21 Non minus mirabile accidit de lapide altaris, quem mellitus pater et pastor Bercharius ad honorem S. Sulpitii dedicavit. Quidam militaris ordinis vir fuerat generosus, plurimis excellens possessionibus, inter quas possidebat quoddam

C prædium, Cryptas vocitatum, cuncta opportunitate floridum, ac fœcunditate quam exigit simplex ruralis incolatus decoratum. Id vero duriter perturbabat eum, quoniam si terrenorum cunctæ adessent commoditates, illic, quo primum Dei quæreretur regnum, nunquam fuerat Christi tabernaculum ; volens igitur in eo basilicam ædificare, jubet devehi prædictum altare. Locus autem, quo ecclesia jam dicti S. Sulpitii fuerat, est

e juxta viculum, qui dicitur Tiliolus *e*, constans ex hujus monasterii manso, sed cuncta ejus constructio præter memoratum lapidem delata erat sub cœlo. Itaque plaustro adducto, quidam rusticus petram superponens, redditos semitæ boves deducere cum cœpisset, post modicum spacium boves exorbitantes, minime ultra progredi valuerunt ; miser vero homuncio nimium fatigatus, sæpissime conclamando, et stimulando eos, quamquam parum proficeret, ut potiretur requie, supra conscendens resedit, nesciens se magis dolori oppositum, quam fatigatione exutum ; mox etenim dolore obsidetur gravissimo, boves etiam non potuerunt pedes movere a loco. Sic tandem convictus descendit, lapidem deposuit, ac in loco illo eum relinquens, domum petiit, eoque languore per aliquod tempus maceratus, vitam amisit, animalia etiam peste consumpta sunt. Dominus vero, qui hæc jusserat, videns quod acciderat, nec lapidem a loco ubi fuerat projectus removit, neque oratorium, quod ædificare disposuerat, inchoavit, timens quod displiceret Omnipotenti ; sed post L et amplius annos filius prædicti divitis, in viculo, qui dicitur Villaris, ecclesiam condidit, ac sæpius dictum lapidem advexit, et ex eo altare ibi constituit.

AUCTORE ANONYMO.

22 Fidelissimus Dei abbas Berengerius, successor dignissimus memorandi Assonis, audiens quosdam a partibus Tullensium volentes cupiditate prædæ et spoliorum, effringere istud monasterium, indixit ut ipsa cortis cœnobii valde muniretur, et vigiles ipsam circumeuntes omni nocte insisterent. Post aliquas vero noctes, dum circumissent ambitum cortis vigiles, et ad partem orientalis fenestræ secus altare S. Mariæ clamantes et clangentes, ut mos est castrorum, restitissent ; ecce vox a parte templi clamans vigilibus insonuit : Qui estis vos tanta inquietudine insistentes Deo et Sanctis ejus in hoc loco, quisve jussit ut hæ vigiliæ circa Dei agerentur tabernaculum ? Illi respicientes ad sanctuarium, imaginem loquentis testati sunt se vidisse circumfusam immensa claritate, et ob nimium pavorem nihil aliud sunt respondere ausi, quam quod illorum Dominus abbas hæc jusserit. Quibus vox loquentis talia intulit : Dicite abbati : Nunquid non prævaleat adhuc servare hunc locum, qui hactenus protexit eum ? Videte ne ultra convenientes, taliter hic inveniamini. His dictis disparuit, et illi continuo halitum vix habentes aufugerunt. Horum unus vocabatur Grimoldus de Tribus Fontanis, alius Joannes. Hic Joannes circiter XXX postea vivens annos, meruit narrare multis hanc S. Martyris servorum suorum consolationem. Alter verbo Grimoldus metu ipsius visionis infirmitate captus, ante annum vitam finivit. In eodem autem loco nullus deinceps vigil deputatus est, et illi, qui eo tempore hunc volebant infringere, convenientes circa urbem Tullensem, hospiciaque suscipientes, orta inter eos contentione, plures ex eis inibi ferro interiere, qua de causa nimium perturbati reliqui, redierunt ad propria. Post aliquot etiam dies ductor eorum vita privatus est, sicque Deus protexit hunc locum, propter sui famuli et custodis nostri Bercharii meritum.

S. Bercharius suorum custos.

E

F

ANNOTATA.

a *Actum fuit supra num.* 12 *de Heriberto, qui licet vocetur* Vetulus, *tamen hujus nominis est secundus.*

b *S. Remigii Acta vide ad diem* 1 *Octobris* (*a*) *et S. Memmii episcopi Catalaunensis ad* v *Augusti* (*b*).

c *Est modus notabilis, quo quis dominium rei alteri tradit.*

d *Est fluviolus Sublana,* Soulaines, *quo villa Lutosæ alluitur ; paulo supra ponitur in mappa Cassiniana locus* Aromagny, *quem suspicor nomen ab Haraoth mutuatum fuisse.*

e *Vide annotata ad cap.* III, *lib.* I, *annotatione* g.

CAPUT IV. *Continuatur narratio miraculorum S. Bercharii.*

Claudus sanatur ;

Quidam claudus ultra Mosam fluvium habitans, nomine Girardus, per visum docetur, ut si sanitatem recipere vellet, dilecti Dei Bercharii

(*a*) T. I Octob., p. 59. — (*b*) T. II Augusti, p. 4.

suffragium

AUCTORE ANONYMO.

suffragium festinus quæreret. Optatum is callem dum requirendo teneret, ad cujusdam nostri clerici, qui Bruno dicebatur, mansionem pervenit, ac huic causam sui adventus aperuit, qui prædictum debilem deduxit ad monasterium gaudens, decimoquinto die ante festum Ascensionis Dominicæ; deinde per tres dies ante Ascensionem, in quibus litania fieri solet, ultra posse suum secutus est turbam monachorum, semper orans, qui ferebantur, merita Beatorum : id quoque in die Ascensionis non minus devote peregit. Feria vero sexta, et sabbato sic fuit fatigatus, ut ex hospitii lecto, quod Deo plenus abbas Bruno ei deputaverat, nequiret exire. Nocte igitur, quam Dominicus dies sequebatur, iterum quare monasterium reliquisset interrogatur, ac mox repetat, jubetur. Mane facto, ecclesiam petiit, et usque ad publicam Missam ab ea non discessit. Dum autem legeretur Euangelium cœpit tremere, et paulatim vehementer planctus emittere; ut enim perventum est ad Secreta, dum cogeretur ut quiesceret pro Missæ reverentia, pertonabat his vocibus : Ecce morior, ecce morior. Jacens enim ad terram B secus dextri chori introitum, dirigebantur nervi ejus, ac velut ex aqua exisset, fluebat sudor per corpus ejus : tali equidem passione vexatus est usque ad Completas; tunc denique totus fuit extensus, sed manebat ut ad exitum spiritus : quod quidam nostrorum, Odo nomine, seniorum cernens, tactus Dei fiducia et validus corpore, jacentem qui fuerat claudus, seminecem arripuit, et ante S. Petri altare deposuit. Post modicum deinde spatii, ut ad se homo rediit, memoratus senior cœpit eum deducere, quasi mater docens eum incedere. Senioribus autem hinc laudes Jesu bono psallentibus, omne suburbium accurrit et tantus in eis ardor excrevit, ut quasi Salvatorem Dominum nostrum præsentem intuerentur, quisque certaret sacro altari deferre munus. Qui vero hæc ignorans superveniebat, et nil præter indumentum quo tegebatur detulerat, continuo illud offerebat Deo et suis Apostolis pro amore Bercharii sui Martyris. Nequaquam ex toto possumus exprimere, quam vehemens gaudium extitit ipso die, sed lachrymarum ubertas, quæ a monachorum gaudio procedebat, et occursus populorum, quo affluebat, testimonium perhibuit C quod paraliticus, de quo lectum est in euangelio præsens *a*..... Unde tantus odor hinc emanavit, ut ex multis partibus ante noctem multa plebs advenerit, et a partibus Campaniæ et de Barro super Albam *b*; de cujus parte videlicet de vico, qui Salex *c* vocatur, quædam cæca affuit nomine Lamfendis, quæ continuo promeruit lumen, et hæc pro tanti muneris devotione, sacrum excepit velamen, quod usque ad obitum magnifice gessit. Convenit etiam magna multitudo debilium, videlicet cæcorum, claudorum, ardentium, aliorumque infirmorum, ex quibus plures visus, gressus, extinctionis, variæque sanitatis gratiam adepti sunt; nemo tamen extitit aliorum, qui non aliquod sentiret remedium. Is vero Girardus per plures annos in hoc loco mansit, deinde monachalem habitum accepit.

Dervum a S. Bercharii *d*

24 Altera die Rainardus quidam de Villa Carcerali corte *d* astitit, cui totus dexter jam arserat pollex. Hic athletam carissimum Domini Bercharium invocavit ad subventionem, et mox adipiscitur arsionis extinctionem. Crispiacus *e* villa quædam dicitur, sita in confinio castri Breonensis et sylvæ Dervensis; hæc ab antiquo latronum extitit altrix, utpote admixta sylvæ, quæ immensa circumquaque diffusa, præbet hujus studii hominibus grata latibula. Istius itaque villæ D miles quidam Berterus nomine, cum suorum complicium turma clanculum adgressus villam quandam super Maternam fluvium in comitatu Pertensi *f*, maximam inde suum multitudinem *f* adduxit. Hos insequuti viri ipsius regionis, nequaquam valentes attingere, per hanc reversi villam, ab hominibus hujus S. Martyris sues suos cœperunt exigere, asserentes eorum ductu se eos amisisse. Istis vero hæc contradicentibus, sese illic adfirmant reversuros, nihilque in omni hac villa relicturos, verum neque S. Bercharii corpus. Plurima ergo insanissime comminati, diem statuunt reversionis, interim obligantes sacramento omnes colonos supradictæ Pertensis regionis ad direptionem hujus loci. Tandem statuto tempore simul convenientes, elegerunt septingentos ex tanta multitudine, jubentes cæteros ad propria remeare, validiores septingentos, ut diximus, retinentes, non causa alicujus nostrorum timoris, sed ad ostendendam magnitudinem suæ potestatis, sibique præfecerunt quendam virum nomine Badinum. Prænunciatur hujus ecclesiæ fratribus, unde perterriti sunt non modice, hinc E quoque amplius angebantur, quoniam aberat Domini Berengerii *g* abbatis venerabilis præsentia: *g* devotissimus etenim Deo abbas Willermus, S. Benigni Divionensis ecclesiam religione et parietibus per auxilium Brunonis, Lingonensis episcopi, miro opere innovaverat, ad cujus dedicationem prædictum patrem sibi familiarissimum invitaverat.

25 Fratres itaque quod solum repererunt consilium, legatione directa, hostes ut quiescerent oraverunt, promittentes, reverso patre die statuto, se suosque omne eis jus legaliter exhibere: ipsi interim psalmis et orationibus S. Martyris notum flagitantes auxilium, signorum ecclesiæ sonitu notificabant suo parvissimo populo hostium adventum. Adversarii autem, humillima fratrum legatione spreta, ac, quia inde sæviores effecti, cum fremitu valido appropinquantes, occupaverunt collem, quo nunc habetur vinea prope ecclesiam S. Remigii, quem ob pugnam inibi factam, hactenus incolæ Castellionem vocitant. Ruricolæ vero nostri fere * viginti animati spiritu Domini, fractis obstaculis, quibus detinebantur a monachis, eorum verentibus interitum, parvipendentes multitudinem hostium, pugnam inituri, in eos F irruunt *, supervenientibus a foris eorum auxilio septem equitibus, tunc temporis in hac villa habitantibus, nam cæteri equites et famuli diversa petierant, causa obsequii fratrum et abbatis. Itaque antequam convenirent, densitas fumi ingens inter utrosque apparuit; quod cernentes adversarii paucitati nostrorum neglexerunt occurrere, sed baculos, quos omnes tantæ multitudinis cum lanceis gestabant, super eos jactantes, ut pulverem æstimaverunt consternere : Deus autem, qui servorum suorum servos animaverat in rebelles suos, meritis S. Martyris ab ipsa baculorum grandine omnes ita reddidit illæsos, ut neminem eorum tetigerit tanta fustium multitudo. Hac defensione nostri alacriores effecti, continuo se miscentes adversariis, suprascriptum ductorem illorum necant, ruentibus cæteris, ut folia arborum vento * tempore hyemis. Ita B. Martyris auxilio vigenti septem virorum impetu, cedentibus septingentis, sylva proxima quum sibi rebantur auxilio fore fugientibus, causa perniciei cœpit, furore Domini imminente, existere; nam frondes undique super eos cadentes plurimos vulnerabant, multos interficientes; quidam autem gemi-

protectum.

* *deest* fere *A. C.*

* irruerunt *A. C.*

* *deest* vento *A. C.*

tu

AUCTORE ANONYMO.

A tu morientium, casu ramorum vel foliorum adeo terrebantur, ut magis certarent se fruticibus inserere, quam iter fugiendi arripere. Stupore igitur tantæ ultionis circumquaque territi hujus ecclesiæ adversarii haud parvo temporis spatio passi sunt quiescere familiam eximii protectoris Bercharii.

Monachus apostata

26 Frater quidam Hugo nomine dictus, cujus mirificam visionem, simulque pia merita piissimæ Dei genitricis Mariæ, S. quoque Bercharii Martyris ab ipsius inferorum claustris manifestam liberationem scribere conamur, loco *h*..... sub strenua monachorum disciplina, puer Deo fertur oblatus *i*; cui a primis annis vivere, ut libuit, majorum religio prohibuit, sed diversis artium exercitiis non mediocriter instruxit, et eorum rectos actus volens nolensve sequutus est, usque in tempora juvenilis ætatis, quando, ut illa fert ætas, nimis dissolute, ut libuit, vivere quæsivit. Sed quia religionis usus talia prohibendo compescuit, exosum tenuit, quod pie amare debuit, fratrumque, cum quibus fuerat altus, collegio posthabito, fugit Cathalaunum. Hujus tunc urbis pontifex B Gibuinus, agnita ejus scientia, gratanti cum benignitate retinuit, impellens eum ad renovanda opera suæ ecclesiæ, quæ erant obnubilata multorum temporum vetustate, suarum opum ei tribuens fruendi liberum arbitrium. Ille vero dum hujuscemodi mortalis vitæ gloria fruitur libere, ultra modum cœpit oblivisci futuræ; sed amator benignissimus, qui omnes vult magis salvos fieri quam perire, mirabiliter revocavit laqueis mortis devinctum misericordissima sua pietate : nam prædictus antistes, cujus utebatur suffragio, ad consecranda mœnia templi SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Bercharii Martyris, cujus prima fundamenta, ut præmisimus, venerandus Asso abbas locaverat, ire disponens, Deo ordinante, secum duxit hunc sibi familiarem. Itaque prudentiam studiorum hujus auditu percipiens, honorandus abbas Berengerius cum suis ingenti supplicatione impetravit ab ipso eum sibi dimitti. Redeunte autem pontifice ad propriæ sedis cathedram, prædictus abbas fratresque hunc sibi favorabiliter relictum, in remoto diversorio cum sibi necessariis manere constituerunt, ubi ad votum cuncta ei etiam superflua (quod dictu grave est) miserantes *, formam crucis Dominicæ jubent, ut noverant eum posse, formose componere; sed Salvator sæculi, qui lavit crimina mundi, non passus est, impune formari imaginem sui vultus ab ejus neglectis manibus, quem longanimi tolerantia jam expectaverat diu : nam componens effigiem crucis, dum formose in ea sculperet imaginem Redemptoris * pro redemptione omnium patientis, acri languore correptus ad extrema perducitur.

* ministrantes *A. C.*

C

* Salvatoris *A. C.*

ad meliorem frugem reductus.

27 At vero oppressus supplicio vix tolerabili, lachrymosis supplicationibus auxilium fratrum implorare cœpit, ut eum quam citissime habitu monastico renovarent, sub quo confitebatur se vixisse, ut lupum sub ovina pelle fraudulenter. Fratres ergo, ejus vehementissimæ angustiæ compatientes, diversorium, in quo languens decumbebat, compleverunt lachrymantes, ac ferventi charitate, quod petierat, concesserunt regulariter. Invidus autem omnium bonorum et seductor animarum diabolus, cernens miserum jam reformatum indumentis dudum stolide spretis, diu conquestus injurias sibi inlatas ab ordine monachorum sacro eique odioso, infremuit in eum, renovans per multa machinamenta dolosum ac multiplex ingenium. Mox itaque cum immensa dæmonum turba, duo adsunt teterrimi, qui barbarico impetu irrumpentes domicilium ægri moliebantur, si foret possibile, violenter abstrahere miseram animam a corpore. In quorum contentione dum fierent moræ, Deo protegente, unus alterum arguit, cur inducias darent pro qua venerant animam rapiendi; cui cum responsum opponeret, quod præclarissimus Dei Martyr Bercharius, cujus sacra ossa inibi tumulata venerabantur, eum protexerat, alter se non posse respondit, quoniam videret eum munitum viatico Corporis Christi, et defendi precibus monachorum ipsius Martyris Bercharii. Sed, dum prolongata altercatione, horrifico strepitu terrerent miserum, subito et mirabiliter ipsi ægro patienti cernentique hæc omnia, apparuit manus sola, quæ eis ineffabili misericordia fecit dividuum atque aufugium, sic imperiosa Dei auctoritate liberans viribus defectum : Beata siquidem Dei Genitrix et vere Beata omni refulgens pietate, dum piissimis auribus attenderet querimonias fratrum, exitum ægri orationibus præmunientium, non distulit mittere unici protectionem ad sustentandam imbecillitatem infirmi. Ipsa quoque Archangelorum Domina non multo post venit, sua benigua pietate manifeste visere dissoluta membra infirmi, ne raperet malignus, quem sacro sanguine suo Jesus Christus ejus redemerat filius : nam in titulo crucis, qui stabat ad pedes artificis decumbentis, subito visus est illucescere globus æthereus, lacteis involutis circulis, et condecoratus per designata loca radiantibus stellis. Hic visus est mirabiliter, Deo cooperante, in binas partes dividi, ejusque in medio cœlestis regina subtili et ineffabili veste fulgere, ut nulli foret dubium Genitricem Dei esse : in cujus apice, dum tam sancta micaret beatitudo, descensum fecit per mediam crucem a summo usque ad imum, strata via auro, residens (quia domina) in filii solio. Tunc fratrem, non minus attritum gravissimis languoris tormentis quam dæmonum insidiis, virgo piissima talibus dignata est roborare alloquiis : Ecce miser homo, meis et famuli sui Bercharii precibus filius meus ad misericordiam flexus, tibi pœnitentiæ indulsit tempus, ut ad locum in quo Deo et Sanctis ejus oblatus fuisti rediens, vitam deinceps ut expedit corrigas. Hæc dicens, protensa manu misericordiæ, perturbato dæmonum agmine, eum erexit et reliquit bene se habentem, ac quæ pertulerat conspexeratque astantibus flebiliter referentem.

E

F

ANNOTATA.

a Bar-sur-Aube, (Département de l'Aube), *oppidum non ignobile ad Tricassinam diœcesim pertinet.*

b *Lacunam nullius manuscripti ope explere nobis licuit.*

c Salex *fortassis* Saucy, *qui locus Barro adjacet.*

d Villa Carceralis *mihi ignotus locus, sed qui non videtur a Dervensi cœnobio multum dissitus.*

e Crispiacus villa *videtur esse vicus, quasi medius inter Breonam castrum* (Brienne-le-Château) *et Dervense cœnobium; fluviolo* Brevonne *insidet.*

f Pagus Pertensis, *etiam* Pertisus *et* Portensis *dictus, in quo jacet* Puteolus *seu Dervum monasterium, ut constat ex charta Ludovici Pii*, data XIIII kal. Martii anno Christo propitio XVIIII imperii Domni Ludowici piissimi Augusti, Indictione X. Actum Aquisgrani palatio; *in qua dicitur :* Haudo venerabilis abba Monasterii, cujus vocabulum

est

A est Ders, quod constat constructum in pago Pertense super fluvium Viera *(La Voire)* quod olim vocabatur Puteolus, *etc.* (*a*).

g Beringerus *erat* XIV *abbas Dervensis ; vide elogia tum* Brunonis, *Lingonensis episcopi, tum* Gulielmi I, *abbatis S. Benigni, in Gallia Christiana* (*b*).

h *Hiatus in omnibus, quos novi, codicibus exsistit.*

i *Ex consequentibus videtur Hugo, apostata, in Dervensi monasterio olim professus non fuisse.*

CAPUT V. *Alia miracula S. Bercharii.*

Opus servile die festo exercens punitur, et sanatur.

Feriatus quidem dies fuerat, vel sicut, qui illius temporis supersunt plurimi, protestantur, sacratissimi Jesu Christi Martyris Laurentii solemnitas totum orbem gaudio repleverat. Qua die quidam homuncio miserandus, nescius sibi, sed irrationabiliter uti asinus vivens, messis campum quo immitteret falcem, ingreditur, dumque insisteret incisioni, unus ex manipulis intrinsecus manui affirmatur, quem nullo modo valuit abjicere, quoniam nec manum aperire poterat, neque B unam ex spicis quas duricies manus articulis impresserant expellere quibat. Augustia itaque ingenti perterritus, ad mansionem gressus dirigit, gestans vicinorum gregi admirationem, et Dei rebellium inobedientiæ ostentaturus confusionem. Vicinorum itaque animatur consilio, ac diversa circumire loca Sanctorum. Expetiit S. Mametem *a* *a*, Lingonis monachorum gemmam, et Martyrum *b* glorioso agmine septum Desiderium *b*, simulque *c* cœlestes Geminos *c* cum innumerabilibus circumquaque Sanctorum meritis. Deinde perlustravit *d* Trecis Sanctorum Martyrum Saviniani *d* et Pa- *e* trocli *e* sepulchra, cum cæteris multis quos enumerare longum est, inter quos, ut in cœlo lucifer *f* coruscat felix Lupus antistes *f*. Hi autem et alii Sanctorum spiritus sicut ante conspectum divinitatis summæ audierant deliberatum, quoniam alterius officium existeret, exaudire distulerunt hujus hominis preces. Verum Jesus noster, qui agmen suorum magnificat, hujus appulit sua pietate animum, quatenus non infimi Martyrum Bercharii efflagitaret ad hanc necessitatem merita : dum enim volens intrare cortem, venisset C ad pontem, qui de parte pratorum venientibus præbet ingressum, supraque conaretur ascendere, vespertinale signum ilico forte sonuit, atque angustiatus homo sic ore clamavit : Senior S. Berchari, succurre huic meæ necessitati. Ad hanc vocem manus relaxatur, ac spicæ cedunt humotenus, quas collegere consequentes, et cum homine lætificato senioribus perferunt; quos dum cantare habebant vespertinales hymnos, cœperunt psallere matutinales, siquidem Te Deum laudamus. Spicæ autem ad hujus rei testimonium multo tempore in hac ecclesia pependerunt, et in loco ubi ceciderunt, invito portatore, usque ad hæc nostra tempora crux erecta mansit.

Milo raptor punitus.

29 Milo nomine quidam miles terram de thesauro S. Petri, in Baldulficorte *g*, ut causa advocationis teneret, invasit, quam magis comprimebat, quam defensabat. Multotiens super hoc abbatis jussu ammonetur a seniore, cujus providentia thesaurus regebatur, sed dum nullam honori superno reverentiam pertulit, febre valida corripitur : cum autem ex nulla parte posset remedium excipere ad B. patris Bercharii veniens subsidium, se confitebatur reum et invasionem possessionis non facturum : mox ab infirmitate convaluit : et post aliquantulum temporis relicta D complectitur, prædictus dolor ac amplior eum arripuit, et, ut prius, promissa emendatione, ante Sanctum se reddidit culpabilem et assecutus est sanitatis gratiam : veritas namque dixit : Qui quærit invenit. Is mortem prosequebatur et repperit, nam tertio Beati Martyris bona absorbuit, et triplex dolor eum contrivit. Coactus ergo restituit Sancto quod invaserat, et jurejurando non facturum amplius promittebat : Deus autem, ut scriptum est, ne ab eo deinceps derideretur, vivendi finem illi largitur : antequam vero moreretur, mandavit ut misericordiæ patris corpus suum ferretur, quod et factum est, et intra ecclesiam sepultus. Recipiens ecclesia res suas solide possedit usque ad hæc nostra tempora, donec et plurima Stephanus eas dolo obtinuit.

Cæcus sanatus :

30 Locus piscinæ, quo impius Daguinus, velut occultandum quod S. Bercharium percusserat, dejecit cultellum, priscis temporibus adeo oblivioni erat traditus, ut intecta * humo par esset totius claustri planitiei ac prato, neque aliquis valde seniorum ipsum perfecte noverat. Extitit autem vir quidam in ipsis Aquitaniæ partibus, a E quibus extitit oriundus sæpe memoratus provisor noster Bercharius, qui mulctatus cæcitate angebatur non modice, assiduis precibus petens misereri sibi a Deo omnipotente. Monetur itaque per somnum, ut S. Bercharii in saltu Dervensi adiret cœnobium, ibique perquireret, quo projectum nataverat ejus occisionis ferrum ; certus ex ipsius aqua sibi lumen posse restaurari, cæcitate depulsa. Hac visione animatus prædictus cæcus, iter jussum ingressus, hoc ad monasterium pervenit, narrans quæ sibi fuerant dicta fratribus ac abbati : qui retulerunt se nescire certius locum ulla ostensione antiquorum. At ille plenus fide obsecrat, ut duceretur intra claustra, indicareturve sibi locus cognitus vel aliqua fama. Quid multa? veniens ad locum, fodere terram manibus cœpit. Hujus fratres cernentes, fiduciam animi, vocatis famulis, jusserunt ut ipsa humus foderetur ei. Nondum mensura trium pedum in profundo terræ effossa fuerat, et ecce cæcus manum ad fossam applicuit, et terra humida orbes oculorum liniens, mox diu desideratum recepit lumen.

* recta *A. C. forte* injecta

movens Sancti Reliquias increpatur.

31 Nocte quadam, dum unus fratrum custos videlicet ecclesiæ lecto membra reclinasset, cœpit intra se cogitans revolvere, si Sancti corpus, F quod super debilem materiam jacebat, casu inde cecidisset, ingens peccatum omnibus adesset : hinc timore perculsus, eadem hora a lecto egreditur, summa cum devotione præparatus, ad sanctum altare ascendit, et B. patris ossa super ipsum deposuit : qui fusa oratione et amota casus sollicitudine, dormitum cum accepta securitate vadit. Cui mox adest B. pater Bercharius, et baculo quem tenebat manu, sicuti narrare solebat, cum fremebundo vultu tangens eum vocavit. Quem prædictus custos aspiciens, tremendo interrogat : Quis es tu, Domine? Ad quem Beatus cum increpatione hæc intulit : Ego sum ille, cujus super Creatoris et Salvatoris nostri Domini Jesu Christi mensa corporis composuisti cinerem. Ergo propera surgens, et inde corpus meum ad priorem transvehito locum. An nesciebas quod ubique regnet Domini nostri potentia, et super timentes se illius semper sit custodia? Ex hoc idem senior excitatus, sanctissimos artus in priori loco pro jubentis relocat imperio : et quia tempus noctis urgebat, somno potiturus iterum repetit cubile. Tunc secundo venit ad eum benedi-

ctus

(*a*) D. Bouquet, t. VI, p. 575.—(*b*) T. IV, col. 548 et 675.

A ctus pater Bercharius dicens: Quia simplici mente hæc fecisti, et ut sacra curares jussum fuerat tibi abbatis tui, cessum est severitati: unde confitens hoc illi revela, simul castigatione adsumpta, nèquaquam tale aliud præsumas.

easdem transferentes increpantur;

32 Vicus est quidam non longe ab hoc monasterio, cujus nomen nunc designare non cupio, qui non raro habitatore colebatur, et omni ubertate: in quo quidam extitit sacerdos, cui ea intentio assurrexit, ut de hoc patre nostro se protectore Berchario Reliquias deposceret, et in ejusdem vici basilica reconderet, quod sua perquisitione diffidens assequi, ad tanti negotii supplementum copulavit sibi quendam in hoc suburbio manentem clericum, quemque si non propalo nomine, tamen cunctis notus agnoscitur familiaritate. Itaque obtentis Reliquiis, presbyter detulit, et in prædicta condidit ecclesia. Nocte igitur sequenti is, qui compos repedaverat, et clericus qui impetrator fuerat, clementi per visum correctione percelluntur, audientes quod tanti patris benedictione, * indignum oppido excepissent, suppresserant inde non per Dei imperium. Secunda siquidem nocte admonentur denuo, et tertia dum fuere ammoniti, pro nihilo sunt arbitrati. Ecce postquam fuere a somno excussi, tanta eos inquietudo pervasit, ut in die nulla eis accederet comestionis delectatio, et nocte dum protinus oculis admisissent somnum, ambobus aderat quidam horror, quo ad requiem non sinebantur nisi momento, unde acrius attererentur. Igitur dum per dies octo tali detinerentur tormento, persona clericalis presbyterum coactus petiit, visa et perpessa pandit, qui rursus eadem se confitebatur patientem, ac percunctatur congruum hujus calamitatis remedium: unde illorum neuter nihil salubrius quicquam arbitrantes, benedicti patris quam quod redderentur pignora: secundus quamquam cum enormi reddidit mœstitia. Clericus ea deinde suo adhuc differens loco restituere, recondidit intra monasterium: domum ergo revertitur, optata ut jam salute potiretur; sed, eodem testante, amplius solito priori perturbatur incommodo. Aliquantis namque diebus his angustiis compulsus, indicat seriatim ædituo, quidquid sibi accidisset cum presbytero, et quidquid solus præsumpsisset, quamque nunc proinde maceratur atrociter. Quid ultra? verissime credito mihi: multotiens est ut reciperentur oratum, quam primo ut largirentur quæsitum. Redditur utrumque: et B. patris memoria quæ usque hodie servatur sepositа, et perditæ sanitatis officium ostentans hominem sanum. Itaque post dierum paucitatem villæ domini hostes combusserunt basilicam, ac deinde post aliquantulum temporis evelluntur ab ipso etiam vico incolæ, suarum merito quarumdam præsumptionum.

* locus mutilus

B

C

Aireyas solemniter defertur corpus,

h

33 Gloriosus rex Robertus, apud villam Aireyas nomine noscitur concilium habuisse *h*; ubi cum innumeræ plebis multitudines diversi utriusque sexus et ætatis concurrerent, ad cumulandam quoque populi proficiscentis devotionem, plurima Sanctorum corpora a fidelibus viris advehi cœperunt: inter quorum veneranda pignora, seniores nostri de sacro patroni nostri corpore non ignotas detulere Reliquias convenienter in feretro, ad earum translationem præparato. Factum est autem, ut super quodam comite, Landrico nomine, nostri seniores facerent ob prædia B. protectoris nostri, quæ comes prædictus invaserat proclamationem: unde indignatus, pretiosissimi patris Reliquias diripere cogitabat, autumans in feretro esse sanctissimum corpus sicut nostrates exterius testificabantur. Non ergo regis potentiam veritus, quoniam ipse rex mitissimus præ cunctis existebat, et magis mansuetudine quam feritate suos vincere cernebat: idcirco direptionem sancti corporis perpetrare satagebat, quatenus non reddendi occasionem haberet injuste pervasa, cum possideret hæredem simul et hæreditatem. Post vero tanta spatia itineris, venerunt ad aquam, quæ Urmuntio *i* dicitur: antequam ad castrum Florentini accessissent invenere transitum difficilem, nam crepido laticis profunda reperitur, et pons etiam soli homine strictissimus, ideoque equites ad transfretandum excipere non audebant, ne forte humeris eorum laberetur: pedites vero, qui solebant ferre pro strictura pontis, non quibant conducere, quoniam minus quatuor peditibus feretrum ferri non poterat.

i

qua occasione novum accidit miraculum:

34 Ergo dum meditari vellent, qualiter illius amnis transirent cursum, metus eos invadebat, ne hostis persequeretur, dum ob feretri onus equites et pedites aqua proturbaret. Tunc per ammirabilem patrem et protectorem nostrum, antiqua et divinitus jussa replicantur miracula. Nam sicut dictum est, * portitores et secutores Reliquiarum Sancti multum et diu turbarentur, unus ex eis velut quondam Moyses eos adhortatus est dicens: Eia charissimi commilitones et Beatissimi hujus Domini nostri devotissimi servientes, pedibus transeamus per aquam, securius transferentes tam preciosissimæ mercis pondus nostris humeris. Ad illius exhortationem et Dei nostri jussionem relinquentes pontem, et ex his quatuor pedites collo feretrum apponentes, transierunt per prædictum amnem. Cum autem usque ad renes in fluvio fuissent, et absque impedimento egressi sunt, et amplius exsiccati quam fuissent ingressi, reperti sunt. Unde non solum ex nostris orta est exultatio, sed et ex his qui nostrorum comitatui se junxerant magna laudatio. Cucurrit etiam non parva mutitudo audientium et ex vicis circumjacentibus ad hoc miraculum. Tempore quodam extitit ita hominum pergrandis mortalitas, ut plurimi, uno in die, uno in loco, obirent. Factum est, ut hac de causa utriusque dignitatis homines, Sanctorum quærerent suffragia, unde multi patris optantes adminiculum petiere, ut eis perduceretur ejus sanctissimum corpus. Inter quos quædam potens persona obtinuit legatione sua, ut super Blezam *k* deferretur, quo procederet ipse obvius comitante populorum multitudine. Glorificandi patris illo delata sunt membra, ubi undecunque et populi multitudo, et advenientium irruit magna devotio. Prædictæ personæ dum præstolaretur adventus, remandavit non licere sibi obviam exire, facerent de reditu quod seniores vellent. Sancto tamen duabus illic noctibus custodito, et a confluentibus venerabiliter ad adjutorium sibi invocato, quique rediere in sua; sed occulto Dei judicio illi ad octo dies fuit terminus vitæ. Relatis itaque artubus Sancti, venit intentio villæ rusticis, ut, ubi Sanctum manserat corpus, ad memoriam tantæ benedictionis, quam per ipsius merita senserant, signum Dominicæ Crucis configerent: nam Sancti cinere advecto, fugit ipsa hominum mortalitas. Parata est materia cujus onere boves decem onerati fuere. Coloni advenere, crucem erexere, sed elevata apparuit in transverso. Quod cernentes rustica manus ingemuit et eorum unus magna voce intonuit: Si vere tanti patris huc fuit corpus delatum, istius crucis dirigam lignum; sicque directum est, et quod omnes nitebantur, ille solus constituit.

E

* *supple* cum

F

k

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

35 Nequaquam recordor qua pro causa devotio compulit, quod cuncta congregatio ecclesiam S. Mariæ, quæ est Summaveræ *l*, petiit, ac illic patris glorificandi Bercharii gestavere membra : perrectum est enim sexta feria Pentecostes. Finita autem oratione, post Antiphonam, quæ inchoatur ad introitum ecclesiæ, dum cœpit vulgus adventare munera ferens ad altare, mox ingens advenit ventus, cum quo surrexit turbo eximius. Verum multitudo populi sui *, quæ foris ecclesiam remanserat, quoniam non omnis introire valuerat, cum huc illucque aufugisset pro turbine, quædam mulier cæca inibi remanet, quæ continuo lumine est donata. Deinde nostri seniores, dum pro more vellent psallere rogationum preces, clamor attollitur pro re gesta populi, qui modulamina et preces cantatorum, coegit vertere ad jubilamina laudum. Nam ut surrexerunt, adclamantes omnes dicere : Te Deum laudamus, et applauserunt intonare : Ecce Sancta Dei Mater propalavit sæculo, quam sibi purissimo vel castissimo affectu Martyr Dei ac provisor nostri Bercharius servivit ejus filio. Ipsa quoque imperiosa genitrix merito deprecationem pauperum anticipat, quæ totius pietatis enixa est fontem; ac : Antequam me invocetis, dicam vobis ecce adsum, promittentem. Nam propter sui fidelissimi servi et nostri benignissimi domini Bercharii amorem, non est passa diu clamores sufferre populi, post tanti itineris laborem : felix grex et populus, quibus pater talis et pastor tribuitur. Finita deinceps hymnorum canoritate et Missa, ingenti cum veneratione Dei ministrum ac nostri provisorem retulerunt lætantes, qui advenerunt gementes, ad propriam sedem.

l — * sui *deest A. C. et C.* — B

Sancti intercessione

36 Miraculum, quod patrum nostrorum relatione cognovimus fuisse patratum a bono patre nostro Berchario temporibus priscis, quodque nostra ætate etsi dissimili modo, pari tamen virtute et merito factum, præsentibus vidimus oculis, nosse optantibus, velut poculum vini optimi propinamus : ut modernis id ipsum, si devotio fidelium poposcerit, et opportunitas temporum exegerit, non ambigatur posse fieri in futuris. Nostra ætate ab ipsis fere gloriosæ Dominicæ Resurrectionis diebus usque in natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut credimus peccatis mundi hujus exigentibus, cœli facies prætendebatur ænea, et terra induruerat ut soliditas ferrea, adeo ut hæc bina elementa mortalibus intentarent mortem, exhibentia minime, quæ oportet exhiberi ab eis opportuno tempore. Hoc igitur infortunio non modice pavefactis omnibus, majores natu plebis hujus ecclesiæ in unum conglomerati, expetunt domini abbatis Brunonis præsentiam, postulantes concedi sibi B. patris Bercharii corpus, quatenus liceret eis per agros suos et confinia famulari bajulatione illud circumferre, ut suo sancto interventu propitiatio cœlestis subveniret afflictis. Tali ergo prece efflagitatus, immo evictus domnus abbas cum senioribus, annuit eis, insumpsitque id fieri prænominata die SS. Apostolorum Petri et Pauli. Veniente autem die hujuscemodi insumptionis, explicitisque matutinorum jubilationibus apostolicæ sollemnitatis, cum præcepto domini abbatis , quidam e fratribus deposuerunt feretrum continens cœlestem margaritam de loco pausationis, ut acclamanti populo exhiberetur, ut præscriptum est, bajulandum.

C

opportuna pluvia impetrata.

37 Liquet huic Martyri nostro tunc competisse, quod de quibusdam Sanctis dicitur, quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt *m*, nam eadem nocte cœpit cœlum nubibus obnubilari, et pluviæ guttas terris infundere. Sed ne glorificatio tanti luminis habitantibus nostra ætate in domo Domini occuleretur, sed magis in propatulo exhiberetur, lucescente aurora post crepusculum, sol rutilus jubar suum mundo huic pleniter invexit. Hora autem tertia, qua creditur Spiritus Sanctus fidelium mentes implevisse sua gratia, assunt multi populi in atrio et in ecclesia, in foroet per platearum compita obsecrantes, ut, respiciente eos de cœlo divina misericordia, gestare mererentur patris sui membra sanctissima, gestandoque impetrare de tribulatione tunc præsenti suffragia. Tunc munus Domini opta tum tandemque collatum suscipientes a fratribus, egrediuntur ecclesia. Læta catervatim currit plebs corde fidelis, nec desunt patres nec matres nec juniores. Portatur pater sanctus per servorum suorum confinia, pulsansque pro eis prece ad valvas sublimis misericordiæ, confestim obtinet postulata pro bajulantium semetipsum inopia. Mira canam verbis, optoque tradere scriptis. Cum autem a fratribus et populis præeuntibus et subsequentibus pater sanctus portaretur, iterum cœpit obducere Omnipotens cœli faciem nubibus atris, et quasi minaretur et diceret velle se pluere sed differre, ne bajuli sui dilecti cum obsequentibus impedimentum objiceret. Tandem expleto itinere devotæ processionis, cum ambitum templi replesset populus, et facto silentio pulsatisque signis, concentores imposuissent introitum Missæ apostolicæ solemnitatis, ecce respectus misericordiæ cœlestis, qui demisit largitatem suæ benignitatis. Nam duritia cœlorum benignum suscepit a secretioribus imperium, rorem mittens dulcifluum, quo resoluta nubium tenacitas in largitate diu negatam terræ infudit abundantiam, terraque frugum suarum desideranti plebi parturivit copiam. Tantis ergo ac talibus tamque evidentibus miraculis refrenat, concludit, obstruxit Dominus ora loquentium adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione, largiens magna multitudine dulcedinis suæ quod absconderat timentibus se.

m — D — E

ANNOTATA.

a *Acta S.* Mamantis *seu* Mammetis *vide ad diem, quo colitur,* XVII *Augusti (a). Non plane perspicio cur S. Mammetem Anonymus noster appellet* monachorum gemmam, *cum Acta de monachatu taceant. Qui in collectione hagiographica sub nomine Albani Butler gallice edita Vitam S. Mammetis legerit, sibi persuadere posset hujus Sancti cultum ante sæculum* XIII *Lingonibus cognitum haud fuisse; sed perperam id fieri, tum ex Anonymo nostro, tum ex Actis Bollandianis manifestum est.* F

b *S.* Desiderius, *tertius episcopus Lingonensis et Martyr colitur die* XXIII *Maii, ad quem diem ejus require Acta (b). Eadem quoque reperiuntur in libro, cui titulus gallice est :* Annuaire ecclésiastique historique du Diocèse de Langres, année 1838 *(c) quem librum, maxime nobis utilem, dedit bibliothecæ nostræ hodiernus Lingonensium episcopus Illustrissimus D. Petrus Ludovicus Parisis.*

c Gemini, *de quibus hic agitur, sunt tergemini fratres Martyres* Speusippus, Eleusippus *et* Meleusippus, *qui die* XVII *Januarii Lingonibus coluntur; ad quem diem eorum Acta require apud Nostros (d).*

d Savinianus *seu* Sabinianus, *Martyr Trecis, colitur* XXIX *Januarii, ad quem diem Acta ejus explicantur (e).*

(*a*) T. III Augusti, p. 423. — (*b*) T. V Maji, p. 242. — (*c*) P. 31. — (*d*) T. II Januar., p. 73. — (*e*) Ibid., p. 937.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A e Patroclus, *et ipse Trecis passus, colitur* XXI *Januarii. Ejus Acta ad illum diem leguntur (a).*

f *S. Lupi episcopi Trecensis et Confessoris Acta apud Nostros sub die* XXIX *Julii excusa sunt (b).*

g *Num fortassis* Blécourt, *qui vicus Dervensi monasterio adjacet? Milo iste volebat occupare terram, quam dein reddendo Dervensibus, sibi obnoxiam faceret titulo advocatiæ.*

h *Conventus Airiacensis anno* 1020 *celebratus fuit (c). Vitio typothetæ apud Mabillonium legi credo hunc locum ad diœcesim* Augustodunensem *pertinuisse, cum sit episcopatus* Autisiodorensis. *Vide Commentarii prævii num.* 5.

i *Legendum probabilius* Armuntio; l'Armançon *vel* l'Armance *fluvius est, qui Semurium et castrum S. Florentini* (St Florentin) *alluit, et in Icaunam* (l'Yonne) *labitur prope Autisiodorum. Vulgare habetur proverbium :* Mauvaise rivière, bon poisson, *d'Expilly* Dictionnaire géographique de la France, *article* Armançon. D

k Blesa (la Blaise) *fluviolus ad occidentem Calvimontis* (Chaumont) *scaturit; et post ambages duodecim leucarum in Matronam prope Vitriacum* (Vitry-le-Français) *illabitur.*

l Summavera (Sommevoire) *habet etiamnum ecclesiam suam parochialem dedicatam sub titulo Nativitatis B. Mariæ Virginis.*

m *Hæc verba leguntur in Antiphona ad* Magnificat, *in secundis vesperis festi SS. Joannis et Pauli Martyrum die* XXVI *Junii.*

(a) Acta SS., T. II Jan., p. 342. — (b) Ibid., T. VII Julii, p. 51. — (c) T. IX Conc. Labbe col. 842.

DE SANCTO AMBROSIO

B E

CADURCENSI EPISCOPO ET CONFESSORE.

J.V.H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria Sancti in Fastis sacris et ejus cultus.

CIRCA ANNUM DCCLXX.

Memoria in sacris Fastis:

Usuardus *variaque Adonis apographa Sancti* Ambrosii *memoriam hac die recolunt; sed inter se non conveniunt circa varia adjuncta, quæ hodiernam annuntiationem circumstant. Nam in Adonianis apographis, a Dominico Georgio extra textum Adonis puri allatis, sub die* XVII *kalendas Novembris, habetur (a) :* Apud Bituricam civitatem, natalis Sancti Ambrosii, presbyteri et confessoris : *Fuldense quoque Anonymi Martyrologium, quod teste laudato Georgio (b) sæculo* X *conscriptum fuit, Sanctum annuntiat his verbis (c) :* Natalis Sancti Ambrosii presbyteri et confessoris. *Insuper et Usuardus, qualem edidit* C *Sollerius noster, habet :* In territorio Bituricensi, Sancti Ambrosii confessoris ; *quia autem alio charactere adscribitur in Usuardo Molani :* episcopi Caturcensis, *ideo tamquam additamentum habet Molanus ipse, et, qui illum sequitur, Sollerius noster. Omnes itaque hi hagiologi eo modo loquuntur, quasi Cadurcenses infulæ* S. Ambrosio *adscribendæ non essent : verumtamen id silentium Sancti nostri episcopatui præjudicare non debet, quippe qui diserte asseritur in ejus Vita infra edenda; quæ quamvis coæva non videatur, ejus tamen est antiquitatis, ut fidem suam probare valeat circa præcipuum aliquod adjunctum vitæ. Sed præterea non omnino certa est Usuardina lectio, quam nobis exhibet Sollerius : nam ejusdem Usuardi Martyrologium Sincerum, quod tamquam ipsius auctoris* autographum *edidit Parisiis anno* 1718 *monachus Ordinis S. Benedicti Sammaurinensis, D. Bouillard, alio modo legit, scilicet :* In pago Bituricensi, Sancti Ambrosii Caturcensis episcopi. *Hanc lectionem* veram *quidem pronuntiat Sollerius;* sed alteram, *ait,* quæ nostra est, vere Usuardinam existimo. *Non vacat nobis in merita alterius lectionum operosius inquirere; præsertim cum ipse laudatus Benedictinus fateatur annuntiationem* S. Ambrosii in litura positam *esse. Aliunde, ut jam prædiximus utque enucleatius infra monstrabimus, nobis constat Sanctum nostrum Cadurcensem cathedram occupasse. Jure igitur merito Romanum Martyrologium, a Baronio concinnatum, hodie annuntiat :* In territorio Bituricensi Sancti Ambrosii episcopi Caturcensis. *Parisiense quoque Martyrologium jussu Cardinalis de Noailles, et Autisiodorense jussu Caroli de Caylus editum episcopatum Cadurcensem* S. Ambrosio *adscribit, dicens :* Apud Bituriges, deposito Sancti Ambrosii episcopi Cadurcensis. *Ita ergo Adoniana apographa, quæ Sanctum simpliciter* presbyterum *appellant, interpretari oportet, ut salva tamen maneat ejus episcopalis dignitas : nisi proinde interpolatorum ignorantiæ hunc tituli errorem assignemus, dicere necesse fuerit, ideo vocari simpliciter* presbyterum, *quia, deposita episcopali dignitate, ad inferiorem hunc ordinem se sponte sua redegit.* F

2 *Quæ de Martyrologiis hactenus diximus, abunde demonstrant* S. Ambrosii *cultum, licet non valde extensum, firmissimis tamen niti fundamentis. Ejus memoriam colit Ecclesia Cadurcensis ritu, ut vulgo dicitur,* semiduplici, *juxta hodiernum Breviarium Cadurcense : olim vero ritu* duplici *celebrabatur* S. Ambrosius, *uti habemus ex* Proprio Sanctorum *ejusdem diœcesis : utriusque legendæ apographum benigne nobiscum communicavit R. D. Layrac, secretarius diœcesis Cadurcinæ : ejusdem cultus antiquitatem probat Vita,* Sanctorali Cadurcensi *illata, quem exhibet Gulielmus de la Croix in suo libro :* Series et Acta episcoporum Cadurcensium. *Propter Sancti sepulturam et monasterium aut capitulum sub ejus invocatione fundatum, festum diem agit quoque diœcesis Bituricensis, ritu probabiliter* semiduplici : *nam Kalendarium liturgicum Bituricense, quod coram habeo, est anni* 1831 ; *et proin propter concursum diei Dominicæ cum* XVI *Octobris, solum Sancti præscribitur memoria. In Breviario*

fundata etiam sub ejus patrocinio

(a) Martyrol. Adonis, Romæ 1745, p. 531. — (b) Ibid. Præf., p. XV. — (c) Ibid., p. 671.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

Bituricensi jussu Rolandi Habert, archiepiscopi, anno 1625 *edito, cujus apographum in quodam codice partim manuscripto, partim typis excuso, et varia* Officia propria *diœcesium Galliarum continente, in usu habemus, festum* S. Ambrosii *celebratur ritu* duplici *et sequens recitatur oratio :* Concede, quæsumus, Domine, fidelibus tuis Sancti Ambrosii Confessoris tui atque pontificis digne celebrare solemnia, ut ea quæ fideliter exequuntur, et hic experiantur auxilio et æternis affectibus apprehendant. Per Christum. *Canonici tamen Regulares Congregationis Gallicanæ, quorum erat* S. Ambrosii *ecclesia, patroni sui festum celebrabant die* XVIII *Octobris, ut ad nos scribit R. D. Figier canonicus et secretarius archiepiscopatus Bituricensis, litteris* XXII *Novembris* 1840 ; *a quo alias quoque egregias circa* S. Ambrosium *notitias accepimus. Argumentum etiam cultus validissimum nobis præbet cœnobium cum adjuncta ecclesia sub ejus invocatione fundatum aut potius instauratum a Gaufrido, Nobili dicto, vicecomite Bituricensi. Exstat charta hujus rei inter Instrumenta Ecclesiæ Bituricensis in Gallia Christiana* (a) : *atque ex illa clarescit dictum Gaufridum ecclesiam S. Petri et* S. Ambrosii *non tam fundasse, quam eidem reddidisse quod amiserat : ita enim loquitur :* Anni sunt transacti ab institutione Incarnationis Dominicæ usquequo hæc carta acta fuit, mille duodecim... Idcirco Deo omnipotenti gratias refero ego Gaufridus, vicecomes Bituricæ civitatis, qui me prospicere et videre facit salutem animæ meæ et honorem corporis mei, dum locum S. Petri et S. Ambrosii, qui in illius ecclesia requiescit, in honore et stabilitate reducere volui ; ad ipsum enim locum B. Petri Apostolorum principis ex bona voluntate REDDO ego Gaufridus et uxor mea Eldeburgis et filii Gaufredus et Madalbertus et fratres meæ uxoris Odo et Ebbo pro remedio animæ patris meæ uxoris Radulfi et pro remedio animarum nostrarum omniumque parentum nostrorum, annuente rege Roberto, episcopo autem Dacberto firmante, terras quæ ad ipsum locum pertinent, videlicet has..... DONO ETIAM EX MEA PROPRIETATE duas nundinas, unam scilicet in festivitate S. Petri de mense Junio et alteram in natale S. Ambrosii et unamquamque per septenos dies totidemque noctes, *etc. Videntur bona, quæ Gaufridus reddit ecclesiæ illi obvenisse ex hæreditate seu dote Eldeburgis, siquidem illa restituat ex voluntate dictæ uxoris suæ fratrumque ejus, et pro remedio imprimis animæ Radulfi patris ejus : cum vero significat se aliqua* reddere *ex bona voluntate ecclesiæ, aliqua autem se* donare ex sua proprietate, *satis demonstrat dictam ecclesiam suis dotatam bonis olim exstitisse, et proinde se non tam fundatorem quam instauratorem esse. Immo vel ante obitum S.* Ambrosii *jam templum illic fuisse probat sepultura Sigini, Bituricensis episcopi, paulo post medium sæculum octavum defuncti, cujus epitaphii fragmentum citatur in Gallia Christiana* (b) :

Hic jacet ecclesiæ pastor, fidusque maritus.
Abscondit durius viscera cara lapis.

Biturigibus collegiata ecclesia.

3 *Quam tamen* S. Ambrosii *ecclesiam fundavit sive instauravit Gaufredus, sæculare canonicorum capitulum fuit magis, quam regularium monasterium. Nam laudata charta permittit uniuscujusque canonici arbitrio suam præbendam, ita ut illam vel alteri canonico dare, vel relinquere possit ; quæ libertas longissime abest a rigore vitæ religiosæ. En verba Gaufredi :* Reddo autem et illis *(canonicis)* quicquid ad altare illius S. Petri et ad omnem illam ecclesiam venerit, sive in auro, sive in argento, seu terras, seu luminaria, vel omnes res quæcumque venerint vel datæ fuerint ; concedimus illis canonicis quantum numerum illis placuerit addere, vel a cœtu tollere propriæ congregationis, in ipsorum maneat jure vel potestate ; præbendas quoque ipsius loci eisdem canonicis ea lege concedimus, ut nullus episcopus, nullus abbas, nullus homo illas umquam vendere, aut dare aut tollere præsumat. Sed unusquisque canonicus potestatem habeat præbendam suam alteri canonico dare vel relinquere per consilium aliorum canonicorum, qui in eodem loco reipsa deserviunt.... Facta est hæc largitio III Non. Augusti, regnante Roberto rege anno decimo, præsidente in cathedra Bituricensis Ecclesiæ Dacberto præsule anno octavo. *Hæ tamen notæ chronologicæ non conveniunt inter se neque cum anno Christi* 1012. *Dagbertus enim episcopatum Bituricensem adeptus est probabilius novem integris annis antequam Robertus, mortuo anno* 996 *Hugone Capeto patre suo, regnum Franciæ adierit : proindeque annus* decimus *Roberti concurreret potius cum anno* decimo octavo *pontificatus Dagberti. Sed neutrius anni conveniunt cum anno æræ vulgaris* 1012, *sed potius cum anno* 1005 *aut* 1006 ; *quam chronologiam adoptavit Gulielmus de la Croix in suo libro de Serie et Actis episcoporum Cadurcensium* (c). *Cum vero has tricas enodare, neque tempus, neque subsidia aut etiam rei momentum sinant, sufficiat hic indicasse chartam Gaufridi, et proinde instaurationem ecclesiæ* S. Ambrosii *intra primum duodennium sæculi undecimi constituenda esse. Capitulum* S. Ambrosii *Bituricense decursu temporis a statu sæculari ad regulare canonicorum S. Augustini institutum translatum fuit sub Petro de Castra, archiepiscopo, anno* 1151 (d), *ut infra pluribus demonstrabimus.*

Acta quæ infra edentur

4 *Acta* S. Ambrosii *quatuor potissimum monumentis continentur : quorum duo, lectiones sunt antiqui Breviarii Bituricensis et Sanctoralis Cadurcensis, et inter se satis conveniunt, ut historicam narrationem ab invicem mutuata videantur. Tertium monumentum est hymnus rythmicus, quem nobis exhibet Gulielmus de la Croix* (e). *Nihil habet, quod alia scripta non referant : quin et in narratione sua solum ea complectitur, quæ Sanctus Cadurcis gessit, nulla facta mentione itineris Romani aut Turonensis, mortis vel sepulturæ Biturici ; postquam igitur retulerit, quomodo beatus pontifex in spelunca detectus, ex illa exiverit, populo deprecante, ut regimen Ecclesiæ suæ resumeret, desinit hymnus brevi oratione ad Sanctum* Ambrosium :

Ambrosi, pie confessor,
Esto noster intercessor,
Esto noster advocatus ;
Quibus judex est iratus.

Quartum monumentum est Vita S. Ambrosii, *stylo quidem fusiori, simplici tamen conscripta : hanc edimus infra ex Bibliotheca manuscriptorum Philippi Labbe* (f). *Cui tamen editioni addemus lectiones variantes, maxime e codice Christianæ reginæ Sueciæ, quas excerpsit accurate, ut ipse testatur, noster Joannes Bollandus, quasque reperimus in scriniis Bibliothecæ regiæ Bruxellensis. In hoc autem codice, quia recentior est Labbeano, sunt varia additamenta, quorum aliqua res gestas illustrant,*

(a) T. II Instr. col. 49. — (b) T. II col. 19. — (c) p. 34. — (d) Labbe Bibl. Mss., t. II, p. 58. — (e) Ser. episc. Cadurc., p. 36. — (f) T. II, p. 347.

atque

A *atque cum iis quam maxime conveniunt : quare hæc subjiciemus Labbeano exemplari inter Annotata, aut textui in animadversionibus subjiciemus : breviores vero variantes, quæ in una alterave vocula addita, omissa, vel transposita consistunt, pro more nostro ad marginem textus primarii adscribemus, cum nota* RS, *qua codicem reginæ Sueciæ indicabimus. Hisce monumentis annumerari posset Vita S. Allogiosi, edita in Gallia Christiana* (*a*), *quamque Edmundus Martene ex codice octingentorum annorum eruit* (*b*). *Hujus sancti, aiunt collectores,* alibi nulla habetur mentio : ex hac autem Vita non potuimus discere quo tempore vixerit : quapropter ejus Acta inter instrumenta rejecimus. *Nullus Cadurcis exstitit Allogiosus ; simplex est nominis corruptio pro* Ambrosio : *ad verbum enim, si paucula excipias, Actis* S. Ambrosii *simillima sunt, ut vel obiter inspicienti patet.*

sat venerandæ sunt antiquitatis.

5 *Acta, quæ infra edemus, auctorem habent anonymum quemdam, qui quidem non indicat ætatem suam, nisi hisce verbis, quibus narrationem concludit :* Discipulus vero (S. Ambrosii), Agrippinus nomine, sequutus est eum ubicumque ambulavit, B et docuit omnia quæ scripta sunt. *Paulo aliter se habet textus reginæ Sueciæ :* Discipulus vero ejus, Agrippinus nomine, qui secutus est eum ubicumque ambulavit, docuit nobis omnia, quæ scripta sunt de eo. *Ex utroque textu elicere est, auctorem anonymum hausisse narrationem suam ex teste oculato, Agrippino scilicet, archidiacono Ecclesiæ Cadurcensis, Sancti nostri valde familiari, et solo qui secretæ secessionis ejus conscius esset. Est et aliud quod nativi quid et coævi redolet num.* 10 : *scilicet* S. Ambrosii *ex spelunca egredientis* barbam ad pectus *ejus descendisse* et fuisse quasi laicum, quia novacula in ipso triennio non ascenderat in caput ejus. *Hujusmodi imago, quæ rem levissimam ad oculum depingit, et coævis moribus aptissime convenit, vix meo judicio occurreret scriptori, qui rem vel coram non spectasset, vel a teste oculato illam non audivisset. Nam olim morem fuisse in Ecclesia Occidentali ut clerici barbam raderent, testatur imprimis S. Gregorius VII, lib.* VIII, *epistola* X, *ad Orzoccum, judicem Calaritanum* (*c*) : Totius Occidentalis Ecclesiæ clerus ab ipsis fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit. *Huic* C *concinit testimonium Ratramni, Corbeiensis monachi, scriptoris sæculi noni, qui lib.* IV, *cap.* V, contra Græcorum opposita (*d*) *dicit Græcos non vereri* de barbæ tonsione clericos culpare, non tantum Romanorum, verum omnium Occidentalium Ecclesiarum ; *et apte respondet :* Est quidem iste clericorum habitus *(tonsæ aut promissæ barbæ)* non uniformis cunctis Ecclesiis, sed pro consuetudine majorum varius atque diversus, nec hinc aliquando inter Ecclesias vel Occidentales vel Orientales contentio nata est, sed tenuerunt singulæ quod suis a majoribus suscepere, vel quod provinciarum usus potius approbavit. *Paulo tamen infra dicit :* Hunc morem sequentes clerici Romanorum, vel cunctarum fere per Occidentem Ecclesiarum, barbas radunt. *Unde datur intelligi pauculas in ipso Occidente exstitisse exceptiones : propterea tenenda non est lectio canonis* XLIV *Concilii Carthaginensis* IV, *anno* 398 *celebrati, qualem exhibet Molanus* (*e*) : Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat ; *quasi prohibitum Africanis clericis fuisset tondere barbam. Etenim optimæ notæ codices, expungunt vocem :* radat (*f*) : *quo casu in rem nostram facit canon. Qui plura de hac disciplina cognoscere cupit, adeat Cardinalem Baronium Annales Ecclesiastici anno* LVIII, § CXXXVII *et seq. Porro antiquitatem laudatæ Vitæ* S. Ambrosii *certiorem facit silentium de altera Bituricas translatione, quum dicatur simpliciter actu requiescere in* Ernotro vico ; *dum constat ex num.* 3, *qualis legitur in codice reginæ Sueciæ, jam sæculo decimo corpus Sancti Bituricas translatum, cultum ibidem habuisse ; quin immo sæculo præcedenti intra urbem delatas fuisse sacri corporis Reliquias propter Normannorum furores, satis probabile est, uti videbimus inferius. Atque hinc concludere licet codicem reginæ Sueciæ recentioris cujusdam manus esse, utpote qui circa finem translationem corporis adjungit. Labbeanus textus de Ernotro vico agens dicit :* Ubi corpus ejus requiescit in pace, ubi per eum Dominus virtutes multas ostendere dignatus est ; *Codex vero reginæ Sueciæ habet : ubi* corpus ejus requievit.... postea jubente Domino translatum est corpus ejus prope Biturica civitate, et positus est in loco qui vocatur Bissiacus regnante D. N. J. C., *etc. Ex his omnibus satis liquidum fit, a subæquali Anonymo esse conscriptam Vitam infra edendam.* E

AUCTORE J. V. H.

§ II. S. Ambrosii episcopatus et res in eo gestæ.

Tempus episcopatus S. Ambrosii

De *ortu, juventute, rebusque ante episcopatum gestis* S. Ambrosii *nihil referunt ejus biographi ; nam quod innuit Vita, quæ perperam S. Allogiosi inscribitur de qua supra num.* 4, *quasi* S. Ambrosius *ante episcopatum conjugatus, ab uxore sua tentatus fuisset, nullius est momenti, cum in hoc solo codice reperiatur, atque istic uncinis inclusum, nulloque nexu cum præcedentibus et consequentibus colligatum, adjectitium prorsus videatur. Quod vero dolendum est, nulla vetusta scripta produnt tempus, quo Sanctus vixerit ; unde necessario fluctuat et epocha, qua episcopatum Cadurcensem suscepit, et qua diem suum supremum obiit. Sanctorale Cadurcense adstruit eum* tempore Pippini Francorum regis Cadurcæ urbis episcopum fuisse. *Atque in hoc tempus consentiunt catalogi episcoporum Cadurcensium. Verum non æque liquide constat,* S. Ambrosium *cathedram primum occupasse, postquam Pippinus rex Francorum anno* 752 *salutatus fuit, ut insinuat ex allato textu Sanctoralis Gulielmus de la Croix, dicens Sanctum vixisse post annum* 751, *quo Pippinus in regem unctus est mense Martio ; multi enim anni initium a paschali solemnitate ordiebantur. Verum is erat Galliæ status, ut nonnulla de viduatis Ecclesiis prævie advertenda videantur. Certum scilicet est ex epistola S. Bonifacii Moguntini ad Zachariam Papam anno* 742 *epistola* LI (*g*) *miserum valde fuisse Ecclesiæ statum in Gallia, præcipue sub Carolo Martello :* Franci enim, *ait,* plusquam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundebant aut renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates, episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus et publicanis sæculariter ad perfruendum. *Ad hæc igitur mala ab Ecclesiis Galliarum avertenda, scribit S. Bonifacius Car-* F

(*a*) T. I Instrum. Eccl. Cadurc. col. 28. — (*b*) Ibid., col. 118. — (*c*) Labbe, t. X Conc. col. 258 et seq. — (*d*) Ap. D'Achery Spicil, t. I, p. 102. Edit. Paris. 1723. — (*e*) De Hist. sacrar. imag., p. 302, not. *y*. — (*f*) Labbe, t. II Conc. col. 1203. — (*g*) Würdtwein Epist. S. Bonif., p. 106. Serar. Epist. CXXXII.

lomannum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

lomannum, ducem Francorum, cui Austrasia gubernanda obvenerat, velle congregare synodum, in qua, quæ jam longo tempore calcata et dissipata *fuerant,* corrigerentur et emendarentur. *Atque hoc præstitum utcumque fuit concilii Liptinensis canone secundo* (*a*), *quo, episcopis et Carlomanno consentientibus statutum fuit, ut quæ olim ab ecclesiis ablata fuerant, retinerentur quidem, sed* sub precario et censu, *ita ut* de unaquaque casata, *seu, prout Zacharias Papa epistola* LXX *inter Bonifacianas loquitur* (*b*), de unoquoque conjugio servorum, *denarii duodecim singulis annis redderentur; et insuper, ut moriente possessore laico, res ipsa Ecclesiæ restitueretur. Operæ pretium duco de* precario *aliqua hic explicare, siquidem hujusmodi pacta, jure antiquo usitata, sed jam diu abolita, vix sui vestigium reliquerunt. Precarium recte definiunt doctores ex ipsis verbis juris canonici cap.* III *de Precar.* (III, 14) : Id quod precibus petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur. *Est igitur donatio usus semper revocabilis. Ex his manifestum jam fit, quod in concilio Liptinensi concedi dicitur* sub precario, *cum usque ad mortem possessoris laici alieno usui subjiciatur, stricte precarium dici non posse atque ad* precariam *accedere, quæ definitur :* Id quod utendum conceditur usque ad mortem illius cui usus conceditur. *Atque id genus pacti confundendum non est cum* precariis : *sunt enim precariæ* contractus quo res utenda datur ad certum tempus et si concessionis tempus sit diuturnius, ne longinquitate illius memoria intereat, singulis quinquenniis est renovandus. *Naturam et differentiam horum pactorum sat lepide explicat Ostiensis quatuor versiculis :*

[*id est :* preca]
Riæ, Ria, Rium tria sunt, quibus est caput unum
Riæ sunt solitæ per singula lustra novari ;
Ria fit ad vitam, nec citra vult revocari ;
Finiturque Rium tunc quando vult suus auctor.

videtur probabiliter statui posse circa ann. 745.

7 *Sed hæc Ecclesiarum instauratio spectare, ut insinuat laudata epistola S. Bonifacii, videtur ad Austrasiam, quam regebat Carlomannus, quin ad reliquas Gallias, in quibus erat Cadurcum extendi deberet. Nihilominus epistola* IX *Zachariæ Papæ* (*c*) data pridie kalendas Novembris, impegrante domno piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore, anno XXVII, imperii ejus an. V, indictione XIV, *aperte synodum dicit congregatam fuisse* mediantibus Pippino et Carlomanno ; *et quidem in dicta synodo actum fuisse de censu annuo duodecim denariorum Ecclesiæ persolvendo. Nulla tamen exstat memoria concilii, ad quod Pippinus et Carlomannus, cum episcopis totius Galliæ convenerint : probabile itaque est, synodum bipertitam fuisse, scilicet Liptinæ pro Austrasia anno* 743 *secundum Philippum Labbe* (*d*), *aut, prout vult Mansi* (*e*), *anno* 745, *et Suessionis, pro reliqua Gallia anno* 744 ; *ex canone autem tertio hujus Concilii* (*f*) *patet constitutos tunc fuisse* per civitates legitimos episcopos, et de subtractis rebus censum annuum pariter fuisse reddendum : *unde apparet maxime convenire Suessionensem synodum cum Liptinensi. Quæri igitur potest num dicto anno* 744 S. Ambrosius *præpositus fuerit Ecclesiæ Cadurcensi : neque dubia esset responsio affirmans, si pacatus fuisset Aquitaniæ status ; sed cum hoc ipso tempore in illa provincia turbatæ essent plurimum res omnes, unum alterumve annum fluxisse inter sanctionem synodalem et cathedræ Cadurcensis instaurationem facile admiserim : non tamen cogimur, ut episcopatum* S. Ambrosii *usque ad tempus Pippini regis seu ad annum* 752 *prorogemus ; sed cum anno* 744 *et sequenti Carlomannus in Aquitaniam iverit, tunc rem ecclesiasticam constituisse probabile est ; et proinde ab hac circiter epocha episcopatum* S. Ambrosii *ordiendum esse. Videtur igitur recedendum a sententia Gulielmi de la Croix* (*g*), *et Adriani Baillet, qui initium episcopatus Sancti nostri post annum Christi* 752, *quo Pippinus rex salutatus fuit, figendum putavit : corrigendus quoque videtur historicus Cadurcensis Cathala-Coture* (*h*), *de quo et infra nobis agendum erit, qui dicit* S. Ambrosium *regimen Cadurcensis Ecclesiæ suscepisse anno Christi* 742 ; *quo certe res in Galliis non erant satis maturæ, ut reformatio status ecclesiastici inciperetur.*

Res gestæ in episcopatu :

8 *De rebus a* S. Ambrosio *in episcopatu gestis pauca admodum tradit Anonymus num.* 1 : Omnibus diebus, *ait,* ac noctibus in vigiliis et orationibus erat semper intentus : non enim in divitiis mundi, nec in thesauris Ecclesiæ confidebat, sed in misericordia Domini, quia plenus erat gratia Dei : non diligebat sæculum, nec eas, quæ in sæculo sunt, facultates, et res Ecclesiæ ac proprias opes, quas habebat pauperibus erogabat, nudos cooperiebat, esurientes satiabat, sitientes potabat, captivos redimebat, thesaurum sibi in cœlo præparabat. Dicebant omnes senatores in urbe verba iniqua contra eum. Cum autem vidisset Sanctus Dei Ambrosius omnes illos fervere contra se, conversus in orationem ad Dominum dixit : Domine Deus meus, qui benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, benedic animam meam et omnia interiora mea in nomine sancto tuo, et educ me de civitate hac et de populo iniquo, qui mihi contrarius est, et blasphemat opera quæ facio in nomine tuo. Cum hæc dixisset, gratia Dei plenus reclusit se in cellula, quæ erat juxta ecclesiam... Post hæc autem stetit ibidem dies multos. *Ex hoc vitæ tenore facilem fidem adhibemus iis, quæ in Breviario Cadurcensi leguntur :* Ambrosius . . . . Ecclesiæ suæ diuturnis cladibus afflictæ splendorem renovare desiderans, cleri disciplinam et populi mores emendare aggressus est monitis salutaribus et exemplis. *Si itaque Sanctum nostrum apud Anonymum legimus* reclusum juxta ecclesiam suam, *hoc ita intelligendum est, ut cellulæ suæ coleret solitudinem, quin tamen pastoralis cura nullum pateretur detrimentum. Recte igitur laudatum Breviarium Cadurcense, vestigia Anonymi presse sequens, addit ejus miracula saniorem populi partem in sui admirationem rapuisse : quod profecto non accidisset, si officii episcopalis negligens, contemplationi unice vacasset. Dein quomodo dicere potuissent num.* 8 : Væ nobis peccatoribus qui contradiximus opera sua et non vidimus virtutes multas, quas fecit per eum Deus, *si populum sibi commissum Sanctus non rexisset verbis et exemplis?*

tempus quo illum dimisit :

9 *Incertum porro est quamdiu* S. Ambrosius *suæ præfuerit Ecclesiæ, donec, relicto episcopatus onere, in solitudinem omnibus incognitam sese abdiderit. Septennium regiminis statuunt Breviaria Cadurcensia, sed nullo, qui quidem apparet, idoneo teste suffulta. Historicus Cadurcensis Cathala-Coture* (*i*) *conjicit* S. Ambrosium *eremum incolere cœpisse eo anno, quo basilica Figiacensis consecrata fuit, præsentibus Stephano II papa* (*k*) *et Pippino rege, quia ejus nomen non recurrit inter episcopos, qui dictæ*

(*a*) Labbe t. VI Conc. col. 1537. — (*b*) Würdtw., p. 184. Ser. CXXXVIII. — (*c*) Ibid. — (*d*) T. VI Conc. col. 1537. — (*e*) T. I Suppl., col. 551.— (*f*) Labbe t. VI Conc. col. 1553. — (*g*) Ser. et Act. Episc. Cadurc., p. 32.— (*h*) Hist. du Quercy, t. I, p. 82.— (*i*) Ibid., p. 87. — (*k*) Quandoque etiam Stephanus III dictus, ut videre est apud Chronologos.

conse-

A *consecrationi interfuerunt. Verum adhuc nullum reperi auctorem antiquum, qui nomina episcoporum, consecrationi Figiacensi præsentium, recitaret. Gulielmus de la Croix, qui num.* 67 (*a*), *late describit prodigiosam hanc consecrationem, dicit quidem ex Actis, in Figiacensi archivo asservatis,* multos adfuisse Pontifices, inter quos celebris memoriæ Beatissimus Vivianus, qui tunc sedis Sanctonicæ præsul et comes florebat. *Ast S. Vivianum Sanctonensem statuunt Nostri ad* XXVIII *Augusti* (*b*), *circa medium sæculum quintum obiisse : hoc certum est, S. Gregorium Turonensem anno Christi* 595 *defunctum, in suo libro de Gloria Confessorum cap.* LVIII (*c*) *dicere, S. Vivianum seu Bibianum quiescere in suburbio urbis Sanctonicæ ; et proinde certum obiisse est saltem sexaginta annis ante Figiacensem consecrationem. Suspecta sunt igitur hac in parte Acta Figiacensis archivi, neque fidem merentur. Quin immo hæc ipsa prodigiosa Figiacensis ecclesiæ consecratio, saltem quatenus coævis diplomatis fulcienda esset, omnino nutat. Accurate probat Cointius* (*d*) *Stephanum II Papam, qui bullam dedisse dicitur* (*e*) in eodem monasterio (*Figiacensi*)

B VII id. Novembris, anno Dominicæ Incarnationis DCCLV indict. VII, anno vero IV Domini Stephani Papæ II, *eodem anno* 755 *in Galliis non fuisse ; quod si ad annum præcedentem, quo reipsa Stephanus in Galliis commoratus est, consecratio rejiciatur, non solvitur difficultas ; siquidem constat Stephanum Papam, relictis Parisiis, recta via per Alpes in Italiam perrexisse, atque Romæ fuisse mense Januario anni* 755. *Ipsa dein Stephani Papæ bulla Cadurcis, ut supponitur data, aliqua exhibet, quæ sæculi octavi stylo non quadrant : dicitur enim in bulla citata :* Nulli præterea archiepiscopo, vel episcopo, aut cardinali sit facultas illum *(abbatem Figiacensem)* excommunicandi, nisi tantum Romano Pontifici. *Quamvis antiquissima sit S. R. E. Cardinalium dignitas et præeminentia, videtur tamen ad posteriora sæcula pertinere, ut cardinales speciali mentione recolantur. Atque hinc etiam bulla Figiacensis aliquam interpolationem subiisse omnino videtur.*

qua occasione discutiuntur monumenta Figiacensia,

10 *Citatur quoque diploma Pippini regis* (*f*), datum in eodem loco (*scilicet in monasterio Figiacensi*) VI idus Nov. anno ab Incarnatione Domini DCCLV, indictione nona. *Verum cum in hac charta dicat rex se,* præsente Domino Stephano papa, mi-

C rabiliter a Deo consecratum (*monasterium Figiacense*) prospexisse ; *videntur eadem objici posse contra Pippini regis chartam, quæ bullæ Stephani Papæ opposita fuerunt, scilicet nullum exsistere vestigium itineris Stephani Papæ Aquitaniam versus ; nec opportunum tempus, sive annum quinquagesimum quartum sive sequentem spectemus, inveniri posse. Nihilominus hujusmodi nævos detergere videntur subsequentes bullæ variorum Romanorum Pontificum, qui nova privilegia, Figiacensibus concessa, fundant in primaria Stephani bulla : unde et auctores Galliæ Christianæ* (*g*) *dicunt* litteris Stephani auctoritatem omnem haud esse detrahendam. *Verum quæ afferuntur bullæ, et ipse merito suspectæ censentur : citatur enim imprimis bulla Paschalis I. anni* 822 (*h*) *in qua dicitur, ut* monasterium, quod Conchas nominatur, *sit* sub *Aymari* regimine quemadmodum olim fuerat, et ut eum (*id*) in priorali dignitate, quia destructum est, restauret. *Ast hæc omnino contraria sunt iis, quæ in Vita Ludovicii Pii a coævo,* Astronomo *dicto, conscripta reperiuntur : utpote in qua* (*i*) monasterium Concas *numeratur* inter multa *a Ludovico Pio* reparata imo a fundamentis ædificata monasteria. *Narrationem coævi roborat diploma ejusdem Ludovici* (*k*) datum sexto idus Aprilis, anno sexto, Christo propitio, imperii domni Ludovici excellentissimi Augusti, indictione XII. Actum Aquisgrani palatio regio. *Jam vero hoc anno sexto Ludovici, seu Christi* 820 *dicitur ecclesia ibidem ædificata in honore Domini et Salvatoris Jesu Christi, Medraldus abbas nominatur, refertur quoque congregatio in dies crescens, quæ tandem sub regula S. Benedicti militare cœpit. Quæ omnia nullatenus quadrant cum iis, quæ duobus post annis scripta perhibentur a Paschali I. Neque dictæ bullæ suppetias ferre potest rescriptum Urbani II, a Gulielmo de la Croix* (*l*) *citatum quo Pontifex post exordium, Paschalinæ bullæ simillimum, plenariam concedit indulgentiam ecclesiæ Figiacensi : inscribitur enim* Stephano Carducensi episcopo, *quum constat anno Christi* 1093, *quo data dicitur bulla, non Stephanum aliquem, sed Geraldum II occupasse Cadurcensem cathedram, ut probant auctores Galliæ Christianæ* (*m*). *Fictas proinde credo has bullas omnes, atque ideo fictas, quod lis verteretur inter Figiacenses et Conchenses monachos circa primatum alterutrius monasterii. Pro se citabant Figiacenses, præter laudatas litteras Stephani papæ et Pippini regis, ejusdem principis diploma, quo* (*n*) eremitæ Conchenses abbati Figiacensi commendabantur, quatenus ex sua abundantia illorum inopiam suppleret ; et quia in asperrimis, arduis nec non angustissimis degebant locis, haberent caput in spatioso et delectabili loco, ubi eorum corpora et a labore relevarentur et recrearentur a penuria. *Tum de abbatis electione hæc subduntur :* Cum vero abbas istorum (*Figiacensium*) obierit, quamdiu inter se invenire potuerint, ex suis eligant, qui eos secundum regulam Sancti Benedicti regere possit. Quod si inter eremitas Conchenses eis melior visus fuerit, non dedignentur inde sibi sumere patrem ; ita tamen ut priori monasterio, id est Figiaco, abbatiæ reverentia reservetur, et dignitas prioratus apud Conchas remaneat. *Hactenus quidem Figiacenses. Sed alia omnino cantant Conchenses, qui diploma exhibent a Pippino Aquitaniæ rege, Ludovici Pii filio datum* (*o*) *:* X kal. Septembris, indictione I, anno XXV imperii Ludovici Cæsaris Augusti et regni nostri XXII, *id est* F *anno Christi* 838. *In ista quidem charta dicitur :* Interea nostræ serenitati placuit, ut quia idem monasterium (*Conchense*) in arduis atque asperrimis locis est constitutum, ita ut pro sua angustia plurimorum obsit habitationi, et pro asperitate victualia prohibet illuc deferri, ut in loco, cujus vocabulum est Figiacus, quem tamen abhinc novas Concas vocari placuit, monasterium construatur, quatenus ab angustia et penuria portandorum alimentorum idem locus sublevatus, liberius atque delectabilius ibidem habitantes Deo servire possint.... ita tamen ut priori monasterio Concas dignitas prioratus et antiquitatis reverentia reservetur. *Hæc certe cum Figiacensium assertionibus stare non possunt, utpote quæ sunt plane contradictoria ; interim meum non est litem implexam dirimere, sufficiat observasse hic falsarium aliquem subesse : satis limpide mea sententia fluit Conchense diploma, et illo verborum tenore utitur, qui controversiæ definiendæ aptus non videtur verbi gratia* dignitas prioratus, *quod dextre in rem suam detor-*

AUCTORE J. V. H.

(*a*) Ser. Episc. Cadurc., p. 59. — (*b*) T. VI Augusti, p. 461. — (*c*) Biblioth. max. PP., t. XI, p. 883. — (*d*) An an. 754, § LXXIV, t. V, p. 449. — (*e*) Gall. Christ., t. I Instr., col. 43. — (*f*) D'Achery Spicil., t. III, p. 319. — (*g*) T. I Instrum. col. 43. — (*h*) Ibid. — (*i*) D. Bouquet, t. VI, p. 95. — (*k*) Gall. Christ., t. I, col. 236. — (*l*) Ser. Episc. Cadurc., p. 56. — (*m*) T. I, col. 127 et 128. — (*n*) Mabill. Ann. Bened., lib. XXVII, § III, t. II, p. 395. — (*o*) Bosc. Mém. pour servir à l'hist. du Rouergue, t. III, p. 153.

sere

AUCTORE J. V. H.

sere Figiacenses. Ingratam litem diremit tandem Urbanus II in concilio Nemausensi anni 1097, *quando utrumque monasterium suo juri reliquit* (*a*). *Sed de his satis : ad Sanctum nostrum* Ambrosium *sermo rediendus est.*

et refutatur historicus

11 *Ex monumentis Figiacensibus nihil, ut vidimus, deduci potest ad statuendum tempus, quo* S. Ambrosius *in solitudinem omnibus incognitam secessit : quinimmo prorogandum videtur, usque ad annum Christi* 760, *quando Waifarius dux Aquitaniæ rebellare cœpit adversus Pippinum regem, quia, ut ait Ademarus in suo Chronico* (*b*), *nolebat* consentire justitiis ecclesiarum. *Circa illud tempus Sanctus noster, pertæsus inutilis laboris in populo indocili et continuatæ direptionis bonorum Ecclesiæ suæ, probabilius solitudinem quæsivit. Huc etiam accedit, quod Sanctus antea per annos aliquot gregem excolere debuerit, quam legitime propter populi indocilitatem onus episcopale potuerit deponere : unde omnino verisimile est Sanctum secessisse circa annum* 759, *ut habent recentiores, inter quos Bailletus. Hanc occasionem nactus causidicus Cathala-Coture in sua Historia pagi Cadurcensis* (*c*) *e tripode*

B

condemnat agendi modum S. Ambrosii, *quasi abnormen et absonum a recta ratione ; en ejus verba latine reddita :* Visebantur illo adhuc sæculo exempla hujusmodi fervoris imprudentis. Deserebant homines absque remorsu officia essentialia, ut placitas austeritates sectarentur, quæ, quo magis erant singulares, eo magis et nocebant et alliciebant, dum in admirationem rapiebant ignarum vulgus. Isthæc agendi ratio S. Ambrosii, quamvis in se laude digna, distat a moribus nostris et cachinnos provocaret. Verumtamen quot sunt etiam hodierna die, qui cum propter dotes, quibus pollent, propter officia, quibus funguntur, rempublicam optime procurare possent, frustrant naturam atque adeo humanitatem spe sua, quando se dedunt studiis, quæ bono publico præferunt? Adeo verum est homines omnium temporum, tantum non perfectissime, sibi similes esse! *Hæc causidicus Cathala-Coture.*

Cadurcensis Cathala-Coture,

12 *Si hæc citamus, iisque brevem refutationem subnectimus, non est quod librum causidici nostri tam celebrem judicemus, ut periculosus esse possit; sed cum hic repetita veniant, quæ more sæculi* XVIII

C

ab omnibus passim, qui novitatem affectabant, cantabantur, et quæ adhuc vulgari colloquio et scriptis libris tractantur, operæ pretium fuerit paucis hic dicta refellere, ut suus veritati sit locus. Imprimis Cathala causidicus reprehendit S. Ambrosium, *quod, officio episcopali dimisso, in solitudinem abdiderit sese : imprudentem dicit hujusmodi agendi rationem ; remordere scilicet Sanctum debuisset conscientia, quod officio suo prætulerit austeritates voluntarias. Scire tamen debebat causidicus ex jure canonico, quod ignorare jurisconsultum fas non est, inter legitimas causas renuntiationis numerari indocilitatem seu malitiam plebis commissæ. Hæc enim leguntur cap.* x de Renunt. (I. 9) : Propter malitiam plebis cogitur interdum prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, sed propter ejus duritiam, quo magis satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur : dicente Domino per Prophetam (*d*) : Linguam tuam adhærere faciam palato tuo.... quia domus exasperans est. Et Apostoli leguntur dixisse Judæis (*e*) : Ecce convertimur ad gentes, quia verbi Dei indignos vos fecistis. Non tamen pro qualibet culpa

D

pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem et dimittit oves et fugit ; sed de superioris licentia, tunc demum potest non tum timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos : et qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicant, cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi : quia sanguinem elicit, qui nimis emungit. *Videtur canon citatus veris suis coloribus depingere* S. Ambrosium *in medio populi nolentis audire pastorem suum : recte igitur beatus vir malitiæ plebis indocilis esse subtraxit. Circa idem tempus similem dimissionem sedis nobis S. Ado in suo Chronico exhibet* (*f*) : Wilicarius, cum furioso et insano satis consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad usus suos retorquerent, videns Viennensem ecclesiam suam indecenter humiliari, relicto episcopatu, in monasterium Sanctorum Martyrum Agaunensium ingressus, vitam venerabilem duxit. Vastata et dissipata Viennensi et Lugdunensi provincia, aliquot annis sine episcopis utraque Ecclesia fuit, laicis sacrilege et barbare

E

res sacras Ecclesiarum obtinentibus. *Wilicarius Ecclesiam suam relinquit, quia devastata; præter hoc momentum, fugam in solitudinem Sancto nostro suadebant indocilitas populi et certa spes habendi successorem in episcopatu. Si itaque in similibus adjunctis præsenti tempore episcopus aliquis, abdicatis infulis, solitudinem peteret, optime id consonaret moribus, et nedum cachinnos provocaret, hodiernis etiam hominibus summæ ædificationi exsisteret.*

et ostenditur quam inepte

13 *Quod vero Cathala causidicus porro mirabundus dici hujusmodi mentis imbecillitatem adhuc perseverasse, prima fronte concludendum videtur, rem esse, quæ ipsa frequentia tantam admirationem ciere non valet : nam cum semper et ubique exstiterit, ut ipse fatetur, error ille in Christianismi indolem refundendus est. Quomodo porro causidicus noster tam peremptorie damnare sua privati hominis auctoritate audet, quod sæculorum omnium judicio comprobatur? Admirationem itaque mentiri dicendus est causidicus, ut oblique saltem carpere posset illa Ecclesiæ instituta, quæ orationi et contemplationi præcipue devota, maxima impetebantur illa tempestate* (anno 1785), *qua auctor suam Historiam Cadurcensis pagi concinnavit. Hinc dicit naturam atque adeo huma-*

F

nitatem spe sua frustrari, quando quis in placita studia, reipublicæ minus utilia, incumbit. Quibus verbis indigitat monasticæ vitæ studiosos, quos frivolis rebus deditos fingit; quasi vitam orationi continuæ impendere et corpus austeritatibus atterere, frivola essent. Qui vero primaria principia religionis Christianæ vel summis labris delibarunt, sciunt oratione ad Deum niti res humanas, et proinde utile esse tum singulis, tum universæ reipublicæ, ut sint semper qui orent in omni loco levantes puras manus (*g*), *ut avertantur flagella iræ divinæ, et justis perseverantia, peccatoribus morum emendatio concedatur. Hanc certe anachoretarum utilitatem agnovit S. Augustinus libro* I *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* XXXI (*h*) : Nihil de iis dicam,.... qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum in-

(*a*) Mabill. Act. SS. Ben., sæc. III. part. II, p. 448, et Gall. Christ., t. I Instr., p. 44. — (*b*) Labbe Bibl. Mss., t. II, p. 157. — (*c*) Hist. du Quercy, t. I, p. 82. — (*d*) Ezech. III, 26. — (*e*) Act. XIII, 46 ; paulo aliter Vulgata : Quoniam repellitis illud (verbum) et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur, *etc.* — (*f*) Pertz. Monum. Hist. Germ., t. II, p. 319. — (*g*) I. Tim. II, 8. — (*h*) T. I Op., p. 710. Edit. Paris. MDCLXXIX.

tellectu

A tellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar : videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum et supervacaneum puto : nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui se inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum catholicæ fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis et quasi ad humanos fines revocanda videatur, usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam quibus id displicet, judicatur. *Hæc S. Augustinus apposite ad causidicum nostrum refellendum.*

S. Ambrosium *carpit.* 14 *Quod si hæc, quatenus ex intimis religionis Catholicæ principiis desumpta, respuat Cathala causidicus, attendat, quæso, monachismum non solum utilem esse, ut præcepta et consilia evangelica sarta tecta serventur et alii ad sanctiorem vitam provocentur, sed etiam prodesse plurimum societati civili.*

B *Ut enim hic omittamus quantum subsidii contulerint olim monachi agriculturæ propagandæ, scientiis artibusque conservandis, nemo qui præsentem rerum statum attento oculo intuetur, diffitebitur, vel nostro sæculo optandum esse, ut plures sint, qui solitudinem sectentur. Ea enim est temporum nostrorum conditio, ut omnes ferme, qui modo aliquid litterarum addidiscerint, ad omnia natos se esse facile existiment; nihil adeo excelsum aut arduum, quod se consecuturos levi manu non sperent. Unum sæpe obstat, quominus scopum, ardentissimis votis expetitum, attingant, curta scilicet res familiaris aut ære alieno gravata, quæ omnem aditum ad honores voluptatesque claudit. Hinc nihil non excogitant, nihil non moliuntur, ut divitiis tandem potiantur; ad quas acquirendas nulla via facilior quam si turbata republica, alienas fortunas nullo negotio invadere possint. Inhiant aliorum opibus, quas absque labore suas cupiunt, et omnibus modis corradere tentant. Jam quis non liquide videat hac exagitata tempestate, optime consultum iri paci et quieti civitatis, si essent monasteria, ad quæ concurrere posset juventus, sibi gravis, familiæ indecora, societati universæ infesta? Macerarent illic corpus suum inedia,*

C *vigiliis, stupendis etiam austeritatibus; aut etiam, si ita lubet, ignaviæ dediti, luderent anagrammatis, chronogrammatis, aut aliis id genus crepundiis litteraris : jam certe maximo republicæ utriusque emolumento quiescerent ipsi, aliosque cives tranquillitate perfui paterentur : uno verbo summæ utilitatis esset* non nocuisse. *Tot videmus hodie impietatis coryphæos civibus suis perniciem et exitium minitantes, qui rempublicam vexant, turbant, evertere conantur, qui si essent monachi, innocuam, etiamsi fortassis inutilem, vitam ducerent* (a). *Adeo verum est* (liceat nostrum epiphonema Cathaliano opponere) *viros cæteroquin gnavos ex minutis fictisque circumstantiis principia cudere, quæ, si in praxim deducerentur, gravissima generant mala, non uni tantum, sed toti quandoque regno luenda. Hæc de Cathala causidici sententiis dicta sufficiant.*

AUCTORE J. V. H.

§ III. Discutitur opinio Casimiri Oudini, qui S. Ambrosium Cadurcensem auctorem facit Librorum de Mysteriis et de Sacramentis, S. Ambrosio Mediolanensi vulgo tributorum.

Oudinus opinatur libros de sacramentis *et* de mysteriis

Singularis fuit opinio Casimiri Oudin (b), *Sancto nostro* Ambrosio *tribuentis tractatus de* Mysteriis *et de* Sacramentis, *quæ olim communiter sub nomine S. Ambrosii Mediolanensis et Ecclesiæ Doctoris veniebant. Quantumvis enim nihil detractum velimus gloriæ Sanctorum, quorum vitam commentamur ; deessemus nihilominus officio nostro et reverentiæ Sanctis debitæ, si illos alienis spoliis condecorare satageremus. Neque tamen illo consilio opinionem suam emisit Oudinus, ut ad laudes* S. Ambrosii *Cadurcensis accrescerent hi tractatus, sed potius ut validissima traditionis catholicæ monumenta, homo vafer convelleret. Sciebat enim multum iisdem auctoritatis deperire, si et quatuor sæculis recentiora et ab obscuro quodam episcopo, qui etiam rhapsodus appellatur, edita comprobaret. Operæ pretium itaque fuerit singularem scriptoris apostatæ opinionem expendere, illamque, quantum hujus Operis ratio postulat, refutare. Sententiam suam his fere argumentis fulcit Oudinus : asserit imprimis unum eumdemque esse auctorem, qui tractatum* de Mysteriis *et qui sex tractatus* de Sacramentis *conscripserit : atque huic dein assertioni, tamquam valido fundamento, superstruit aliam conjecturam, scriptorem nempe hunc non esse sanctum Mediolanensem pontificem, sed omnino videri Gallum quemdam episcopum, inter annos* 774 *et* 800 *collocandum : unde Oudini arbitrio sponte quasi sua profluit non alium hisce tractatibus patrem assignari posse, quam* S. Ambrosium, *Cadurcensem episcopum. Ad probandas hujusmodi opinationes varia congerit Oudinus, quæ nunc examinanda sunt accurate, ne idem labor repetendus veniat ad diem* VII *Decembris, quando de S. Ambrosio Mediolanensi agendum erit.*

E

esse S. Ambrosii *Cadurcensis, in quam rem adducit rationes :*

F

16 *Sodales Benedictini e Congregatione S. Mauri in nova, quam anno* 1688 *adornarunt, editione Operum S. Ambrosii, omnino affirmant sanctum episcopum Mediolanensem auctorem esse libri* De Mysteriis (c); *ast dein scribunt sibi videri auctorem tractatuum* de Sacramentis *diversum esse a S. Ambrosio, qui auctor est libri de sacramentis* (d) ; *eamdem sententiam recipientes, suo calculo comprobarunt editores Veneti anni* 1781, *quorum editione utimur in præsenti dissertatione. Hanc sententiam mutuatos illos dicit Oudinus* (e) *ex Albertino, theologio heterodoxo, tacito tamen hujus nomine : hic nempe lib.* II *de Sacramento Eucharistiæ caput primum concluserat his verbis, quæ ex ipso Oudino* (f) *exscribimus :* Judicent ergo lectores, an sit stultum ambigere de authore horum librorum *(de Sacramentis),* quod temere admodum Bellarminus pronuntiat, an non contra injurium sit, illi tribuere velle? Ex adversariis ipsis *(Catholicis)* Arnoldus (g) eos citans de frequenti Communione parte I, cap. XIII. « Si tamen Ambrosii sint, » inquit. Ego censeo illos esse authoris septimi seculi, ex tractatu Ambrosii de iis qui mysteriis initiantur, explicato consarcinatos et propter similitudinem Ambrosio attributos, cum rapsodi nomen ignoraretur. *Utrum propria sagacitate Be-*

(a) De Maistre du Pape, lib. III, cap. II. — (b) De Scriptt. Eccles. Antiquis, t. I, col. 1827 et seqq. — (c) T. V Op., p. 177 et seqq. Edit. Venet. — (d) Ibid., p. 199. — (e) De Scriptt. Eccles., t. I, col. 1829. — (f) Loco citato. — (g) Doctorem Arnault intelligit.

nedictini

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

nedictini editores assecuti fuerint non unum eumdemque auctorem utriusque operis exsistere, num vero hanc sententiam ab Albertino supra laudato, aut a Godefrido Hermant, *scriptore Vitæ S. Ambrosii Mediolanensis, mutuati fuerint, parvi refert. Unum hic discutiendum venit, quibus rationum momentis Oudinus in hanc opinionem adductus fuerit, eamdemque pro aris et focis defenderit. Sententiam suam confirmat quadruplici ratione, deinceps examinanda : prima est,* multis in codicibus sub Ambrosii nomine conjunctos reperiri libros de Mysteriis et de Sacramentis ; *altera petitur* ex styli in utroque opere similitudine ; *tertia* ex uniformitate doctrinæ cujusdam singularis ; *quarta denique* ex connexione quæ inter varios hosce tractatus existunt, *ita ut, quemadmodum liber secundus* de Sacramentis *reclamat primum, ita quoque tractatus* de Sacramentis *necessario supponit præmissum fuisse librum* de Mysteriis. *Primæ difficultati jam occurrerunt editores Benedictini in erudito suo prologo, quem libris* de Sacramentis *præmisere* (*a*). *Cum enim multi citarentur ex antiquis, qui libros hos Ambrosio adscriberent, responderunt*

B *editores :* Scriptores illi rem *(seu quis auctor librorum esset)* ipsi per se ac destinato consilio non discusserunt, sed vel alii alios sequuti sunt, vel fidem habuere suis manuscriptis, in quibus eamdem opellam alibi quidem Ambrosii nuncupatione inscriptam, alibi vero tractatui alicui eamdem inscriptionem præferenti junctam reperere. Nam cum antiquissimi quique codices nullum auctoris nomen exhibeant, qui exscribendis iis navaverunt operam, cum Ambrosium hac ipsa de materia scripsisse cognovissent, non dubitarunt eidem ipsos adjudicare ; alii autem etsi Ambrosianos esse non arbitrarentur, libro tamen de Mysteriis ob argumenti similitudinem duxerunt subjungendos. *Hanc ipsam postremam rationem ratam habet Albertinus supra citatus ; ideo ubique ferme conjunctos reperiri bines tractatus, quia ex uno alii consarcinati sunt, sibique proin sunt simillimi. Et hæc quidem eadem argumentatio facile causam aperit, cur Ratramnus librum de Mysteriis primum librum de Sacramentis dixerit. Vide Natalem Alexandrum Historia Ecclesiastica sæculo* IV, *part.* I, *cap.* VI, *art.* XXVII, § II (*b*).

imprimis confusionem nominis; dein similitudinem styli et ritus

17 *Eodem modo solvitur difficultas, quæ ex* styli similitudine *petitur, quam nonnulli admisere, ut videre est apud Oudinum cap.* I, *num.* 3 ; *alii vero negarunt, ut Benedictini editores* (*c*), *Tillemont* (*d*) *in monumentis Ecclesiasticis, qui citat quoque Cardinalem Bona* Rerum Liturgicarum *lib.* I, *cap.* VII, D. Ceillier *de Auctoribus Ecclesiasticis* (*e*), *atque adeo heterodoxi : nam Albertinus, dum dicit* libros de sacramentis (*f*) scatere barbarismis, multa habere, quorum nonnulla et ridicula Ambrosianaque gravitate prorsus indigna, nonnulla etiam repugnantia et contradictoria, *etc., ipse, inquam, Albertinus styli similitudinem inter utrumque opus non agnovit. Est tamen aliqua inter utrumque similitudo; quoties scilicet auctor librorum* de Sacramentis *ex libro* de mysteriis *aliquid decerpit, nisi ubi interdum depravet nimium. Verum quotiescumque propriis, ut vulgo dicitur, alis volare tentat, tunc a vero Ambrosio omnino absimilis est, neque frigidis illis et puerilibus interrogatis, quæ in libris* de Sacramentis *occurrunt, insperguntur genuina Mediolanensis Ambrosii opera. Quæ vero de* similitudine singularis doctrinæ *circa lotionem pedum commentatur adversarius, jam diu confutata fuerunt.* D *Quid enimvero ibi tam singulare voces ? Post baptismum pedes lavari ? Ast id et Mediolani et alibi factum esse notant tum ipse Basnagius* (*g*) *in editione Lectionum Canisii, tum Cornelius a Lapide in Commentario in Joannis cap.* XIII, ℣. I, *citans Gabrielem Vasquez : idem quoque testantur C. Chardon* (*h*) *in Historia Sacramentorum et multi alii. Sed scilicet auctor libri* de Mysteriis *cap.* VI *asserit lotione pedum* hereditaria peccata tolli ; propria enim per baptismum relaxari : *cui consonat, quod lib.* III *de Sacramentis cap.* I (*i*) *dicitur :* Sunt tamen qui dicant et excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione : sed quasi hospiti pedes lavandi sunt (*quæ tamen ratio innuitur in Missali Gothico, et in Missali Gallicano veteri* (*k*)). Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est et sanctificatio : Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. (*Joannes* XIII)... Quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes ; ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis ac- E cedat, quo postea te supplantare non possit. *Auctor libri de Mysteriis satis superque vindicatus fuit ab omni errore in nota, quam ad locum citatum adjecere editores Benedictini. Non dissimili modo a culpa liberatur auctor librorum de Sacramentis; ipsa enim ejus verba satis indicant, quo sensu dixerit lotionem pedum* mysterium *esse, ad* sanctificationem *fuisse institutam : nam imprimis si credidisset auctor per lotionem pedum tolli peccatum, cum sibi objecisset* Ecclesiam Romanam non habere hanc consuetudinem, *gravis profecto et maxime damnabilis erroris hanc Ecclesiam arguisset : qui fit igitur ut statim subjungat :* cujus typum in omnibus sequimur et formam ? *ut causam hujus omissionis prætendat :* forte propter multitudinem declinavit ? *Certe hujusmodi causam non obtendisset auctor, si credidisset lotionem pedum sacramentum esse ad remissionem peccati originalis institutum ; non addidisset denique :* Hæc dico, non quod alios reprehendam : *(quod facere debuisset, si ageretur de neglectu Sacramenti maxime necessarii)* sed mea officia ipse commendem.

prorsus singularis, F 18 *Ast ipsa auctoris verba evidentissime illum ab omni errore gravi vindicant; paulo enim infra explicans illa verba :* Qui lavit, non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet ; *dicit :* Quare hoc ? Quia in baptismate omnis culpa ; sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes ; ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium santificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio. *Conceptis verbis in baptismate omnem culpam dilui, dicit, auctor, seu ut loquitur Concilium Tridentinum Sessione* V, *canone* 5 tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet.... Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur et sentit..... Hanc vero concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse, quod vere et proprie peccatum sit, sed quia ex peccato

(*a*) T. V Op., p. 204. — (*b*) T. IV, p. 313. (Edit. Venet. 1778). — (*c*) T. V Op. S. Ambros., p. 207. — (*d*) Mém. pour servir à l'Hist. Eccl., t. X, not. LXII in S. Ambros. p. 765. — (*e*) Auteurs Eccles., t. VII, cap. IV, § XIV. p. 487. — (*f*) Ambros. Opp., t. V, p. 200. — (*g*) Præf. in Canisii Lect. Antiq., cap. V, § XXXV, t. I, p. 57. — (*h*) Hist. des Sacrements, t. I, p. 381. — (*i*) Ambros. Op., t. V, p. 222. — (*k*) Jos. Mar. Thomasi Cod. Sacram., p. 335 et 475.

est,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A est, et ad peccatum inclinat. *Huic ergo malo, diluta omni culpa,* subsidium sanctificationis *profertur, id est gratia cœlestis, cujus ope, ut habet Tridentinum Concilium loco citato* non consentientibus sed viriliter repugnantibus nocere non valet, quin imo qui legitime certaverit, coronabitur. *Ex his ergo evanescit prorsus doctrinæ singularitas, quam utrique operi affingere quidam voluerunt : ruit igitur tertium argumentum, quo fulcire tentavit Oudinus suam sententiam.*

tandem septenarium numerum,

19 *Ast prodit nunc in apertam palæstram Oudinianus Achilles,* quem nullus, *ut ipse quidem dicit* (*a*), infringere possit, *et propterea probabiliter* dissimulatus ab editoribus Benedictinis, *ut distinctionem suam Tractatus de Mysteriis a libris sex de Sacramentis* plausibiliorem facerent. *Scilicet appellat Oudinus tractatum* de Mysteriis, *librum primum inter illos qui* de Sacramentis *conscripti sunt ; atque id quidem duplici ex ratione : imprimis ut suus sit sermonibus septenarius numerus ; dein ut verba quædam Libri primi* de Sacramentis *commodam nanciscantur interpretationem. Ad utrumque facilis est responsio. Etenim nulla videtur necessitas, ut se-*

B *ptenarius numerus librorum sive sermonum admittatur ; et posito etiam septimanam integram insumptam fuisse in instruendis neophytis, nullatenus sequitur Dominicum Paschatis non fuisse diem impediorem, quam ut sermo haberetur. Sed, admissa etiam illa necessitate, ne tunc quidem sequeretur, librum* de Mysteriis *adnectendum esse tractatibus* de Sacramentis : *nam merito suspicari licet septem olim fuisse sermones, uti videre est apud editores Benedictinos in illorum præfatione circa finem* (*b*) *et in nota* b *ad lib.* VI, *cap.* V, *num.* 25 (*c*) ; *sed in hac hypothesi, quia brevior est sermo ille, qui septimus dicendus esset, non nihil truncatus videretur. Quidquid sit de ista conjectura, auctor librorum* de Sacramentis *ita auspicatur librum primum, ut manifeste monstret* tunc primum, *se incipere de Sacramentis tractare ; en ejus verba :* De Sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior, cujus rei rationem non oportuit ante præmitti. *Atque ille, qui alibi semper sequentem sermonem cum præcedenti, sive expressis verbis sive per repetitionem connectit, nihil prorsus in sermone primo* de Sacramentis *dicit, quo vel leviter indigitet se pridie integrum tractatum de mysteriis habuisse ! Ast, inquit Oudinus*

C (*d*), reclamari primum (*seu librum* de mysteriis) a secundo (*seu libro primo* de Sacramentis) videamus, nam de aliis dubium nullum est. Hæc verba sunt sermonis secundi *(alias libri primi de Sacramentis) :* « Et ecce quasi columba, Spiritus Sanctus descendit. Non columba descendit, sed » quasi columba. Memento quid dixerim : Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed » carnis istius veritatem, vere carnem suscepit. » Spiritus autem Sanctus in specie columbæ, non » in veritate columbæ, sed in specie columbæ. » *Alludere dicit Oudinus tractatorem ad sermonem, ut ipse dicit primum,* de Mysteriis ; *nos vero illa verba,* memento quid dixerim, *interpretamur dicta ad acuendam præsentium attentionem, nempe ut recte intelligant differentiam inter* columbam *et* quasi columbam, *quam similitudine quadam desumpta e mysterio Dominicæ Incarnationis evolvit, ut legendi manifestum fit.*

quorum primus esset liber de mysteriis.

20 *Ast aliam prorsus significationem tribuit hisce verbis Oudinus, qui verba,* memento quid dixerim, *referenda esse asserit ad librum* de Mysteriis, *et quidem ad cap.* IV, *quem late recitat, et ubi eo minus auditores inventuros fuisse, quæ illic latitare dicit Oudinus, æstimo, quo difficilius etiamnum ab oculatis, commentario instructis, id fieri assevero. Et ne fucum hic facere videar, en verba* S. Ambrosii *ad quæ allusisse dicitur auctor librorum de Sacramentis, commentantis verba Joannis* I, 32 (*e*) : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam, *hæc dicit :* Et hic quare Spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres columbam etiam illam, quam Noe justus emisit ex arca, istius columbæ speciem fuisse, ut typum agnosceres sacramenti? Et fortassis dicas : Cum illa vera columba fuerit quæ emissa est, hic quasi columba descenderit, quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem ; cum secundum Græcos in specie columbæ Spiritum descendisse sit scriptum? *(Græcus textus Lucæ cap.* III, ℣. 22 *habet :* Καταβῆναι, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, ἐπ' αὐτόν.) Sed quid tam verum quam divinitas, quæ manet semper? Creatura autem non potest veritas esse, sed species, quæ facile solvitur atque mutatur. Simul quia eorum, qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas.... speciem autem et pro veritate accipiendam legimus et de Christo : Et specie in- E ventus ut homo ; et de Patre Deo : Neque speciem ejus vidistis. *Conferenti utrumque locum citatum evidens fit, non potuisse auctorem librorum* de Sacramentis, *quando dicit,* memento quid dixerim, *indigitare locum citatum e libro* de Mysteriis, *proindeque tractatum* de Sacramentis *nullatenus reclamare librum* de Mysteriis.

Monstratur diversus esse ritus in utroque opere :

21 *Refutatis critici nostri rationibus, æquum est monstrare varia esse, quæ diversum utriusque operis auctorem indicant. Imprimis differunt inter se baptismatis ceremoniæ ab utroque præsule usurpatæ. Etenim auctor librorum* de Sacramentis *lib.* I, *cap.* I (*f*) *late quærit cur* nares *baptizando tanguntur, dum S. Ambrosius nihil hujus modi in suo* de Mysteriis *libro cap.* I *habeat, sed simpliciter, dicat* tactum oris *omitti in fœminis. Habet dein S. Ambrosius lib. de Mysteriis cap.* VI : Post hæc utique (*post baptismum*) ascendisti ad sacerdotem : considera quid secutum : nonne illud quod ait David : Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron. Ps. CXXXII, ℣. 2. *Quibus verbis indicat Sanctus sacramentum confirmationis fuisse collatum. Post confirmatis sacræ signaculum sequitur pedum lotio :* Omnes in regnum Dei et in sacer- F dotium ungimur gratia spiritali. Ascendisti de fonte ; memento euangelicæ lectionis. Etenim Dominus noster Jesus lavit pedes discipulis ejus, *etc. Deinde totum hunc locum concludit his verbis :* Accepisti post hæc vestimenta candida, *etc. Verum alio prorsus ordine adimplet baptismi solennitates, qui libros* de Sacramentis *conscripsit : nam lib.* III, *cap.* I (*g*) *post baptismum, nullo ritu intermedio, sequitur pedum lotio :* Ascendisti de fonte, quid secutum est?.... Succinctus summus sacerdos pedes tibi lavit, *etc. ; capite seq. post explanatum pedum lotionem :* sequitur spiritale signaculum, quod audisti hodie legi, *etc. Qui ceremoniarum ordo quam alius sit ab Ambrosiano, nemo non viderit. Contendit quidem Oudinus* (*h*) *hic agi vel agi posse de unctione presbyterali, quæ neo-baptizatis fiebat per sacerdotem secundi ordinis, quæque post S. Gregorium Magnum introducta auctorem designat septimo sæculo recentiorem. Verum data etiam Oudini argumentatione, quam nullatenus probo, remanet tamen, quod hic caput rei est, differre scilicet utrumque tractatum in ordine et successione rituum. In argumenti nostri confir-*

AUCTORE J. V. H.

(*a*) De Scriptt. Eccles., t. I, col. 1835.— (*b*) Ambros., t.V, p. 208. — (*c*) Ibid., p. 246. — (*d*) De Scriptt., t. I, col. 1834. — (*e*) Ambros. t. V, p. 188. — (*f*) Ibid., p. 209. — (*g*) Ibid., p. 222. — (*h*) Scriptt., t. I, col. 1854 et seq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

mationem adduci possent alia, ut sunt diversitas versionis Sacræ Scripturæ, unctio ante renuntiationem, Sanctissimæ Missæ sacrificii initium, etc. Quæ omnia monstrant non unum eumdemque auctorem esse utriusque tractatus.

citatur uterque liber nono sæculo

22 *Atque hisce præmissis, jam mediam confecimus viam. Nunc ostendendum venit, libros* de Sacramentis, *licet S. Ambrosio Mediolanensi adscribendi non videantur, tamen* S. Ambrosio *Cadurcensi minime tribuendos esse : quo confecto, manifestum fiet, neque tractatus* de Mysteriis *illum auctorem esse, nisi quis dicere velit ectypon typo antiquius esse. Argumenta, quibus Oudinus singularem suam sententiam fulcire conatur, sunt duplicis generis : videlicet propter nominis identitatem facilis fuit confusio Mediolanensis cum Cadurcensi* Ambrosio, *cap,* VI, *num.* 2 (*a*) : *dein characteres omnes hisce opusculis convenientes apprime* S. Ambrosio *Cadurcensi aptari possunt ibidem num.* 3 (*b*). *Ast, quæso, quo tempore hæc nominum confusio orta est? Oriri potuisse innuit Oudinus inter sæculum octavum et duodecimum, siquidem dicat loco citato :* MSS. codices qui plurimi in bibliothecis reperiuntur, vel anonymi sunt, vel cum nomine simpliciter Ambrosii vel Sancti Ambrosii, nullique, qui adjiciant vel determinent Mediolanensis episcopi vel archiepiscopi. Neque etiam quod sciam, ante Algerum et Hugonem Victorinum sæculo XII medio scribentes, ullus expresse sub Ambrosii Mediolanensis archiepiscopi nomine adduxit. *Expresse quidem Sancto Mediolanensi episcopo tributos non fuisse facile concesserim ; verum quid inde? Numquid propterea Cadurcensi pontifici adscribemus? Idque præsertim cum sæculo nono jam Mediolanensium præsul indigitetur, uti satis constat ex S. Paschasii Ratberti tractatu* De corpore et sanguine Domini *in præfatione* (*c*). *Nemo enim cordatus dubitabit de Ambrosio Mediolanensi agi in sequentibus verbis :* Hæc autem ut securius tua perlegat infantia placuit, charissime, catholicos Ecclesiæ Doctores in principio adnotari : ex quibus pauca de pluribus, quasi lac teneritudinis eliquaverimus, Cyprianum scilicet, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Joannem, Hieronymum, Isidorum, Hesichium et Bedam. *Nodum in scirpo quærere diceretur, quisquis dubitaret hic Paschasium loqui de Cypriano* Carthaginensi, *de Hilario* Pictaviensi, *de Augustino* Hipponensi : *quis igitur inficias ibit, agi hic quoque de Ambrosio* Mediolanensi ; *maxime quum ordine quasi chronologico inter citatos Doctores Ecclesiæ reponatur ? Hisce rationibus monumentum quoque addit, quod Paschasius Ratbertus suum tractatum scribens circa annum* 831 *(uti constat ex Walæ abbatis exilio), ut in præfatione insinuat, id est, vix triginta annis post mortem* S. Ambrosii *Cadurcensis, si chronologiam ipsius Oudini sequamur, non posuisset ejus nomen in mediis Doctoribus supra laudatis, si intelligi potuisset de Cadurcensi episcopo tunc vix cognito.*

sub Ambrosii Mediolanensis nomine.

23 *Idem etiam valet pro Ratramno, qui Ambrosium suum* Sanctum Doctorem *appellat, quod* Ambrosio *nostro Cadurcensi recens defuncto simpliciter, non convenit. Ast cum ille librum de Mysteriis tantum citasse videatur, non est quod immoremur* (*d*). *Quinimmo ipse Oudinus victas veritati manus dare videtur, quum circa finem num.* 2 *citati* (*e*) *dicit :* Legentes igitur Paschasius et Ratramnus cum aliis sequentibus, *nomen Ambrosii episcopi* vel *Sancti Ambrosii*, neque Ambrosium Caturcensem episcopum de fama vel nomine noscentes, oscitanter ac inadvertentes tractatus istos Ambrosii Mediolanensis opinati sunt. *Idem circa finem num.* 3 *citati repetit, ne memoria excidat :* Seculo jam nono, Ratramni atque Paschasii temporibus, hæc opuscula esse Mediolanensis archiepiscopi, ac tamquam genuina illius, ab utroque citata credebantur. *Fatetur igitur Oudinus Paschasium et Ratramnum, dum Ambrosium nominant, intelligendos esse de Mediolanensi episcopo : quorsum igitur dicit* nullum expresse *hos tractatus* sub nomine Mediolanensis archiepiscopi adduxisse, *si ita scripserint, ut non nisi de hoc episcopo intelligi possint? Abest igitur omne confusionis periculum, quando* Ambrosii *aut* Sancti Ambrosii, *nullo alio adjecto titulo, nomen dictis tractatibus præfigitur : constat enim, ipso Oudino judice, Mediolanensem antistitem designari. Rem demum conficit quod narrat Joannes Mabillon in suo Musæo Italico T. I, P. II* (*f*) *esse in monasterio Sangallensi codicem* litteris majusculis ab annis mille exaratum : *igitur cum Mabillonius librum suum ediderit anno* 1687, *tractatus* de Sacramentis *ante* S. Ambrosii *Cadurcensis tempora jam exstitisset. Oudinus loco citato urget suum argumentum ex eo quod S. Ambrosio Mediolanensi tributum fuerit opus* de Conflictu vitiorum et virtutum, *quod tamen ad Ambrosium Autbertum, abbatem S. Vincentii ad Vulturnum, sæculi* VIII *scriptorem, pertinet : potuit itaque eidem Mediolanensi episcopo adscribi tractatus* S. Ambrosii *Cadurcensis. Licet ex ejusmodi similitudine desumptum argumentum non valide stringat ; respondemus imprimis hoc non adeo provenisse ex confusionis facilitate, quam ex ignorantia veri auctoris ; nam non solum S. Ambrosio, sed etiam SS. Augustino, Leoni, Isidoro adscriptus fuit tractatus de Conflictu vitiorum, ut habent editores operum S. Augustini* (*g*) ; *dein hic error invaluit post sæculum* XI ; *nam chronographus S. Vincentii disertis verbis asserit Autpertum composuisse librum de Conflictu* (*h*) : *non mirum igitur posterioribus sæculis invaluisse aliquem errorem. Ast de* S. Ambrosio *Cadurcensi, si fidem Oudino præstamus, ipsi ejus æquales tribuissent opus alteri. Atque hæc de confusionis facilitate dicta sunto.*

Neque Gallum quemdam indigitant sive gallicismi,

24 *Neque felicior est criticus noster in characterum convenientia dijudicanda, quæ altera probationis pars est. Nititur primum monstrare Oudinus cap.* IV *et* V (*i*) *suæ dissertationis* Gallum quemdam *esse scriptorem utriusque tractatus :* Tria sunt, *inquit*, ex quibus Gallum aliquem episcopum fuisse horum tractatuum vel sermonum scriptorem, aperte colligimus : 1° Ex pedum lotione in neophytis, quam in baptismo apud Ecclesiam in usu fuisse conflitetur ; 2° ex conformitate Liturgiæ et aliorum Romanæ Ecclesiæ in Sacramentis rituum, quam pariter amplectebatur ; 3° ex gallicismis latine barbaris, quibus omnes isti sermones respersi sunt. *Premamus critici nostri vestigia, ast inverse aliquantum ordine. Quæ de* gallicismis latine barbaris *objicit, nimium probant, proindeque nihil : probarent scilicet tractatus non adeo ad sæculum* VIII *aut* IX *pertinere, quam ad initium sæculi* XVIII *referendos esse, cum pleræque locutiones gallicæ, quas latinis opponit, ita huic ævo propriæ sint, ut ante hoc tempus in usu non fuerint, et postea obsoleverint. Legat præterea lector cap.* IV, *num.* 3, *ubi nonnumquam pro prætensa concordantia patentem diversitatem inter utrumque idioma reperiet ; fatebiturque citatas phrases non magis gallicos idiotismos esse, quam italicos, hispanicos aut etiam germanicos. Tandem in falso, ut vulgo dicitur, supposito hæret Oudinus*

(*a*) Scriptt., t. I, col. 1858. — (*b*) Ibid., col. 1860. — (*c*) Bibl. PP., t. XIV, p. 730. — (*d*) Vid. Hist. litt. de la France. t. IV, p. 138. — (*e*) Scriptt. t. I, col. 1839. — (*f*) P. 4 et 7. — (*g*) T. VI Op. Append., p. 219. — (*h*) Act. SS. Ord. S. Ben. sæc. III, part. II, p. 263, n. 7. — (*i*) Scriptt., t. I, col. 1845.

A *dinus, quasi vigeret sæculo* VIII *usus linguæ gallicæ, prout nunc floret: dicto sæculo lingua, qua utebantur Galliarum incolæ, latina erat corrupta variis idiomatibus sed præsertim Teutonica* (*a*). *Quinimmo etiamsi daremus linguam gallicam, prout hodie floret, viguisse in regno Merovingiorum, necdum tamen valeret illatio pro Aquitania, quæ usque ad Pippinum regem, sub quo vixit* S. Ambrosius *Cadurcis, magis erat Visigothis atque Sarracenis subjecta; felicior profecto fuisset Oudinus, si in Sancti* Ambrosii *sermonibus idiotismos arabicos aut gothicos assignasset.*

sive lotio pedum post baptismum usitata,

25 *Oudinus porro tamquam propriam et singularem Ecclesiæ Gallicanæ ceremoniam profert lotionem pedum in baptismo; atque hinc deducit utrumque tractatum ad episcopum quemdam Gallicanum pertinere. Verum hæc supra num.* 17 *ita refutata sunt, ut hic repetenda non veniant. Latius hic expendendum est, quod criticus noster dicit de* conformitate Liturgiæ et aliorum Ecclesiæ Romanæ in Sacramentis rituum. *Verum quisquis vel obiter tractatus* de Mysteriis *et* de Sacramentis *percurrerit, facile sibi persuadebit hos libros ad quartum potius aut*

B *quintum, quam ad octavum sæculum pertinere. Quis enim cum disciplinam arcani stricte servandam, multitudinem adultorum baptizandam, instans persecutionis periculum, de lingua dissertationes, impugnatas quarti quintique sæculi hæreses Arianorum, Priscillianistarum, Macedonianorum, et id genus alia viderit, quis inquam, sibi persuadebit hos libros medio sæculo octavo exaratos fuisse? Hæc abunde sufficerent ad convellendum Oudinianum systema. Sed Oudinus ex his verbis lib.* III de Sacramentis cap. I, Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam; *ita ratiocinatur cap.* V *num.* 3 (*b*) : Anonymus hic Gallus sequitur ordinem Romanum in omnibus baptismi ritibus, excepta lotione pedum, ut diserte ipse inquit. Cum vero opusculum istud ordinis Romani conscriptum sit, postquam Romani Pontifices, jugo Longobardorum, mediantibus Galliarum regibus Pipino et Carolo Magno, exempti sunt : liquet Anonymum qui eum sequitur, qui imitatur, claruisse non nisi sub sæculi octavi finem. *Hæc Oudini conclusio. Sed abutitur criticus hisce vocibus, quibus scriptor dicit se* typum *Ecclesiæ Romanæ* in

C omnibus sequi, *quasi per hæc verba indigitaret* Ordinem Romanum, *qualis sæculo octavo exstitit. Si enim hoc sensu intelligendus esset scriptor, non subjunxisset paulo post, quasi potestatem habens circa ritus :* In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus. *Si* Ordo Romanus *jam tum, consentiente utraque potestate, receptus fuisset, quis episcoporum ausus fuisset ejus ritus ad examen revocare, et suo solius arbitrio subjicere?*

sive conformitas cum Ordine Romano,

26 *Ast si conferamus ritus* Ordinis Romani (*c*) *cum iis quæ in libris* de Sacramentis *describuntur, videbimus magnam inter utrosque intercedere differentiam. Quædam tantum hic notanda sunt, ne nimium excurrat oratio. In libris* de Sacramentis *nulla fit mentio* litaniarum, benedictionis et immissionis cerei paschalis in aquam, *quæ omnia in* Ordine Romano *reperiuntur* (*d*) *: aliæ sunt interrogationes desumptæ ex symbolo, alia forma confirmationis : hæc sufficiunt ad monstrandum scriptorem* Ordinem Romanum *præ oculis non habuisse. Urgetur vero Oudinus adhuc pressius, quia in citatis libris ne Gallicanus quidem Ordo exhibetur : unde consequitur scriptorem ad Gallias non pertinere. Etenim lib.* I *de Sacramentis cap.* II (*e*) *duplex est abrenuntiato baptizandorum, dum in Veteri Missali Gallicano* (*f*), *edito per virum non minus doctrina quam sanctitate insignem, B. Josephum Mariam Thomasium cardinalem, una tantum reperiatur, quemadmodum et in Sacramentario Gallicano sæculi* VII *apud Martene* (*g*). *In aliis vero plerisque ritualibus Galliarum tres renunciationes signantur, ut habet laudatus Martene loco citato. Octavo autem sæculo videtur ubique viguisse in Gallia consuetudo ternæ abrenuntiationis, uti patet ex Concilio Liptinensi anni* 743 (*h*), *et ex aliis monumentis, quæ affert Cl. Antonius Binterim, vir tot laudandus nominibus, in suo erudito opere germanico de Antiquitatibus Ecclesiæ Catholicæ* (*i*).

AUCTORE J. V. H.

aut Gallicano Veteri.

27 *Juvat huc conferre alium ritum in Ecclesia Gallicana servari solitum, de quo tamen in libro de Sacramentis nihil dicitur. S. Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* XXIV (*k*) *habet :* Tunc cum exorcismo sanctificatam aquam, conspersum E desuper chrisma, omnis populus cum devotione haurit. *Atque hujusmodi conspersio non tantum in Hispania, de qua loquitur Gregorius, usitata erat; sed eamdem videre quoque est tum in Gothico* (*l*) *tum in veteri Gallicano Missali* (*m*), *quod edidit laudatus supra B. Josephus Thomasius. Nihilominus noster qui, Oudino divinante, Gallus esset, hunc quoque ritum omnino omisit, lib.* I *de Sacramentis cap.* V (*n*); *nam aquæ baptismalis consecrationem describens, de chrismate tacet. En ejus verba :* Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea et precem defert, ut sanctificetur fons et adsit præsentia Trinitatis æternæ. *Omnino accurate tum hunc, tum alios ritus evolvit auctor : ejus itaque silentium præjudicium creat non facile oblitterandum, scilicet in sua Ecclesia gallicanam hanc consuetudinem non viguisse. Quod etiam confirmatur ex eo, quod in laudato loco totus sit in evolvendo cur Christus* prius *descenderit et* postea *Spiritus Sanctus venerit : si enim ritus chrismatis servatus fuisset, nullus dubito quin ad hunc allusisset auctor, cum apud SS. Patres vulgaris sit metaphora chrismatis ad Christum. Conferenti ritus in libris de Sacra-* F *mentis descriptos cum iis, qui in libris ritualibus Gallicanæ Ecclesiæ reperiuntur, varia alia occurrent ex quibus manifestum fiet hos sermones adscribi non posse alicui Gallo, qui sæculo* VIII *vixerit et proinde abjudicandos esse* S. Ambrosio *Cadurcensi. Si itaque libri* de Sacramentis *Sanctum nostrum Cadurcensem non habent auctorem, quanto minus tractatus* de Mysteriis, *qui ob rationes, quas late deducunt editores Benedictini in prologo, ad hunc librum præmisso, aliique complures etiam ex heterodoxis, non immerito inter genuina S. Ambrosii Mediolanensis opera recensetur. Quod quidem judicium confirmatur ipso opere : quum nonnulla, quæ in eo reperiuntur, liturgica, Mediolani adhuc partim vigeant, et ritus baptismales, quales in Actis synodorum Mediolani sub S. Carolo Borromæo habitarum* (*o*) *describuntur, in hoc tractatu fundentur.*

Concluditur incertum esse quis librorum de Sacramentis fuerit auctor

28 *Cum itaque libri* de Sacramentis *S. Cadurcensem episcopum auctorem certo non habeant, Mediolanensem vero habere non videantur; longius*

(*a*) Cfr. Hist. litt. de la Fr., t. IV, p. 139. — (*b*) Scriptt., t. I, col. 1854. — (*c*) Bibl. PP., t. XIII, p. 639. — (*d*) Ibid., p. 693 et seqq. — (*e*) Ambros., t. V Op., p. 210. — (*f*) Thomasi Cod. Sacram., p. 475. — (*g*) De Antiq. Eccl. rit., t. I, p. 65. — Edit. Venet. 1783. — (*h*) Harzheim Conc. Germ., t. I, p. 51. — (*i*) Denkwürd. der Christ-Cathol. Kirche, t. I, part. I, p. 94. — (*k*) Bibl. PP. t. XI, p. 837. — (*l*) Cod. Sacram., p. 334. — (*m*) Ibid., p. 475. — (*n*) Ambros., t. V Op., p. 213. — (*o*) Act. Eccl. Mediol., p. 410.

progressi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. II.

progressi quidam, indagare tentarunt, quis librorum de Sacramentis *scriptor habendus esset. Varii varias secuti sunt sententias. Benedictini in Prologo ad lib.* de Sacramentis (*a*) *propendere videntur ad opinionem Godefredi Hermant in Vita S. Ambrosii* (*b*), *censentis dictos libros ad aliquem e discipulis hujus Sancti, qui non multo post ipsum Mediolanensi præfuerit Ecclesiæ, pertinere. Quominus secundum ipsum feramus suffragium, id præcipue impedit, quod auctor lib.* III *cap.* I *profiteatur se in ritibus sacris sectari velle vestigia Ecclesiæ Romanæ* (*c*): Non ignoramus, *inquit*, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam ; hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet.... In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam ; sed tamen et nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus. *Ex his verbis manifestum est, scriptorem sequi ritus Romanos tum vigentes, uno addito, scilicet pedum lotione. Quum igitur notum axioma sit :* Exceptio firmat regulam ; *concludendum est ceremonias reliquas omnes apprime concordare cum* typo et forma B *Ecclesiæ Romanæ. Sed hujusmodi conformitas convenire non potest ritui Ambrosiano, qualis omni tempore, etiam ante S. Ambrosium exstitit. Nobis desunt libri rituales, ut latius hæc evolvamus. Unum hic adferam, quo aliqui ritum Mediolanensem subodorari putarunt : habet auctor lib.* IV *de Sacramentis cap.* V (*d*) *hanc formam consecrationis panis :* Accipite et edite ex hoc omnes ; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur. *Hanc formam Ambrosianam esse dicit Pamelius tomo I Liturgiæ latinæ. Verum in omnino negat Muratorius apud Augustum Krazer* (*e*) : Rogavit *(Muratorius), inquit*, virum Cl. Josephum Antonium Saxium, bibliothecæ Ambrosianæ præfectum, ut ex omnium antiquissimo Missali Ambrosiano canonem Missæ ad se transmitteret. Consuluit ille codicem membranaceum vetustissimum, cujus antiquitatem ad sæculum IX vel X pertinere arbitrabatur ; et VERBA consecrationis cum Romanis EADEM, TOTUMQUE CANONEM Romano similem invenit. Hinc verisimile est Pamelium ab auctore libri de Sacramentis fuisse deceptum, qui olim S. Ambrosio fuerunt attributi, nunc autem antistiti Mediolanensi a criticis emunctæ C naris rectius abjudicantur. *Magni hoc est momenti ; agitur enim de forma sacrosancta, quæ vix umquam mutatur semel assumpta : unde hoc solum argumentum probabile facit judicium illorum, qui negant ad aliquem Mediolanensem episcopum dictos libros pertinere. Frustra alium quemdam auctorem quæreremus in illa librorum liturgicorum penuria, quam patimur ; nisi enim liber ritualis reperiretur, cujus ceremoniæ accurate cum ritibus ab Ambrosiastro expressis convenirent, non video quomodo quid certi pronuntiari posset, et circa horum librorum scriptorem, et circa tempus, quo vixerit. Coronidis tamen loco adjungam Robertum Sala, Cisterciensem, in sua editione Operum cardinalis Bona suspicari, auctorem librorum de Sacramentis fuisse S. Maximum Taurinensem* (*f*); *sed præter nudam conjecturam nihil affert Sala, quo opinationi suæ aliquid roboris addat. Nihil quoque luminis mihi attulit nova editio Operum S. Maximi, Romæ anno* 1784 *adornata.*

D

§ IV. S. Ambrosius, detectus cœlesti indicio, Romam proficiscitur et in reditu obit.

Vidimus § II, S. Ambrosium *Cadurcensem ita reliquisse episcopalem dignitatem, ut eamdem postea resumere noluerit. Malitia plebis regendæ causa est canonica dimittendi episcopatus. Quamvis autem Sanctus secretum voluerit suæ solitudinis locum, non dubium tamen est, voluntatem deponendi pontificalis oneris populo Cadurcensi innotuisse, unde rite procedere potuerit ad electionem ejus successoris. Nam viventi* S. Ambrosio *alium episcopum subrogatum fuisse, manifestum fit e Vita num.* 9, *in qua legitur, inventa clavi in pisce,* S. Ambrosius *dixisse discipulo suo :* Vade in civitatem ad episcopum : *erat igitur alius episcopus* S. Ambrosio *substitutus. Atque hoc etiam ab antiqua Ecclesiæ disciplina non abludere testis est nobis S. Gregorius Magnus, in cujus Vita, a Joanne Diacono scripta* (*g*), *legitur :* Pontificibus voluntarie suis renunciantibus sedibus, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. *Voluntariæ cessionis mentionem facit quoque S. Augustinus lib.* II, *contra Cresconium cap.* XI (*h*), *quando dicit :* Neque episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum et sacramentum Dominicum ministramus ; ac per hoc ut eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit, ita vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus. Denique nonnulli sancta humilitate præditi viri, propter quædam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude posuerunt. *Ad has rationes accedit Waifarium, sedente* S. Ambrosio, *occupasse Aquitaniam, de quo hæc scribit Eginhardus* de gestis Pippini regis (*i*) : Waifarius dux Aquitaniæ, cum res, quæ in sua potestate erant, et ad Ecclesias sub manu Pipini regis constitutas pertinebant, rectoribus ipsorum venerabilium locorum reddere noluisset, ipsumque regem, de hisce per legatos suos commonentem, audire contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitavit. Nam rex, contractis undique copiis, Aquitaniam ingressus, se res ecclasiarum bello exacturum pronuntiavit. *Hujusmodi autem Ecclesiarum vastationes causam olim præbuisse dimittendi episcopatus, testis jam nobis fuit S. Ado in suo Chronico* (*k*). *Nihil igitur miri et S.* Ambrosium *ob similem causam similiter episcopalem cathedram alteri reliquisse. De universo autem præsenti argumento, utiliter consuli potest Ludovicus Thomassinus in opere de Disciplina Ecclesiastica, part.* II, *lib.* II, *cap.* LII, *ubi plurima proponit exempla episcoporum Galliæ, qui his fere temporibus sedes suas reliquerunt.*

S. Ambrosio secedenti

E

F

30 *Gulielmus de la Croix* (*l*) *successorem* S. Ambrosii *ponit* Aymatum, *cujus episcopatum probat ex diplomate consecrationis altaris monasterii Anianensis, in diœcesi Magalonensi, quæ celebrata dici-*

alius sufficitur episcopus,

(*a*) Ambros. Opp., t. V, p. 206. — (*b*) Hermant Vie de S. Ambroise. Eclairciss., p. 30. Cfr Le Brun Explic. de la Messe, t. III, p. 25. (Edit. Paris 1777 8°) qui censet scriptorem esse sæculi VI. — (*c*) Ambros. Op., t. V, p. 222. — (*d*) Ibid., p. 232. — (*e*) De Antiq. Liturg, p. 631. — (*f*) Stor. litt. d'Ital., t. IV, p. 76. Cfr le Brun Explic. de la Messe, t. III, p. 210. — (*g*) Act. SS. XII Mart., p. 194, n. 39. — (*h*) T. IX Oper. Col. 415. — (*i*) Ap. D. Bouquet, t. V, p. 199. — (*k*) Pertz. Monum. Germ., t. II, p. 349. — (*l*) Ser. Episc. Cadurc., p. 43.

tur

A *tur anno decimo Caroli Magni regis, a Leone papa III, præsentibus trecentis sexaginta sex episcopis : inter hos vero episcopos reperitur* Aymatus episcopus Caorsensis, *seu Cadurcensis. Verum illud monumentum, quo uno fulcitur Aymati episcopatus, merito exploditur ab eruditis. Nam annus decimus quartus Caroli regis concurrit cum anno Christi* 781 *aut sequenti, quo certe tempore non Leo III sed Adrianus I Romanam cathedram tenebat : quare Gulielmus laudatus pro anno Caroli* decimo quarto *ponit* trigesimum quartum, arithmetica nota, *inquit*, prima tantisper immutata, an verius restituta. *Verum ne hoc quidem calculo ad annum Christi* 804, *quo Leo papa in Gallias venit, attingeret, nisi initium Caroli regis anno Christi* 769 *illigaret ; sed impingit in scopulum Gulielmus : nam Carolus anno præcedenti successerat patri suo Pippino. Omissis vero his tricis chronologicis, aliunde constat Leonem Papam, quando in Galliis versabatur, Aquitaniam ingressum non fuisse : habent enim* Annales Metenses (*a*) *sequentia :* Medio Novembrio nuntiatum est ei (*Carolo Magno, anno* 804) Leonem Papam Natalem Domini cum eo celeB brare velle, ubicumque illi placuisset. Quod rex gratanter suscepit ; et statim, misso filio suo Karolo ad Sanctum Mauricium, eum suscipere honorifice præcepit. Ipse vero obviam illi apud Remorum civitatem, in basilica B. Remigii episcopi et Confessoris, profectus est : ibique susceptum ad Carisiacum usque perductum, cum eo ibi Natalem Domini celebravit. Inde pariter proficiscentes, pervenerunt ad Suessionis civitatem, in qua dimisso Papa, ad colloquium germanæ suæ Gislæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam monasterium pervenit : fruitusque ejus colloquio, ad Carisiacum villam Leonem Papam, quem apud S. Medardum dereliquerat, sibi obviam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, et, honoratum magnis muneribus, per Bajoariam ire volentem, a suis duci fecit usque Ravennam..... Mansit apud illum (*Imperatorem*) dies octo, et, sicut dictum est, Romam repedavit. *Ex hac narratione apparet fabulosum esse documentum Anianense et proinde nullo testimonio niti episcopatum Aymati, de quo agit Gulielmus de la Croix* (*b*).

cujus nomen nescitur :

C 31 *Ignotus itaque dicendus est episcopus Cadurcensis, qui* S. Ambrosio *in solitudinem secedenti successit : nisi fuerit Angarius, etiam Agarnus vel Awarnus appellatus. Is certe jam sedebat anno secundo regni Ludovici, Caroli Magni filii in Aquitania, id est anno Christi* 783, *ut videre est in Mabillonii Annalibus lib.* XXV, § XXXIX (*c*). *Constat hoc ex diplomate Angarii*, datum anno DCCLXXIII Domini Hludovici secundo regis Francorum : *recte notat Joannes Mabillon loco citato legendum esse pro* 772 *annum* 783, *qui recte concurrit cum anno secundo regni Ludovici Pii in Aquitania, utpote qui anno* 781 *ab Adriano papa rex Aquitaniæ unctus est Romæ, ut habent Annales Metenses* (*d*). *Angarius igitur, anno* 783 *jam Cadurcensis episcopus, vixit saltem ad annum* XIX *sæculi noni, uti constat ex membrana abbatiæ Figiacensis de permutatione cellulæ* Jonante *inter Angarium episcopum et Pippinum Aquitaniæ regem ; cujus diplomatis hæc est subscriptio :* Datum IV cal. Junii anno VI imperii Ludovici et VII regni nostri (*e*). *Quum nemo sit inter eruditos, qui auctoritatem hujus chartæ neget, una solum superest difficultas, quomodo scilicet annus* VI *Ludovici Pii imperatoris concurrat cum anno* VII *regni Pippini ejus filii in Aquitania : nam Pippinus regnum orsus videtur post kalendas Novembris anni Christi* 814, *ut probat Mansi nota in Criticam Pagii ad annum* 838, § 1 ; *aliunde vero habemus exordium imperii Ludovici Pii duci a kalendis saltem Maii ejusdem anni. Igitur mense Maio præcedebat uno anno Ludovicus Pippinum : quare Cointius* (*f*), *merito suspicatur* permutatas fuisse notas chronologicas, et annos, Ludovici septimum, Pippini regis sextum, legendos esse ; *quo casu dicendus esset Angarius sedem Cadurcensem occupasse anno vulgari* 820. *Si tamen aliquis malit legere Pippini* annum quintum, *nihil est quod obstet. Atque hæc de successore* S. Ambrosii *dixisse sat esto, quin tamen asserere possimus num inter Sanctum nostrum et Angarium aliquis fuerit episcopus medius.*

AUCTORE J. V. H.

Sanctus Romam proficiscitur,

32 S. Ambrosius, *dimisso episcopatu, sive occulte, ut insinuat Vita ejus brevior Ms. e lectionario Cadurcino extracta* (*g*), *sive, quod probabilius est pro sua in Ecclesiam suam providentia, prænomito clero, ut alium ejus loco pontificem eligere posset, profectus est Romam ad visitanda SS. Apostolorum* E *limina. Auctor Vitæ brevioris, paulo superius citatæ, dicit Sanctum nostrum invitatum a clero et populo ut pastorale officium iterum capesceret, fuisse* causatum quod prius votum sibi solvendum foret, *visitandi scilicet limina SS. Apostolorum atque in reditu in patriam obiisse. De hujusmodi voto nihil habet Vita infra edenda : simpliciter in ea dicitur* S. Ambrosius, *recusato episcopatu, qui illi offerebatur, Romam abivisse. Addit nihilominus Ms. reginæ Sueciæ* (*h*), *respondisse episcopo successori :* Tu, frater karissime, sedebis in locum tuum. Ego autem vadam Romæ in nomine Domini mei Jesu Christi ; si vero placuerit Domino meo, regrediar huc : sin autem, tu posside omnia : opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. *Videtur igitur Sanctus, solutus carcere voluntario, Romam abivisse non solum orationis, sed etiam consultationis causa : num scilicet onus pastorale iterum subeundum sibi esset, aut alia sibi quærenda foret solitudo. Si fides adhiberi potest tum Sanctorali Cadurcensi, apud Gulielmus de la Croix* (*i*), *tum Vitæ breviori Lectionarii Cadurcini, Sanctus profectus est Romam, ea mente, ut postea Cadurcum reverteretur. Sanctorale habet :* Ego vero Romam F ibo, liminaque Apostolorum Petri et Pauli visitabo, quod si Deus huc me reverti permiserit, quod voluerit, præsto sum adimplere. *Liquidius habet Lectionarium* (*k*) : Ad Apostolica limina Romam perrexit, tum Basilicam B. Martini Turonensis, sed in reditu in patriam occubuit. *Ex his apparet Sanctum reipsa voluisse redire Cadurcum, ut ex consilio Romani Pontificis, aut populi sui regimen iterum assumeret, aut in solitudine orationi et pœnitentiæ reliquum vitæ tempus impenderet.*

et in reditu obit

33 *Solemne erat Christianis omnibus, sed præsertim presbyteris, episcopis atque iis etiam, qui sanctioris vitæ desiderio tenebantur, visitare sacra limina Apostolorum, tum ut Sanctorum patrocinio adjuvarentur, tum etiam ut Romani Pontificis consiliis regerentur. Multa nobis exempla suppeditat antiquitas. Incertum porro est quantum temporis impenderit* S. Ambrosius *noster suæ Romanæ peregrinationi : cum tamen non videatur voluisse Romæ permanere, et in reditu visitaverit sepulcrum S.*

(*a*) Ap. D. Bouquet, t. V, p. 352. — (*b*) Cfr Coint. Annal. Fr. an. 805, § XI, t. VII, p. 35. — (*c*) T. II Annal. Bened., p. 249. — (*d*) Ap. D. Bouquet, t. V, p. 343. — (*e*) Gulielm. De la Croix Ser. Episc. Cadurc., p. 43. — (*f*) Ann. Franc. an. 820, § XXVII, t. VII, p. 533. — (*g*) MS. Bibl. reg. Brux., n. 8014, fol. 22. — (*h*) Annot. ad Vit. — (*i*) Ser. Episc. Cadurc., p. 36. — (*k*) Lect. Moyssiac. MS. sub n. 8014. Bibl. reg. Brux.

Martini

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

Martini Turonis, nihil nos cogit, ut plus quam biennium huic peregrinationi tribuamus : si itaque certo sciremus quo circiter tempore Sanctus Cadurcensem suam solitudinem reliquerit, non valde difficile foret, tempus mortis certius figere. Nihil tamen impedit, donec tutiora sectari possimus, secessionem Sancti circa annum Christi 765 *figere, quando Waifarius maxime in Ecclesias Aquitaniæ debacchabatur : cum enim hujusmodi persecutiones Sanctus non objiciat, quominus ad sedem suum redeat, recte inferri potest, ejus exitum ex caverna post mortem Waifarii seu post annum Christi* 768 *accidisse : a quo per triennium solitudinis retrocedendo ad annum* 765 *devenimus. Romam profectus* S. Ambrosius *ad visitanda SS. Apostolorum limina, videtur voluisse dein Cadurcum reverti. Nam oblatas episcopales infulas ita acceptare renuit, ut tamen voluerit Sedem Apostolicam consulere : quod manifeste innuit Sanctorale Cadurcense apud Gulielmum de la Croix* (*a*). *Quum episcopus illi subrogatus dixisset :* Domine et pastor bone, ego licet indignus in locum tuum subrogatus sum : quare rogo te, revertere ad domum tuam, et accipe sedem, rege populum tuum, B atque esto in loco tibi præparato, quamdiu vixeris : ego autem alio proficiscar ; *tunc ad eum* Ambrosius dixit : Regat interim Deus ecclesiam suam et populum tuum *(suum ?).* Ego vero Romam ibo, liminaque Apostolorum Petri et Pauli visitabo, quod si Deus huc me reverti permiserit, quod voluerit, præsto sum adimplere : sin minus, tu omnia hæc recte guberna. *Lectionarium Cadurcense Ms. sub num.* 8014 *Bibliothecæ Regiæ Bruxellensis dicit :* Ad Apostolica limina Romam perrexit, tum basilicam beati Martini Turonensis ; sed in reditu in patria occubuit decima sexta mensis Octobris ad Arbotum oppidum Bituricense. *Jam insinuavimus supra num.* 31 *laudatum Lectionarium in quibusdam non concordare cum aliis scriptoribus, qui de* S. Ambrosio *egerunt, atque adeo non omnem fidem mereri : hinc igitur certo concludi non potest reipsa Sanctum in reditu ad civitatem suam fuisse, quando obiit. Sed alia sunt, quæ suadent : ipsa imprimis ejus verba supra allata, quibus clare profitetur se rediturum : dein quo in via obisse dicitur ab omnibus biographis.*

anno, ut videtur, 770, C 34 *Unde probari non potest, quod habet Adrianus Baillet in Vita* S. Ambrosii, *cujus verba latine reddo :* Inde *(Turonis)* secessit in pagum Bituricensem, et cellam sibi construxit in vico Serisio, supra fluvium Arnonem, quatuor circiter leucis Bituricis distanti. *Similia quoque habent lectiones Breviarii Bituricensis, anni* 1783 *nobis humanissime communicatæ a R. D. Figier canonico et secretario archiepiscopatus Bituricensis. Quibus consonant Proprium Sanctorum Cadurcense, ab Henrico de Briqueville editum* (*b*), *Auctores Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (*c*), *et Butler ad* XVI *Octobris. Multæ sunt profecto auctoritates, quæ rem suaderent, si idoneo fundamento niterentur ; verum nihil de mora* S. Ambrosii *in pago Bituricino habent antiquiora monumenta, si fortassis Breviarium Bituricense, quod* vetustissimum *appellat Philippus Labbe in Bibliotheca Manuscriptorum* (*d*), *excipias ; dicit enim :* Post aliquod autem tempus Roma rediens, et in pago Biturico in vico Arnotensi moram faciens, per multas tribulationes expurgatus, gloriosum Deo spiritum reddidit : *quamvis hæc* mora *explicari possit de morbo supremo, qui coegit eum demorari in præfato pago. Deinde hoc Breviarium antiquitate inferius est Vita infra edenda, quæ satis insinuat, meo judicio, Sanctum nullam moram trahere voluisse in vico Serisio :* Abiit Romam, reversusque est ad urbem Bituricam : cumque Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino. *Cum aliud documentum æque antiquum sese non prodat, atque satis presse auctores supra laudati antiquioris hujus Vitæ vestigia sequantur, concludendum videtur Bituricensem commorationem conjecturam magis esse, quam historiam : quod satis apte probat Cadurcense Breviarium jussu Bertrand Du Guesclin episcopi circa medium sæculum decimum octavum editum : nam cum Proprium Cadurcense Henrici de Briqueville de la Luzerne in Lectionibus* S. Ambrosii *dixisset :* Postmodum apud Bituriges contulit sese, et in pago tum temporis ignobili fixit domicilium, ibidemque vitam gloriosam finiit ; *omissa domicilii Bituricensis mentione, habet Breviarium Cadurcense :* Demum apud Bituriges Serisii, ad amnem Arnoti, obiit. *Neque id quidem immerito : si enim post Waifarii mortem* S. Ambrosius *ex caverna sua Cadurcensi prodiit, quod probabile numero superiori prædiximus, non perspicitur quomodo apud Bituriges domicilium figere potuerit Sanctus, quem omnes dicunt circa annum Christi* 770 *obiisse ; qui enim a Waifarii morte* E *ad hoc tempus intercedunt bini anni, vix sufficientes sunt ad peregrinationem Romanam et Turonensem rite peragendam : tandem, ut supra dixi, non videtur Sanctus in mente habuisse ita relinquere patriam ; ut numquam rediturus esset : de hoc solo dubitabat, num depositas infulas aliquando esset resumpturus. Certe unusquisque mecum consentiet verba Breviarii Bituricensis anni* 1783 *Sanctum* multo tempore vixisse ignotum *in vico* Sericiaco *apud Bituriges, nullum momentum historicum habere.*

in Arnotro vico, 35 *Jam diximus recentiores omnes annum emortualem* S. Ambrosii *figere circa* 770 : *cui tamen opinioni nemo antiquorum suffragatur : unde conjectando hic procedunt : conjecturæ facile consentiam, dum tamen opinionem num. præcedenti utcumque firmatam amplecti velint, quam nisi secuti fuerint, non video quibus monumentis sententiam suam probare valeant. E contrario, admissa opinione nostra, chronologia Sancti recte procedit, et facile unusquisque perspiciet, tempus mortis* S. Ambrosii *vix distare posse ab anno Christi* 770. *Locus Sancti emortualis accuratius designatur in antiqua Vita :* Cum Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino. *Est autem* Ernotrum, *etiam* Ernodurum *aut* vicus Arnotensis *dictum, vicus quatuor leucis africum versus e civitate Bituricis distans, atque hodie a* S. Ambrosio, Saint Ambroix sur Arnon, *appellatur, in pago Carophino* (Canton de Charrost, Département du Cher) ; *ad hunc vicum ducebat via a Romanis olim strata, quæ antiquam loci celebritatem satis demonstrat. Prope Ernotrum adjacet viculus* Sericiacum (Seris) *hodie* Marats, *in quo proprie* S. Ambrosius *defunctus est. Non tamen, ut mihi scribit R. D. Figier, canonicus Bituricensis, die* XXII *Novembris* 1840, *Sericiaci sepultus fuit, sed Ernotri in ecclesia, ubi clarescentibus miraculis, magnus populi concursus habebatur : quin propterea verba* Sanctoralis Cadurcensis *admittere debeamus, quibus dicit :* Post non multos dies illius loci incolæ templum in honorem ipsius struxerunt, quod in hunc usque diem exstat. *Scimus quidem Ernotrum nomen sibi mutuasse a* S. Ambrosio, *ast utrum in campo aperto sepultus Sanctus, postea templum nactus fuerit silent antiquiores ; immo pro eo quod incolæ loci exstruxissent ædem sacram in honorem Sancti, longe probabilius est, in templo jam exstructo deposuisse sa-*

(*a*) Ser. Episc. Cadurc., p. 36.— (*b*) Gall. Christ. t. I, col. 151.— (*c*) Hist. de l'Egl. Gall., t. VI, p. 105.— (*d*) T. II, p. 346.

crum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *crum corpus. Cæterum citatum Sanctorale manifeste confundit sepulturam Ernotrensem cum Bituricensi ; siquidem post allata verba subnectit :* Est autem ibidem cœnobium, quod abbatia S. Ambrosii nuncupatur. *Quod verum est de urbe Bituricensi, neutiquam de Viro Ernotrensi. Eumdem errorem habet Albanus Butler, quamvis Adrianus Baillet utrumque locum apte distinxerit.*

Transfertur S. Ambrosii corpus Biturricas,

36 *Cum corpus* S. Ambrosii *aliquamdiu Ernotri jacuisset, translatum fuit Bituricas, sæculo saltem decimo, ut satis constat ex diplomate Gaufridi vicecomitis Bituricensis, de quo jam egimus supra num.* 2 : *nam quando reddit anno* 1012 *monasterio S. Petri et* S. Ambrosii *Gaufridus quidquid amiserat, jam tum in dicta ecclesia requiescebat corpus sancti pontificis, idque monasterium* Ambrosii *nostri nomen præ se ferebat : quod utrumque ostendit, jam ante Gaufridi donationem translationem Reliquiarum celebratam, et, propagato ejus apud Bituricenses cultu, cœnobio novam appellationem* S. Ambrosii *inditam fuisse. Atqui hæc intra breve duodennium fieri non consueverunt. Unde merito ab auctoribus tempus translationis ad sæculum saltem de-*

B *cimum revocatur. Immo maxime probabile est sancti episcopi Reliquias sæculo jam nono Bituricas illatas fuisse : notum est enim illo sæculo propter metum Normannorum, Gallias dire vastantium, monachos sua cœnobia relinquentes cum Sanctorum Reliquiis in munitissimas quasque urbes confugisse. Certe Normannos graves fuisse Aquitaniæ, atque adeo Bituricensi pago, multa antiqua monumenta nobis monstrant. In annalibus Vedastinis sub anno* 889 (*a*) *legimus* Danos *seu Normannos* more suo Burgundiam, Neustriam atque partem Aquitaniæ, nullo resistente, igne et ferro devastasse ; *similem calamitatem prædicant iidem Annales sub anno* 898 (*b*) : *sub anno* XXIII *sæculi decimi refert Chronicon Flodoardi* (*c*) *Normannos* Aquitaniam Averniamque deprædatos *fuisse : unde quoque* Rodulfus rex, *anno* XXX *ejusdem sæculi, ait citatus Flodoardus* (*d*) Nordmannos, qui Aquitaniam deprædationibus infestabant,.... uno prælio pene delevit ; *atque infestationem hanc in Aquitania* per septem annorum spatia *perseverasse testatur nobis Fragmentum historicum a Chesnio primum editum* (*e*). *Plura alia possemus afferre monumenta, quæ monstrarent pago Bituricensi exitiosos fuisse Normannos ; unde*

C *probabile fit corpus* S. Ambrosii, *sæculo nono in finem vergente, aut decimo incipiente, intra urbem Bituricensem translatum fuisse : quod etiam inde aliquantum confirmatur, quoniam, si non tam ex fuga, quam ex pietate accidisset translatio, aliquod saltem solemnitatis mansisset vestigium superstes.*

in templum S. Petri,

37 *Ernotro Biturricas translatum corpus* S. Ambrosii, *in S. Petri conditum fuit. Ante Sancti obitum jam exstitisse hoc templum probatur ex sepultura Sigini circa medium sæculum octavum defuncti ut diximus supra num.* 2. *Crescente fidelium pietate erga* S. Ambrosium, *ab hoc nomen suum mutuata est ecclesia, quam cum conjuncto sibi claustro ita ex archivis describit Philippus Labbe* (*f*) : Est quidam locus prope muros urbis Biturricæ ad septemtrionalem plagam situs, Brisiacus nuncupatus, qui antiquitus in magno honore constructus, et in honorem B. Petri Apostolorum principis ac S. Ambrosii pontificis sacratus, atque maxima caterva canonicorum honorifice decoratus ; sed irruente persecutione infidelium, pene ad nihilum est redactus. Sed etsi destruxerunt domicilia, non tamen abstulerunt sanctitatem. Transacto namque multorum annorum curriculo, Gaufridus, vicecomes Biturricæ urbis, cum consilio et adjuturio omnium nobilium Bituricensis ducatus, magnifice reædificavit anno ab incarnatione Domini millesimo et duodecimo, villasque et alios honores S. Petri ac S. Ambrosii, quos injuste tenebat, ex præcepto regis Roberti et domini Dagberti, Bituricensis archiepiscopi, reddidit *(vide supra num.* 3)..... Eorum *(canonicorum sæcularium* devotione paulatim refrigescente,... quum jam non circa altaris officia dediti essent ; sed.... essent per suam dementiam clericali ordini dehonestamento, illis expulsis, reverendus in Christo Pater ac Dominus, Dominus Petrus de Castra, Bituricensis archiepiscopus, vir omnibus veræ sapientiæ dotibus cumulatissimus, illuc introduxit canonicos regulares, viros certe morum integritate insignes, et (ut ita dicam) ipsa probitate meliores, anno Dominicæ incarnationis MCLI quemadmodum idem Pontifex memoriæ prodidit in hæc verba : « Pastoris officii cura nos admo-
» net sanctæ religionis bonum fovere semper et
» diligere, eamque in ecclesiis a Deo nobis com- E
» missis sacerdotii nostri tempore, Deo auctore,
» in melius propagare. Ea propter ego Petrus
» Dei gratia Bituricensis Ecclesiæ archiepisco-
» pus, salvandis animabus in civitate Biturica-
» rum aliquod volens ordinare confugium, ubi
» et mores corrigere et dignos pœnitentiæ fru-
» ctus multi valeant Deo exhibere, ecclesiam
» Sancti Ambrosii, Brisiacensis, de multa enor-
» mitate ad normam et regulam canonici ordinis
» perducere curavimus, et in ipsa canonicorum
» regularium ordinem secundum regulam Sancti
» Augustini tenendum amodo constituimus. Quod
» igitur piæ devotionis intuitu a nobis salubriter
» est factum, religiosa nihilominus est solicitu-
» dine prosequendum. Proinde canonicum ordi-
» nem secundum regulam B. Augustini præfata
» S. Ambrosii Brisiacensis ecclesia perpetuo te-
» neri et observari, auctoritate Bituriacensis
» Ecclesiæ et nostra, statuimus, nostrosque suc-
» cessores, ut sæpedictam ecclesiam et hujus re-
» ligionis institutum fovere semper et in melius
» laborent promovere, obnixe ac devote flagita-
» mus, et ex parte omnipotentis Dei et Beati
» Stephani Protomartyris admonemus, etc. » F
Quæ ne opus in immensum excresceret, resecavimus. *Hucusque Philippus Labbe.*

circa finem sæculi præcedentis destructum.

38 *Abbatiam, per Petrum de Castra sub Ordine canonico constitutam, rexere prius abbates regulares, quorum primus fuit Godefridus, quem ab anno* 1150 *ad* 1163 *saltem gubernasse perhibent auctores Galliæ Christianæ* (*g*). *Lapsu temporis hæc abbatia in commendam redacta fuit, uti videre est loco citato. Sæculo decimo sexto, turbantibus Galliam Calvinistis, principis Condæi vicarius, Gabriel Montgommery, Bituricam ingressus est per portam* S. Ambrosii, VI *kal. Junii anni* 1562, *et pro more sectariorum, altaria evertit, imagines sacras confregit, combussit Sanctorum Reliquias* (*h*). *Inter cæteras ecclesias, Calvinistarum furore destructas, annumeranda sunt monasterium et templum* S. Ambrosii, *imo ejus sacrum corpus, e feretro jam projectum, probabilius flammis addicendum erat, quando Catholicorum industria ex impiorum manibus ereptum* (*i*) *in nova capsa collocatum fuit. Postea anno* 1571 *Ludovicus de la Mer de Matha, Alvernus, abbas com-*

(*a*) Ap. D. Bouquet, t. VIII, p. 88. — (*b*) Ibid., p. 92. — (*c*) Ibid., p. 179. — (*d*) Ibid., p. 186. — (*e*) Ibid., p. 298. — (*f*) Bibl. MSS., t. II, p. 57. — (*g*) T. II col. 181. — (*h*) De Thou Hist. univ., lib. XXX, t. III, p. 190. — (*i*) La Croix Ser. Episc. Cadurc. p. 34.

mendatarius

AUCTORE J. V. H.

mendatarius, dirutas ædes a fundamentis instauravit; quibus dein novus splendor accessit, quando anno 1634, *sub Jacobo Maugis abbate commendatario, unitum fuit cœnobium congregationi Gallicanæ canonicorum regularium* (*a*). *Abbatia deinceps tranquilla perstitisse videtur, usquedum sub finem sæculi præcedentis sacra æque ac profana in Galliis turbata fuere : communem calamitatem experta quoque est* S. Ambrosii *abbatia, et in fiscum reipublicæ cessit. Divenditis ædibus, permansit tamen ecclesia usque ad annum hujus sæculi* XXVIII, *quando et hæc solo æquata fuit, excepta abside, quæ et hodie inservire posset cultui catholico, si dominus fundi illam reddere vellet, cujus quidem rei nulla spes affulgere dicitur. Ad Reliquias Sancti quod attinet, perierunt, ut pleræque aliæ, in turbine, quin ad hunc usque diem illarum vestigium reperiri potuerit. Ante hoc tempus pars saltem Reliquiarum inclusa erat herma argenteo, qui in processionibus circumferebatur.*

Sacellum juxta Cadurcum ædificatum profanatur.

39 *Serius, uti videtur, in Cadurcensem episcopatum invectus fuit cultus* S. Ambrosii : *nullum enim antiquius ejus monumentum occurrit, quam charta edita a Raymundo III* (*b*), *Panchelli dicto, qua vult* B *ut in honorem* S. Ambrosii *patroni sui, quæ vox antiquiorem aliquanto devotionem designat, sacellum erigatur. En ejus verba ex Gulielmo de la Croix* (*c*) : Universis, etc., Raimundus Dei gratia Cadurcensis episcopus. Noveritis, quod nos cum venerabili capitulo Cadurcensi volentes et intendentes damna et pericula Ecclesiæ Carducensis, in capite et in membris, prout possumus et tenemur, evitare, et virtutem pro viribus procurare, volumus, ordinamus et statuimus, quod medietas fructuum ecclesiarum vacantium et vacaturarum in civitate et diœcesi nostra Cadurcensi, illius anni quo vacabunt in posterum, cedentibus vel decedentibus rectoribus et capellanis seu perpetuis vicariis ecclesiarum earumdem cedat : colligantur vero per certos canonicos eligendos per nos et capitulum nostrum prædictum singulis annis, quo reddere teneantur nobis et dicto capitulo de receptis et expensis certam et legitimam rationem. Ita quod imprimis et ante omnia, ad honorem Dei et Beati Ambrosii patroni nostri et olim episcopi Cadurcensis, de fructibus et bonis prædictis construatur oratorium congruum et honestum, in loco, seu antro, vel spelunca, in C qua vel quibus prope pontem veterem Cadurcensem juxta flumen Olti dictus Sanctus arctam vitam dicitur duxisse longo tempore, et pœnitentiam voluntariam peregisse, prout indubitanter testantur miracula quam plurima, ibidem et alibi præstante divina gratia, ob ejus merita declarata.... In quorum fidem nos episcopus prædictus sigillo nostro una cum sigillo dicti Capituli has literas muniri fecimus. Nos vero Capitulum Cadurcense sigillum nostrum commune, una cum sigillo dicti Dom. Episcopi præsentibus appendimus. Datum Cadurci die Jovis ante festum Cathedræ S. Petri anno Domini MCCCVIII. *Duplex nunc Romana Ecclesia celebrat festum Cathedræ S. Petri : die scilicet* XV *kal. Februarii et* VIII *kal. Martii, propter sedem Romanam et Antiochenam : difficile igitur foret diem certum citato diplomati assignare, nisi constaret prius, utra festivitas hic indicetur. Utraque cathedra celebratur quidem in antiquissimis martyrologiis, ut monstravit in suo Usuardo Sollerius noster ; verum prius festum* XVIII *Januarii apud plures obsoleverat, ut liquet ex antiquis Sacramentario S. Gregorii Magni, Missali Gothico, etc.; dum alterum ab omnibus Ecclesiis semper retentum fuerit. Quod etiam confirmatur ex eo quod concilium Copriniacense* (Cognac) *in diœcesi Burdegalinsi circa annum* 1255 *habitum,* (*d*) *inter* dies feriatos *ponat* Cathedram S. Petri, *sed post* Conversionem S. Pauli, *et proinde mense Februario. Cum itaque Raimundus Cadurcensis simpliciter dicat datum diploma* die Jovis ante festum Cathedræ S. Petri, *mihi non est dubium, quin agatur de Cathedra S. Petri mensis Februarii ; cumque anno bissextili* 1308 *littera dominicalis pro hoc mense esset* F, *sequitur diem Jovis ante festum Cathedræ fuisse* XV *Februarii. Paulus papa IV per bullam datam* VIII *idus Januarii anni* 1558 *restituit festum Cathedræ Romanæ* XVIII *Januarii, quod in pluribus ecclesiis antiquatum erat.* (*e*). *Ut redeamus ad* S. Ambrosium, *sacellum ejus a Raimundo ædificatum exstat adhuc, quamvis posterioribus temporibus ex parte vel ex toto instauratum fuerit. Sub finem sæculi præcedentis, hoc sacellum et adjunctum territorium, fisco publico addictum venditumque, perstat tamen, licet profanatum, atque spes est aliqua, fore* E *ut aliquando cultui* S. Ambrosii *restituatur, ut litteris ad me datis scribit R. D. Layrac, secretarius illustrissimi Domini episcopi Cadurcensis.*

(*a*) Gall. Christ., t. II, col. 182. — (*b*) Non vero II, ut vult La Croix, p. 158 : Cfr Gall. Christ., t. I, col. 137. — (*c*) Ser. Episc. Cadurc., p. 171. — (*d*) Labbe, t. XI, part. I Conc. col. 749. — (*e*) Exstat bulla in Act. SS. XVIII Jan., p. 182. Bollandus dicit datam idibus Januarii cum Bullarium Romanum scribat VIII idus Januarii, t. I, p. 833. (Edit. Luxemb. an. MDCCXXVII). Cfr Bianchini Anastasius, t. IV, p. 150 et seqq.

VITA S. AMBROSII EPISCOPI

AUCTORE ANONYMO

Ex Ms. Andreæ du Chesne; collato obiter cum Ms. Nicolai Belfortii, accuratius cum Ms. reginæ Sueciæ in 4°, n° 1270.

Igitur *a* Sanctus Ambrosius cum esset pontifex in civitate, quæ vocatur Caturcis, omnibus * diebus ac noctibus in vigiliis et orationibus erat semper intentus, non enim in divitiis mundi, nec in thesauro ecclesiæ confidebat, sed in misericordia Domini ; quia plenus erat gratia Dei : non diligebat sæculum, nec ea quæ in sæculo sunt; facultates et res ecclesiæ et proprias opes*, quas habebat, pauperibus erogabat, nudos cooperiebat, esurientes satiabat, sitientes potabat, captivos redimebat, thesaurum sibi in cœlo præparabat. Dicebant omnes senatores in civitate verba iniqua contra eum : Unde venit hic contrarius noster destruere thesauros ecclesiæ ? Quid enim facimus contra eum *b* ?

S. Ambrosius Cadurcensis episcopus.

a

* omnibus *abest in Reginæ Sueciæ codice* F

* opes *abest R. S. C.*

b

2 Cum autem vidisset Sanctus Dei Ambrosius omnes illos fremere contra se, conversus in orationem ad Dominum dixit : Domine, Deus meus, qui benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, benedic animam meam, et omnia interiora mea in nomine sancto tuo, et educ me de civitate hac et de populo iniquo, qui mihi contrarius est, et blasphemat * opera quæ facio in nomine tuo. Cum * hæc dixisset gratia Dei plenus, reclusit se in cellula*, quæ erat juxta ecclesiam *c*. Flectens autem genua * in oratione dixit : Demine Jesu Christe, qui cognovisti Adam antequam esset et dedisti ei

cum videret inutilem esse suam operam,

* contrarii sunt et blasphemant *R. S. C.*

* cum autem *R. S. C.*

* cellulam *R. S. C.*

c

* Flexisque genibus in oratione ait *R. S. C.*

scientiam,

A scientiam, ut agnosceret viam veritatis, da et * mihi servo tuo speranti in te, ut vincam inimicum diabolum, qui ingressus est in cor hominis, cui
d contraria sunt opera quæ facio in nomine tuo *d*.
Post hæc autem stetit ibidem dies multos, et cœ-
e pit ibi per eum virtutes Dominus facere *e*; et ve-
niebant ad eum multi languidi et sanabat eos;
cæci visum recipiebant, surdi auditum, muti lo-
* mundabantur *R. S. C.* * *inserit* et *R. S. C.* quebantur, et dæmoniosi curabantur *, infirmis membra curabat, * animum ad Dominum semper intentum habens *.

3 Post hæc ibi Deus per eum multas virtutes demonstrabat, et inimicus cœpit circa eum habitare ut eum subverteret ad peccatum, et non potuit *; nisi ingressus esset in quamdam mulierem, quæ erat in civitate nobilissima, ut cum ipsa peccaret, et perderet thesaurum, quem in cœlo
* habebat *R. S. C.* *in solitudinem secessit*; * quievit *Belfortii codex* paratum habebat. Illa autem * egressa est nocte
* quippe *B. C.* de domo sua, et venit ad cellulam ubi Sanctus
f Ambrosius erat reclusus, et dixit *f*: Domine, aperi mihi ostium, desiderat anima mea videre corpus
* *inserit* vero *R. S. C.* * *uncis inclusa absunt R. S. C.* tuum. Sanctus * Ambrosius respondit : Væ tibi,
B diabole, seductor male, serpens antique! *[ubi te parasti? Ille vero cognovit tentationem esse diaboli, et dixit :] Non destrues in Domino sperantes, quia plus est Dei potentia ad defensandum, quam tua, inimice, ad impugnandum. Erat autem
* mediæ noctis *B. C.* * psallebat dicens hora circiter media * nocte cum solita consuetudine profetica voce psallens dicebat *: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam; et iterum dicebat : Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia
* *loco* Ille, interea *R. S. C.* * *inserit* ad mulierem *R. S. C.* justitiæ suæ. Ille * vero erigens se dixit *: Flecte
g genua tua in orationem et ego pro te similiter faciam *g*.
ubi graviter tentatus, * *ubique* in oratione *R. S. C.* * animæ meæ *R. S. C.* 4 Mulier vero flectens genua in orationem *,
h dixit : Domine, Deus meus, da refrigerium in animam meam *. Sanctus autem Ambrosius intus ecclesiam oravit dicens : Deus angelorum, Deus archangelorum, redemptor animarum, expelle inimicum diabolum de corde mulieris, et fac eam requiescere in pace in nomine tuo, non *h* permittas diabolum cordi ejus dominari, sed fac eam ut honorificet nomen tuum : qui vivis et regnas per
* *loco* per omnia, in *R. S. C.* omnia * secula seculorum amen. Mulier autem
C erigens se, statim egressus est inimicus de corde ejus per orationes præfati pontificis et requievit ab ipsa hora, erat enim sicut coluber, et habebat mensuram quasi cubitum unum. Mulier vero, quæ antea a diabolo tentata fuerat, dixit ad Sanctum Ambrosium : Pater mi, nihil desidero, nisi oratio-
i nem a Deo *i*, quia inimicus qui in me erat, egressus est de me per orationes tuas. Gratias
* corpore *R. S. C.* ago Deo meo, qui effugavit diabolum de corde * meo, indulge mihi, et ora pro anima mea.
tentantem ad frugem reduxit. * Sancte Pater *R. S. C.* * *loco* hominem, facturam tuam *R. S. C.* * autem omnes *R. S. C.* * multitudo *abest R. S. C.* 5 Tunc Sanctus Ambrosius flevit in oratione et dixit : Gratias ago tibi, * Pater omnipotens æterne Deus, qui exuperasti diabolum, et non permisisti perdere hominem * quem creasti, et salvos facis sperantes in te. Veniebant * omnes senatores et populi multitudo *, et admirabantur virtutem, quam fecerat Deus per eum, et dicebant ad invicem : Vere Deus est cum eo. Væ nobis peccatoribus [*k* qui contradiximus opera sua! Et non videmus virtutes multas quas fecit per eum Deus;] in iniquitatem, et in malitiam parati sumus. Alii gaudebant, alii blasphemabant. Ille vero repletus Spiritu Sancto iracundiam contra eos non habe-
k bat, sed in Deum * plenius sperabat : et serpentem illum suspenderunt in testimonium. Multi
* Deo *R. S. C.* autem glorificaverunt Deum *l*.
l 6 Post multos vero dies egressus est Sanctus Ambrosius *m* de cellula, ut erat reclusus, nocte, nullo sciente, nisi uno ex discipulis suis, quem habebat fidelem, qui erat archidiaconus sub thesaurum ecclesiæ, qui vocatur Agripinus; dixit ad eum : Noli hoc patefacere, fili mi, ubi vado. Dixit discipulus ille : Quid vis, domine? Sanctus Ambrosius ait : Fili, scio quoniam peccata mea multiplicata sunt super me, ideo vado et ingredior in cavernam castri in proximum pontem, qui est super flumen Olte *n*, et præcingo me de ferro, quod paratum habeo, et hoc signum tibi dico : clavem unde catenam illam sero, jacto in pelago, et quando quidem Deus voluerit, et inventa fuerit, dic in populo ubi sum : si autem non videris eam, noli declarare. Et abiens dixit : Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.

AUCTORE ANONYMO. *Hinc in caverna* m n

7 Et iterum cum venisset ad locum prædestinatum flevit in orationem expansis manibus, et ait : Domine sancte pater omnipotens, æterne Deus, rex cœli cœlorum, qui fecisti omnia, qui terram fundasti, et cœlum palmo mensurasti, qui mare signasti, ut non transgrederetur fines suos, jube nomen meum scribi * in libro tuo, ubi scripsisti Sanctos et fideles tuos, qui dilexerunt nomen tuum. Et ego peccator confido in tuam misericordiam, ideo regredior in locum * præparatum propter nomen tuum; et si vis, Domine, egrediar * hinc; sin autem, hinc * reddam spiritum, quia desiderat anima mea videre gloriam regni tui.

juxta Cadurcum se abscondit, * cœli *deest R. S. C.* * jube nomen meum scribere *R. S. C.* E * in locum ingredior *R. S. C.* * regrediar *R. S. C.* * hinc *deest R. S. C.*

8 Et cum hæc dixisset apprehendit catenam et præcinxit se *o* adstrictum de renibus usque ad verticem capillis capitis sui, et abstraxit clavem unde catena conseraverat, et jactavit eam in pelagus, et dixit : In nomine Domini nostri Jesu Christi : introivitque in cavernam castri lapidei *p*, quæ erat desuper plantatum *, et elevans oculos suos ad cœlum, simulque manus et supplex oravit ad Dominum et dixit : Fiat pax, Domine, in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. Et ait ad fidelem * suum : Fili, observa mandata mea, si vis videre gloriam Dei. Discipulus autem *q* vehementer composuit plantatum supra eum, et nihil parebat, et dixit ad Sanctum Ambrosium : Pater de lumine, quid eris facturus in nocte? Et dixit Sanctus Ambrosius : Fili, in nocte et in die Deus est lux. Iterum interogavit eum : Domine, de cibo quod tibi erit ministrandum? Ille autem F dixit ei : Fili, usque modo post solis occasum cibum sumebam, postmodum vero tertio die exhibe mihi oblatam *r*, et aquam sicut Deus præcipit. Et stetit ibi annos tres, diu noctuque vigilans et orans : et omnes noctes in caverna illa luxerunt veluti cerei, ut lampades ardentes; in die autem circumfulgebat lux mundi. Discipulus ille fidelis ministrabat ei, sicut præceperat illi. Sic senatores et omnis plebs civitatis clamabant et dicebant : Ubi est pontifex, et pastor noster Ambrosius? Væ nobis peccatoribus, quia propter iniquitatem egressus est de hac civitate, et nescimus ubi ambulavit! Ideo propter nostram malitiam dereliquit omnia. Sic enim miserunt alium episcopum in loco suo, quia non cogitabant ultra videre eum.

soli Agrippino cognitus. o p * plancatum *B. C. ubique* * *addit* diaconum *R. S. C.* q r

9 Anno autem tertio clavem, quam vir Dei Sanctus Ambrosius in aquam jactaverat, piscis glutivit eam * *s*: piscatores autem * apprehenderunt piscem illum * et portaverunt eum in coquinam *t*, et invenerunt clavem in ore ejus, et monstrabant eam in omni * populo, Videntes autem omnes dicebant ad invicem : Quidnam est * tale signum in hoc pisce. Venit autem dicipulus Sancti Ambrosii, cui hoc crediderat, et cognovit

donec, cœlesti indicio * eam *deest R. S. C.* s * de civitate illa *R. S. C.* * magnum valde *R. S. C.* t * omnem *R. S. C.* * esset *R. S. C.* * hunc *R. S. C.*

AUCTORE ANONYMO.

vit eam. Tunc quidem gaudio plenus nuntiavit ei dicens : Domine, clavis, quam in pelago jactaveras, jam inventa est in pisce. Sanctus autem * Ambrosius repletus Spiritu Sancto præ gaudio, flevit in oratione, et dixit : Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! Sic enim, Domine, exaudis omnes sperantes in te, et non derelinquis diligentes nomen tuum, Domine, libera animam meam, et eripe me de loco isto, et educ me ubi vis. Et ait ad discipulum suum : Fili, Deus * non est oblitus servum suum, * memoratus est humilitatem meam : ideo vade in civitatem ad episcopum, et dic ei : Clavis illa, quæ inventa est in pisce, unde est? Et dic coram omnibus ubi sum, et deferant secum tres cereos non ardentes, et veniant ad me ; sin autem illuminati *u* fuerint ex virtute Dei mei, egrediar hinc.

autem *deest R. S.*

jam R. S. C.

u

detectus, reducitur in civitatem; x

10 Tunc perrexit discipulus *x* ad episcopum, et dixit ei omnia quæ præceperat illi Sanctus Ambrosius. Illi vero gaudentes exierunt de civitate cum crucibus, psalmis, hymnis, canticis canentes, et psallentes venerunt ad locum, ubi erat

B

Sanctus Ambrosius et attulerunt tres cereos in manibus suis, secundum quod illis mandaverat, et prostrati in oratione, cerei, quos in manibus tenebant, statim ab ipsa hora illuminati sunt. Tunc omnes illi glorificaverunt Deum. Sic enim caverna illa, ubi erat Sanctus Ambrosius, comminuta erat, sicut vitrum *y*, et acceperunt illum in complexum gaudio pleni, extraxeruntque eum de vinculis ferreis, ubi erat reclusus; facies autem ejus erat pallida, et caro ejus dereliquerat membra sua : et nihil aliud in se habebat nisi animam et spiritum sanctificatum, et capilli ejus erant crescentes usque ad renes suos, et barba ejus ad pectus suum ; et erat quasi laicus *z*, quia novacula in ipso triennio non ascenderat in caput ejus ; et catena illa unde erat præcinctus confregit se et disjuncta est. Et omnes illi propter tanta mirabilia glorificaverunt Deum.

y

z

atque Roma rediens, obit in pago Bituricensi.

11 Tunc Sanctus Ambrosius respexit ad cœlum et oravit dicens : Domine Jesu Christe, rex virtutum, qui fecisti omnia, et sine te factum est nihil, gratias ago tibi, quoniam exaudisti me, et dignatus es liberare servum tuum : Domine, deduc me ubi tu vis. Et omnes illi dicebant : Indulge nobis, qui nesciebamus ubi eras. Respondit

C

eis : Indulgeat vobis Dominus. Episcopus vero ille, qui post ipsum in locum sanctum episcopus erat, prosternit se ad pedes ejus, et dicebat ei : Vade in pace ubi volueris. Episcopus vero et reliqui senatores, vel omnis plebs civitatis, postquam deduxerunt eum, reversi sunt in civitatem. Sanctus Ambrosius, plenus desiderio Christi, abiit Romam, reversusque est ad urbem Bituricam ; cumque Ernotro vico advenisset *aa*, contigit eum dormire in Domino. Ubi corpus ejus requiescit in pace, ubi per eum Dominus virtutes multas ostendere dignatus est. Discipulus vero Agripinus nomine secutus est eum ubicumque ambulavit, et docuit omnia quæ scripta sunt, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

aa

ANNOTATA.

a *Ex vocula* igitur *suspicor aut biographiæ* S. Ambrosii *prologum aliquem præfixum fuisse aut eamdem ex serie aliqua fuisse extractam.*

b *Loco hujus phrasis habet Ms. Reginæ Sueciæ :* Igitur invidia diaboli post aliquod tempus excitati sunt omnes senatores ipsius civitatis in odio contra eum, dicentes : Postquam venit contrarius nostræ civitatis construere cessaverunt Ecclesiæ? Quid enim facit contra eum?

D

c *Propterea tamen Sanctum non reliquisse regimen Ecclesiæ suæ Cadurcensis, insinuavimus in Commentario prævio num.* 8.

d *In Ms. Reginæ Sueciæ alia huic substituitur propositioni :* Sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

e *Nec intacta est hæc phrasis in Ms. Reginæ Sueciæ, ubi hæc reperies :* Moratusque ibidem diebus multis, cœpit per eum Dominus virtutes multas facere.

f *Iterum nonnulla immutata habet hoc loco Ms. Reginæ Sueciæ :* Postea autem quam ibi Deus per eum multas virtutes demonstravit, cœpit inimicus humani generis circa eum amplius insidiari, ut eum subverteret per peccatum ; sed tamen non potuit. Insidiando ergo eum, diabolus ingressus est in quamdam nobilissimam fœminam, quæ erat de ipsa civitate, et cœpit vexari eam. Accidit autem, ut ipse diabolus perduceret eam ad collem,

E

ubi vir Dei erat per noctem, ut cum ipso peccaret, et perderet thesaurum, quem in cœlo habebat. Igitur veniens illa usque ad eum, dixit, *etc.*

g *Inserta habet hoc loco Ms. Reginæ Sueciæ sequentia :* Oremus ambo ad Dominum æternum, et postea aperio tibi ostium domus Dei. *Ms. autem Belfortii addit tantum, omissa priori sententia :* Ac postea aperiam tibi ostium domus Dei.

h *Ms. Reginæ Sueciæ habet :* Non enim permittas diabolo cor ejus dominari, sed fac eam dignam, ut, *etc.*

i *Hic locus rursus per omnia non consonat cum Ms. Reginæ Sueciæ, quod habet :* Statim autem egressus est inimicus de corde mulieris per orationes præfati Ambrosii pontificis, et evomuit eum in ipsam horam. Erat enim... Mulier vero, quando refrigeratum est corpus, quæ antea..... Pater meus, nihil desidero nisi orationem a Domino.

k *Uncis inclusa absunt a Ms. Reginæ Sueciæ; quæ autem sequuntur, sic ibi sonant :* Quia non nisi in iniquitatibus, et in malitiis parati sumus, et non intelligimus quæ facit per eum Deus.

l *Alia est lectio in Ms. Reginæ Sueciæ :* Illum autem serpentem suspenderunt in testimonium.

F

Ob quam caussam multi glorificaverunt Deum. *Historiam mulieris S. Ambrosium tentantis perperam narrant auctores Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (*a*), *quasi accidisset ea tentatio postquam Sanctus jam abscondisset se in caverna prope Cadurcos. Verum hæc non quadrant cum narratione ejus biographi, referentis Sanctum post tentationem secessisse in speluncam, in qua soli Agrippino cognitus fuit, ut reliqua historia abunde demonstrat.*

m *Continuo hic aberrat Ms. Reginæ Sueciæ :* De cellula nocte nullo, sciente ; uni autem ex.... fidelem in omnibus, qui.... sub thesauro... ita confessus est : Fili charissime, vide ac præcave ut hoc nemini dixeris, quod ego facere cupio, vel ubi vadam. Qui dixit : Quid vis.... sero, fili, quia peccata.... vadam et ingrediar.... proximo ponte, qui est desuper flumine.... quem præparatum habeo... conserabo, jactabo eam in pelago, et si.... dicas populo.... si autem amplius.... et hæc dicens cœpit ire et dicere : Deus....

n *Oltus sive Oldus fluvius est, qui per tractus Gabalitanum, Cadurcensem et Agennensem ad oppidum Aculeionum* (Aiguillon) *Garumnam influit.*

(*a*) Lib. XII, t. VI, p. 101.

Antiqui

A *Antiqui Franci dixere* l'Olt, *sed articulus ipsi vocabulo increvit, unde hodie hic fluvius Gallis* le Lot *dicitur, nomenque suum dat præfecturæ, cujus caput est Cadurcum.*

o *Lectio Ms. Reginæ Sueciæ hæc est :* Cilicium habens vestimentum inter catenam et carnem suam, a collo capitis descendens usque ad renes, et abstraxit.... jactavitque in pelago,..... introivitque in cavernam castræ lapideæ.... constructa; elevans autem... simul et manus, supplex... Fiat pax in...

p *Hanc cavernam sub invocatione* S. Ambrosii *consecratam fuisse a Raymundo III anno* 1307 *diximus in Commentario prævio num.* 39. *Castellanus in notis Mss. ad Vitam* S. Ambrosii, *sub num.* 8912 *bibliothecæ regiæ Burgundicæ asservatis, dicit sacellum ædificatum fuisse supra cavernam, unius tantum hominis capacem, picturisque et auratis ornamentis decoratum esse : distat vero ab Olto flumine sexaginta circiter passibus.*

q *Alia est lectio Ms. Reginæ Sueciæ :* Magnum ædificium construxit super eum ad occultandum eum et non comparebat.... In die et in nocte
B Deus est lux. Et iterum eum interrogavit : Domine, quod tibi erit ministrandum de cibo.... Usque modo diurnum.... sumam, ad tertium vero diem.... ibi sacerdos magnus Ambrosius in caverna illa annos tres, et per omnes noctes in caverna illa lux erat cerei aut lampadis ; in die autem circumfulgebat eum lux mundi. Discipulus vero ille fidelis non desistebat ministrare.... ipsi. Factum est autem post aliquod tempus, cœperunt senatores civitatis et omnis populus vehementer lamentare et reos se clamare dicentes : Ubi.... nostram nequitiam... ambulavit bonus pastor. Ergo propter nostram malitiam, quam fecimus contra illum dereliquit omnia ; sicque miserunt.... in locum suum, quia non sperabant eum amplius videre.

r *Oblata hodierno usu sumitur pro pane ad SS. Missæ sacrificium oblato seu pro hostia non consecrata, quamvis ad significandum etiam SS. Eucharistiæ sacramentum quandoque usurpari demonstrat du Cange in Glossario ad verbum* Oblata. *Hic tamen sumitur pro pane tenuissimo ex farina et aqua confecto, ad ignem prælis ferreis tosto, qui præbebatur monachis, ut constat ex consuetudinibus Eveshamensibus in Anglia :* Item, *ut ibi dicitur* (*a*),
C singulis diebus Dominicis in Quadragesima dimidium præbendarium (*mensura quædam*) frumenti de granario ad oblatas ad cœnam et dimidium similiter in Cœna Domini ad idem.

s *Acta antiquiora non nominant piscem, qui clavim deglutivit ; traditio tamen vulgaris habet fuisse lucium* (un brochet), *eamque stabiliunt tribus rationibus : quarum prima est, quod lucius sit gulosus ; secunda, quod volunt in Olto nunc non amplius id genus piscium esse propter maledictionem* S. Ambrosii, *licet in genere fluvius ille piscibus non abundet ; tertia demum testimonium est cujusdam Proprii Ecclesiæ Cadurcensis, in quo legitur :* Alium episcopum subrogarunt ; cujus coquus cum lucium piscem exenteraret, dominicæ mensæ apponendum, reperit in intestino, *etc. Hæc Claudius Chastelain in notis Mss. supra laudatis.*

t *Scilicet episcopi, ut expresse habet Sanctorale Cadurcense :* Evenit interea, quod piscis quispiam, qui clavim in flumen projectam deglutiverat, a piscatoribus caperetur, atque in coquinam electi episcopi deferretur.

(*a*) Monast. Anglic., t. I, p. 149. Edit. 1759; et t. II, p. 25, Edit. 1829.

u *Ms. Belfortii ita sonat :* Sin minus autem illuminati fuerint, hic permaneam usque in diem migrationis meæ. *Prope accedit Ms. Reginæ Sueciæ :* Si vero inluminati non fuerint; hic permaneam usque in diem commigrationis meæ. D

x *Multum aberrat hic ubique Ms. Reginæ Sueciæ :* Discipulus vero gaudio plenus perrexit ad... quæ mandaverat.... Episcopus autem ut audivit præ gaudio flevit, et exiens ipse et omnis plebs cantans gaudentes, et psalmis, et hymnis, et canticis.... venerunt usque ad locum ubi erat magnus egregius pastor Sanctus.... quod ille mandaverat. Beatus vero Ambrosius et omnes prostrati in oratione et statim in ipsa hora cerei, quos tenebant, inluminati sunt. Tunc omnes præ gaudio fleverunt et laudaverunt et benedixerunt Deum, qui talia facit per Sanctum suum Ambrosium. Ille vero episcopus et omnis plebs civitatis prostraverunt se ante eum, poscentes se benedici ab eo. Factum est autem postquam benedixit et elevati sunt, caverna illa, ubi erat Sanctus Ambrosius, statim in ipsa hora comminuta est sicut vitra et extraxerunt eum foras de vinculis, ubi erat reclusus. Erat autem facies ejus pallida... et totum corpus extenuatum erat nimis, et E
capilli ejus pertingebant usque ad renes.... præcinctus, dijuncta est circa eum et confracta est : et omnes qui aderant præ gaudio tanta.... Deduc me ubicumque tibi placet. Omnis autem populus veniens poscebat dicens : Indulge nobis, pastor bone, quia nesciebamus ubi eras. Et ille, qui post ipsum in locum suum episcopus erat, prosternens se ad pedes Sancti Ambrosii dicens : Quamvis enim indignus et peccator sim, Domine, positus sum in locum tuum ; sed quia tu es famulus Dei et particeps Sanctorum, indulge, quæso, mihi et miserere mei, et resede in locum tuum, et ego sub tua jussione militabo. Dixit autem ei S. Ambrosius : Tu enim, frater karissime, sedebis in locum tuum ; ego autem vadam Romæ in nomine Domini mei Jesu Christi : si vero placuerit Domino meo, regrediar huc ; sin autem, tu posside omnia : opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. His ita gestis, cœpit ita psallere dicens : Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas doce me. Deduce me, in via tua, lætetur cor tuum et timeat nomen
F tuum. Populus enim, qui sequebatur eum, lacrymatus est vehementer, et deduxerunt eum cum lacrymis dicentes : Cognovimus enim, Domine, quia Sanctus et potens es ; ubicumque tibi placuerit dirigat Dominus Deus noster vias tuas in pace. Episcopus vero et omnis plebs, *etc. Videntur autem hi sermones interpolati, cum in antiquiori Vita non reperiantur.*

y *Sanctorale Cadurcense habet,* accensis candelis, locum, ubi Ambrosius erat nonnullos ingressos fuisse ; *quod quidem verisimilius est, quam comminutam fuisse cavernam* sicut vitrum, *utpote quæ hodie adhuc exsistit, ut jam indicavimus. Videtur igitur intelligendus textus de confractione ostii cavernæ.*

z *Jam animadvertimus in Commentario prævio num.* 5, *propterea* S. Ambrosium *habitum fuisse tamquam laicum, quia erat barbatus : unde etiam conjecimus antiquam esse biographiam, quam hic damus.*

aa *Nec ad finem magis concordat Ms. Reginæ Sueciæ, quod habet :* Episcopus vero et omnis plebs.... civitatem suam, Sanctus autem Ambrosius.... Romam, et reversus est sub urbe Turonica. Cumque Ernotro vico advenisset, contigit

eum

A eum dormire in Domino medio mense Octobre; ubi.... requievit in pace,.... Discipulus vero ejus,.... qui secutus est eum, ubicumque ambulavit, docuit nobis omnia quæ scripta sunt de eo. Postea jubente Domino translatum est corpus ejus prope Biturica civitate, et positus est in loco, qui vocatur Bissiacus, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, laus et imperium, in sæcula sæculorum. Amen. *Quod pertinet ad hanc lectionis partem :* et reversus est sub urbe Turonica. Cumque Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino, *certum est eam meliorem esse quam noster textus, qui habet :* Reversusque est ad urbem Bituricam. *Etenim non legimus* S. Ambrosium *antea Bituricis commoratum fuisse, ita ut dici possit* illuc reversus. *Quod objici non potest de urbe Turonica, cum dicatur* reversus sub urbe Turonica, *quasi reversus Cadurcum per urbem Turonicam ; atque his quoque consonat Sanctorale Cadurcense, quod habet :* Qui inde *(Roma)* rediens S. Martini, Turonensis episcopi, templum adivit, demumque ad Arnotium vicum sub urbem Bituricam pervenit, atque ibi... diem vitæ suæ extremum clausit. *Sanctum vero nostrum in agro Bituricensi non voluisse domicilium suum figere, monstravimus in Commentario prævio num.* 33. D

DE S. LULLO ARCHIEP. CONFESSORE

B MOGUNTIÆ IN GERMANIA. E

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus S. Lulli vindicatus; ejus Acta discussa.

ANNO DCCLXXXVI.

Martyrologium Romanum, cui præiverant varia Auctaria tum Usuardi tum Adonis, et maxime Kalendaria liturgica Ecclesiæ Moguntinæ, annuntiat hodierna die festum S. Lulli, *archiepiscopi Moguntini, his verbis :* Moguntiæ Sancti Lulli episcopi et Confessoris. *Non esset proinde cur de ejus sanctitate cultuque ambigeremus, nisi aliqui, inter quos etiam Claudius Chastelain, de re hagiographica optime meritus,* Lulli *sanctitatem in dubium revocassent : tum propter antiquiorum Martyrologiorum silentium ; tum maxime ob controversiam, quam cum S. Sturmio abbate Fuldensi, habuit. Hæc enim scribit laudatus Chastelain, in suo Martyrologio Romano vernaculo* (a) : Son nom ne se voit dans aucun des anciens martyrologes ; et avec assez de fondement, vu la manière peu chrétienne dont S. Ludger l'accuse d'en avoir usé avec S. Sturme. *Verum si antiquiorum Martyrologiorum silentium crearet aliquod præjudicium adversus* Lulli *sanctitatem, idem sentiendum esset de Sturmio, utpote quem neque Rabanus, neque Ado aut Usuardus in album Sanctorum retulerint. Unum de utroque dici potest, horum Martyrologorum silentium aliud nobis non demonstrare, quam cum scriberent, neutrius sanctitatem probatam fuisse ; quod de Rabano maxime dicendum est, qui, ut ipse scribit* (b), Sanctorum festa quæcumque potuit invenire, ibidem inseruit ; *ita tamen, ut dicat nihil se scripsisse nisi* quæ notata ab antecessoribus in libellis reperit : *quibus sane verbis sufficientem rationem reddit, cur* S. Lulli *non meminerit, qui vix* L *annos, cum Rabanus suum ederet Martyrologium, obierat. (Confer Sollerii nostri præfationem ad Usuardum num.* 64). *Idem responderi potest circa Adonem et Usuardum, nisi quis malit dicere illos ignorasse sanctitatis famam cultumque* Lulli, *quatenus saltem initio intra angustissimos limites fuerint circumscripta. Cæterum ad* S. Lulli *cultum comprobandum nobis sufficeret constans ab antiquissimis temporibus Moguntiæ Ecclesiæ consuetudo, etiamsi nulla alia sanctitatis argumenta suppeterent.*

Lulli *sanctitas, in dubium vocata* C

2 *Ast, inquiunt adversarii, S. Liudgerus, episcopus Monasteriensis, accusat* Lullum, *quod acerbius in S. Sturmium invectus fuerit : quin hanc culpam retorqueamus, illa tanta non est, ut emendata excludere eum debeat ex Albo Sanctorum : alioquin quotiescumque Sanctum aliquem peccantem reperererimus, toties ejus nomen e Martyrologio expungendum erit confer Prosperum Lambertini de Servorum Dei Beatificatione lib.* III, *cap.* XXXXIX, *num.* 7). *Apposite S. Ambrosius ad rem nostram scribit* (c) : Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. *Cæterum quid controversiæ inter* Lullum *atque Sturmium, utrumque Sanctum, exstiterit, infra latius examinabitur : unum hic sufficiat demonstrasse, qualemcumque culpam* S. Lullo *tributam legitimo ejus cultui obesse non posse, utpote quam gloriose reparaverit, ut postea fusius exponemus. Mabillonius, tum in Annalibus ordinis S. Benedictini lib.* XXIII, § XI (d) *tum in Actis Sanctorum* (e), *quem dein secuti sunt alii, inter quos Adrianus Baillet ad* XVI *Octobris, dicit, S. Liudgerum culpam omnem refundere in* Lullum *atque in testimonium asserti affert, ut ipse ait* ejus verba, *quæ nos quoque e Mabillonio damus :* Sturmi amabilis omnibus... Lullo tantum fama ejus bona displicuit et semper propter invidiam adversus eum faciebat. *Exorta inter sese discordia, fratres* in Lulli episcopi suffra- *propter textum S. Liudgero falso tributum,* F

(a) Martyrologe univers., p. 716. — (b) Canis. Thes. Monum., t. II, p. 290. — (c) Apol. Proph. David ad Theodos. Aug., cap. II, t. II. Opp., p. 145. Edit. Venet. 1781. — (d) T. II. Ann., p. 160. — (e) Sæc. III, part. II, p. 399.

gium

A gium confisi perrexerunt ad regem et beatum virum apud illum accusabant, crimen nescio quod de inimicitia regis objicientes ei. *Sturmio in exilium misso,* tunc rumor eximius omnium aures et ora pariter compleverat, quod Beatus Sturmi abbas a cœnobio Fulda esset per consilium Lulli episcopi ablatus. Omnes pariter graviter hoc ferebant... Lullus interim obtinuit apud regem, munera injusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum dominium fundaretur, *etc. Hæc Mabillonius ; ast hæc verba non leguntur in S. Liudgero, a quo solam Vitam S. Gregorii Ultrajectini habemus, sed in Eigile, quarto abbate Fuldensi in Vita S. Sturmii, ejus prædecessoris* (*a*). *Hæc vero accusatio adversus* S. Lullum *ex ore Eigilis Fuldensis prodiens, tanti non est, ut auctoritatem Romani Martyrologii infringat : et profecto cum omnis inter utrumque Sanctum contentio orta videatur ex jurisdictione in Fuldense monasterium, quam suam uterque arbitrabatur, mirum non est Eigilem, abbatem, cujus res in illa controversia agebatur, justo iniquiorem fuisse in* S. Lullum.

vindicatur ex antiquis monumentis.

3 *Ruit igitur quod ex S. Liudgeri testimonio adversus* Lulli *sanctitatem jactabatur documentum :* B *imo ipse præco magis dicendus est virtutum archiepiscopi Moguntini. Hæc enim habet in laudata Vita S. Gregorii Ultrajectini* (*b*) : Ad hæc universa, non modice adjutus est *(S. Bonifacius)* ab electis discipulis suis, post magistrum clarissimis prædicatoribus, et columnis Ecclesiæ Dei : quorum unusquisque civitatem et regionem suam, sicut lucifer mane oriens, illuminavit exemplis et doctrina sua. *Enumerat dein Liudgerus SS. Gregorium Trajectensem, Megingodum Herbipolensem, Willibaldum Eichstadtensem episcopos et Winibaldum ac Sturmium abbates ; inter hos vero, sanctitatis titulo decoratos, refert quoque* Lullum, *qui* Maguntiam metropolitanam civitatem cum maxima parte orientalium Francorum, qui in parochia illius urbis constituerunt incoluit. *Quæ verba demonstrant quam magnam de* Lulli *sanctitate opinionem habuerint ejus æquales et præcipue S. Liudgerus. Perseveravit autem opinio post ejus mortem : de* Lullo *enim scribit S. Rabanus et ipse Moguntinus antistes, quum antea Fuldense cœnobium abbas rexisset, epigrammate* CIII *de S. Ferrutio* (*c*) :

C Martyris ergo sacri dudum huc transtulit ossa
Ferrutii Lullus præsul et urbis honor.

Eodem B. Rabano sedente, anno scilicet 851 *aut* 852, *ut scribit Lambertus Schafnaburgensis, Hersveldii monachus* (*d*), translatio Lulli in Cœna Domini *celebrata fuit. Itaque sexaginta circiter annis post mortem suam, talis* Lullo *nostro delatus fuit honor, qui sanctis solum viris deferri consueverat. Unde etiam eodem Lamberto teste* (*e*), *anno Domini* 1040 *in dedicatam cryptam Hersveldensem* translatæ fuerunt Reliquiæ sanctorum Confessorum Wigberti et Lulli. *Hujus sanctitatem testatur quoque Gulielmus Malmesburiensis, scriptor sæculi* XII, *lib.* I. De gestis Reg. Angl. *cap.* IV (*f*) *hisce versibus,* quos jam inde a pueritia meminit se audiisse :

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,
Pollens divina, tribuente Deo, medecina,
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

Dum vero jam a sæculo solemniter elevatum fuisset corpus S. Lulli, *dum ejus miracula* totus prædicaret orbis, *S. Sturmio necdum Sanctorum honores decreti fuerant, quos illi tandem detulit Innocentius II anno Christi* 1139, *ut videre est apud Justum Fontaninum* (*g*). *Hæc tamen non ita dicta sunto, quasi Sturmii sanctimoniæ quidquam detractum velimus, sed ut pateat Claudium Chastelain minus prudenter locutum fuisse, dum arguit* S. Lullum, *quia controversiam cum S. Sturmio habuerat. Jam de biographis.*

AUCTORE J. V. H.

Acta S. Lulli *non valde antiqua*

4 Lullus, *inquit Joannes Mabillon* (*h*), laudatores multos, nullum, qui res ipsius gestas litteris mandarit, antiquum scriptorem habuit, præter anonymum, de quo mox agendum. *Nullum non movimus lapidem, ut Vitam aliquam* S. Lulli *antiquiorem reperiremus : operam quoque ad id suam nobis promiserat et reapse præstitit Cl. Georgius Henricus Pertz, edendis Monumentis Germaniæ historicis præfectus ; sed incassum fuerunt omnes conatus. Christianus Joannis* (*i*) *dicit Vitam* S. Lulli versu *exaratam fuisse a Meginfredo, monacho Fuldensi, et asserti testem adhibet Joannem Trithemium in suis Annalibus Hirsaugiensibus sub anno* 986. *Sed laudatus Trithemius nihil simile habet neque sub hoc, neqve sub millesimo decimo anno, cui mortem Meginfredi illigat. En textum Trithemii prout habetur in* E *Annalibus Hirsaugiensibus, editis typis Sangallensibus anno* 1690 (*k*) : Hic (*Meginfredus*) cum esset in omnibus scripturis non solum divinis, sed etiam humanis inter doctiores doctissimus, multa compilavit summæ auctoritatis opuscula, quorum eruditione memoriam sui posteris commendat : Chronicon imprimis cœnobii sui Fuldensis brevem omnium abbatum continens successionis historiam edidit, in quo et aliorum ex Fulda monasteriorum quorumdam emanantium abbates et eorum successiones breviter annotavit. De quo nos opere plura in compilatione præsentis historiæ suscepisse recognoscimus, quæ placitura maxime vobis Hirsaugiensis monasterii tam futuris quam præsentibus incolis confidimus. Vitam S. Bonifacii Martyris, ex monacho primi Moguntinensis Ecclesiæ archiepiscopi carmine descripsit heroico, libros duos. Vitam S. Sturmi primi abbatis Fuldensis metrice composuit Vitam et gesta S. Rhabani, ex quarto abbate Fuldensis cœnobii sexti archiepiscopi Moguntini, prosaice composuit. Vitam et Passionem S. Sonderoldi, ex monacho Fuldensis cœnobii Moguntinensium noni archiepiscopi. Vitam S. Hildeberti, ex ab- F bate Fuldensis monasterii Moguntinensium ecclesiæ XII archiepiscopi. Alia insuper multa composuit, quæ ad manus meas non venerunt. *Hæc Trithemius : ex quibus liquet Christianum Joannis errasse, dum testimonium ejus invocat, dicentis Meginfredum composuisse metricam Vitam* S. Lulli.

auctore, ut videtur, Hersveldensi monacho

5 *Damnum antiquioris Vitæ, quæ aut deperdita fuit aut fortassis numquam exstitit, duo Anonymi utcumque resarcierunt : quorum prior Vitam sancti* Lulli *compilavit monumentis, quæ partim gesta SS. Bonifacii, Sturmii, Liobæ et Wigiberti referebant ; alter brevitatem sectatus, paucis exceptis, de quibus infra agemus, vestigiis prioris videtur presse inhæsisse. Prioris Vitæ, nescio qua de causa, auctorem facit Hagiographia Butleriana Lovaniensis Simonem Guillemot, illum nempe qui, hanc ad Mabillon transmisit. Quare hic illam* Gemmelacensem, *seu* Gemblacensem *appellat, hac sola nixus auctoritate, quod Vitam istam acceperit e codice monasterii Gemblacensis in Brabantia, ut ipse narrat in elogio* S. Lulli § I (*l*) ; *dein* § XXII (*m*) *longius procedit opinando Sigibertum, celebrem chrono-*

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 373. — (*b*) Ad diem XXV Augusti, p. 258, n. 13. — (*c*) Rer. Mogunt. Joannis, t. II, p. 43. — (*d*) Ap. Pistor. Script. Rer. Germ., t. I, p. 312. — (*e*) Ibid., 317. — (*f*) Savil. Rer. Anglic. Script., fol. 15. — (*g*) Cod. Canoniz., p. 13. — (*h*) Act. SS. Ben., sæc. III, part. II, p. 392. — (*i*) Rer. Mogunt., t. I, præf., p. 7. — (*k*) T. I, p. 128. — (*l*) Act. SS. Bened., sæc. III, part. II, p. 392. — (*m*) Ibid., p. 400.

graphum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

graphum, hujus Vitæ auctorem esse, quin ulla suam conjecturam probatione confirmare curet. Imprimis Gemblacensem aliquem auctorem hujus scriptionis esse, ex hac ratione quod in codice hujus cœnobii reperta fuit, idoneum non est argumentum. Hæc eadem enim Vita sæculo XIII *Ms., quam Cl. Georgius Henricus Pertz ad nos transmisit, Heilbronnæ olim exstabat, nunc translata ad bibliothecam Erlangensem in Bavaria, catalogo inscripta sub num.* 268 (*a*). *Numquid propter hujusmodi rationem* Heilbronnensem *dicemus scriptorem Vitæ? Maxime cum hæc eadem lucubratio jam typis expressa fuerit anno* 1483, *probabilius Coloniæ Agrippinæ, quia ad calcem habetur epigramma in laudem hujus urbis: quam quoque Vitam edidit Lovanii anno* 1485 *Joannes de Westfalia, typographus. Quod vero Sigibertum suspicetur Joannes Mabillonius auctorem, gratuito videtur conjicere, idque probabiliter ex eo quod Gemblaco prodire scriptionem sibi persuaserat: Gemblacensis erat Sigibertus, idemque multa jam scripserat: hæc causa suspicionis; quæ, quam levis sit, nemo non videt. Præterea Sigibertus non videtur alia scripsisse, quam quæ ipse indicat in suo libro*

B

de Scriptoribus ecclesiasticis (*b*): *in his vero nihil occurrit de* S. Lullo: *hæc enim de illo dicit Libellus de gestis abbatum Gemblacensium scriptus a coævo et discipulo* (*c*): Scripsit ad Trevirenses librum de jejuniis quatuor temporum et multa quæ commemorat in libro Illustrium Virorum, *Varia igitur suadent, Vitam* S. Lulli *a Sigiberto conscriptam non fuisse. Facilius quidem fuit opinationem Mabillonianam refellere, quam in verum auctorem opusculi indagare: Hersveldensem tamen monachum aut Moguntinæ ecclesiæ clericum fuisse indicant verba, quæ num.* 32 *leguntur*: Vivens paucorum, mortuus cunctorum pene aures et mentes occupavit. Nos enim ei jam vota facimus, jamque divinos propter Deum honores deferimus, jam solemnes ferias instituimus. *Quæ postrema maxime verba Hersveldensi cœnobitæ optime conveniunt, quum et hodie istic annua festivitas* S. Lulli *celebris habeatur, sub nomine* Lullus-fest. (*d*). *Cæterum satis antiquam esse hanc Vitam ex eo suspicari licet, quod solum prioris translationis anno Christi* 852 *celebratæ mentionem faciat; neutiquam vero posterioris, quæ anno* 1050 *contigit: unde datur intelligere opusculum medio tempore conscriptum fuisse.*

C

satis sincere conscripta sunt.

6 *In laudatis Actis* S. Lulli *tria improbat Joan. Mabillon* § I: *imprimis scriptionem fere excurrere in communes locos; quod non satis accurate videtur dictum, maxime si Vitam, prout typis edita fuit, spectemus. Hinc inde quidem brevia aliqua inspersa reperies elogia, quæ omnibus passim Sancti ejusdem conditionis convenire possunt; verum hæc talia sunt, ut in omnibus hujusmodi biographiis occurrant. Vita quidem manuscripta Erlangensis longiusculos habet sermones, et varia quibusdam ambagibus exaggerat: sed hac lectione usus non est Mabillon, ut patet ex fragmento* § XXII *allato, a quo illa omnia, quæ prolixam faciunt Erlangensem narrationem, absunt. Dicit dein idem scriptor Vitam sancti* Lulli pauca facta commemorare; *certe non omnia narrat, et quæ narrat, non sat enucleate refert Anonymus; sed pleræque biographiæ horum temporum id habent incommodi, ut ad ædificationem magis quam ad eruditionem et intimam rerum notitiam scriptæ, non omnia facta exhibeant. Demum loquitur Mabillon* de fabularum admistione; *nihil quidem mihi legenti occurrit, quod fabulam sapiat: omnia e genuinis fontibus videntur hausta, prout mecum, confido, judicabit lector. Vitam, qualis exstat in codice Erlangensi, circa finem mutilo, edemus. Hujus tamen manuscripti Auctaria uncinis includemus, adjectis etiam in margine variantibus lectionibus editionis Lovaniensis: ita ut Vita Lovaniensis pura et integra proditura sit. Vita vero, de qua loquitur Mabillon* § XXV, *vix alicujus usus erit, cum in compendium contrahat, quæ in alia scriptione latius exponuntur. Opportunius igitur videtur compendiosam* S. Lulli *Vitam exhibere, quæ in Breviario Moguntino anni* 1570 *reperitur, quæque aliquam Sancti nostri imaginem exhibet.*

D

7 Lullus apud Anglosaxones in Britannia natus, a primis annis Christum cum literis imbibit. Nam adhuc septennis cujusdam monasterii patribus commendatus, nihil omisit quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset. Corpus cum adolevisset, assidua edomans abstinentia spiritui subjiciebat; in Sanctarum vero Scripturarum meditatione tanta diligentia versabatur, ut omnes in admirationem sui conjiceret. Fama autem eo tempore per Britanniam crebrescente de feliciter gestis rebus Bonifacii Moguntinæ urbis archiepiscopi, cui Lullus sanguine junctus erat, iisque in locis messem quidem uberrimam, at operariorum maximam esse penuriam, cœpit animo volvere, quomodo tam sancta et necessaria functione occupato opem ferre posset. Ita jam diaconatus gradum adeptus, ex superiorum suorum voluntate iter ad Bonifacium suscepit. Sic longo terra marique emenso itinere, Germaniam adiit, cujus adventu Bonifacius mirifice est recreatus. Qui cum sanctissimæ ipsius conversationis, affluentis doctrinæ, flagrantisque in Deum animi certiora experimenta cepisset, invitum ad sacerdotii dignitatem provexit et lateri suo semper adhærere voluit. Postquam autem diu prædicationi sedulo incubuisset, multisque aliis gravibus negotiis obeundis fidem et industriam suam probasset: Bonifacius jam in Frisiam iturus, illum, præsente Pippino rege, successorem sibi in Moguntina sede constituit. Quam ille provinciam in decrepitam usque ætatem docendo, monendo, arguendo sancte et prudenter, tamquam boni patris haud degener filius, administravit. Tandem per spiritum cognoscens dormitionis suæ instare diem, vocato coepiscopo suo Alboino, viro valde religioso, injunxit, ut sacris prius celebratis mysteriis, se ad Heresfeldense monasterium præcederet. Ille sine mora sacrum perficiens, etsi toto corpore incolumis videretur et sanus, cum sacramentis Dominicis participasset, una cum Missa finivit et vitam. Nihil hoc casu motus Lullus, obitus sui prænuncium navi secum impositum, per Moganum in Heresfeldense cœnobium (prius a se extructum) advehens honorifice sepelivit. Ubi etiam morbo protinus correptus, archiepiscopatus sui anno trigesimo secundo, placida morte in Domino defunctus est. Corpus ibidem repositum, cum post sexagesimum annum e terra levaretur eo membrorum omnium decore ac vestium quoque nitore inventum est, ut illo ipso die expirasse, ac sopore potius quam morte sepultus videretur.

Compendium vitæ S. Lulli.

E

F

§ II. S. Lulli patria, et vita monastica n Anglia exacta.

S. Lullus, *ait Anonymus num.* 1, apud Anglos Saxones, haud obscuro, ut fertur, loco edi-

S. Lullum Anglosaxonem fuisse,

(*a*) Pertz Monum. hist., t. II, p. 365. — (*b*) Ap. Fabric. Biblioth. Eccles., p. 114. — (*c*) D'Achery Spicil., t. II, p. 768. — (*d*) Hoffmann Erdbeschreib., t. II, part. II, p. 1676.

tus

A tus est. *Patria Anglum fuisse* Lullum, *in dubium vocari non potest. Id imprimis testatur Othlonus in Vita S. Bonifacii lib.* I, *cap.* XXX (*a*) : In provinciam patriamque suam mittens *(Bonifacius)* exinde tam fœminas quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui viri : Burchardus et Lullus, Willibalt et Wunibalt frater ejus, Witta et Gregorius ; fœminæ vero religiosæ, matertera scilicet S. Lulli, nomine Chunihilt et filia ejus Berathgit... sed Chunihilt et filia ejus Berathgit valde eruditæ in liberali scientia, in Thuringorum regione constituebantur magistræ. *Hunc tamen narratum infirmat tum error Othloni dicentis Gregorium Anglum fuisse, dum Francus erat, tum narratio anonymi auctoris Vitæ S. Bonifacii* (*b*), *in qua dicitur, ut recte adnotat Mabillon :* Elegit sibi *(Bonifacius)* quam plures medicos animarum : alios etenim ex gente sua, alios ex parte Franciæ, nonnullos etiam de finibus Hiberniæ, quatenus adessent sibi cooperatores in vineam Domini ; ex quibus fuerunt hi : Wigbertus ex parte Anglorum, Beatus Gregorius ex nobili prosapia Francorum, B Sturim vero *(Sturmius)* et Lul et Memgoz *(Megingaudus)*, Willibaldus suusque germanus Winibaldus et alii quam plures, quorum nomina perlongum esset dinumerare per singula. *Verum hæc sunt valde intricata : cum enim Wigbertum solum Anglum vocasset, pronum est concludere* SS. Lullum, *Willibaldum ejusque fratrem ad Angliam non pertinere. Cum dein Francis adnumerasset Gregorium, consequens erat, ut, siquidem dixerat operarios* de finibus Hiberniæ *accitos fuisse, reliquos omnes Hibernos vocaret : quo casu in manifestum incidisset errorem : constat enim Sturmium Noricum fuisse, ut habet ejus Vita ab Eigile quarto abbate Fuldensi conscripta ; Willibaldum et Winibaldum ad Anglos pertinere late probavit Henschenius noster in Vita S. Richardi ad diem* VII *Februarii* (*c*). *Hinc judico nullius aut certe levis auctoritatis esse Anonymi Bonifaciani testimonium, utpote qui ignoraverit ad quam quisque gentem laudati viri pertinuerint. Othlonus quoque cespitavit, quando Gregorium Anglis accensuit ; sed fortassis ille error tribui potest librarii vitio, qui incaute cæteris Anglis Francum hominem appinxerit.*

C 9 *Cæterum* S. Lullum *Anglum fuisse manifestissime probant epistolæ Bonifacianæ : inter quas illa quæ ordine* CXXIV *ponitur in editione Stephani Alexandri Würdtwein* (*d*). *Istic Gutberchtus abbas ad* Lullum *episcopum scribit :* Gratanter quidem munuscula tuæ charitatis suscepi, et eo gratantius, quo te hoc intimo devotionis affectu mittere cognovi, id est holosericam ad Reliquias beatæ memoriæ Beda magistri nostri, ob recordationem et illius venerationem destinasti. Et rectum quidem mihi videtur, ut tota gens ANGLORUM IN OMNIBUS PROVINCIIS, UBICUMQUE REPERTI SUNT gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum..... Deus illis in sua natione donavit : ad ejus pedes nutritus hoc quod narro didici. *Videtur Gutberchtus ille abbas fuisse Wiremuthensis et Gerwiensis : Venerabilis autem Beda sepultus jacuit in Gerwiensi cœnobio usque ad episcopatum Eadmundi Dunelmensis* (Durham), *qui anno* 1020 *electus fuit, ut constat ex Actis Venerabilis Bedæ ad* XXVII *Maii* (*e*). *Gutberchtus igitur scriptor epistolæ citatæ, qui se abbatem dicit, præerat probabilius monasteriis Wiremuthensi et Gerwiensi* (Wiremuth and Jarrow) *in diœcesi Dunelmensi. Et quidem Monasticon Anglicanum novum* (*f*) *dicit anno* 716 Huactberhtum *quemdam* (*Simoni Dunelnensi* Hwetbyrthum) *præfuisse utrique cœnobio. Certe nomen istius abbatis optime quadrat cum Gutberchto nostro, ut unum eumdemque esse dicamus. Neque obstat ratio temporis ; id vero certum, epistolam non ante annum* 754, *quo* Lullus *noster pontificales infulas accepit, scribi potuisse, utpote missa* desiderantissimo et suavissimo in Christi dilectione amico Lullo episcopo et omnium antistitum charissimo : *sed hinc non aliud sequitur, quam quod per* triginta octo annos *Gutberchtus utrique cœnobio præfuerit, quod limites probabilitatis non excedit. Aliquid forsitan difficultatis quæri posset in eo, quod cum dicat in eadem epistola se* sub protectione *S. Pauli, patroni Gerwiensis ecclesiæ, jam* quadraginta et tres annos vixisse, *sequeretur monachum* quinquennem *ad regimen admotum fuisse ; atque id etiam non adeo rarum est, ut exempla plurima citari non possint : quinimmo ex hisce verbis non plane sequitur Gutberchtum in alio quodam monasterio stipendia ante non meruisse. Unde satis certum fit hunc Gutberchtum cum* Huactberhto *aut* Hwetbyrtho *unum* E *eumdemque fuisse. Ad rem nostram redeamus. Ad* S. Lullum *tamquam* antiquum socium *scribit quoque Ærdulfus episcopus Roffensis* (Rochester), *epistola inter Bonifacianas* CXVI (*g*), *eumque tamquam antiquum socium salutat :* Veracium igitur sociorum inter alia amicabilis memorialisque mos esse dignoscitur, cum se, ob interjacentium terrarum spatia, seu provinciarum exterarum regiones, præsentialiter nequeunt invisere ac salutare, certe per suos fideles nuntios, sive etiam per litteras salutationis dirigere verba. *Hujusmodi plura alia producere possemus, quæ monstrarent* Lullum *fuisse Anglum non vero Hibernum, ut habet lectio Lovaniensis in ejus Vita infra edenda.*

AUCTORE J. V. H.

non vero Hibernum, probant epistolæ.

10 Lullus, *ait Anonymus num.* 1, haud obscuro, ut fertur, loco editus est genere nobilis. *Quæ verba videntur indicare Anonymo non undecumque certam fuisse* S. Lulli *generis nobilitatem. Nihilominus, ejus cum Chunihilde et Berathgit* eruditis, *ut habet Othlonus num.* 8 *citatus,* in liberali scientia, *et proin præstantioris cujusdam conditionis fœminis, consanguinitas, similem sanguinis nobilitatem indicat. Hic addere liceat harum sanctimonialium sacram memoriam conservatam exstare per imagines,* F *altari S. Michaelis Ordorffensi impositas* (*h*). *Verum nullo, quod sciam idoneo testimonio firmatur, quod asserunt tum Anonymus num.* 3, *tum Breviarium Moguntinum supra citatum, Sanctum scilicet* Lullum consanguinitatis linea proxime attigisse *S. Bonifacium. Ast si hæc dubia sunt, longe certior est Sancti nostri monachatus. Ipse quidem epistola inter Bonifacianas* XXV (*i*), *inscripta Kanebadæ abbatissæ, dicit :* Agnoscere cupimus Almitatis tuæ clementiam, quia te præ cæteris..... cingimus amore, quod.... ad Germanicas gentes transivimus, et quod in venerandi archiepiscopi Bonifacii MONASTICÆ CONVERSATIONIS regula suscepti, ipsiusque laboris adjutores sumus, in quantum naturæ pauperculæ vilitas prævalet. *Neque æstimandum est tum primum* S. Lullum *monasticam professum fuisse vitam, postquam Germaniam attigisset ; exstat nempe epistola* CXXIII (*k*), *quæ monstrat jam in Anglia* Lullum *monachum fuisse. Et quoniam istius epistolæ, licet brevioris, sæpius recurret mentio in decursu hujusce Commentarii, eamdem hic integram exhibebo. Inscriptio est :* San-

Monasticum habitum induit

(*a*) Joan. Rer. Mogunt., t. I, p. 221. — (*b*) Act. SS. v Junii, p. 482, n. 4. — (*c*) Act. SS. t. II Febr., p. 71, n. 15. — (*d*) Würdtwein Epist. S. Bonifacii, p. 310. Ser. LXXXIX. — (*e*) Act. SS. t. VI Maji, p. 723. — (*f*) T. I, p. 502. — (*g*) Würdtwein, p. 300. Ser. LXXVII. — (*h*) Thuring. Sacra p. 26. — (*i*) Würdtwein, p. 81. Ser. LXXIV. — (*k*) Ibid., p. 309. Ser. LXXXVIII.

ctissimo

AUCTORE J. V. H.

ctissimo ac venerabili episcopo Lullo servus servorum Dei *(Hereca abbas, ut videtur.)* visceralem in Domino salutem. *Dein incipit epistola* : Rogo te, o dilectissime frater, sicut optime in te credo, ut non immemor sis, sed semper sagacissima mente ad memoriam reducas antiquam amicitiam nostram, quam inter nos habuimus in Maldubia civitate, quando Eaba abbas in amabili charitate nutrivit, et hoc signum recordor, quod pro nomine vocavit te « Irtel, » idcirco salutat te Hereca abbas in salutatione sancta, et omnis congregatio, quæ in sua cœnobiali vita manet, quia dignos nos in memoriam habuisti tecum. Qui autem perseveraverit in pace usque in finem, hic salvus erit. Vale amabilis feliciter in ævum : meus dilectus, Deo electus, quia charitas pretium non habet. Hoc signum Hereca abbatem fecit. *Hinc liquet* Lullum *nostrum non a S. Bonifacio, ut dicit Hagiographica Butleriana Lovaniensis, sed priusquam in Germaniam trajiceret, habitum monasticum suscepisse.*

ante profectionem Germanicam,

B

11 *Erroris probabiliter causa fuerit, quod in epistola ad Kanebadam citata*, S. Lullus *dicat se in* venerandi Archiepiscopi monasticæ conversationis regula susceptum ; *ast hæc verba non facile de prima ad ordinem monasticum admissione interpretarer, quando coram habeo epistolam Herecæ abbatis, dicentis* Lullum *in monasterio nutritum fuisse sub Eaba, et traditionem satis antiquam apud Anonymum num.* 1, *quæ refert illum septennem* in monasterium se contulisse. *Videntur igitur hæc verba magis referenda esse ad contubernium, quod habuit* Lullus *cum S. Bonifacio, a cujus latere non discedebat, si fides habenda est Anonymo, num.* 9 : Beatum igitur Lullum manu apprehensum in medium deduxit ; et respiciens ad multitudinem, quæ circumstabat : En, inquit, habetis virum mea sententia dignum, cui studiorum meorum (*et*) pro Christo certaminum hereditatem delegare pos sim. Hic mihi affinitate carnis junctus, sed vinculo spiritus multo est conjunctior, pro eo quod mecum conversatus multo tempore, certum et evidens mihi dederit spectaculum sanctitatis suæ et optimæ secundum euangelicam institutionem conversationis. Unde ego, haud dubius de vestro assensu, injungo ei pontificatum Moguntiacensem. *Quæ verba consonant cum epistola* XCV (*a*) *inter Bonifacianas, in qua Theophylacias, diaconus Sedis Apostolicæ*, Lullum *vocat archidiaconum S. Bonifacii, cui* fidelibus et lepidis ministrabat servitiis. *Cum juxta cap.* I, de Off. Archidiac. (I, 23): Archidiaconus esset vicarius episcopi in omnibus, et omnis cura de clero ad ipsum pertineret, *manifestum fit* S. Lullum *debuisse quam proxime adstare episcopo suo Bonifacio. Licet vero plures jam essent in uno episcopatu archidiaconi* (*b*), *in hisce tamen Germanicæ Ecclesiæ initiis satis verisimile est, Bonifacio unicum fuisse archidiaconum* Lullum *cui partem non minimam sollicitudinis suæ pastoralis confideret.*

C

et quidem, uti, videtur,

12 *Ex allata epistola Herecæ abbatis habemus* S. Lullum in Maldubia civitate, sub Eaba abbate nutritum fuisse. *Mabillon in elogio* S. Lulli § III *dicit* Maldubiense monasterium haud aliud videri quam Meldunesburgense seu Meldunense *(Malmesbury). Est autem Malmesburense monasterium in Wiltonia* (Wiltshire) *situm, in antiqua apud Saxones Occidentales provincia ; nomen a Maildulfo, fundatore, sortitum, ut narrat Gulielmus Malmesburensis in Vita S. Aldhelmi ad* XXV *Maii, his verbis* (*c*): Cum jam majusculus a Cantia in West-Saxones remeasset, religionis habitum in Meldunensi accepit cœnobio, quod situm est in civitate, quæ antiquo vocabulo Mealduberi, et nunc Mealmesberi vocatur. Id quidam Meldun, qui alio nomine vocatur Meildulf, natione Scotus, eruditione philosophus, professione monachus, fecerat. *Loco nomen erat antiquis* castellum Bladow *seu* Ingelborne, *ut narrat idem Gulielmus in libro antiquitatum Meldunensis cœnobii, quem cito ex Monastico Anglico novo* (*d*) : Meildulphus vitam eremiticam ducens sub castello de Bladow, quod Saxonice dicitur Ingelborne Castell ; fuit autem constructum a quodam rege Britanno, nomine Dumwallo Molvicius. Civitas quondam ibi fuerat, quæ penitus destructa fuit ab alienigenis. Castellum se munitum custodivit, quod per multum tempus stetit sine habitatione propinqua. *Hanc ergo terram Leutherius seu Eleutherius Wintoniensis episcopus*, cui *ait*, inditum est vocabulum Maildulfesburch. Aldelmo presbytero ad degendam regulariter vitam conferre largirique dignatus est ; *ut habemus ex ejus charta loco citato num.* I, *data* juxta flumen Bladon VIII kalend. Septembris anno Incarnationis Dom. DCLXXV. *Hæc igitur civitas* Maildulfesburch, Mealduberi, *quam Venerabilibus Beda quoque lib.* V, *cap.* XIX *Historiæ Ecclesiasticæ Angliæ Maildui urbem seu Mailduſi urbem appellat, optime quadrat cum* Maldubia civitate, *in qua nutritus fuit* S. Lullus : *huc etiam facit, quod fœminæ religiosæ, seu moniales, inter quas Chunihild* Lulli *matertera, probabiliter ex Saxonia Occidentali, S. Bonifacii natali solo, oriundæ essent ; ut id quidem habemus de S. Lioba* (*e*), *quæ sub Tetta abbatissa, monasticam vitam professa fuerat in Winburnensi cœnobio , comitatus Dorchestriensis* (Dorsetshire).

D

E

in Malmesburensi cœnobio;

13 *Remanet tamen aliquis scrupulus ; scilicet in sæpius laudata epistola legitur* S. Lullus *in Maldubia nutritus sub* Eaba abbate ; *nullus vero inter monasterii Malmesburensis præsides, occurrit, qui id nominis præferat. Post Maildulfum sanctum eremitam, habemus S. Aldelmum, qui anno Domini* 705 *primus Shireburnensis Ecclesiæ episcopus factus, regimen cœnobii retinuit, rogatu fratrum, fortassis usque ad annum emortualem* 709 (*f*), *quo locum fecit Danieli, usque ad annum* 747 *abbati* (*g*) *Cum itaque* Lullus, *qui patriam anno* 725 *reliquerat, anno* 786 *vita excesserit, non alium potuit habere præceptorem quam Danielem abbatem : excluso autem Eaba, nutant reliqua omnia quæ ad Malmesburensem incolatum pertinent : quin et* Hereca abbas, *scriptor epistolæ, in catalogo abbatum Malmesburensium non reperitur. Etenim prædicto Danieli successit Aldelmus hujus nominis secundus, quem excepit Ethelardus, quamvis annus acceptæ dignitatis ignoretur, cum incertum sit, quo anno Aldelmus II cessarit. Rexit autem monasterius Ethelardus usque ad annum* 780, *quando ad episcopatum Wintoniensem promotus fuit : hic tandem sextus abbas successit Cuthbertus, sed incertum est tempus regiminis ejus ; deinceps autem usque ad medium circiter sæculum decimum, lacunam patitur catalogus abbatum. Attamen cum dicta epistola, utpote ad* Lullum jam episcopum *missa, non ante annum* 754 *scripta fuerit, immo post annum octogesimum sæculi octavi data fuisse dici possit ; locus Herecæ abbati facile inveniri potest. Eabam quoque interpolare licet ; siquidem Monasticum Anglicanum novum loco citato dicat se ignorare quo anno Daniel regimen*

F

(*a*) Würdtw., p. 265. Ser. CXLVII. — (*b*) Binterim. Denkwürd. t. I, p. 394 et 404. Cfr. J. Mabillon Annal. Bened., t. I. Append. alt., p. 645. — (*c*) Act. SS., t. VI Maji, p. 79, n. 1. — (*d*) T. I, p. 257, n. III. — (*e*) Act. SS. XXVIII Septemb., p. 761.— (*f*) Act. SS., t. VI Maji, p. 78. Comment., n. 5. — (*g*) Mon. Anglic. nov., t. I, p. 255.

susceperi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *susceperit, cum tamen certum sit S. Aldelmum ejus decessorem, anno* 705 *Shireburnensem episcopum, aliquamdiu in regimine perseverasse; en verba laudati Monastici latine reddita :* Non ita certum est tempus ejus *(Danielis)* promotionis, ut certus est ejus successor Aldhelmus II anno 746. *Verum, utut hæc sunt, cum, nullo nixi idoneo documento, duos abbates catalogo Malmesburensi intercalare non audeamus, malumus difficultatem, quam neque in librarii incuriositatem aut inscitiam rejicere volumus, utcumque enodare, dicendo Eabam et Herecam fuisse* binomines *pro more istius temporis et gentis suæ. Ut enim taceam S. Bonifacium, qui ante* Wynfrithus *fuerat, et S. Willibrordum, qui deinde* Clemens *dictus fuit, quia hæc nomina in exteris regionibus ab alienigenis acceperunt, in ipsa Anglia plures fuerunt binomines : sic S. Lioba seu Leobgytha aliud habebat nomen,* Trutghebam (*a*), *Heaburg dicitur cognomento fuisse* Bugge *epistola* XXX (*b*) *et Trecea diaconus ad* Lullum episcopatus infula fulgentem *scribens rogat ut illum cum sua familia suscipiat,* qui, *ait,* proprio dicor nomine Aldbercht : *epistola* CXVIII (*c*). *Hæc exempla sufficiunt, ad ostendendum varios tunc fuisse in Anglia, qui duplici nomine insigniti erant. Nolo enim hic in exemplum adducere ipsum* Lullum *nostrum, qui in Herecæ abbatis epistola vocatur* Irtel ; *nam illam appellationem jocularem censeo, quæ limites domesticæ consuetudinis non excessit ; etenim si hæc vox vere esset cognomen, proinde æque notum ac ipsum nomen, quomodo in signum adduci posset amicitiæ, quam temporis diuturnitas obliterare non potuit?* Hoc signum recordor, quod pro nomine vocavit te Irtel. *Erravit itaque Adrianus Baillet, quando dicit illud fuisse unicum* Lulli *nomen ante episcopatum : exstant enim variæ epistolæ inter Bonifacianas, in quibus qua monachus, qua diaconus, qua presbyter una voce* Lullus *vocatur* (*d*).

quin aliud incoluerit. 14 *Butleriana Hagiographia Lovaniensis dicit* S. Lullum *a monasterio Malmesburensi ad Gerwiense transiisse, atque istic nactum fuisse Vener. Bedam magistrum. Conjecturam non aliunde desumptam puto quam ex epistola* CXXIV *inter Bonifacianas* (*e*) *qua Gutberchtus* discipulus Beda presbyteri *dicit se suscipere ejus munuscula,* et eo, *inquit,* gratantius, quo te hæc intimo devotionis affectu mittere cognovi, id est holosericam ad Reliquias beatæ memoriæ Beda magistri nostri, ob recordationem et illius venerationem destinasti. *Hæc quidem probant forsitan* S. Lullo *de facie notum fuisse Ven. Bedam, cum agatur de ejus* recordatione et veneratione, *sed nullatenus implicant illum sub ejus disciplina aliquando vixisse : quod neque important verba quæ sequuntur* Beda magistri nostri ; *optimam certe interpretationem patiuntur, sive intelligamus Gutberchtum de se solo locutum fuisse, quando usurpat pluralem numerum, sive illo sensu dicamus Bedam fuisse communem magistrum, quatenus non solum voce præsentes, sed scriptis quoque absentes instruxerit. Atque hoc quidem sensu intelligendum esse Gutberchtum, declarant sequentia, in quibus gloriatur se* ad pedes ejus nutritum *fuisse, et proinde probabilem testem esse ejus scientiæ atque virtutis. Si itaque* S. Lullus *educatus quoque fuisset sub disciplina tanti magistri, multo fortius strinxisset Gutberchtus encomii sui argumentum dicendo ipsum* S. Lullum *fuisse nutritum ad pedes tanti doctoris, ipsum fuisse testem et eruditionis et sanctimoniæ ejus. Præterea Malmesburense asceterium sua non carebat schola, illaque insigni ; etenim illam rexerat S. Aldelmus, ad quem* currebatur, *ait Wilhelmus Malmesburensis in ejus Vita ad* XXV *Maii* (*f*), totis semitis ; his vitæ sanctimoniam, illis litterarum scientiam desiderantibus. *De se ipse ibidem testatur* (*g*) :

AUCTORE J. V. H.

> Primus ego in patriam mecum (modo vita suAonio rediens deducam vertice musas. [persit,)

Ejusdem monasterii incola tunc erat Daniel, postea Wintoniensis episcopus, cujus doctrinam tanti faciebat S. Bonifacius, ut illum præ cæteris consuleret. Confer epistolas Bonifacianas XII, XIII *et* XIV (*h*). *Non est porro verisimile ut schola tantis magistris illustrata nullos habuerit tantorum doctorum hæredes, atque uno ictu conciderit, tunc quando* Lullus *noster pauculos post annos illam incoluit. Expungendus itaque videtur ejus sub Beda doctore in Gerwiensi monasterio incolatus.*

Diaconatum ante Germanicam profectionem suscepit. 15 *Eadem Hagiographia asserit* S. Lullum *a S. Bonifacio ordinatum fuisse diaconum : quam opinionem sub judice pendentem relinquunt Joannes Mabillon in elogio* § V *et Hadrianus Baillet. Neque immerito : longe enim probabilius* Lullum *nostrum jam diaconum in Germaniam migrasse. Testatur id imprimis auctarium Erlangense num.* 4 : Lullo adhuc in monasterio constituto, cum jam diaconus esset ordinatus, nobilis quædam flamma exarsit : *cui consonat Breviarium Moguntinum in lectionibus allatis num.* 7. *Traditionem ecclesiæ Moguntinæ confirmat Vitæ uterque textus num.* 3 : Multos quorum spectatam habebat fidem et exuberans tam facundiæ quam scientiæ spiritualis flumen exinde in opus Euangelii evocavit *(Bonifacius). Tales certe volebat adjutores S. Bonifacius, qui non instrui deberent, sed alios instruere possent,* viros religiosos, *ait Othlonus in vita S. Bonifacii lib.* I, § XXX (*i*), scientiaque varia imbutos plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui viri Burchardus et Lullus, *etc. Hæc verba adultam juventutem* Lulli *designant. illamque quæ apta foret diaconatui suscipiendo, cui sufficiebat in Anglia illa tempestate ætas octodecim annorum, ut probat Ven. Bedæ exemplum de se ipso testantis* (*k*) : Nono decimo vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, utrumque per ministerium reverendissimi episcopi Joannis, jubente Ceolfrido abbate, suscepi.

§ III. Gesta S. Lulli in Germania ante episcopatum.

Statuitur epocha adventus Cointius *ad annum Christi* 724 § XII (*l*) S. Lullum, quia, *ait,* ad annum usque septingentesimum octogesimum septimum vixit, ad Bonifacium ante pontificatum Gregorii Tertii venisse non credimus. *Hic Gregorius* XV *kalendas Martii anni* 731 *pontificatum adeptus est : Mabillon in Annalibus suis sub anno Christi* 727, *lib.* XX § LXXX (*m*) *dubitat de tempore adventus* S. Lulli *in Germaniam, dicens :* In eorum *(sociorum S. Wigberti)* numero videntur fuisse Lullus... An vero eorum adventus in Germaniam hoc anno contigerit, an paullo inferius, postquam scilicet Bonifacius a Gregorio Tertio archiepiscopus creatus est, res mihi videtur meræ conjecturæ ; nam quod Bonifacius in prædicta Wiethberti epistola archiepi-

(*a*) Act. SS., t. VII Septemb., p. 730, n. 12. — (*b*) Würdtw., p. 73. Ser. XXXVIII. — (*c*) Ibid., p. 304. Ser. LXXIX. — (*d*) Cfr epist. XXXV, LXXXV et CI. Würdtw., p. 81, 245 et 271. Ser. V, CXLV et IV. — (*e*) Würdtw., p. 310. Ser. LXXXIX. — (*f*) Act. SS., t. VI Maji, p. 81, n. 10. — (*g*) Ibid., p. 79, n. 2. — (*h*) Würdtw., p. 30 et seqq. Ser. III, LXVII. — (*i*) Joan. Rer. Mogunt., t. I, p. 221. — (*k*) Act. SS., t. VI Maji, p. 721, n. 4. — (*l*) Annal. Eccl. Fr., t. V, p. 708. — (*m*) T. II, p. 75.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

scopus vocatur, id non evincit eum jam Moguntinæ sedi signanter impositum fuisse : cum archiepiscopus dictus sit nonnumquam ab ipsius ordinatione episcopali a Gregorio II facta : quo titulo eum honestat Daniel Wentanus antistes in responsione ad ejus epistolam tertiam (*a*). (ep. XIII.) *Temperavit itaque quam in elogio* S. Lulli § IV *emiserat sententiam, illum circa annum* 732 *in Germaniam advenisse. Hanc postremam sententiam amplectuntur Baillet et Butleri editio Lovaniensis. Multo mihi probabilius videtur* S. Lulli *iter Germanicum cum anno circiter vigesimo quinto octavi sæculi conjungendum esse, quam ut illud usque ad pontificatum Gregorii Tertii et proinde post annum* 731 *rejiciamus. Venit enim in Germaniam* S. Lullus *cum S. Burchardo, ut habemus ex Othlono citato supra num.* 8. *Jam vero Burchardum Germanicas regiones adiisse, etiamnum superstite Gregorio II, id est, ante annum* 731 *monstrarunt Nostri in Commentario prævio in ejus Vitam* (*b*) *ad* XIV *Octobris, ita ut necesse non sit eorum hic argumenta repetere.* Lullum *Burchardo socium peregrinationis fuisse, monstrat quoque epistola ad Kanebadam abbatissam in Anglia,*

B *inter Bonifacianas* XXXV (*c*). *Hisce enim litteris, quibus præfixæ notæ initiales* Den. et L. et B., *id est, ut interpretor,* Denwaldus, Lullus *et* Burchardus, *quibus solis litteræ initiales conveniunt, gratias agunt quod per illam* ad Germanicas gentes transierint. *De* Lullo *quidem non potest esse dubium, cum in consequentibus dicatur :* Ego Lul et pater noster, *scilicet S. Bonifacius. Porro sufficiat refutasse quæ Cointius contra assignatam epocham objicit :* Burchardus, *ait,* cum Bonifacii disciplinæ se tradidit, erat jam presbyter ; *hoc quoque fatentur Nostri ad ejus Vitam* (*d*) : Vixitque ad annum usque Christi DCCXCI. Hæc constant ex ejus Vita, quam Egilwardus monachus duobus libris conscripsit. *Immo constat ex coævo S. Liudgero in Vita S. Gregorii Trajectensis* (*e*), *ante S. Bonifacium, proinde ante annum* 754 *obiisse S. Burchardum : unde ruit machina decrepitæ ejus ætati inædificata. Monstrarunt etiam Nostri non magni momenti esse alteram objectionem Cointianam* (*f*), *quia scilicet nihil de Burchardo legitur, ex quo venit in conspectum Bonifacii, donec idem Bonifacius Pippinum majorem-domus adiit, Childerico jam rege, id est anno Christi* 743. *Hanc enim assertionem falsam esse,*

C *late demonstrat commentator Vitæ S. Burchardi, Jacobus Bueus.*

S. Lulli *in Germaniam circa annum* DCCXXV.

17 *In* S. Lullo *ipse fatetur Cointius minorem esse difficultatem : unum itaque profert, quod vitam usque ad annum Christi* 786 *produxerit. Quid vero in hac hypothesi obstet communiori sententiæ, qua asseritur* S. Lullum *sub pontificatu Gregorii II in Germaniam venisse, plane non video : scimus ex ejus ad S. Gregorium Trajectensem seu Ultrajectinum epistola, inter Bonifacianas* CIII (*g*), *illum Gregorio natu minorem, ast non multum, ut infra videbimus num.* 34, *fuisse : Gregorius autem natus erat anno Christi* 704, *ut probant Nostri in ejus Vita* (*h*). *Quid igitur obesse potest quominus* Lullus *et usque ad dictum annum vixerit, et tamen in Germaniam, Gregorio II Romanam regente Ecclesiam, advenerit? Demus illum viginti annos natum et jam diaconum Bonifacium convenisse, potuit certe in illa ætate non contemnenda exhibere ministeria, et levioribus quasi obsequiis præludere apostolicis laboribus. Certum quoque est non solum Othlonum, sed coævum etiam Vitæ scriptorem Willibaldum pontificatui Gregorii II illigare adventum quorumdam ex Anglia adjutorum* (*i*), *inter quos ab Othlono post Burchardum primus legitur* Lullus *noster. Servanda igitur est sententia, quam indicavit nobis antiquitas, quæ rectissime componi potest cum reliquis documentis coævis, quam suadet etiam nobis ipse progressus Religionis Christianæ in Germania : verisimile enim non videtur, ut S. Bonifacius, anno* 723 *episcopus, cum omnia fidei Catholicæ prosperarent, exspectarit novem annis, antequam sociis Anglis annueret, ut venirent et adjuvarent illum. Quare, licet pontificatus Gregorii II usque ad initium anni* 731 *excurrat, maluerunt tamen nostri Majores adventum* S. Lulli *et sociorum cum anno* 725 *conjungere, rati nihil antiquius habuisse Bonifacium pridie kal. Decembris anno ejusdem sæculi* XXIII *episcopum consecratum, quam ut inter cives suos laborem apostolicum partiretur. Hæc puto sufficiunt, ut quam mutuati sumus ex Commentario prævio Vitæ S. Burchardi, sententiam, solide defendamus.* D

Presbyter in Germania creatus,

18 S. Lullus *cum ad S. Bonifacium anno circiter vigesimo quinto sæculi octavi appulit, vix annum ætatis vigesimum excedere potuit, utpote Gregorio Ultrajectino, qui anno ejusdem sæculi quarto natus erat,* E *junior, ut ipse fatetur epistola inter Bonifacianas* CIII (*k*). *Hinc constat illum saltem per decennium in diaconatus gradu ministrasse. Pro more igitur illorum temporum, qui annos* XXX *pro presbyteratu requirebat, circa annum* 735 *sacerdotium adeptus est. Ad tempora itaque, quibus diaconali munere fungebatur, revocandæ sunt illæ epistolæ, inter Bonifacianas, in quibus ab aliis minister vocatur, aut illo se nomine ipse subscribit. Talis est centesima prima* (*l*), *inscripta :* Reverendissimo fratri Dealuno, jam dudum magistro, Lul indignus diaconus, sine prærogativa meritorum diaconatus officio fungens. *Utrum postquam se dixerit diaconum, per verba* sine prærogativa meritorum diaconatus officio fungens, *insinuare voluerit aliquid speciale, scilicet fuisse S. Bonifacii archidiaconum, ut infra videbimus, inutile est hic inquirere. Postquam Dealuni precibus se commendasset, dicit :* Vilium munusculorum transmissio scedulam istam comitatur non tam digna quam devota mente directa. *Mos erat illorum temporum, ut passim videre est in Bonifacianis epistolis, mittere munuscula in signum amicitiæ, quare et leviuscula plerumque erant. Hic vasa*

F *fictilia fuisse videntur, si conjectare licet ex versibus epistolæ subjectis. Sed vicissim petit, ut ad illum* Aldhelmi episcopi aliqua opuscula seu prosarum seu metrorum aut rythmicorum dirigere dignetur, ad consolationem peregrinationis suæ et ob memoriam beati antistitis. *Quam habet hic* Lullus *de B. Aldelmo memoriam, referenda non est ad notitiam personalem sancti antistitis, quum quadriennis esset, illo moriente, sed quia monachus Malmesburensis, ab Aldelmi discipulis eruditus, sæpius ejus laudes audiverat ex ore ipsius Dealuni.*

archidiaconi dignitatem usque ad episcopatum

19 *Altera epistola, quæ est* CII (*m*), *est directa ad ipsum* Lullum : Claro atque carissimo Dei ministro Lullæ, Ingalice indignus presbyter tuus, tamen per omnia devotus famulus. *Gratias agit pro litteris et munusculis, ac dein consolatur illum in tribulatione constitutum, precesque tum suas, tum totius congregationis seu monasterii promittit : demum offert illi* minima munuscula, id est, *ait,* quatuor cultellos nostra consuetudine factos et calamistrum argenteum et mappam unam. *Joannes Lingard in suo libro de Antiquitatibus Ecclesiæ An-*

(*a*) Würdtw., p. 35. Ser. in notis. — (*b*) Act. SS., t. VI Octob., p. 559, n. 7. — (*c*) Würdtw., p. 81. Ser. v. — (*d*) T. VI Octob., p. 560, n. 9. — (*e*) Act. SS., t. V Aug., p. 258, n. 14. — (*f*) T. VI Octob., p. 559, n. 8. — (*g*) Würdtw., p. 274. Ser. XLV. — (*h*) Act. SS., t. V August., p. 247, n. 31. — (*i*) Act. SS. v Junii, p. 467, p. 37. — (*k*) Würdtw., p. 274. Ser. XLV. — (*l*) Ibid., p. 271. Ser. IV. — (*m*) Ibid., p. 272. Ser. XXXIX.

glosaxonicæ

A *glosaxonicæ cap.* IV (*a*), *monstrat antiquos monachos in Anglia variis opificiis vacasse, nec ipsos quandoque episcopos dedignatos fuisse hujusmodi artibus manum admovere. Ingalices opera probabilius confectus fuerit calamister, quem cultellis adjungit. Ne tamen menti tuæ, lector, dum calamistrum legis, obversetur acus illa ferrea, qua capilli crispantur; tali nempe instrumento non utebantur sanctissimi illius temporis clerici et monachi, quibus tonsura cæsariem tantum non omnem abradebat; sed calamistrum intellige* fistulam *(confer Facciolati), quæ ad bibendum adhiberi poterat, qua aurea adhuc hodiedum utuntur Romani Pontifices ad sacrum sanguinem in Missæ sacrificio hauriendum. Quid vero* Mappa *hic signet, difficile est indagatu, cum omne panni genus ad multiplices usus indicare possit. Ingalices epistolam sequitur* CII (*b*), *quæ est inscripta;* Sorori in Christo carissimæ Leobythæ, Lullus exiguus servus, auctoritate Domini Bonifacii discipulorum. *Sed videtur hæc epistola ad tempus episcopatus ejus magis pertinere, tum quia auctoritatem inducit discipulorum S. Bonifacii, tum maxime quia liberalem illi operam promittit in omnibus necessitatibus, quas*

B *rogat sibi indicari per Gundwinum diaconum: et quoniam petit, ut Lioba eidem suggerat,* ut in laboribus suis non lassescat, quia valde rarus est, qui tribulationes suas secum participare velit, *existimo hanc aptissime convenire controversiæ, quæ postmodum exorta est inter* SS. Lullum *et Sturmium, de qua latius infra erit agendum.*

videtur retinuisse; 20 *Quamvis epistola ad Dealunum, et altera Ingalices,* Lullum *diaconum designent; non tamen liquido constat, eas propterea ante annum* 735, *quo putamus illum presbyterum ordinatum fuisse, scriptas esse. Certum enim est, illum licet presbyterum, tamen archidiaconatus officium procurasse ac retinuisse, donec a magistro suo Bonifacio episcopus Moguntius constitutus fuerit. Hoc præ cæteris monstrat epistola sua Theophylacias, Romanæ Ecclesiæ et ipse diaconus, inter Bonifacianas* XCV, *sequentibus verbis* (*c*): Quæsumus vestram a Deo ambrosiam bonitatem, ut sanctissimum nimisque sibi dilectum Lullum benedictum archidiaconum vestrum, charissimum atque dilectissimum sodalem et fratrem nostrum, omnibus modis fovere propter Deum et

C nostræ pusillitatis amicitiam commendatum habere dignemini. Nostra est scilicet in eo rata dilectio, pro eo quod vestræ almæ paternitati magnis decoratæ infulis, fidelibus ac lepidis ministrat servitiis; et ob hoc poplite itidem flexo vestram deprecamur togatam prudentiam, ut eum multo amplius talionem habere non dedignemini. *Certum omnino mihi est, Theophylaciam, quem Joannes Mabillon* § V *avunculum* S. Lulli *suspicatur, hic petere pro cliente suo pontificales infulas; quid enim talionis rependi posset archidiacono, seu secundæ ab episcopo dignitati, nisi ut aliquando primariam cathedram conscenderet, et quidem Moguntinam: noluisset sane Bonifacius* Lullo *suo privari. Hanc epistolam scriptam suspicor, anno Christi* 748, *quo Zacharias Pontifex S. Bonifacio potestatem fecit eligendi et consecrandi sui successoris, epistola* LXXXII (*d*). *Tunc recte petebat Theophylacias, ut* Lullum, *archidiaconum suum,* omnibus modis *Bonifacius* fovere *et* commendatum habere *dignaretur. Enimvero illo jam anno scilicet* 748, *presbyterum fuisse* Lullum *nullus puto in controversiam facile vocabit; id saltem constat eumdem triennio post, quum anno* 751 *Romam venit, presbyterum vocari, ut habemus ex epistolis* LXXXVI *et* LXXXVII (*e*) *a Sancto Bonifacio scriptis.*

AUCTORE J. V. H.

21 *Hæc abunde monstrant* S. Lullum *fuisse præcipuum episcopi ministrum, et omnium etiam secretorum participem, uti habemus ex ejus ad Zachariam Papam legatione. Hinc recte concludit Würdtwein* (*f*) Lullum *ordinarium comitem Sancti Bonifacii omnibus conciliis ab illo celebratis interfuisse. Quorum primum contendunt idem Würdtwein loco citato, Herzheim* (*g*). *Antonius Joseph Binterim* (*h*) *celebratum fuisse in Bajoaria anno Christi* 740. *Alii e contrario, inter quos Antonius Pagi* (*i*) *et Joannes Dominicus Mansi* (*k*) *eminent, volunt hoc Bavaricum concilium in annum* XLII *aut etiam* XLIII *sæculi octavi prorogandum esse. Mihi quidem videtur a priorum sententia non esse recedendum propter rationes ab Antonio Pagi et Joanne Dominico Mansi allatas, quas optime diluit Joseph Harzheim loco citato, Præcipui argumenti loco mihi est epistola Gregorii Papæ III inter Bonifacianas* XLVI (*l*), *data* IV Kal. Novembris, imperante piissimo Augusto Leone, imperii ejus anno XXIII sed et Constantino magno E imperatore, ejus filio anno XX, Indictione VIII, *id est anno æræ vulgaris* 739. *In hac autem epistola pontifex confirmat divisionem Bajoariæ in quatuor parochias seu diœceses, et ordinationem trium episcoporum, quibus singulæ parochiæ committerentur, Vivilo seu Vivilone jam existente episcopo Passaviensi. His subjungit:* De concilio vero, ut juxta ripam Danubii debeas celebrare nostra vice, præcipimus fraternitati tuæ apostolica auctoritate te ibidem præsentari. *Habemus hic præceptum apostolicum, cui profecto refragatus non fuerit S. Bonifacius, in omnibus observantissimus Sedis apostolicæ. Neque objiciatur Carolus Martellus, quasi illo vivente synodi celebrari non potuerint: hæc enim ad Francos Austrasios spectant, nec ipsa quidem vitio vertenda sunt Carolo, ut late monstravit Henschenius noster in Commentario prævio ad Vitam S. Eucherii Aurelianensis ad diem* XX *Februarii* §§ III, IV *et* V (*m*), *quem dein secuti sunt Carolus le Cointe ad annum* 741 § XXXVIII *et JJ. Raepsaet in Vindiciis Caroli Martelli* (*n*). *Crederem potius omissas fuisse synodos propter intestina bella, quæ Austrasiam diu perturbarunt, et ex quibus nascebatur sponte sua ingens disciplinæ ecclesiasticæ relaxatio.*

S. Bonifacio adjutor fuit

F

in conciliis celebrandis: 22 *Cæterum huic concilio primo Germanico præter episcopos Bajoariæ, adfuerunt quoque illi episcopi Alemanniæ, ad quos directa fuit epistola Gregorii III, scilicet Wiggo Augustanus, Luido Spirensis; quibus adjungendus esset Ridoltus seu Rudolfus II Constantiensis, nisi eodem anno e vita migrasset* (*o*). *Dubitant quidem de Alemannicorum episcoporum præsentia Joseph Harzheim et Antonius Joseph Binterim loco citato; sed non video, ex qua ratione: nam idem habemus fundamentum ac pro concilio, scilicet epistolas Gregorii III: quemadmodum igitur ex epistola* XLVI *concludimus concilium aliquod anno Christi* 740 *fuisse celebratum in Bavaria, ita quoque ex epistola* XLV *ejusdem Pontificis dicendum est adfuisse episcopos ex Alemannia. Omisimus consulto nomen Addæ seu Ethonis Argentoratensis episcopi, quia deest in optimis codicibus. Non est opus hic reliquas synodos a S. Bonifacio celebratas recensere, quibusque putamus* Lullum *nostrum tamquam*

(*a*) Ant. de l'Egl. Anglo-Sax., p. 179. Ed. Gall. — (*b*) Würdtw., p. 273. Ser. XLVI. — (*c*) Ibid. p. 265. Ser. CXLVII. — (*d*) Ibid., p. 240. Ser. CXL. — (*e*) Ibid., p. 246 et 257. Ser. CXLI et CXLII. — (*f*) Epist. Bonif., p. 101. — (*g*) Conc. Germ., t. I, p. 52 et 342. — (*h*) Pragmatische Geschicht. der Deutschen Concilien, t. II, p. 17. — (*i*) Crit. Baron. ad an. DCCXLII, § VII. — (*k*) Suppl. Conc., t. I, p. 551. — (*l*) Würdtw., p. 99. Ser. CXXX. — (*m*) Act. SS., t. III Feb., p. 211. — (*n*) Op., t. I, p. 287. — (*o*) Trudp. Neugart. Episc. Constant., p. 74.

indivi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

individuum socium et archidiaconum episcopi sui interfuisse; cum nullæ in iis difficultates occurrant, quas laudati scriptores non solverint. Unum hic adnotare liceat, nos plene consentire cum Cl. Binterim interpretante dictum Willibaldi in Vita S. Bonifacii ad v *Junii* (*a*) : Convenientibus in unum episcopis et presbyteris, diaconibus et clericis, omnique gradu ecclesiastico, quos inclytæ recordationis Karolomanus dux sub regni sui imperio accersere fecit, quintum synodale factum est concilium. *Hoc quintum concilium non est, ut insinuat Harzheim* (*b*), Suessionensis *synodus anno* 744 *celebrata; neque ut vult Joannes Mansi* (*c*), Germanica *anni* 747 *: utrumque enim refertur ad solum Pippinum, nulla de Carolomanno facta mentione, ut patet ex proœmio Suessionensi* (*d*), *et ex epistola Zachariæ Papæ inter Bonifacianas* LXXIV (*e*). *Alia igitur synodus quærenda est, quæ sub Carolomanno celebrata fuerit : neque alia nobis occurrit, quam Germanica incerti loci, anni* 742 *et Leptinensis anni sequentis. Censemus autem Willibaldum hic præcipue Germanicam indigitare, quia in illa synodo nobis videntur concurrere notæ in textu Willibaldino*

B *indicatæ. Convenerunt omnes episcopi cum presbyteris in regno Carolomanni constituti, et quidem* ut consilium darent, quomodo lex Dei et ecclesiastica religio recuperaretur, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruerat, et qualiter populus Christianus ad salutem animæ pervenire posset, et, per falsos sacerdotes deceptus, non periret. *Ita concilium Germanicum. In Willibaldo vero, narratis iis quæ quatuor concilia œcumenica prima effecerant in damnandis Ario, Macedonio, Nestorio et Eutychete, additur :* Ita apud Franciam, omni funditus eradicata hæreticorum perfidia et extirpata iniquorum conjuratione, legis divinæ augebantur incrementa et synodales generalium conciliorum canones recipiebantur. *Quod itaque* quintum concilium *appellat, non adeo ordinem celebratarum a Bonifacio synodorum indicat, quam comparationem quamdam hujus Germanicæ synodi cum quatuor conciliis œcumenicis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino et Chalcedonensi.*

et in legationibus obeundis.

23 *Jam diximus num.* 21, S. Lullum *ad Zachariam Papam legatione functum fuisse. Agebatur in illa de rebus maximi momenti, quas ne litteris quidem committere voluit S. Bonifacius. Scribens enim*

C *ad Pontificem, hæc habet epistola* LXXXVI (*f*) : Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixis precibus obsecro, ut hunc presbyterum meum, portitorem litterarum mearum, nomine Lul, grato animo clementer suscipiatis. Habet enim secreta quædam, quæ soli pietati vestræ profiteri debet; quædam viva voce vobis dicere, quædam per litteras notata ostendere, de quibusdam necessitatibus meis inquirere et interrogare, et mihi paternitatis vestræ responsum et consilium ex auctoritate Sancti Petri, principis Apostolorum, ad solatium senectutis repræsentare, ut his omnibus auditis et consideratis, si quæ sint, quæ vobis placeant facta, adaugere studeam ; si autem quid, ut timendum est, displiceat, et præcepto apostolatus vestri vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam persolvam. *Hæc missio contigit anno Christi* 751, *ut habemus ex epistola responsoria Zachariæ*, data pridie nonas Novembris, imperante Domino piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno XXXII, imperii ejus *(scilicet a morte patris Leonis Isaurici)* anno undecimo, Indictione quinta. *Eadem legatione obtentum dicitur privilegium amplissimum pro monasterio Fuldensi, quod S. Bonifacius fundaverat. Sed de hoc privilegio aptius agetur infra, quando de controversia inter* SS. Lullum *et Sturmium tractatus recurret,* § VI. *Ex hactenus dictis patet operosissimam fuisse* S. Lulli *vitam, ac proinde nullam mereri fidem fragmentum Chronici apud Canisium* (*g*), *in quo narratur Sanctum nostrum in vico Bavarico, Ilminster,* gloriosis operibus intrepidum permansisse : *quod quidem Annus Benedictinus, ab Ægidio Ranbeck conscriptus* (*h*), *calculo suo approbat ; sed* Lullo *nostro neque tempus, neque occasio fuit, ut simile otium sibi crearet. Si igitur certo constaret Ilmensis cœnobii fundatorem fuisse Sanctum quempiam* Lullum, *homonymum quemdam fuisse dicendum foret.*

D

§ IV. Agente S. Bonifacio, creatur S. Lullus archiepiscopus Moguntinus.

E

S. Bonifacius a Papa obtinet potestatem

S. Bonifacio, *ait Serarius* (*i*), successisse Redgerum refert Bedana epitome. Sed historiæ, libri, catalogi, martyrologia et breviaria omnia reclamant. Nec de Redgero ullo ulla post S. Bonifacium mentio ; sed B. Lullum successorem clamant omnia. *Abunde præterea refutabitur hæc sive fabula, sive librarii cujusdam oscitantia, per totam rei gestæ seriem. Jam anno* 742 *S. Bonifacius epistola* L (*k*), *petierat a Zacharia Papa, ut sibi successorem deligere posset; hæc enim habet citata epistola :* Ut auctoritatis vestræ licentia sit, ut cum consilio servorum Dei, de ista electione *(successoris sui in sede Moguntina)* faciam quod nobis in commune, pro Deo et pro Ecclesiæ utilitate vel fructu spiritali et defensione religionis optimum esse videatur, ut consensum vestrum habeam facere, quod optimum esse mihi inspirare dignetur Deus : quia hoc non videtur posse fieri, si contrarius princeps fuerit. *Huic petitioni respondet Zacharias epistola sequenti,* data kalend. Aprilis imperante.... Constantino.... anno XXIV imperii ejus (*l*): Quod autem tibi successorem constituere petisti, ut, te vivente, in tuo loco eligatur episcopus : hoc nulla ratione concedi patimur: quia F contra omnem ecclesiasticam regulam vel instituta Patrum esse monstratur ; sed volumus ut tibi ministret et sit in Euangelio adjutor, dicente Apostolo : » Si quis bene ministraverit, gradum » sibi bonum acquiret. « Nimis enim reprehensibile ac detestabile esse manifestum est, ut, te vivente, tibi alium substituamus... Sin autem et eumdem divina voluerit clementia post tui diem transitus superesse, si eum aptum cognoveris et in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de præsenti sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus : quod nulli alii concedi patimur, quod tibi, charitate cogente, largiri censuimus.

substituendi sibi successoris;

25 *Videtur S. Bonifacius eamdem gratiam flagitasse per S. Burchardum, discipulum suum, circa initium anni* 748 : *nam idem pontifex litteris* datis kalendis Maji imperante... Constantino... anno XXIX... indictione prima, *inter Bonifacianas* LXXXII (*m*), *concedit tandem, quod tam ardenter postulave-*

(*a*) Act. SS., t. I, Junii, p. 468, n. 44. — (*b*) T. I Conc. Germ., p. 345. — (*c*) Suppl. Conc., t. I, p. 557. — (*d*) Harzheim l. c., p. 57. — (*e*) Würdtw., p. 202. Ser. CXXXIX. — (*f*) Ibid., p. 246. Ser. CXLI. — (*g*) Thes. Monument., t. IV. p. 751. — (*h*) Calend. Annal. Benedict., t. IV, p. 129. — (*i*) Johan. Rer. Mog., t. I. p. 371. — (*k*) Würdtw., p. 109. Ser. CXXXII. — (*l*) Cfr. Würdtw. not. p. 116. — (*m*) Würd., p. 240. Ser. CXL.

rat,

A *rat.* Petisti, *inquit Zacharias*, ut cum nostro consultu pro superveniente tibi senectute et plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis, ut si invenire potueris alium in eamdem sedem, in qua præes, pro tui persona debeas collocare; tu vero, charissime, legatus et missus esse, ut fuisti, sedis apostolicæ. Nos vero, adjutore Deo, consilium præbemus tuæ reverendæ sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium, fautore Christo, sedem, quam obtines, Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ nequaquam relinquas, ut impleatur in te Dominicum præceptum : « Qui perseveravit usque » in finem, hic salvus erit. » Sin vero, si Dominus dederit juxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere et curam pro salute animarum, pro tui persona illum ordinabis episcopum; eritque in Euangelio tibi credito et ministerio Christi portando, in omni loco requirens et confortans Ecclesiam Dei. *Ex hisce aliisque supra citatis litteris liquet S. Bonifacium in animo non habuisse, statim Moguntinam cathedram relinquere, sed tunc solum, quando exegisset id Ecclesiæ utilitas : mirum itaque videri non debet*
B *consilium illud in alium annum rejectum fuisse. Est quoque animadversione dignum penes Bonifacium mansisse legati titulum et dignitatem, quæ proinde, moriente illo, extincta est.*

quare per Fulradum sollicitat

26 *Jam in litteris supra citatis num.* 24 *expressérat timorem suum Bonifacius, ne electio successoris gravissimas difficultates pateretur,* si contrarius princeps fuerit : *ad hoc malum avertendum epistolam direxit ad Sanctum Fulradum, abbatem S. Dionysii, et archicapellanum Pippini regis* (*a*), *ut ipse qui apud Zachariam Papam cum S. Burchardo Wirceburgensi legatione, qua regium nomen Pippino majori domus petebatur, functus fuerat, nunc apud regem intercederet in causa electionis sui successoris et in Germanica Ecclesia rite constituenda. En epistola :* Fraternæ dilectionis tuæ spiritalem amicitiam, quem sæpe in necessitatibus meis pro Dei intuitu fecisti, dignas gratias, quantas meruisti, persolvere non possum ; sed Deum omnipotentem deprecor, tibi in alto cœlorum culmine mercedis præmia in gaudio Angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Christi nomine deprecor, ut, quod bono initio cœpisti, cum bono fine perficias, id est, ut meo verbo gloriosum et
C amabilem regem nostrum Pippinum salutaveris, et illi magnas gratias referas de omnibus pietatis operibus, quæ mecum fecit, et ut illi referas, quod mihi et amicis meis similiter videtur, ut vitam istam temporalem et cursum dierum meorum per istas infirmitates cito debeam finire. Propterea deprecor celsitudinem regis nostri, pro nomine Christi filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare et mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini, quidam presbyteri, per multa loca ad ministerium Ecclesiæ et populorum constituti : quidam sunt monachi per cellulas nostras et infantes ad legentes *(legendas ?)* litteras ordinati sunt. Et aliqui seniores qui longo tempore mecum viventes laboraverunt et me adjuvabant. De his omnibus sollicitus sum, ut post obitum meum non disperdantur; sed ut habeant mercedis vestræ consilium et patrocinium celsitudinis vestræ, et non sint dispersi, sicut oves non habentes pastorem : et populi prope marcam paganorum non perdant legem Christi. Propterea almitatis vestræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, ut filiolum meum Lullum et coepiscopum, si Deus voluerit et sic clementiæ vestræ placeat, in hoc ministerium populorum et ecclesiarum componere et constituere faciatis prædicatorem et doctorem presbyterorum et populorum. Et spero, si Deus voluerit, quod in illo habeant presbyteri magistrum et monachi regularem doctorem et populi Christiani fidelem prædicatorem et pastorem. Propterea hoc maxime fieri peto, quia presbyteri mei prope marcam paganorum pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere possunt, sed vestimenta ibi invenire non possunt, nisi aliunde consilium et adjutorem habeant, ut sustinere et indurare *(permanere)* in illis locis ad ministerium populi possint, eodem modo sicut ego illos adjuvi. Et si pietas Christi hoc vobis inspiraverit, et hoc quod peto, consentire et facere volueritis, per hos missos meos præsentes, aut per litteras pietatis vestræ, hoc mihi mandare et indicare dignemini, ut eo lætior in mercede vestra vivam vel moriar. AUCTORE J. V. H.

consensum regium,

27 *Monstrat hæc epistola quanta tunc esset regum auctoritas in electione episcoporum : immo, antequam solium conscenderet, eamdem auctoritatem jam exercuerat Pippinus. In concilio enim Suessionensi anni Christi* 744, *cui nomen* Pippini ducis et Francorum *præfigitur, quatenus decreta sacerdotum vim legis in populis obtinerent, legimus canone* III (*b*) : Idcirco constituimus per consilium sacerdotum et optimatum eorum et ordinavimus per civitates episcopos. *Similia dixerat Carolomannus et ipse* dux et princeps Francorum, *in concilio Germanico anni* 742 *canone* I (*c*). *Hæc auctoritas ad reges Carolovingicos transiit, uti habemus ex Lupi Ferrariensis abbatis epistola* LXXXI (*d*) : Id vestræ prudentiæ dominus noster *(Carolus Calvus)* nobis jussit suggerere, non esse novicium aut temerarium quod ex palatio honorabilioribus maxime Ecclesiis procurat antistites. Nam Pippinus, a quo per maximum Carolum et religiosissimum Hludovicum Imperatores ducit rex noster originem, exposita necessitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ in synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum, decedentibus episcopis, mederetur ; ne forte simplicitate pontificum posset contingere, quod in hac Heduorum urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit. *Recte igitur S. Bonifacius Fulradum, regis capellanum, intercessorem adhibet, ut* Lullum *discipulum suum cathedræ Moguntinæ imponere posset.* E F

ut, urgente valetudine adversa,

28 *Instabat tunc, (anno scilicet* 752, *siquidem non ante hoc tempus Pippinus rex salutatus fuerit) illa infirmitas, quam præviderat, dum a Zacharia licentiam petebat ordinandi, se vivente, successorem suum. Non dubium est assensum illum concessum fuisse, ut clare dicit Willibaldus in Vita ejus* (*e*) : Sed quod sanctus vir infirmitate corporis prægravatus, synodalia conciliorum conventicula per omnia adire non poterat, jam consultu atque consilio gloriosi regis *(Pippini)* idoneum proponere ministrum supradicto gregi definivit, et Lullum suum ingeniosæ indolis discipulum ad erudiendam tantæ plebis numerositatem constituit, et in episcopatus gradum provexit atque ordinavit, eumque hæreditati, quam in Christo instanti acquisierat labore, implicavit, qui et fidelis in Domino comes peregrinationis ejus erat, et testis utrobique passionis et consolationis. *Unum addit auctor Vitæ tertiæ seu recentioris S. Bonifacii apud Nostros* (*f*), Lullum *scilicet in synodo episcoporum electum et*

(*a*) Würdtw., p. 260 Ser. XCII. — (*b*) Harzh. Conc. Germ., t. I, p. 58. — (*c*) Ibid., p. 49. — (*d*) D. Bouquet, t. VII, p. 486. — (*e*) Act., SS. t. I Junii, p. 469, n. 47. — (*f*) Ibid., p. 482, n. 5.

sacratum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

sacratum fuisse episcopum Moguntinum : Iter gravissima doloris lamenta *(ob mortem S. Willibrordi episcopi)* profundique gemitus suspiria obviavit illi mente, quantocius synodum coadunare deberet. Nec mora, convenientibus in unum episcopis omnique choro ecclesiastici ordinis, cum consensu illorum omnium et cum decreto Pippini regis, qui tunc, Carolomanno fratre defuncto, rex effectus est, Lul, venerabilem virum, Moguntinæ sedis sibi elegit successorem, Sturim vero venerabilem in cœnobio Fuldensi constituit abbatem, præcipiens illi curam gerere gregis commissi. Willibaldum quidem pastoralis officii regimen in loco Heystede commendavit, et Burchardo ejusdem civitatis parochiam in Wirceburch delegavit; Wigbertum quoque in monasterio, quod nuncupatur Hersfelda, fratrum constituit gubernatorem. Hæc quoque B. Bonifacius martyrque futurus, ut sapiens architectus, cuncta disposuit : et, adhibitis sibi aliquantis fratribus, navim conscendens Trajectum usque pervenit.

Lullum *successorem consecrare possit;* B

29 *Textum Anonymi paulo latius evolvimus, ut liqueat hic valde confuse omnia narrari : imprimis Willibaldus, primarius Vitæ Bonifacianæ auctor, non morti S. Willibrordi tribuit profectionem S. Bonifacii, ejusque successoris electionem, sed quia* infirmitate corporis prægravatus synodalia conciliorum conventicula per omnia adire non poterat. *Et merito quidem : quum omnes qui quam longissime mortem S. Willibrordi differunt, tamen ultra annum Christi* 746 *eum vixisse asserere non audent : incredibile vero est, ut illa* gravissima doloris lamenta profundique gemitus suspiria *saltem per* sexennium *duraverint. Dein Anonymus citatus eodem modo loquitur de institutione Willibaldi et Burchardi episcoporum ac de* Lulli *ordinatione, cum tamen hæc diverso prorsus tempore acciderint. Burchardum verbi gratia jam anno Christi* 741 *episcopales infulas accepisse monstrarunt nostri Majores in ejus Vitæ Commentario prævio* (a). *Ceterum per hæc nolim infirmentur, quæ dicit Anonymus de synodo habita ad* Lulli *nostri ordinationem ratam habendam : hanc enim præscripserat Zacharias in priore sua de hoc negotio epistola supra allata num.* 24, *dum vult, ut* cunctis præsentibus sibi successorem designaret *Bonifacius. Neque hoc infringitur ex eo quod licentia solum concedatur* pro ea hora, qua se C de præsenti sæculo migraturum cognoverit : *nam allata verba vicinam sive per infirmitatem sive senium mortem designant; quo postremo casu, tempus erat certe sufficiens ad synodum cogendam. Ipsa dein extraordinaria via, qua* Lullus *noster Moguntinam cathedram conscensurus erat, suadebat concilii celebrationem, in quo frequentes episcopi confirmarent, quod præter canonum ordinem gerendum erat.*

quod quidem anno Christi DCCLIV

30 *Annus, quo* S. Lullus *ordinatus fuit episcopus omnino pendet a tempore perfectionis S. Bonifacii in Frisiam ejusque martyrii ; et eum iterato quidem in Frisiam relicta Germania, abiisse habemus e Vita S. Sturmii* (b) : Anno decimo, *inquit Eigil quartus Fuldensis abbas et auctor coævus,* postquam ad sanctum commigravit locum *(Sturmius)*, sanctus archiepiscopus Bonifacius, inito cum rege et cæteris Christianis consilio, ad ulteriora Fresonum loca, paganico ritu dedita, ingressus est, ingentemque ibi multitudinem hominum Domino docendo et baptisando acquisivit. Inde post multum temporis migrans, sospes ad suas in Germania pervenit ecclesias. Sequenti vero anno iterum ad aquosa Fresonum pervenerat arva, cœptum opus prædicationis implere desiderans. Quo cum pervenisset, et die quadam ad suam doctrinam populum convocasset, venerunt unusquisque de loco suo, non quasi humiliter ad verbum Domini audiendum, sed spiritu maligno inflati cum infestis armis ad sacra sermonis Domini festa proruunt, et Sanctum Christi antistitem ferro trucidarunt, omnemque ejus comitatum gladiis necaverunt. *Unam tantum profectionem ad Frisonicas gentes narrat Willibaldus, quia perfunctus apostolico munere in Germania, quod reliquum erat virium Frisiæ convertendæ impendere statuerat S. Bonifacius. Ast Eigil, qui S. Sturmio, cujus Vitam scripsit, convixerat, siquidem duplicem profectionem distinguat, omnino admittendus est.* D

accidisse autumamus :

31 *Nihilominus ante priorem discessum S. Bonifacii,* S. Lullum *consecratum fuisse episcopum nobis imprimis suadet silentium Willibaldi, distincturi profecto binam profectionem, si inter utramque* Lulli *ordinatio incidisset. Ast nunc venit quæstio cui anno æræ vulgaris innectendus est* annus decimus, *de quo Eigil agit, fundati Fuldensis cœnobii. Cointius omnino contendit ab anno Christi* 745 *texendam esse chronologiam monasterii Fuldensis,* E *quia inter ejus fundationem et S. Bonifacii necem, quæ anno Christi* 755 *contigit* (c), *decem solidos annos interponit. Sed nobis potior est auctoritas Eigilis, cœvi rebus quæ narrat ; hic autem in laudata Vita S. Sturmii* (d) *conceptis verbis dicit* : Anno Incarnationis Christi septingentesimo quadragesimo quarto, regnantibus in hac gente Francorum duobus fratribus Karlomanno atque Pippino, indictione duodecima, mense primo *(scilicet Martio)* duodecima die mensis ejusdem, sanctum et a Deo dudum prædestinatum ingressus est locum. *Ab hoc igitur anno dimovere non licet initium Fuldense : habemus enim hic testem et cœvum et domesticum, omni exceptione majorem. Atque hoc testimonium tanto minus infringere potest Cointius, quod* decennium, *cui chronologiam suam superstruit, ab ipso Eigile e textu numero superiori allato mutuatus fuerit.*

non vero,

32 *Ex hoc eodem textu Pagius* (e) *alium calculum iniit. Ex eo scilicet, quod anno decimo fundationis Fuldensis S. Bonifacius primam suam in Frisiam profectionem adornarit, concludit illam in vernum tempus anni* 753 *referendam esse, et proinde* S. Lulli *ordinationem huic quoque anno innectendam. Hæc quidem recte procederent, nisi obstarent quæ idem Eigil dicit, Sanctum* sequenti anno iterum ad aquosa Fresonum arva pervenisse *e Germania : sequens enim annus non alius esse potest, Pagio judice, quam Christi* 755, *quo matyrium subiit. Censet quippe S. Bonifacium jam Ultrajectinum archiepiscopum fuisse, quum ad ejus petitionem Pippinus rex diploma dedit, quo omnes possessiones Trajectensis Ecclesiæ confirmavit,* datum quod fuit mense Majo die XXIII anno secundo regni ipsius gloriosi regis (f). *Verum hanc conclusionem illegitimam puto, nam procurationem aliquam Ecclesiæ Ultrajectinæ jam habebat Bonifacius, diu ante Frisiacam profectionem, ut ipse testatur epistola* CV (g), *ad Stephanum II Papam directa. Episcopus Coloniensis jus metropoliticum in Ultrajectinos post mortem S. Willibrordi prætendebat : prætentioni opposuit sese Bonifacius, et merito cum in illum cura hujus Ecclesiæ incumberet* : Wilbrord per quinquaginta annos, *inquit*, prædicans, præfatam gentem Fresonum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana et delubra destruxit, et ec- F

(a) Act. SS., t. VI Octob., p. 562, n. 14. — (b) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 372. — (c) Pagi Crit. ad hunc annum, § XV et seq. — (d) Pertz, t. II, p. 370. — (e) Crit. Baron. ad an. 753, § VI. — (f) Cfr Miræum. Dipl. Belg., t. I, p. 494. — (g) Würdtw., p. 278. Ser. XCVII.

clesias

A clesias construxit, et sedem episcopalem et ecclesiam in honore Sancti Salvatoris constituens in loco et castello, quod dicitur Trajectum, et in illa sede et ecclesia Sancti Salvatoris, quam construxit, prædicans usque ad debilem senectutem permansit : et sibi coepiscopum ad ministerium implendum substituit, et finitis longævæ vitæ diebus, in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum Carolomannus commendavit in sedem illam constituendum et ordinandum episcopum, quod et feci. Nunc autem Coloniensis episcopus illam sedem præfati episcopi Clementis *(seu Willibrordi)*, a Sergio Papa ordinati, sibi usurpat, et ad se pertinere dicit propter fundamenta cujusdam destructæ a paganis ecclesiæ.

ut vult Pagius, 33 *Videmus ex hac epistola jam saltem ab anno* 747, *quo Carolomannus esse princeps Francorum cessavit, Bonifacio commissam fuisse curam Trajectensis Ecclesiæ, cui præposuit administratorem magis quam episcopum, sive ille Eobanus fuerit, sive potius S. Gregorius. Non mirum igitur sanctum pontificem Bonifacium a Pippino rege expetiisse confirmationem possessionum Ecclesiæ Ultrajectinæ,*

B *et in dato diplomate dici ecclesiam S. Martini esse Bonifacii. Quo autem sensu hæc ad illum pertinuerit, explicatur ejusdem diplomatis verbis, quibus dicit rex :* Casam Dei Sancti Martini, in qua dominum Bonifacium archiepiscopum CUSTODEM præesse concessimus et confirmamus. *Non itaque qua episcopus, sed qua custos aut administrator, præerat S. Bonifacius ecclesiæ S. Martini : quocirca confirmatur eum non anno* 753, *sed sequenti potius, in Frisiam abiisse. Pagius, ut Frisiacam profectionem anni* LIII *cum nece sancti pontificis, anno* LV *ejusdem sæculi* VIII *patrata, componat, dicit illum anno* 754 *fortassis autumnali tempore in Frisiam rediisse, et proin istic hiemem transegisse, quod certe ex textu Eigilis extundi nulla industria potest.* Quo cum pervenisset, *ait*, et die quadam populum convocasset... venerunt... et sanctum Christi antistitem ferro trucidarunt. *Quæ optime quadrant, si brevi tempore post secundum adventum martyrium subiit S. Bonifacius ; nullatenus vero si in Frisia hiemavit : nam Eigil, qui accurate duplicem profectionem distinxerat, et gesta in priori adventu saltem brevibus verbis adumbraverat, nihil prorsus habet eorum, quæ autumno et tota hieme usque ad diem*

C V *Junii gessisset Sanctus : quare cum serie narrationis hæc reticentia non convenit.*

anno DCCLIII. 34 *Malumus itaque priorem profectionem in Frisiam ita alligare anno decimo fundati monasterii Fuldensis, ut tamen annum Christi* 754 *attingamus. Ipse Eigil verbis supra allatis habet profectionem adornatam fuisse,* initio cum rege et cæteris Christianis consilio. *Mihi videtur valde probabile, id consilium habitum fuisse in* Campo Martio, *in quo præcipua regni negotia tractabantur. Ille conventus celebrabatur kalendis Martiis, donec ejusdem sæculi anno* LV *prorogatus fuit ad kalendas Maii, unde illi nomen* Maicampi *aut* Campomadii *et* Campomaji *adhæsit. Legitur in Annalibus Petavianis* (*a*) : DCCLV venit Thasilo ad Martis campum, et mutaverunt Martis campum in mense Majo. *In campo autem Martii de generalibus regni negotiis actum fuisse, habemus ex Annalibus Francorum Metensibus* (*b*). *Mihi itaque videtur kalendis Martii anni* 754 *et proinde* anno decimo *fundati Fuldensis cœnobii etiamnum currente, convenisse episcopos et optimates, tum probatum fuisse* Lulli *electionem, ejusque ordinationem in concilio episcoporum celebratam fuisse. Isto modo omnia recte fluunt in Eigilis narratione, et habemus etiam accurate triginta duos annos solidos, quibus, uti videbimus infra, in episcopatu perseveravit, mortuus scilicet die* XVII *kalendas Novembris anni* 786. *Anno itaque Christi* 754 *episcopus ordinatus Sanctus* Lullus, *propius aberat ab anno ætatis suæ quinquagesimo : quod etiam confirmatur, tum ex epocha adventus in Germaniam (supra num.* 16 *et sequentibus,) tum ex regula canonica inter Anglos vigente, quæ quinquagesimum annum ad episcopatum requirebat, uti habemus ex Willibaldina Vita S. Bonifacii* (*c*), *qui episcopatum recusavit.* quoniam quinquagesimi anni, juxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plene reciperet. *Scimus tamen hanc regulam non semper a S. Bonifacio servatam fuisse, ut monstrat exemplum S. Willibaldi; qui, annos natus* XLI, *Eichstadiensi cathedræ impositus fuit* (*d*).

AUCTORE J. V. H.

§ V. S. Lullus corpus S. Bonifacii Martyris transfert ad Fuldense monasterium.

E

S. Bonifacti Reliquiæ, Prima eaque luctuosa simul et gloriosa cura Lullum *nostrum episcopum tenuit transferendi Fuldam corporis sancti magistri sui et Martyris. Sepulturæ locum ipse designaverat ; mandaverat quippe successori suo, ut* (*e*) ædificationem basilicæ jam inchoatæ ad Fuldam compleret, ibidemque ejus multis annorum curriculis corpus inveteratum perduceret. *Sepulturæ hujus ordinem, saltem secundum præcipua capita hic referemus, tum quia,* Lullo *nostro mandante, omnia peracta sunt, tum præsertim quia ex varietate narrationis elucet Eigilem, alterum narrationis auctorem, iniquiori animo agendi rationem* S. Lulli *exposuisse. Primum adducimus Willibaldum* (*f*) : A Maguntia religiosi et fideles in Domino fratres, a Lullo episcopo, successore quidem hujus sancti pontificis et Martyris Christi, directi navigio, ad perducendum beati vir cadaver ad monasterium, quod eo vivente construxerat, et secus ripam fluminis, quod dicitur Fulda, situm est, advenerunt *(Trajectum)*.... Ejus urbis præfecti, eis audientibus, quemadmodum a glorioso rege Pippino exivit edictum, intonuit interdictum (*g*) ; et ne inde F prædicti pontificis corpus amoveretur, indictum est. Sed quia Omnipotentis magis quam hominum convalescit fortitudo, mirabile statim ac memorabile cunctis adstantibus, Angelica magis quam humana peractum cognitione, auditum est miraculum ; ecclesiæque cloccum *(æs campanum)* in signum admonitionis sancti corporis, humana non contingente manu, commotum est : ita ut omnes, repentino timoris pavore percussi, maximo timore obstupuissent, et justi hujus reddendum esse corpus proclamarent. Sicque statim redditum est, et a prædictis sanctæ recordationis fratribus cum psalmis hymnisque honorifice ablatum, ac sine remigantium labore tricesima obitus sui die perductum est ad civitatem supradictam Maguntiam..... Sed et supradictus dominus antistes, tam venerandæ dignitatis successor, qui regali illo tempore præsens erat palatio, hujus omnino ignarus causæ, adventus sancti corporis inscius, ad civitatem, quam prædiximus, veluti sub uno eodemque horæ momento pervenit.... Compuncti cordibus, cum presbyteris et

(*a*) D. Bouq., t. V, p. 13. — (*b*) Ibid., t. II, p. 680. — (*c*) Act. SS. t. v Jun., p. 465 n. 26.— (*d*) T. II Jul., p. 491. — (*e*) T. I Jun., p. 470, n. 48. — (*f*) Ibid., p. 472, n. 56. — (*g*) Erat tunc Pipp. in Ital., proin nomine regis præfectus edixerat.

diaco-

AUCTORE J. V. H.

diaconibus, omnique gradu ecclesiastico, ad eum quem vivens prædestinaverat locum perduxerunt, et, novo in ecclesia confecto sarcophago, ex more sepelientes posuerunt. *Hæc Willibaldus.*

invitis Ultrajectinis et Moguntinis,

36 *Othlonus, in S. Bonifacii Vita lib.* III *cap.* XXVII (*a*), *aliqua nonnihil mutat. Edictum Pippini regis fabulam fuisse insinuat.* Quia multitudini advenientium congredi non posse viderunt *(Trajectenses)*, testati sunt a rege Pippino jussum fuisse, ne corpus S. Bonifacii inde auferretur. Verumtamen legati *(Moguntini)* hoc magis fictum, quam verum arbitrantes, viribus totis in ea, qua venerant causa, instabant, virtute scilicet eos roborante, et adjuvante, ut voti compotes existerent. *Sequitur miraculum æris campani absque humano motu sonantis, quo perterriti, qui* ad pugnam congregati *fuerant*, sancti viri corpus reddendum esse decreverunt. *Aliud addit Othlonus, a Willibaldo omissum :* Suscepto *scilicet* thesauri tanti pignore, fuerunt plurimi in Mogunciacensi, qui censebant illic sepeliendum esse sancti viri corpus, ubi erat episcopus, affirmantes hujusmodi jus esse omnium ecclesiarum, ut quo quis sedem
B episcopalem habuerit, illic quoque sepeliendus sit. In tantum autem quarumdam illud affirmantium prævaluit certamen, ut pœne eorum consilio S. Lullus consentiret, nisi cuidam diacono, qui dicebatur Otpertus, apparuisset S. Bonifacius in visione dicens : « Dic episcopo Lullo, ut » corpus meum absque omni ambiguitate ad mo- » nasterii mei locum transferat. » Cumque hanc jussionem multi audientes minime crederent, præsul Lullus, allatis Sanctorum Reliquiis, jussit Otpertum probare jurejurando, si vera esset ejus visio. At ille nihil dubitans jussa implevit, visionem jurejurando probavit.... Tali itaque gaudio perductus est monasterii Fuldensis loco, quo ipse sepeliri sæpius optavit, sæpiusque id B. præsuli Lullo peragendum commendavit. Qui et petitionem ejus complere summopere nisus, cum veneratione debita terræ, quod suum erat, reddit.

ad Fuldense monasterium

37 *Othlonum quamvis tempore inferiorem excipit Eigil, Willibaldo æqualis. In Vita magistri sui S. Sturmii* (*b*) *hæc habet :* Sanctus vero Martyr ad locum in solitudine, quem ipse sibi nutu Dei eligebat, corpus suum deferri voluit, quod statim claruit. Quod dum vellent ad alteram portare ec-
C clesiam *(majorem Trajectensem)*, et ibi in sarcophago ponere, accedentes manus suas in feretrum miserunt, nec levare potuerunt; multo plures alii se adjungentes, nec sic quidem feretrum, in quo sanctum cadaver jacebat, movere quiverunt. Intellexerunt ergo ejus non esse voluntatem, ut in eodem loco maneret; sed eum ad Mogontiam civitatem debere deferri pronuntiabant. Protinus grabatum absque ulla difficultate levantes, ad flumenque portantes et puppi imponentes per Rheni alveum navim trahere et superiora petere cœperunt. Quo audito, Sturmi de Fulda cœnobio, in eremo constituto, cum festinatione obviam venire curavit, et cum eis pariter perrexit, donec prospero et levi transitu ad Mogontiam urbem pervenerunt. Sacerdotes statim et omnis clerus urbis illius accedentes, Sancti Martyris corpus adsumentes, in basilicam suam cum honore posuerunt. Universi tunc sacerdotes et clerici et populus omnis consona voce dicebant, fas non esse, ut Sanctus Dei Martyr alium deferatur in locum; sed ubi episcopalem sedem vivens habuit, ibi etiam oportere eum corpore quiescere. Insuper etiam de palatio a rege nuntius venit, qui dicit regem imperasse, ut Sancti Martyris corpus in civitate eadem, si ipsius esset voluntas, poneretur. Sturmi vero et qui cum eo de eremo convenerunt, constanter dixerunt, quod sanctus episcopus plerumque apud eos manens, et locum eis, ubi corpus suum posuissent, demonstrarit, et quod absque dubio ibi in solitudine voluisset corpore quiescere. Interea vero dum in hoc modum contenderent, et Lullus, episcopus civitatis illius, omnimodis voluisset prohibere, ne Beati Martyris corpus ad solitudinem perveniret, nocte per visionem cuidam diacono sanctus adstitit episcopus : « Cur me, » inquiens, « tardatis ad locum meum Ful- » dam deferre? Surgite, » ait, « cito et pro- » pere me in solitudinem ad locum quem mihi » prædestinavit Deus, perducite. » Qui consurgens, visionis, quæ ei fuerat ostensa, ordinem primo Sturmi, deinde primatibus cunctis narravit. Nimio tunc omnes terrore correpti, ultra Sancti Martyris inde transitum contradicere timuerunt. Lul tamen, qui illic erat episcopus, D
revelationem Sancti Martyris credere prius nullatenus voluit, quam is qui visionem viderat, manum sacro altari imposuisset, et cum juramento hoc, quod viderat, confirmasset. *Narrat dein Eigil corpus Fuldam advenisse* post paucos dies, id est tricesimo passionis ejus die. Postera die, *inquit*, Lullus episcopus cum clericis et reliqua turba, cum qua venerat, inde migravit. E

cura præcipue S. Lulli,

38 *Conferenti triplicem hanc narrationem manifestum est, plures varietates occurrere : addit Othlonus Willibaldo illa, quæ Moguntiæ acciderunt. Sed longe diversus ab utroque est Eigil, cujus auctoritatem maximi fecimus, quando egimus de figenda epocha profectionis S. Bonifacii in Frisiam, quia scriptor erat coævus, et quia nihil apud alios auctoritatem ejus infirmabat. Sed in citata narratione merito nobis suspectus est ex iis, quæ perhibet infra circa controversiam inter* Lullum *et Sturmium agitatam. Non refert imprimis prodigium æris campani, quod illi vitio vertendum non est, utpote qui potuerit illud ignorare, dum per testes resciverit fortassis miraculum feretri, quod nullis viribus movere valuerant Trajectenses, donec navi illud avehendum transtulissent. Ast nescio, num eadem ratione excusari possit, quod narrat de edicto, quasi Moguntiæ* F
dato, quo vetebatur, ne corpus Martyris Bonifacii extra civitatem efferretur. Willibaldus non solum synchronus, sicut et Eigil, sed tempore prior et proinde factis, quæ narrat, magis vicinus fuit : scripsit, vivente Pippino rege, qui anno 768 *obiit, quum constanter, quoties de illo loquitur, addat nomini titulum* gloriosi regis; *de Corolomanno autem agens dicit* inclytæ recordationis, *quod defunctis convenit. Deinde Willibaldus scripsit sub censura duorum episcoporum,* Lulli *Moguntini et Megingaudi Wirceburgensis* (*c*), petentibus religiosis ac catholicis viris, quibus vel in Tusciæ partibus, vel in Galliæ terminis, vel in Germaniæ aditibus, aut etiam in Britanniæ limitibus, S. Bonifacii Martyris fama, miraculorumque coruscatio perstrepit. *Vita igitur a Willibaldo edita per varias Europæ partes circumferenda erat : et auctor innumeris, qui rem omnem coram spectaverant, testibus circumfusus, nec errorem committere, nec deceptionem aliquam tentare potuit.*

ut monstratur contra Eigilem,

39 *Ast res alio omni modo se habet cum Eigile : hic tempore mortis S. Bonifacii infantiæ fines nec-*

(*a*) Johan. Rer. Mog., t. I, p. 272. — (*b*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 372. — (*c*) T. V. Jun., p. 460, Prolog.

dum

A *dum egressus fuerat; etenim ipse dicit in suo prologo* (*a*) : Ego Eigil in discipulatu illius *(Sturmii)* plus quam viginti annos conversatus eram, et sub ipsius cœnobii disciplina ab infantia usque in hanc ætatem nutritus et eruditus sum. *Obiit S. Sturmius die* XVII *Decembris anni* 770, *ut habemus ex eadem Vita : igitur circa annum* LIX *ejusdem sæculi Fuldam inhabitare cœpit Eigil infans, et proin potuit facillime ignorare quæ gesta fuerant circa sepulturam Sancti Martyris, aut etiam Moguntinis tribuere, quod Trajectensium fuerat. Quinimmo iniquioris in* S. Lullum *fuisse animi Eigilem, quæ sequuntur in ejus narratione, quæque infra discutienda venient, abunde demonstrant. Quid igitur, si fictum decretum regium ad Moguntinos magis spectare dixerit, ut ita oblique* Lullum *carperet, quem postea* semper invidum *adversus S. Sturmium exhibet? Poterat hoc tanto facilius, quod scriptio, ab ipso edita, intra domesticos parietes diu fortassis delituerit, utpote quæ ad Angildruth* (*b*) *monialem directa, non tam facile in publicam lucem proditura erat. Sive tamen Eigilis error fuerit, sive animus minus æquus, nihil propterea detractum volumus ejus probi-*

B *tati, quam præ cæteris laudat B. Rabanus* (*c*), *et quam alii auctores graves* (*d*) *litteris commendarunt : id unum hinc constat, quod infra etiam repetendum erit, in hujusmodi controversiis, quales inter* SS. Lullum *et Sturmium exarserunt, utramque partem non raro humanum aliquid pati, et subditos persæpe exaggerare defectus patronorum.*

transferuntur. 40 *Verum si Eigilem aliqua ratione defendere licet, quum edictum regium Moguntiæ fabricatum dicit; simili via procedere non possumus, quando* Lullum *accusat, quasi* omnimodis voluisset prohibere, ne Beati Martyris corpus ad solitudinem perveniret. *Rem mitius explicat Othlonus citatus :* In tantum, *ait,* quorumdam illud affirmantium prævaluit certamen, ut POENE eorum consilio S. Lullus consentiret, nisi, *etc. Willibaldus nihil dicit de altercatione Moguntina. Mihi facile persuadeo* S. Lullum *timuisse, ne populus jam commotus in apertam rebellionem rueret, si thesauro illo spoliaretur, abducendo sacrum corpus in solitudinem; et maluisse etiam hisce pretiosis Reliquiis ditare ecclesiam suam, quam illas per cædem et sanguinem alio transferre. Sed cum ipse Willibaldus testatur S. Bonifacium* Lullo *successori suo imprimis commendasse, ut corpus suum Fuldæ sepeliret : quis non*

C *videt, numquam, consentiente* Lullo, *edendam fuisse hujusmodi commendationem, si reipsa, ipso aut excitante aut connivente, motus popularis exarsisset. Recte itaque Othlonus dicit* Lullum petitionem ejus *(Bonifacii)* complere summopere nisum. *Rem omnem nitide explicat additio Ms. Erlangensis ad Vitam* S. Lulli *infra dandam num.* 19 *simulque exponit qua ratione* pœne *populi* consilio consenserit. Ubi ventum est Moguntiam, tum vero totus cum populo clerus obviam effusus, jure gentium agebat apud episcopum, suum inquiens fuisse hunc pontificem, sibi potissimum hereditatem defuncti patris tam jure cœli quam jure fori deberi, nec æqui nec boni memorem eum esse, si contra sentiret, præsertim cum ad eum utpote antistitem specialiter et gloria et calamitas Moguntiensis Ecclesiæ spectaret; ad ultimum si non in hanc sententiam ultro concederet, malle se viribus uti et extrema omnia experiri, quam tanto bono fraudarentur. Tunc archiepiscopus diu multumque conatus tumultuantem populum in gratiam reducere, ubi vidit rem tardius procedere, confusus incertusque animi, quid consilii caperet, quo se verteret ambigebat. Voluntati enim multitudinis refragari nec factu facile, nec satis tutum sibi videbat. Verum copiis ita in arctum coactis, cito latos exitus reperit secundum promissionem suam Beatus Bonifacius. *Narrat dein visionem, quam Otbertus habuerat : cuique credidit* Lullus, *populo contradicente; quod ipsum testatur quoque Othlonus citatus. E contrario Eigil perhibet auditæ e cœlis voci statim populum acquievisse,* Lul tamen, qui illic erat episcopus, revelationem sancti Martyris credere prius nullatenus voluisse, quam is, qui visionem viderat, manum suam altari imposuisset, et cum juramento hoc, quod viderat, confirmasset.

AUCTORE J. V. H.

§ VI. De controversia exorta inter SS. Lullum et Sturmium circa cœnobium Fuldense.

E

Nihil SS. Lulli *et Sturmii sanctitati*

Quoniam in præcedenti § *egimus de invidia Sancto* Lullo *creata ab Eigile per mutilam narrationem translationis S. Bonifacii, opportunum credimus hic subnectere controversiam, quam cum Sancto nostro Sturmius habuit, res gestas* S. Lulli *postea prosecuturi. Non est dubium, ut infra monstrabimus, litem exortam fuisse ob jurisdictionem, quam uterque summam in Fuldense cœnobium prætendebat. Unum præmonebimus, sanctitati utriusque nihil detrahi dum unusquisque jus, quod putat suum, defendit, et quod dein per susurrones utrinque malum ingravescat, ignorantiæ humanæ atque adeo infirmitati naturæ nostræ fragilis potius, quam malitiæ adscribendum est. Nihil porro sæpius inter sanctissimos etiam viros gravissimas excitavit discordias quam lis aliqua circa jurisdictionem, ut recte annotavit Joannes Fronto, canonicus regularis, in Vita S. Ivonis episcopi Carnotensis* (*e*), *agens de simultate exorta inter Ivonem et Gaufridum Vindocinensem abbatem ob exemptionem monasterii :* Hæc enim, *ait,* est radix similium discordiarum ab antiquo feracissima, etiam inter quoscumque sanctitate et doctrina claros. Et sicut illi nulla virorum etiam piissimorum auctoritas hactenus finem facere po-

F tuit, ita nec illa integritati et sanctitati utriusque partis disceptantis quidquam officere visa est. *Ita igitur de hoc discordia agemus, ut dum factum exponimus, nihil detrimenti alterutri afferamus : nam æque injustum esset S. Sturmio quidpiam criminis impingere, quam, ut fecit Claudius Chastelain supra num.* 1, *vitium omne in* Lullum *refundere, et dubie propterea de ejus sanctitate loqui.*

detrahit controversia, 42 *Imprimis illud statuendum est, totius controversiæ causam fuisse, ut diximus, utrinque prætensam jurisdictionem in Fuldense cœnobium. Hoc aperte satis insinuat ipse Eigil* (*f*), *dicens* Beatum Sturmi abbatem a cœnobio Fulda fuisse per consilium Lulli episcopi ablatum... Lullum interim obtinuisse apud Pippinum regem, munera injusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum dominium donaretur; acceptaque super illud ditione, abbatem ibi, qui sibi per omnia obtemperaret, constituisse quemdam presbyterum suum, qui dicebatur Marcus. *Consensit tamen brevi post* S.

(*a*) Pertz. Monum. Germ., t. II, p. 366. — (*b*) Ibid. — (*c*) Schannat. Hist. Fuld., p. 98. — (*d*) Ibid., p. 99. — (*e*) Act. SS., XX Maji, p. 251 *, n. 11. — (*f*) Vita Sturmii apud Pertz Monum. Germ., t, II, p. 373 et seq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

Lullus, *ut e gremio suo abbatem sibi constituerent Fuldenses*; quod cum omnibus placuisset, fratres bonum ex ipsis omnino fratrem et vere Dei servum omnibus bonis moribus ornatum elegerunt, nomine Prezzoldum, quem ab infantia sua Beatus Sturmi edocuit, et multum amavit illum, ipsum super se abbatem ordinaverunt, ad hoc tantum, ut illi cum ipso, et ipse pariter cum eis cotidie... tractarent, quemadmodum cum adjutorio Sancti Martyris Bonifacii et cum omnipotentis Dei gratia ad hoc pervenire potuisset, ut pristinum magistrum suum Sturmen a rege Pippino sibi concedi postularent. *Tandem rex concessit, ut ad suos rediret S. Sturmius*, absolutumque ab omni dominio Lulli episcopi ad cœnobium Fuldæ eum cum omni honore ire præcepit... quod etiam causam suam et monasterii defensionem a nullo alio quæreret, nisi a rege, imperavit. *Monasterium igitur prius* Lullo donatum, *et postea* absolutum ab omni dominio Lulli episcopi, *fons fuit omnis controversiæ. Eamdem causam allegat auctor anonymus Vitæ* S. Lulli *auctæ, infra num.* 21 : Is *(Sturmius)* privatim et publice animos fratrum sollicitabat,

B commonens hanc pontificis circa se indulgentiam aliorsum spectare, quam sibi opinarentur; aliud enim vultu prætendere, aliud animo machinari, et magnæ cujusdam injuriæ consilium palliare titulo pietatis, qui scilicet ad hoc quibusdam verborum lenociniis homines inescaret, ut eis fraudulenter suæ dominationis frena injiceret, et libertatis bonum eriperet, quo vitæ humanæ nihil jucundius, nomini Christiano nihil decentius, professioni monachorum nihil commodius.

circa Fuldense monasterium excitata,

43 *Cœnobium Fuldense ejusque territorium, utpote quod in pago* Grapfeld *situm est, intra limites diœcesis Herbipolensis continebatur, ut probant J. Georgius Eckardt* (*a*) *et Æmilianus Ussermann* (*b*). *Quæ proinde inter* Lullum *et Sturmium agitabatur, quæstio jurisdictionem ordinariam episcopi diœcesani non attingebat : habet quidem episcopus potestatem in monachos sicut in reliquum clerum, nisi privilegium, quo eximantur, exhibere valeant, ut passim juris ecclesiastici periti demonstrant. Alia scilicet erat controversiæ causa : nempe Bonifacius fundator erat monasterii, et vi similis fundationis competebat illi suprema quædam, saltem circa bona temporalia cœnobii, præfectura; hanc tamquam ex asse*

C *hæres vindicabant sibi* Lullus, *idque, ut ipsi videbatur, tanto justius, quanto majorem curam impendebat in complendo ædificio, quod Bonifacius inchoarat. Cautum quippe erat per canones, ut si monasterium haberet episcopum fundatorem, episcopo redderet rationes temporalium suorum; si regem, regi. Ita mihi explicandus venit canon* XX *Concilii in verno palatio habiti* (*c*) *anno* 755 *aut, ut Joanni Dominico Mansi præplacet, anno sequenti* (*d*). In alia synodo nobis perdonastis, ut illa monasteria, ubi regulariter monachi vel monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivere potuissent, exinde si regalis erat, ad domnum regem faciant rationes abbas vel abbatissa; et si episcopalis, ad illum episcopum. *Ad se itaque pertinere opinabatur* S. Lullus *quidquid ad rationes Fuldensis cœnobii spectabat : quas enim res et jura acquirebat episcopus, hoc totum ad Ecclesiam deveniebat. Jus igitur Ecclesiæ suæ Moguntinæ propugnare putabat, quoties se tamquam magistri sui Bonifacii hæredem Fuldensibus exhibebat. Hinc non mirum illum adversatum fuisse S. Sturmio, quem plus æquo pro monasterio suo stare existimabat.* D

cujus natura explicatur :

44 *Ast Sturmius e contrario, a S. Bonifacio immediate institutus abbas, in se quoque solum refusum censebat, quidquid olim juris magistro suo fuerat. Unde et hic omnino excusandus fuit, si acerbius in* Lullum *insurrexerit, et si hanc animi sui aversionem monachis suis, ut satis constat ex Eigile, instillaverit. Etenim agebatur de re admodum dubia, quæ a solo Bonifacio pendebat, quamque, prolatis utrinque verbis scriptisve, ambiguam Sanctus Martyr reliquerat. Merito quoque vir sanctissimus et regularis disciplinæ tenacissimus Sturmius timere poterat, ne, serpente qualicumque episcopali dominatione circa temporalia, paulatim spirituale quoque monachorum regimen detrimentum aliquod pateretur. Hinc principiis obstandum esse, facile sibi persuasit Sturmius. In hoc igitur casu jus suum uterque propugnare putabat, immo ad hoc adstrictum se esse ex officio, quod procurabat, facile in animum ducebat. Pronum itaque erat, ut alter alterum iniquius tractaret, utpote quem sincere censebat a recta via deflectentem et omni modo per mansuetudinem et severi-*

E *tatem, opportune, importune, ad officium esse redigendum. Dissimulare interim non possum Eigilem quando de* Lullo *agit, nihil prorsus laudis de illo dicere, sed sanctum episcopum tamquam invidum et violentum traducere ; æquior tamen est Anonymi Vitæ Lullianæ scriptoris sententia num.* 20 : Sturmio, *ait*, quidam nomine tunc præerat monasterio, vir excellentis ingenii ac prædicandæ sanctitatis; sed vehementis nimium et ferocis naturæ. *Cæterum* Lullo *nostro favebat commendatio, quam in Frisiam discedens fecerat Bonifacius hisce verbis* (*e*) : Tu ædificationem basilicæ jam inchoatæ ad Fuldam comple, *profecto ex bonis et pecuniis ad sedem Moguntinam pertinentibus : jus ergo* S. Lullo *constabat tum ex hæreditate*, cui eum implicaverat, quamque instanti labore acquisierat Bonifacius (*f*), *tum ex supremis quodammodo tabulis, quibus discedens Bonifacius possessiones sedis suæ ad perfectam ædificationem monasterii Fuldensis quasi oppignoraverat. Ex eadem quoque causa timebat sibi suisque S. Sturmius; cum videret scilicet episcopum* omnem operam in locum ipsum intendere, *hanc sollicitudinem* aliorsum spectare *suspicabatur, ait Anonymus noster num.* 20, *nempe ad confirmationem dominationis suæ et ad detrimentum monasticæ liber-*

F *tatis.*

monstratur interpolatus textus Eigilis,

45 *Ex hactenus dictis sequitur cardinem totius controversiæ fuisse in procuratione rei temporalis. Unde suspicor interpolationem aliquam passum fuisse textum Eigilis, narrantis S. Sturmii ad suos reditum :* Post non multum, *ait* (*g*), temporis rex vocari ad se Sturmen jussit, eique monasterium Fuldæ, quod prius habuit, ad regendum commendavit, absolutumque ab omni dominio Lulli episcopi ad cœnobium Fuldæ eum cum omni honore ire præcepit, et cum suo privilegio, QUOD BEATUS ZACHARIAS PAPA, SUMMUS APOSTOLICÆ SEDIS PONTIFEX, DUDUM SANCTO TRADIDIT BONIFACIO, MONASTERIUM REGERET, QUOD PRIVILEGIUM USQUE HODIE IN MONASTERIO FRATRES CONSERVATUM HABENT; quod etiam causam suam et monasterii defensionem a nullo alio quæreret, nisi a rege, imperavit. *Verba grandiusculis litteris expressa, interpolata post Eigilem fuisse conjectat Joannes Georgius Eckardt* (*h*) : *neque immerito. Quomodo enim*

(*a*) Comment. de reb. Franc. Orient., t. I, p. 396. — (*b*) Episc. Wirceb., p. XXV. Cfr Chron. Gottwic., p. 606. — (*c*) Labbe, t. V Conc., col 1669. — (*d*) Suppl. Conc., t. I, p. 607.— (*e*) Act. SS., T. v Jun., p. 470, n. 48.— (*f*) Ibid., p. 469, n. 47. — (*g*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 375. — (*h*) Comment. de reb. Fr. Orient., t. I, p. 593.

penes

A *penes Pippinum regem fuisset privilegium S. Bonifacio pro monasterio Fuldensi concessum? Fuldæ, aut certe Moguntiæ, nequaquam vero in regio palatio, fuerit hujusmodi instrumentum; secus enim, non levis in* Lullum, *virum sanctissimum et a magistro suo debitam Sedi Romanæ observantiam edoctum, derivaretur infamia, quasi si aut arte suppressisset documentum maximi momenti, aut mandatum apostolicum contempsisset: istiusmodi calumnia gravissimis argumentis probanda foret, antequam fidem aliquam mereretur. Si vero adnotata verba e textu expungantur, recte omnia fluunt: Pippinus scilicet, ut omnis controversia componeretur, transtulit jus circa temporalia ab episcopo fundatore ad regem, ut deinceps Fuldense cœnobium non amplius inter* episcopalia, *sed inter* regalia *monasteria censeretur: novum igitur concessit privilegium, quo* absolveretur ab omni dominio Lulli episcopi, *et deinceps suam* defensionem a nullo alio quæreret, nisi a rege. *Ægre tulerit hanc rerum vicissitudinem* Lullus *noster, facile concedemus; tales enim non sunt Sancti, ut nihil humani patiantur.*

ct suppositi-tium esse.

B 46 *Inferet quis fortasse, privilegium, a Pippino S. Sturmio datum, non fuisse ipsum Zachariánum instrumentum, sed potius diploma, quo olim ipse rex concessionem pontificiam confirmarat, et cujus exemplar in regiis scriniis repositum erat: atque tali modo graviorem saltem culpam a* Lullo *amoveri. Verum ut sincere fateamur sensum nostrum, omnem auctoritatem huic diplomati abrogandam censemus. Ex subscriptione patet suppositio: etenim post repetitam iisdem verbis Zachariánam formulam, desinit:* Signū Pippini gloriosissimi regis, signū Bonifatii archiepi. signū Burghardi epi signū Willibaldi epi. signū Lul epi. signū Eoban epi..... in Dei nomine Baddilo recognovit. Data mense Junio anno primo regni nostri. Actum Attiniaco palatio publico in Dei nomine. *Hæc ex Joanni Fredericis Schannat (a) tabulis æneis desumpsimus. Scimus autem Pippini regis annos a duplici exordio incipere, sive a mense Martio anni vulgaris 752 quo a S. Bonifacio rex, tonso Childerico, inunctus est, aut a* v *kal. Augusti anni 754, quando a Stephano Papa II una cum filiis Carolo et Carlomanno, unctione regia iterato consecratus fuit. Neutra vero epocha cum subscriptionibus diplomatis quadrat. Non prima, quæ cum anno* LII *sæculi octavi concurrit; tunc enim*

C Lullus *nondum erat episcopus, utpote qui primum anno sequenti hanc dignitatem adire valuit, ut vidimus num.* 30 *et seq., et proinde* qua episcopus *subscribere non potuit. Neque secunda epocha dictum diploma sanare potest: nam mensis Junius anni primi regni Pippini illigandus est cum anno* LV *ejusdem sæculi; sed tum jam defunctus erat S. Burchardus, Wirceburgensis episcopus, ut monstrarunt Nostri in ejus Vita ad* XIV *Octobris (b), et, ut constat e Vita S. Gregorii Ultrajectini a S. Liudgero coævo scripta (c), in qua agens de adjutoribus S. Bonifacii,* clarissimis prædicatoribus et columnis Ecclesiæ Dei, *subjungit conceptis verbis:* Duo ex illis electis Dei Wigbertus *(Fristilariensis abbas)* et Burchardus ante magistrum migrarunt a sæculo. *Neque fucum facere debet, quod Joannes Schannat (d), ut S. Liudgeri auctoritatem declinet, allegat, scilicet fuisse fortassis* duos Burchardos episcopos, *quorum alter Bonifacio præmortuus fuerit, superstite Wirceburgensi: ille enim, nobis plane ignotus,* inter clarissimos prædicatores et columnas Ecclesiæ Dei *non fuisset annumeratus.*

47 *Ast diploma citatum aliud in hac epocha patitur detrimentum ex martyrio S. Bonifacii, quod omnes nonis Junii affigunt: unde sequeretur sanctum episcopum mense Junio adhuc fuisse in palatio Attiniaco, et tamen quinta die ejusdem mensis in Frisia occisum fuisse. Datum etsi fuerit diploma ipsis kalendis, fieri tamen non potest, ut quarta die Dockingam, Attiniaco septuaginta milliaribus Belgicis (circiter 43 myriametris) distantem, attigerit, neophytos præmonuerit de sacramento Confirmationis percipiendo, ipse dein populus conjuraverit in ejus necem, et ex condicto cum armis adfuerit: quæ omnia habemus ex Willibaldo (e), cujus textus sat aperte insinuat sanctum episcopum saltem semel iterumve populi concionem habuisse, qua fidei rudimenta doceret. Ruit igitur et ex hoc capite Pippinianum diploma. Quid si nec ipse quidem Pippinus Attiniaci ineunte Junio mense adesse potuit? Jam diximus supra num.* 36 *fictum fuisse decretum Pippini, quo translatio Sancti Martyris prohibebatur, quia tunc temporis in Italia versabatur bello Longobardico intentus. Habemus ex epistola Stephani Papæ II ad Pippinum, Romam, a kalendis Januarii* 755 *per trimestre spatium obsessam (f), liberatam fuisse cum audiret Aistulfus, Longobardorum rex, Pippinum in* E *Italiam exercitum movere (g). Mense igitur Maio jam Longobardicas oras attigerat, et usque ad hiemem extra Gallias permansit. Unde ex simili ratione statuendum est illa diplomata, quæ verno aut æstivo tempore in variis palatiis regiis a Pippino data dicuntur, toto biennio aut etiam triennio postponenda esse, quatenus annus regni, in illis expressus, non a mense Martio anni* LII, *sed a* v *kal. Augusti anni* LIV *sæculi octavi repetendus est.*

unde nutat quoque Zachariæ Papæ privilegium:

48 *Nutante Pippiniano diplomate, nutat quoque mea sententia privilegium, quo Zacharias Papa Fuldense monasterium ornasse dicitur. Si enim verum, genuinumque fuisset, non facile commisissent Fuldenses, ut falso aliquo diplomate illud fulcirent: recurrit nempe adagium:* Semel mendax, semper mendax, *quoties scilicet de materia connexa agitur. Cæterum contra Zachariánam bullam aliud quoque præjudicium creatur, ex eo quod Nicolaus Serarius nullam ejus mentionem faciat, quamvis in extenso reperiatur in Vita Othloniana S. Bonifacii (h); sed quod maxime impedit, quominus genuinas dicamus Zachariæ litteras, est, quod nullus privilegii sermo fiat in scriptis utrinque epistolis circa res Fuldenses, et quod ipse Bonifacius nihil prorsus petat simile* F *privilegio allato. In epistola* LXXXVI *(i), per* Lullum *nostrum Romam delata, dicit Bonifacius:* Est præterea locus silvaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo monasterium construentes, monachos, constituimus sub regula sancti Patris Benedicti viventes... Hunc locum supradictum per viros religiosos et Deum timentes, maxime Carlomannum quondam principem Francorum, justo labore acquisivi et in honore Sancti Salvatoris dedicavi. In quo loco, cum consensu pietatis vestræ proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, et post mortem jacere. Quatuor etenim populi, quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, id circuitu loci hujus habitare dinoscuntur. Quibus cum vestra intercessione, quamdiu vivo vel sapio, utilis esse possum. Cupio enim vestris orationibus, comitante gratia Dei, in familiaritate Romanæ Ecclesiæ et vestro servitio, inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseverare.

49 *Videtur autem S. Bonifacius explicatius locu-*

AUCTORE J. V. H. *diploma Pippini;*

(a) Vindic. Archiv. Fuld., tab. III. — (b) T. VI Octob., p. 570, n. 39. — (c) T. V August., p. 258, n. 14. — (d) Vindic. p. 46. — (e) v Junii, p. 470. — (f) Labbe t. VI Conc., col. 1635. — (g) Adonis Chron. apud D. Bouquet, t. V. p. 317. — (h) Lib. II, § XV. Mabill. Act. SS., sæc. III, part. II, p. 80. — (i) Würdtw., p. 246. Ser. CXLI.

tus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE J. V. H. *quod contrarium videtur*

tus fuisse per discipulum suum Lullum, *qui, ut dicitur in initio citatæ epistolæ, habebat* secreta quædam *soli pontifici aperienda*, quædam viva voce dicenda. *Hinc responsio Zachariæ non omni ex parte aptari potest quæstioni ab episcopo propositæ. Dicit enim pontifex in epistola* LXXXVII (*a*): Igitur et hoc petisti, ut monasterium in vastissima solitudine et in medio gentium, quibus prædicas, constitutum et a te fundatum, atque in honore Salvatoris Dei nostri dedicatum, ubi etiam et monachos sub regula B. Benedicti degere ordinasti; illud venerabile monasterium nomine tuo (*melius* nomini tuo) privilegio Sedis apostolicæ munire deberemus. Quod votis tuis acquiescentes ordinavimus juxta desiderium et petitionem tuam : congruit enim divini ministerii prædicatorem optimumque ministrum ad desiderata pertingere et cœptum bonum opus usque in fine perficere..... Data pridie nonas Novembris, imperante Domino piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore, anno XXXII; imperii ejus anno undecimo, indictione quinta. *Juvat imprimis paucis expedire quid voluerit Zacharias, dicens Fuldense* B monasterium nomine *seu* nomini *Bonifacii* esse muniendum ; *videtur autem aliud hic significare non posse quam* statuere ut monasterium Bonifacii proprium sit et perpetuo remaneat. *Similis enim locutio apud S. Augustinum sermone* CCCLVI (*b*) *hujusmodi significatum habet* : Locus etiam ipse, *ait*, ubi monasterium constitutum est a memorato honorabili filio meo Eleusino, ipsi presbytero Barnabæ donatus est, antequam ordinaretur presbyter, in ipso loco monasterium instituit. Sed tamen quia NOMINE ipsius donatus erat locus, mutavit instrumenta, ut NOMINE monasterii possideatur.

genuinis litteris, quas S. Bonifacius

50 *Ex hac autem interpretatione, quæ vera et genuina mihi videtur, patet privilegium pontificium, quale ab Alexandro Würdtwein* (*c*) *exhibetur, quamvis datum eodem anno et die, quo recitata epistola, nullatenus tamen respondere epistolæ Zachariæ : nam prætensum privilegium prohibet omnem cujuslibet* ecclesiæ sacerdotem *(ergo et Bonifacium Moguntinæ Ecclesiæ antistitem)* in monasterio Fuldensi ditionem ullam habere aut auctoritatem, præter Sedem Apostolicam ; *quum potius epistola pontificis* C *contrarium indicat. Propterea aliæ litteræ Bonifacianæ genuinis substratæ fuerunt, quas edidit e Ms. Fuldensi Browerus noster* (*d*) : *in his porro non solum, ut vidimus supra num.* 48, *S. Bonifacius narrat se fundasse monasterium, atque illic velle vivens requiescere et mortuus jacere : sed cum epistolæ idem sit caput et exordium, immo et præcipua lineamenta fundationis, dicit tamen* : Venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinaret episcopum (*scilicet anno Christi* 723), obtinui ab eo, ut locum meum, meæ sepulturæ prævisum, Fuldense scilicet monasterium, nondum quidem perfectum, sed cum Dei et vestro adjutorio perficiendum, in suum specialiter susciperet præsidium, B. Petri præsidio muniendum, ac Romana auctoritate roborandum atque tuendum. Quod et fecit, et dato privilegio, sua et B. Petri auctoritate confirmavit, et banni sui vinculo, sub testificatione Christi et Ecclesiæ, perpetuo anathemate eos constrinxit, qui de stipendiis fratrum, vel decimis *(decimæ in loco silvatico, in vasta solitudine !)* et oblationibus fidelium.... quidquam distraxerit. Est enim locus ille, quem elegi, Fulda, nomen habens a flumine, quod præterfluit, in vasta solitudine Bochoniæ, in medio nationum prædicationis nostræ ; D in quo loco monasterium construxi Domino nostro Salvatori Christo et ejus Genitrici perpetuæ Virgini Mariæ, et Sanctissimis Apostolis Petro et Paulo : in quo monachos constituimus sub regula S. Benedicti Deo devote servientes. Hunc locum per principes et viros religiosos ditavi prædiis et honoribus et per Pippinum et Carolomannum auctoritate firmissima confirmavi... Hunc, inquam, locum meæ requiei præparatum, in vestram, Pater charissime, et B. Petri Apostoli commendo potestatem, obnixius orans atque deposcens, ut dextera protectionis vestræ sit semper munitus atque defensus.

ad Papam direxerat.

51 *Certe si hujusmodi epistolæ responsum Zachariæ quadraret, bene procederet Fuldense privilegium ; sed scatet hoc commentum anachronismis : imprimis jam electus fuisset anno* 723 *Fuldensis locus sepulturæ, quum, ut e Vita S. Sturmii* (*e*) *abunde constat, vix circa annum* 740 *detectus fuerit. Dein dicit pseudo-Bonifacius se prædictum locum* prædiis et honoribus ditasse, *quando in epistola ad Fulradum supra num.* 26 *allata ad commovendam ejus misericordiam, dicit* presbyteros prope marcam paga- E norum pauperculam vitam habere : panem ad manducandum acquirere posse, sed vestimenta ibi invenire non posse : *Bonifacius interea, relictis suis adjutoribus, aut permissis alienæ misericordiæ, monachos prædiis et honoribus ditasset? Nemo est qui hujusmodi asserto facile consentiat. Dein quomodo Gregorius privilegio decorare potuit anno* 723 *monasterium, quod anno* 744 *mense Martio primum incepit, uti habemus e Vita S. Sturmii citata? Qui fit ut, siquidem id exstiterit, nullam ejus mentionem fecerit Zacharias? Fictitiam igitur esse epistolam, satis patet ; ast simul, quam cusa fuerit ad viam sternendam Zachariano diplomati, cui non satis aptabatur genuina epistola, illud ipsum mutare omnino videtur : authentico enim instrumento mendax ac proin ruinosum fulcrum adhibere non consuevimus. Cæterum hæc omnia, quæ retractabuntur in commentario ad Vitam S. Sturmii die* XVII *Decembris, hic discussimus, quia Eigil et recentiores scriptores radicem totius controversiæ in Zachariano privilegio constitutam voluerunt. In nostra tamen sententia, admissis pro veris omnibus hisce litteris, integra manebat controversia, num scilicet titulo fundationis* S. Lullo, hæreditati *S. Bonifacii* implicato, *com-* F *petebat jus circa temporalia monasterii Fuldensis.*

Inter SS. Lullum *et Sturmium tandem pax composita fuit.*

52 *Coronidis loco dicatur pax tandem composita fuisse inter* S. Lullum *et Fuldenses. Imprimis S. Sturmius moriens ex corde ignovit* Lullo, *quidquid credebat perperam inflictum suo monasterio* (*f*). *Dein ipse* Lullus *munificus fuit erga Fuldenses, ut nobis monstrat charta donationis factæ Fuldensibus, quæ hujusmodi est* (*g*) : In nomine Domini. Regnante Domino Karlo, Francorum et Longobardorum rege ac patricio Romanorum, die XXV mensis Septembris, die Dominica, cum idem gloriosissimus rex Karlus curiam haberet apud nos. Ego Lullus Dei gratia Moguntinæ sedis archiepiscopus tradidi Domino meo Sancto Bonifacio archiepiscopo et Martyri coemptionem prædiorum quam coemi in villa Fargalaha, quæ sita est in pago Thuringiæ, super fluvium Unstruth nuncupatum, ea conditione, ut pars mea sit cum Domno et Patre meo Sanctissimo Bonifacio, Martyre et archipontifice in regno Dei, et ut fratres Fuldenses mei perpetuo sint memores, dedique consilium quibusdam fidelibus nostris, quatuor videlicet no-

(*a*) Würdtw., p. 249. Ser. CXLII. — (*b*) T. V Oper., col. 1391. Alias de divers. serm. L. qui etiam inscribitur lib. II, *de Morib. Clericor.* — (*c*) P. 257. — (*d*) Lib. III. Antiquit. Fuld., cap. X, p. 201. — (*e*) Perz. Monum. Germ. Vit. S. Sturm., t. II. p. 360. — (*f*) Pertz. Ibid., p. 377. — (*g*) Schannat. Corp. Trad. Fuld., p. 36.

bilissimis

A bilissimis viris, Vualtoni, Reginaldo, Vuarmondo, Burchardo, qui prædia in confinio ejusdem villæ Fargalaha in proprietatem habeant, ut partes suas Sancto Bonifacio traderent, eumque suum hæredem facerent in terris, ut sui cohæredes fierent in cœlis, qui ita fecerunt, et hæc traditio coram rege confirmata est. *Traditio hæc facta est anno* 774 *aut* 785, *qui littera Dominicali B notantur, et in quibus proinde dies Dominica concurrit cum* XXV *Septembris. Utroque anno Carolus rex in Germania versatus est, ut monstrat nobis Chronicum Laurissense et Einhardi ad hos annos* (*a*). *Vicissim Fuldenses in redintegratæ pacis tesseram et memoriam acceptorum beneficiorum* S. Lulli *nomen in dyptichon sacrum suæ ecclesiæ intulere* (*b*). *Si quid igitur peccatum cum a S. Sturmio, tum a* S. Lullo *fuit, hoc totum delevit et indulgentia illius et hujus liberalitas.*

§ VII. Fundationes S. Lulli.

B

Tentata primum Hersfeldii

Si quidem in præcedenti § *egimus de simultate inter* SS. Lullum *et Sturmium exorta ob procurationem Fuldensis cœnobii, opportunum duximus istis subnectere fundationes, quas fecit episcopus, reliqua ejus gesta postea commentaturi. Prima fundatio* Lulli *nostri ad Hersfeldenses spectat. Jam initium aliquod hujus cœnobii factum fuerat sub S. Bonifacio, immo fundationem Fuldensem præcesserat, ut narrat Eigil in Vita S. Sturmii* (*c*), *octo solidis annis : nihilominus tantum annorum spatium inter utriusque monasterii initia fluxisse, negat Joan. Georgius Eckhardt, in suis commentariis de rebus Franciæ orientalis* (*d*). *Hanc quæstionem, quoniam* S. Lullum *non attingit, ad commentationem de Vita S. Sturmii die* XVII *Decembris disceptandam rejicimus. Unum hic inquirendum venit : num* S. Lullus *vere et proprie fundator Hersfeldensis monasterii dicendus sit. Etenim rem dubiam facit auctoritas variorum scriptorum summæ notæ, qui cœnobium hoc S. Bonifacio adscribunt. Imprimis Lambertus Schafnaburgensis, ipse Hersfeldensis monachus, in suo chronico* (*e*) *aperte dicit sub anno* 736 : Initium Herveldensis monasterii. *Ad eumdem annum refertur ab*

C *Anonymo Erfordiensi in Historia de Landgraviis Thuringiæ* (*f*) *et a Mabillon in Vita S. Sturmii* (*g*). *Si autem huic anno attribuenda est origo Hersfeldensis, procul dubio et S. Bonifacium fundatorem agnoscamus oportet, utpote qui tunc, viribus et ætate florens, res Germanicas solus procuraret. Verum cum nullus auctor coævus aut suppar istiusmodi quid dicat : censeo in hac quæstione Eigili inhærendum esse dicenti, initium quidem Hersfeldii factum, sed nono dein anno, constituto Fuldensi cœnobio, inchoatum monasterium derelictum fuisse. Elucet id ex toto contextu Eigilianæ narrationis : nam cum jussu S. Bonifacii, Sturmius et comites ejus in Buchoniam perrexissent, ad aptum monachis locum perquirendum,* die tertio, *ait Eigil* (*h*), pervenerunt ad locum qui usque hodie Hersfelt dicitur ; visis exploratisque ibidem locis circumquaque positis, Christum sibi locum illum ad inhabitandum benedici poposcerunt, atque in loco illo ubi nunc monasterium situm est, parva, arborum corticibus tecta, instruunt habitacula.

54 *Sturmius refert magistro suo quæ reperit, ast respondet Bonifacius :* Locum quidem quem repertum habetis, habitare vos propter viciniam barbaricæ gentis pertimesco : sunt enim ut nosti, illic in proximo feroces Saxones. Quapropter vobis remotiorem et inferiorem in solitudine requirite habitationem, quam sine periculo vestri colere queatis. *Sturmius itaque novas instituit inquisitiones, et tandem reperit* a Domino jam dudum præparatum locum, *scilicet Fuldam, quo, consentiente Bonifacio, discipulos suos transtulit Sturmius. Reliquerunt* arborum corticibus tecta habitacula, *neque enim aliud quidpiam construxisse Sturmium narrat Eigil : et locus novennio incultus ad vastitatem rediit. Eatenus consentientes mecum habeo Gabrielem Bucelinum* (*i*), *et qui illum sequitur Cointium* (*k*) ; *verum addunt sub anno Christi* 750 *dictum monasterium a S. Bonifacio inceptum fuisse, S. Sturmio excultum, per* Lullum *denique nostrum perfectionem attigisse. Sed nihil hujusmodi conjecturæ adminiculatur : tacent antiquiores de Hersfeldensi cœnobio, donec S. Sturmius ad suos redux cum Pippini regis diplomate, quo a* Lulli *ditione eximebatur monasterium, hic alio cogitationes et affectum convertit, et* E *rudera Hersfeldensia ad justi asceterii formam redegit. Anonymus Vitæ scriptor num.* 23 *rei gestæ seriem sat accurate narrat :* Non mediocri tædio jam (viri) afficiebatur animus, cum videret tot tantosque labores suos incassum effluere, beneficiis invidiam non extingui.... extremæ vero dementiæ esse huic loco tantas rerum impensas sine fructu insumere, quibus alio in loco perenne..... monumentum posset extruere..... Locus autem erat in saltu Buchoniæ, cui Hersveldt nomen indidit antiquitas; habitationi monachorum peropportunus. *Refert dein causam cur Sturmius jussu Bonifacii illud reliquerit, ac narrationem suam prosequens :* Locus, *ait,* Herveldensis, tradente Beato Bonifacio, in proprium cessit Sancto Lullo, qui jam tunc forsitan construendi illic monasterii desiderium animo conceperat..... in hunc locum omnes copias suas, dedita opera, coegit. Succisis profusius arbustis, amplioris numeri fratribus spatium laxavit, ipsum cultioribus ædificiis extruere aggressus est... brevi temporis processu Herveldense nomen in immensum gloriæ et magnitudinis culmen evaserat.

55 *Postrema verba mea sententia non indicant perficitur,* F *ante* Lulli *fundationem jam aliquos Hersfeldiæ habitasse monachos ; sed locum a Sturmio olim præparatum, nunc accomodatum fuisse ut plures incolas caperet. Neque vero ulla anterioris fundationis Hersfeldii ratio apparet. Certum est enim, moriente S. Bonifacio, completum necdum fuisse Fuldense monasterium, quod perficiendum commendavit discipulo et successori suo* Lullo *S. Martyr, ut vidimus supra num.* 44. *Quid igitur causæ impulisset ad novum ædificandum monasterium? Nulla quidem illius condendi necessitas apparet : non religionis propagandæ ; quam initio viciniores Saxones aspernabantur, cujusque postea apostolum nacti sunt ipsum S. Sturmium Fuldensem. Nova habitacula neque requirebat monachorum numerus, cui abunde sufficiebat, istis quidem principiis, vel inchoatum Fuldæ monasterium. Tandem talem nobis non fingamus Bonifacium, ut monasticam aciem, quæ maxime sua potens est unitate, bipartiri voluerit.*

56 *Ex hactenus dictis, videmur posse elicere tem-*

AUCTORE J. V. H.

fundatio, a S. Lullo

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. I, p. 152 et 166. — (*b*) Gori, Thes. Vett. Dyptt., t. II, p. 198. — (*c*) Ibid., t. II, p. 370. — (*d*) T. I, p. 460. — (*e*) Pistor. Scriptt. rer. Germ., t. I, p. 309. — (*f*) Ibid., p. 1300. — (*g*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. III. part. II, p. 271. — (*h*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 367. — (*i*) German., Sacra., part. II, t. I, p. 44. — (*k*) Ann. Franc. ad an. 745, § LXXX, t. V, p. 134.

pus,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H. circa annum 766.

pus, quo Hersfeldia incepit : quando scilicet S. *Sturmius ad Fuldenses suos rediit, cum diplomate regio, transferente dictum monasterium a jure episcopi circa temporalia ad jus regis. Quod quidem puto anno* XII *Pippini regis accidisse : prima enim traditio Sturmio abbati inscripta* (*a*) *huic anno illigatur, qui a* XXVIII *Julio cum anno æræ vulgaris* 765 *concurrit. Eodem autem anno* XII *Pippini,* V *kal. Septembris, pro monasterio Fuldensi emerat* Lullus *varia prædia a Leidrato comite* (*b*) ; *post hunc igitur diem monasterii sui regimen adeptus fuerit S. Sturmius : unde satis placet conjectura Joan. Georgii Eckhardt* (*c*), *qui donationem Sturmianam, cum signum mensis præ se non ferat, ad annum sequentem, id est Christi* 766 *transfert. Ad hunc itaque annum, aut, si quis maluerit, ad præcedentem referenda sunt initia Hersfeldensis cœnobii, quod* Lullus *noster excolere cœpit, quando post reditum Sturmii, se spoliatum vidit omni jure, quod in Fuldam prætendebat, ut satis aperte declarat Anonymus num.* 54 *citatus. Ab hoc igitur anno initium stabilis monasterii in Hersfeldia deducendum est, quod deinde in amplissimam ditionem excrevit:* Situm est, *ait Gabriel Bucelinus* (*d*), loco percommodo in Hassia, quod præ ipsa Fulda.... Lullus dilexit, et illud amplissimis redditibus beavit, quod etiam e cœlis ipsis respicere præ aliis visus est S. Wigbertus, magnus et ipse Germaniæ Apostolus, apparensque Albuino Fristislariensi præsuli, eo suum corpus transferri voluit, quod Ernestus, Baturichus et Wolfus monachi summa religione et devotione quam primum præstitere (*e*) : sepulti ibidem BB. Albuinus (*f*) et Lullus magnum insuper loco nomen peperere. Reformavit monasterium idem S. Gotthardus (*g*), a Willigiso primo Moguntiæ electore exoratus. Idem sanctitate abbas S. Bardo (*h*) illustravit, qui extractus ad Monguntinam cathedram toti Germaniæ singulari ornamento fuit, ob mirificam pro concione eloquentiam alter Chrysostomus appellatus.

B

Extrema fata hujus cœnobii.

57 *Hersfeldensis fundatio integra perstitit usque ad initium sæculi* XVI. *Tunc enim, ut liquet e bulla Leonis X, data pridie non. Maii* 1513 (*i*), licet monasterium in Hersfelt.... insigne et notabile ac propriis facultatibus opulentum fuisset, nihilominus a pluribus retroactis annis propter succedentium temporum sinistros eventus, seu etiam forsan incuriam vel potius impotentiam eorum, qui illi præfuerant, illud in ejus temporali dominio, bonis redditibus et facultatibus ex rerum alienationibus, etc. admodum diminutum, nec non ære alieno et debitorum onere gravatum et oppressum existebat. *Propterea Pontifex Hersfeldense monasterium* cum omnibus juribus et pertinentiis *suis Fuldensi cœnobio* perpetuo unit, annectit et incorporat. *Verum illa res pacate non processit, ut videre est in Historia Fuldensi* (*k*) : *obstabant quippe illi negotio tum subditi Hersfeldenses, tum Anna Mechelburgica, Wilhelmi Hassiæ Landgravii vidua et mater Philippi minorennis, ad quem spectabat suprema et hæreditaria in dictam abbatiam advocatia. Fastidiosum et ab Opere nostro alienum esset, longæ et intricatæ controversiæ ambages et vicissitudines explicare. Sufficiat coronidis loco apponere, opulentum hoc monasterium in jus Protestantium abiisse, et* XXIV *Octobris anni* 1648 *per leges pacis Westphalo-monasteriensis Hassiacæ familiæ confirmatum fuisse* (*l*) : Domus Hasso-Casselana ejusque successores abbatiam Hirsfeldensem cum omnibus appertinentiis secularibus et ecclesiasticis, sive intra, sive extra territorium (ut præpositura Gellingen) sitis, salvis tamen juribus, quæ domus Saxonica a tempore immemoriali possidet, retineant, et eo nomine investituram a Cæsarea majestate toties, quoties casus eveniret, petant et fidelitatem præstent.

C

Fundatio in Cassel,

58 *Altera nobis* S. Lulli *fundatio innotescit ex historia S. Ferrutii, Martyris Moguntini, de quo nobis ad diem* XXVIII *Octobris agundum erit. E narrationes ejus translationis, cripta a Meginhardo Fuldensi, qui circa annum* LXXX *sæculi noni floruit, hæc habentur* (*m*) : Ibi (*in loco dicto* Castello *hodie* Cassel *juxta Moguntiam*) membra sacratissima, beneficiis divinitus comitata, a civibus frequentata, usque ad Lulli venerabilis pacifice quieverunt pontificatus tempora, qui post Sanctissimum Martyrem atque pontificem Bonifacium, sedis Moguntiacensis strenue rexit populum. Hic itaque prædecessoris atque magistri sui sequax egregius, cum per sedis suæ diœcesim ecclesias construeret, monasteria fundaret, regnumque Francorum Christianæ religionis cultu longe lateque nobilitaret, Reliquias Sancti Ferrutii in lætantium locum transtulit, Deoque sub cœnobialis normæ disciplina militantes adunare curavit, spiritu ferventes, spe gaudentes, idipsum sentientes, animas suas castificantes in obedientia charitatis, in amore fraternitatis. Boni vero pastoris usus providentia, fratribus ipsis, ne deficerent in mandatorum Domini via, victus atque vestitus sufficientes redditus contradidit, ipsumque locum donec in corpore vixit, summa devotione pro Sancti reverentia coluit. Postquam autem domus ejus terrestris habitationis hujus luteæ soluta est, ut non manufactam, sed æternam in cœlis inhabitaret, pontificatus illius pariter et religionis successores, Richolfus, Haistolphus et Rabanus, eadem devotione locum sanctum coluerunt, ecclesiam amplificaverunt, tumbam sanctarum exuviarum decenter composuerunt, pauperes Christi sacris ossibus excubantes humanitatis summæ consolatione foverunt.

D

E

in loco dicto Bleidenstadt,

59 *Auctores Galliæ Christianæ, dum agunt de hoc monasterio* (*n*), *dubium aliquod insinuant, num forsan S. Bonifacius, aut ejus discipulus Sturmius cœnobium illud fundarint, antequam* Lullus *noster supremam quasi manum operi admovisset. Sed ex supracitato textu satis liquet Sanctum nostrum non solum perfecisse, sed inchoasse quoque opus pium ; habemus enim rei testem omni exceptione majorem : nam Meginhardus, Fuldensis monachus, auctor subæqualis, flosculo illo patres et patronos suos non facile privasset, ut* Lullum, *quem monachi in Fuldam suam arbitrabantur iniquiorem, ornaret. Monasterii nomen* Locus lætantium *dictum fuit, germanice* Bleidenstadt, *quæ vox intercidit apud Germanos, sed in Flandria viget adhuc* Blyd, verblyden, *etc. Fata hujus monasterii, de quo pauca admodum in scriniis nostris inveni, explicari poterunt ad Vitam S. Ferrutii, die* XXVIII *Octobris dandam : unum sufficiat hic addidisse, cœnobium istud in collegiatam ecclesiam mutatam fuisse anno Christi* 1495 *per Alexandrum VI, et in mediis Lutheranis Catholicam fidem illibatam servavisse* (*o*).

F

(*a*) Schannat. Corp. Trad. Fuld., n. XX. p. 10. — (*b*) Ibid., n. XXIII, p. 12 — (*c*) Comm. de reb. Fr. Orient., t. I, p. 588. — (*d*) Germ. Sacr., part. II, p. 44. — (*e*) Act. SS., t. III Augusti., p. 132. — (*f*) Agetur de illo XXVI Octobris. — (*g*) Melius Godehardus, Hildesiensis episcopus, t. I Maji, p. 501. — (*h*) Act. SS., tom. II Junii, p. 299. — (*i*) Schannat. Hist. Fuld. Prob., p. 347. — (*k*) Schann. Hist. Fuld., p. 249. — (*l*) Dumont. Traité Diplomatique, t. VI, part. I, p. 453. — (*m*) Surius XXVIII Octob., p. 394. — (*n*) T. V, col, 579. — (*o*) Cfr Gall. Christ, l. c. et Christ. Joannis Rer. Mogunt., t. I, p. 807.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

§ VIII. Dedicationes ecclesiarum.

S. Lullus consecrat ecclesias, in Ordorff

Quantum nobis monumenta fide digna suppetierunt expedivimus quæ ad fundationes a S. Lullo factas pertinent : nunc reliqua ejus gesta prosequemur. Serarius noster lib. IV, § XII rerum Moguntinarum dicit : Anno DCCLXXVII ecclesiam in S. Petri honorem dedicavit Ordorffii. Subnotat autem Christ. Joannis (a) : Non memini apud veterum quemdam fide dignorum me legere Ordurfi illum (Lullum), quod auctor habet, ædem sacram de novo excitatam, anno DCCLXXVII D. Petri honori consueto cæremoniarum ordine et apparatu dedicasse. Fugit virum doctum, hanc consecrationis auctoritatem fulciri chronico Lamberti Schafnaburgensis, scriptoris sæculi XI, qui sub hoc anno diserte dicit (b) : Dedicatio ecclesiæ in Ordorff a Beato Lullo in honore S. Petri. Potuit certe Lambertus, finitimus et summæ fidei scriptor ex traditione Ordorfiensi factum rescire : non est igitur cur auctoritatem ejus in re alioquin minimi momenti elevemus. Non dissimulabo tamen difficultatem aliquam facessere, quod monasterium, a S. Bonifacio Ordorfi fundatum, Sanctum tutelarem habuerit Michaelem Archangelum, ut late monstrat Othlonus lib. I, cap. XXIX (c) ; immo et hoc patrocinium usque ad finem sæculi XVI perseverasse, testis nobis est Joan. Burchard. Menckenius in legenda Bonifaciana (d) : Hæc ecclesia, inquit, etiamnum parochiæ vicem Ordruffii subit et vocatur die Pfarr zu St Michael, in litteris conventionis Joachimi abbatis Hersfeldensis cum Friderico Wilhelmo duce Saxoniæ XXIV Maji anno MDXCIV de feudo comitum Gleichensium Ordruffiensi et Wechmariensi, Vide citatum diploma in Thuringia Sacra (e). Idem constat ex litteris fundationis altaris et vicariæ S. Crucis in der Pfarrkirche Sanct Michaelis, datis a Sigismundo, comite Gleichensi, feria IV post Epiphaniam anni 1494 (f). Hinc factum est, ut Ordorfiensis civitas, licet anno 1527 ad Lutheranos defecerit, tamen Michaelem Archangelum perpetuo ad nostram usque ætatem in insignibus gesserit (g).

B

sub invocatione S. Petri :

C

61 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, liquet male aliquos S. Lullo adscribere dedicationem ecclesiæ S. Michaelis Ordorfii, quæ quoniam circa annum 727 exstructa fuit, Bonifacium potius quam ejus successorem, consecratorem habuit. Sed in eodem loco alia fuit ecclesia, sub invocatione S. Petri constructa, quam S. Lullus consecraverit. Verum quidem est laudatum Lambertum constructionem hujus ecclesiæ ad annum 980 referre, cum dicat (h) : Gozbertus Hersfeldensis abbas ecclesiam construxit in Ordorf, quam in honorem S. Petri dedicatam autumant ; sed hinc falso deduceretur nullam ante hæc tempora ecclesiam sub ejusdem nominis invocatione exstitisse. Notum est initio sæculi decimi Hunnos sive Hungaros Germaniam et Franciam vastasse ; speciatim vero Thuringiæ igne et gladio illos incubuisse, testis nobis est Regino, in suo Chronico lib. II, sub ejusdem sæculi annis VIII, XII, XV (i). Hujuscemodi certe bellis destructum opinantur eruditi monasterium S. Michaelis (k) ; quidni etiam ecclesiam S. Petri ; præcipue quum utrumque factum referatur ab eodem Lamberto, scriptore accurato et domestico ? Perierit dicta ecclesia per Hunnos, quam Gozbertus dein reædificaverit : sui unicuique facto stabit veritas. Hæc fundatio, quæ deinde in collegium canonicorum abiit, postea Gotham translata fuit, ut pluribus diplomatis ostendit Tentzelius in supplemento Historiæ Gothanæ (l).

AUCTORE J. V. H.

in monasterio Laureshamensi,

62 Longe certius est Lullum nostrum dedicasse ecclesiam Laureshamensem, quamvis hæc dedicatio aliam habeat difficultatem, quam infra discutiemus. En verba Chronici Laureshamensis (m) : Subsequente post hæc anno, id est Dom. incarnationis DCCLXXVII, sed a fundatione sive exordio Laureshamensis monasterii anno XIII, regni vero Caroli, ex quo, defuncto fratre suo Carlomanno, monarchia ad eum transit, anno VI, Gundelandus abbas, perfecta jam templi fabrica, et ut domum Dei decebat, omni specie decoris exornata, apud Spiream civitatem regi occurrit, magnopere deprecans, ut ipsius ecclesiæ consecrationi præsens interesse dignaretur ; cui pius rex benigne assentiens, cum regina Hildigarda, filiisque Carolo, Pipino, Ludovico ac pluribus regni principibus per Lullum Moguntinæ sedis archiepiscopum et Beati Bonifacii episcopi et Martyris successorem, atque per episcopos, Megingozum (Wirceburgensem), Wiomudum (Trevirensem), Angilramnum (Metensem), Waldricum (Pataviensem), magnifico apparatu et summa veneratione in capite kalendarum Septembrium dedicationem ejusdem ecclesiæ celebravit, corpusque Beati Martyris Nazarii, domini et patroni nostri, in eam maximo devotionis honore transtulit, ubi quanta miracula, quæ virtutum insignia per ipsius merita divinitus effulserint, quanta ex diversis morbis, casibus, miseriis, angustiis remedia pro ex tunc et deinceps provenerint, non est nostræ facultatis evolvere ; præsertim cum sit de his libellus, a majoribus nostris prosaico metricoque stilo satis elucubrate compositus. Præterea quoque excellentissimus rex inter cætera liberalitatis suæ dona, quæ velut alter Salomon, in simplicitate cordis sui Domino lætus obtulit, villam Obbenheim cum omni integritate Laureshamensi monasterio tradidit, per quam eamdem ecclesiam in die consecrationis largissime dotavit et ditavit, cum hujusmodi confirmationis præcepto. Sequitur in citato codice diploma donationis datum IV. Non. Septembris anno VI regni nostri. Actum Wormatiæ, civitate publica feliciter.

E

anno, ut monstratur,

F

63 Totum fragmentum in extenso hic apposuimus, quia varia in illo occurrunt quæ controversam epocham dedicationis dilucidare valent. Qualem vero auctor chronici describit, omnino retinendam, quidquid dicant Pagius et ejus sequaces, censemus. Præcipuum momentum nostræ opinionis est, quod chronologicæ notæ sibi constent : anni enim Caroli regis, tum fundati monasterii aptissime inter se conveniunt. Nam Carolus, qui, mortuo Carlomanno fratre, Austrasiam anno LXXII sæculi octavi adeptus erat, recte anno VI regni sui dedicationi adfuisse dicitur. Monasterium vero, ut habet idem codex Laureshamensis (n), fundatum fuit anno ejusdem sæculi LXIV ; nec movere debet quod annus XII regni Pippini huic anno illigetur, quum potius esset annus tertius decimus ; errorem hunc, si incurioso librario tribuere nolumus, adscribere debemus diplomati donationis, in quo cum annus duodecimus absque æræ vulgaris mentione recenseretur, lapsus est chronographus, et eidem anno Pippiniani regni donationem et fundationem monasterii tribuit. Nam post donationem incepisse monasterii ædificationem, ex consequentia chronici manifeste deducitur (o) : Re-

(a) Rer. Mogunt., t. I, p. 377. — (b) Pistor. Scriptt. Rer. Germ., t. I, p. 310. — (c) Rer. Mogunt., t. I. p. 220. — (d) T. I Scriptt. Rer. Germ., p. 837. — (e) Henr. Otto. Thuring. Sacr., p. 39. — (f) Ibid., p. 30. — (g) Ibid., p. 21. — (h) Pistor. Scriptt., t. I, p. 315. — (i) Ibid., t. I, p. 101. — (k) Thuring. Sacr., p. 27. — (l) T. II, p. 106. — (m) Marq. Freher. Scriptt. rer. Germ., t. I, p. 100 et Codex Lauresh., t. I, p. 18. — (n) T. I, p. 2. — (o) Ibid., p. 6.

verendus

AUCTORE J. V. H

verendus itaque pontifex Rudgangus *(Chrodegangus)* votum ac petitionem venerabilis Williswindæ *(donatricis)*.... amplexus,... Gundelandum germanum suum.... eidem loco præfecit, ipsumque cum omnibus pertinentiis suis, eo tenore, quo sibi tradita fuerant, suæ dispositioni commendavit, fratres quoque.... a Gorzienzi monasterio, quod ipse pridem construxerat, cum ipso dixerit, cuncta eis necessaria tam in alimentis, quam in cæteris subsidiis impertiens. *Ex his manifestum fit monasterium incoli cæptum post* IV *id. Julias anni* 763, *et probabiliter non nisi anno sequenti in veri monasterii formam fuisse redactum ; et proinde recte dicitur annus tertius decimus decurrisse, quando anno Dominicæ Incarnationis* 777 *ecclesia Laureshamensis dedicabatur. Cæterum hæc epocha certior etiam fiet ex ipsa refutatione rationum, quas objiciunt Pagius et alii, qui sententiam ejus propugnant.*

LXXVII *sæculi octavi* :

64 *Pagius* (*a*) *imprimis objicit Chronicum duplex Fuldense, quod habet anno* 774 *celebratam fuisse dedicationem Laureshamensem : et magni profecto a nobis fieret utriusque chronici auctoritas, nisi contradiceret testi domestico, qui coram habuit, ut ipse loquitur*, libellum a majoribus suis prosaico metricoque stilo satis elucubrate compositum. *Harum scriptionum auctoritatem etiam elevat, quod unicam habeant notam numeralem, quam facile corrumpunt, ut satis notum est, succedentes sibi amanuenses ; dum e contrario Laureshamensis codex ternas hujusmodi notas exhibet perfectissime concurrentes. Objicit dein laudatus Pagius ecclesiarum dedicationes non nisi diebus Dominicis fieri consuevisse ; anno autem* 774 *quamvis prima Septembris incideret in feriam* V, *caput tamen kalendarum Septembrium, seu diem* XIX *kalendas ejusdem mensis* (XIV *Augusti*), *concurrere cum Dominica : quod anno nostro non contingit. Ultro concedimus dedicationes fieri consuevisse diebus Dominicis ; ast regula est, quæ suas patitur exceptiones, ut vel ex ipso Pagio probat Car. Meichelbeck* (*b*), *et inter quas merito recenseri potest adventus Caroli ejusque familiæ. Jam supra vidimus, quomodo annus* XIII *fundati monasterii cum anno Dominicæ Incarnationis* LXXVII *supra septingentesimum concurrat. Tandem Pagius delatam vult parenthesim, qua dicitur annum sextum Caroli numerandum esse a morte Carlomanni fratris ; sed recte, mea sententia, parenthesis apponitur, meritoque Carolus regnum suum ab hac epocha orditur, siquidem tunc primum Austrasiam, qua Laureshamum et Wormatia continebantur, obtinuit.*

et templum S. Goaris, qua occasione explicatur

65 *Tertia, quam celebrasse antiqui scribunt, dedicatio fuit ecclesiæ S. Goaris, qui locus inter Wesaliam et Boppardiam ad Rhenum situs, postea in oppidum excrevit. Intra fines episcopatus Trevirensis, quem tunc Wiomadus regebat, continebatur. Hinc mirum videri potest consecratione hac functos fuisse episcopos ad provinciam Moguntinam pertinentes*, Lullum *scilicet metropolitam, Basinum Spirensem et Megingaudum Wirceburgensem, ut refert Wandelbertus Prumiensis, scriptor subæqualis in miraculis S. Goaris* (*c*) : Perfecta jam basilica, ubi jam tempus, quo divino nomini esset consecranda, successit, missi sunt ab excellentissimo principe Carolo : Lullus Moguntiæ archiepiscopus, vir Anglorum gente, moribus et vita laudabilis ; Basinus Nemeti, quæ civitas nunc Spira vocatur ; et Mehingodus urbis, quæ trans Rhenum sita, sermone barbarico Wirziburg appellatur, episcopi, qui omnes a B. Bonifacio pontifice et Martyre fuerant ordinati : ut per eos et ecclesia consecrari et corpus beatissimi viri *(Goaris)* in eum, quo nunc situm est locum tranferri deberet. *Suspicor causam hujus missionis et absentiæ episcoporum Trevirensis provinciæ fuisse, ipsam controversiam tunc pendentem, aut recenter decisam circa proprietatem cellæ S. Goaris, quam laudatus Wandelbertus nitide exponit* (*d*).

probabilis causa absentiæ

66 *Dederat quippe Pippinus Assuero, abbati Prumiensi, cellam S. Goaris ; ast mortuo Pippino,* orta est, *inquit Wandelbertus*, inter Trevirorum pontificem tunc Weomadum et abbatem Assuerum pro eadem cella contentio ; asserente episcopo ad suæ eam Ecclesiæ jus pertinere ; abbate contradicente, esse illam regis lege hereditaria possessionem, neque in ea posse sibi aliquid Ecclesiam vendicare, quæ sibi esset a rege Pippino commissa et in dominium clarissimi Caroli successionis jure transmissa. *Lis hæc diu ventilata tamdem composita fuit in conventu ad Lupiæ fontem, sententiaque pro abbate lata fuit. Atque hinc pronum est judicare ægritudinem animi quamdam expertos fuisse Wiomadum Trevirensem ejusque episcopos comprovinciales ; vix enim quispiam æquo oculo triumphum adversarii spectat, quem ideo multimodis persecutus est, quia injustum eumdem et alienæ rei invasorem reputabat. Ideo igitur Wiomadus consecrationem basilicæ San-Goarianæ facere recusaverit, et* Lullus *noster, sollicitante Carolo rege, munus hoc impleverit, redux a placito Lippiensi.*

episcopi proprii

67 *Nam secundum ea, quæ retulimus, conjectura satis certa assequi possumus, quo anno dedicata fuerit S. Goaris basilica : nam diem,* XXV *scilicet Maii, ut habemus ex Commentario prævio ad Vitam S. Goaris* (*e*), *extra controversiam positum putamus. Annum dedicationis statuit Cointius sexagesimum octavum octavi sæculi* (*f*) : *quoniam, ait, sequenti anno* Mehingodus episcopatum Wirceburgensem abdicavit. *Labitur Cointius, ut monstrat Æmilianus Ussermann, Benedictinus Sam-blasianus, in sua hujus episcopatus historia* (*g*), *quum Megingaudus multo adhuc post hunc annum tempore cathedram Wirceburgensem occuparit : quod et nos quoque monstravimus supra num.* 63, *discutientes epocham dedicatæ basilicæ Laureshamensis. Ruit proin præcipuum Cointii argumentum : unde mirari licet, cur laudatus Æmilianus Ussermann eumdem annum dedicationis ecclesiæ S. Goaris admiserit. In eamdem quoque sententiam concessit noster Josephus Harzheim* (*h*). *D. Bouquet* (*i*) *ponit celebritatem habitam fuisse anno* LXXVI *ejusdem sæculi octavi : probabilius, quia in nota ad epistolam Hadriani Papæ senserat Weomadum dicto anno obiisse* (*k*). *Verum, ut non dicamus hunc episcopum usque ad annum* XCI *ejusdem sæculi, quod censent nonnulli* (*l*), *vitam suam prorogasse, nihilominus etiam post annum, a D. Bouquet signatum, vixisse, e consecratione ecclesiæ Laureshamensis supra num.* 63 *habemus.*

seu diœcesani Trevirensis.

68 *Unum credo certum, dedicationem basilicæ Goarianæ non prius celebratam fuisse, quam composita fuerit controversia, inter Weomadum et Assuerum pendens. Ex Wandelberto porro, ut dictum est, habemus cellam S. Goaris cessisse abbati Prumiensi*, habito in Saxonia super fontem, qui Lupia dicitur, generali conventu. *Nullus autem in dicto loco conventus occurrit ante annum Christi* 780. *Sub hoc anno Annales Francorum Loiseliani*

(*a*) Crit. Baron. ad an. 774. § XVIII. — (*b*) Chron. Benedicto-Buran. Præf. p. XXIII et seq. — (*c*) T. II Julii, p. 338. n. 4. — (*d*) Ibid., p. 345, n. 37. — (*e*) Ibid., p. 331, n. 24. — (*f*) Ad 768, § XLIV, t. V, p. 729. — (*g*) Episcopat. Wirceburg., p. 12 et seq. — (*h*) Conc. German., t. I, p. 124. — (*i*) Rec. des Hist. de Fr., t. V, Ind. chronolog., p. LII. — (*k*) Ibid., p. 595. — (*l*) Gest. Trevir. t. I, p. 80. Edit. Trevir. 1836.

habent

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *habent* (*a*) : Tunc domnus Carolus rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Heresburgum pervenit, et inde ad locum, ubi Lupia consurgit. *Idem habent Annales Metenses sub dicto anno* (*b*), *quibus consonat Vita Caroli metrica, quæ Eginhardi vestigia presse sequitur* (*c*) :

Eresburg primum petiit, post hæc ubi fontes
Lippia flumen habet, perplurima dispositurus ;
In castris aliquot fertur mansisse diebus.

In hoc itaque conventu anni 780 *censeo litem de cella S. Goaris fuisse diremptam : nisi tamen quis velit in conventum anni* 782 *disceptationem rejicere, quando in eodem loco placitum magnum celebratum fuit. Ast mihi præplacet prior sententia, quum sciamus postremis vitæ annis* S. Lullum, *infirmitatibus pressum, vix potuisse operosis istiusmodi officiis vacare. Cæterum hæc controversia in causa probabilius fuit, cur tam ipse, quam alii Moguntinæ provinciæ episcopi invitati fuerint, ut consecrationem peragerent, cum nullus illorum ad provinciam Trevirensem pertineret : etenim dirempta etiam lite, manet plerumque aliquod quasi simultatis fermen-*
B *tum, quo viri, cæterum sanctissimi, infecti vix æquo animo adversariorum victoriam tolerant. Hinc recusaverit Weomadus dedicare ecclesiam, et* Lullus *noster, sollicitante rege Carolo, munus hoc impleverit, reduæ a placito Lippiensi.*

§ IX. De pallii honore tardius delato et de conciliis quibus S. Lullus interfuit.

Rariora erant concilia, propter frequentiam placitorum :

Mirum videri poterit consideranti frequentiam synodorum, vivente sancto Bonifacio, celebratarum, nullum hujusmodi conventum habitum fuisse sub S. Lullo *successore ejus. Præcipua hujus rei causa mihi videtur ipse modus, quo annis singulis ad campum Maii optimates regni convocabantur. Hincmarus Remensis, qui, ut ipse dicit, Adalhardum Corbeiensem Carolo cœvum exscribit, nobis testatur* (*d*), consuetudinem tunc temporis talem fuisse, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spatium, quod ordinatum nullus
C eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas universorum majorum, tam clericorum quam laicorum, conveniebat : minores propter idem consilium suscipiendum, et interdum pariter tractandum, et non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum. *In his autem placitis proponebantur et confirmabantur* Capitularia ; *nemo autem nescit quam accurate rem ecclesiasticam universam, consentientibus episcopis, componebant. Hæc vera, meo judicio, ratio est, cur rariores essent synodi proprie dictæ. Huc etiam facit, quod hierarchia metropolitana, a S. Bonifacio instaurata, illo mortuo, intercedisse videatur, donec iterum, ut infra monstrabimus, restituta fuerit ab Hadriano Papa. Nam metropoliticam dignitatem, Moguntinæ Ecclesiæ assertam fuisse, non solum S. Bonifacio, sed perpetuo ejus successoribus, habemus ex epistola Zachariæ Papæ* (*e*).

ad celebranda tamen concilia

70 *Sunt nihilominus scriptores* (*f*), *qui ideo putant in Moguntina provincia synodum episcoporum celebratum non fuisse, quia* Lullus *noster, pallio archiepiscopali destitutus per viginti circiter annos, potestatem non habuit concilia convocandi. Allegatur in favorem hujus opinationis epistola S. Bonifacii ad Cudberthum ; sed dubito num stringat argumentum hujus epistolæ auctoritas ; en ejus verba* (*g*) : Decrevimus autem in nostro synodali conventu et confessi sumus fidem catholicam et unitatem et subjectionem Romanæ Ecclesiæ, finetenus vitæ nostræ velle servare sancto Petro, et vicario ejus velle subjici : synodum per omnes annos congregare : metropolitanos pallia ab illa sede quærere, et per omnia præcepta Petri canonice sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur. Et isti confessioni universi consensimus, et subscripsimus, et ad corpus sancti Petri principis Apostolorum direximus, quod gratulando clerus et Pontifex Romanus suscepit. Statuimus ut per annos singulos canonum decreta et Ecclesiæ jura et norma regularis vitæ in synodo legantur et recuperentur. Decrevimus ut metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur ceteros et admoneat et investiget, quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisve negli-
E gens servus Dei.... Statuimus, quod proprium sit metropolitano, juxta canonum statuta, subjectorum sibi episcoporum investigare mores et sollicitudinem circa populos, qualis sint (*sit*). Et moneat ut episcopi a synodo venientes, in propria parochia cum presbyteris et abbatibus conventum habentes, præcepta synodi servare insinuando præcipiant. Et unusquisque episcopus, si quid in sua diœcesi corrigere vel emendare nequiverit, itidem in synodo coram archiepiscopo et palam omnibus ad corrigendum insinuet, eodem modo, quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum sacramento constrinxit, ut si sacerdotes vel plebes a lege Dei deviasse viderim, et corrigere non potuerim, fideliter semper Sedi apostolicæ et vicario S. Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim, ni fallor, omnes episcopi debent metropolitano, et ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, et sic alieni fient a sanguine animarum perditarum. De cætero, frater charissime, quia nobis æqualis labor et majus periculum imminet, quam ceteris sacerdotibus, quia canones antiqui præcipiunt, ut omnes metropolitani (*melius*, metropolitanum) sciant sollicitudinem totius
F provinciæ gerere.

non indigebant

71 *In hac quidem epistola videtur S. Bonifacius majus aliquid requirere a metropolitano*, qui sit pallio sublimatus ; *ast istud tamen restringitur ad* hortationem, monitionem, investigationem, *proindeque ad quamdam inspectionem, sese fortassis extendentem etiam in illos episcopos, qui alioquin jure metropolitico subjecti archiepiscopo non erant : videtur proin pallii honor nihil commune habere cum jure celebrandi concilii. Quod si nihilominus ita voluerit quis verba citata torquere, ut ad synodum cogendam aptentur, is profecto explicare debebit, qui factum fuerit ut cum decreto synodali caveatur,* ut metropolitani pallia a Sede apostolica quærant, *tamen* Lullus *noster per viginti circiter annos hoc ornamento caruerit ? Lubens agnosco cum Maurinis editoribus operum S. Gregorii magni* (*h*) *primum exemplum necessitatis pallii accipiendi pro metropolitanis episcopis, in citato synodali decreto occurrere : videtur nihilominus vim legis non obtinuisse, utpote quod exsecutioni non fuerit mandatum, secundum notum adagium* (*i*) : Leges instituuntur, cum pro-

(*a*) D. Bouquet, t. V. p. 40. — Ibid., p. 343. — (*c*) Ibid., p. 144. — (*d*) Ibid., t. IX, p. 267. — (*e*) Epist. LXXXVIII. Würdtw., p. 241. Ser. deest.— (*f*) Binterim Deutsch. Conc., t. II, p. 35. — (*g*) Epist. LXXIII. Würdtw., p. 197. Ser. cv. — (*h*) Lib. IX, epist. XI, ad Brunechild. regin., t. II. col. 936. — (*i*) Can. III, dist. III.

AUCTORE J. V. H.

mulgantur ; firmantur, cum moribus utentium approbantur. *Alioquin quomodo in epistola mox citanda Hadrianus Papa vitio non vertisset* S. Lullo *tamdiu illum distulisse petitionem pallii, maxime se insigne illud archiepiscopale necessarium fuisset ad concilia convocanda ? Quare non immerito Sebast. Berardi in sua commentatione de Canonibus Gratiani* (*a*) *statuit legem accipiendi pallii impositam metropolitis fuisse anno* 877 *in Concilio Ravennatensi* (*b*) : *nisi malimus illud septennio antevertere, et proin referre ad canonem* XVII *synodi œcumenicæ Constantinopolitanæ anni* 870 (*c*).

illa tempestate metropolitani pallio :

72 *Cajetanus Cenni, in notis ad Concilium Romanum anni* 779 (*d*), *recte dicit Hadrianum Pontificem instauratorem fuisse metropoliticæ dignitatis in Galliis, ut monstrat ex ejusdem Papæ epistola ad Bertherium Viennensem* (*e*), *in qua*, auctoritate, *ait*, B. Petri principis Apostolorum singulis metropolitis antiquo more potestatem suam reddidimus, et filium nostrum gloriosum et inclytum regem Karolum ante corpus B. Petri inde rogavimus, ut antiquam dignitatem omnis metropolis haberet. Ideo hanc epistolam auctoritatis nostræ

B

omnibus misimus, quam et tu, ut haberes, voluimus, ut tu nosceres Ecclesiæ tuæ privilegium, quod a tempore Beati Leonis habuit, esse integre reformatum. Datum kalendis Januarii, imperante piissimo Augusto Constantino, annuente Deo coronato piissimo rege Karolo, anno primo patriciatus ejus (774). *Ex his patet quare tamdiu caruerit* Lullus *noster pallio et nomine archiepiscopali, quod fortassis hoc vel sequenti anno primum consecutus est. Cæterum cum laudato Cajetano consentire non possum, quando dicit* (*f*) *sæculo octavo invaluisse, ut* nullam ante pallium auctoritatem haberent *archiepiscopi. Quos enim affert hujus opinionis auctores, ad sequentia sæcula pertinent, ut canon* XVII *Concilii Constantinopolitani œcumenici* VIII, *anno* 870 *celebrati* (*g*), *etc. Imo canon* II *Concilii Vernensis anni* 755 (*h*), *seu, ut mavult Mansi* (*i*), *anni sequentis, expresse prævidet casum, quo metropolitani non habentur, et propterea episcopos aliquos* in vicem metropolitanorum constituit, *donec ait*, secundum canonicam institutionem hoc plenius emendemus.

quod tardius accepit

73 *Cæterum valde mihi suspecta videtur epistola Hadriani Papæ ad Tilpinum Remensem archiepiscopum, prout ex Flodoardo in collectionem epistolarum Romanorum Pontificum manavit. Eadem quoque dubiam habuit Remigius Ceillier, Benedictinus monachus, utpote quæ in controversiam vocet*

C

legitimam Sancti Lulli *ordinationem* (*k*). *Ante omnia opus est ut ipsum textum lectori exhibeam* (*l*) : Injungimus etiam fraternitati tuæ, ut quia de ordinatione episcopi nomine Lulli, Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ, ad nos quædam pervenerunt, assumptis tecum Viomago et Possessore episcopis, et missis gloriosi ac spiritualis filii nostri Caroli Francorum regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, et fidem ac doctrinam illius atque conversationem, et mores ac vitam investiges ; ut si aptus fuerit, et dignus ad episcopalem cathedram gubernandam, expositam et conscriptam, et manu sua propria subscriptam, catholicam et orthodoxam fidem per missos suos cum litteris ac testimonio tuo seu aliorum episcoporum, quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut pallium illi secundum consuetudinem transmittamus, et ordinationem illius firmam judicemus, et in eadem sancta Ecclesia Moguntina

D

archiepiscopum constitutum esse faciamus. *Hæc e Flodoardi Historia Ecclesiæ Remensis lib.* II *cap.* XVII (*m*) : *e qua, ut diximus, in collectiones Conciliorum fluxit. Obiit vero Flodoardus anno Christi* 966.

S. Lullus *ob*

74 *Quamvis incertus sit annus hujus epistolæ, certe ante annum Christi* 772, *quo Hadrianus Romanam cathedram conscendit, scribi non potuit. Si de solo pallio archiepiscopali mittendo ageretur, nulla foret difficultas : etenim censeo illo sæculo, ut supra monstravi, non consuevisse Romanos Pontifices omnibus promiscue metropolitis pallium concedere, sed observasse adhuc disciplinam a S. Gregorio Magno expositam, qua* (*n*) prisca consuetudo obtinuerat, ut honor pallii, nisi exigentibus causarum meritis, et fortiter postulanti dari non deberet. *Hinc mirum non est collationem pallii per viginti annos fuisse dilatam. Verum aliud omnino sonat epistola Hadriani : acceperat nempe Pontifex sinistra quædam circa* Lulli *ordinationem :* de ordinatione episcopi nomine Lulli.... ad nos quædam pervenerunt : *quare vult instrui de ejus doctrina et moribus, ut pallium dein possit transmittere. Quis vero sibi*

E

persuadeat Hadrianum ignorasse ordinationem Lulli *factam fuisse per S. Bonifacium Martyrem, auctoritate Zachariæ Papæ, ut monstravimus supra num.* 25, *consentientibus quoque rege et episcopis Franciæ? (confer supra num.* 28) *Quod si non ignoraverit, qui fieri potuit, ut ordinationem ante viginti annos factam confirmare voluerit ? Præterea si animadvertimus S. Bonifacium consuevisse omnes res a se gestas judicio Sedis apostolicæ subjicere, ut multipliciter ex ejus epistolis liquet, nemo inficias ibit, verosimiliter sanctum episcopum de ordinatione sui successoris, quæ præter canones fiebat, certiorem fecisse Romanam Pontificem, et ab illo approbationem accepisse.*

rationem

75 *Huc etiam facit quod* Lullus *noster, qua Moguntinus episcopus, jam interfuerat Romano concilio sub Stephano III, alias IV, anno Christi* 769 *die* XII *Aprilis celebrato* (*o*) ; *in quo Constantini pseudopontificis causa judicata, et SS. imaginum cultus vindicatus fuit. Tunc vero temporis jam Romanæ Ecclesiæ diaconus erat Hadrianus, infra triennium ejusdem Ecclesiæ Pontifex futurus. Fieri itaque non potuit, ut Hadrianus ordinationem ignoraverit, et præcedentes Pontifices illam legitimam rectamque*

F

non habuerint. Unde merito concludere licet, corruptam esse, quatenus nutantem faciat S. Lulli *ordinationem. Neque juvat in causam adducere controversiam inter Sanctum nostrum et Sturmium abbatem ; hujusmodi lites frequentes erant in illa rerum novitate, neque Wiomago Trevirensi nocuit diuturna disceptatio cum Prumiensi abbate Assuero. Esset fortassis qui hunc nodum explicare vellet supponendo alium pontificem antiquiorem Hadriano ; sed vetat id ipse contextus epistolæ, tum quod Carolum solum regem Francorum indicet, quod anno* 772 *contigit, tum quod conceptis verbis in illa loquatur de Zacharia et Stephano* successore ejus, *proinde Stephano III.*

nobis incognitam.

76 *In hoc Romano Concilio, prout illud edidit Cajetanus Cenni e Veronensi codice, sæculi, ut fertur, decimi, post Stephanum Papam sextum locum occupat* Lullus *noster, et vocatur* Magnantiæ *episcopus* (*p*). *Unus illic occurrit archiepiscopus Wilcharius Senonensis, seu ut corrupte scribitur* Vicumssenensis ; *nam Willicharium Senonensem concilio adfuis-*

(*a*) T. II, p. 418. — (*b*) Labbe t. IX Conc., col. 300. — (*c*) Ibid., t. VIII, col. 1136.— (*d*) Mansi t. I. Suppl. Conc., col. 674. — (*e*) Labbe t. VI Conc., col. 1888.— (*f*) Mansi t. I Suppl. Conc., col. 669. — (*g*) Labbe t. VIII col. 1136. — (*h*) Ibid., t. VI, col. 1665. — (*i*) T. I Suppl. Conc., col. 607.— (*k*) Aut. Eccles., t. XVIII, p. 237. — (*l*) Labbe t. VI Conc., col. 1791. — (*m*) Bibl. Patr., t. XVII, p. 541. — (*n*) Lib. IV, epist. XI, t. II Op., col. 937. — (*o*) Mansi t. I Suppl. Conc., col. 641. — (*p*) Ibid.

se,

A *se, habemus e schedis Panvinianis* (*o*) *et ex ipso codice Veronensi, in quo* Wilcarius archiepiscopus Galliarum tradit scripta Leoncio notario regionario (*b*). *Hinc recte concludit laudatus Cenni, illum solum fuisse adhuc pallio donatum, utpote qui solus post Ravennatensem vocetur archiepiscopus. Reliqui omnes episcopi appellantur; inter quos* Lullus *noster post Georgium Meltensem, seu Meldensem, sextus venit a Papa Stephano III. Si autem secundum vigentem tunc disciplinam, necessarium fuisset pallium, ut jura quis metropolitica exerceret, nulla occurrit idonea ratio, cur* Lullus *insigne illud a pontifice non postulasset, et ab eodem etiam obtinuisset.*

Interest S. Lullus 77 *Ante concilium Romanum, jam adstiterat* Lullus *noster conventui Attiniacensi, in quo multa synodaliter statuta fuerunt, ut patet ex fragmento historico, quod nomina episcoporum et abbatum refert, et est sequentis tenoris* (*c*): Nomina episcoporum seu abbatum, qui apud villam publicam Attiniacum pro caussa religionis ac salutis animarum congregati synodali conventu, inter cætera salubriter sapienterque definita, hoc quoque communi cunctorum decreto statuerunt, ut unusquisque illorum, quorum nomina in hoc indiculo subterscripta reperiuntur, quando quislibet de hoc sæculo migraverit, centum psalteria, et presbyteri ejus speciales missas centum cantent, Ipse autem episcopus per se xxx missas impleat, nisi infirmitate aut aliquo impedimento prohibeatur; tunc autem roget alterum episcopum pro se cantare. Abbates vero, qui non sunt episcopi, rogent episcopos ut vice illorum ipsas xxx missas expleant: et presbyteri eorum centum missas, et monachi centum psalteria psallere meminerint. *Sequuntur nomina episcoporum et abbatum inter quos post Hradegandum, episcopum Metensem, et Eddonem Argentoratensem, tertius venit Sanctus noster:* Lullo episcopus civit. Maguntiaci.

B

conventui 78 *In allato textu occurrunt plura notatu digna. Imprimis hic evidens fit, quod jam ante monui, conventus publicos, illo quidem sæculo, concilia episcoporum supplevisse, eamdemque vim in clero et populo obtinuisse: plura hic* salubriter sapienterque definita *narrantur ab episcopis, qui* caussa religionis et salutis animarum *convenerant. Neque hinc quidquam adversus Ecclesiæ libertatem inferatur; suum*

C *Ecclesiæ erat jus nulli principum obnoxium; quæ ad Ecclesiam spectabant, inter se disceptabant ecclesiastici ordinis viri. Quod si quis nihilominus regiæ potestati subjugatas velit res divinas, sciat tamen, consentientibus episcopis, nihil simile fuisse attentatum.* S. Lullus *noster jam morti, ut videtur, proximus, proinde florente Carolo Magno, scribit ad Cœnam, in Anglia* (*d*): Pro nomine Christi in contumeliis et tribulationibus gloriari, et exaltatione Ecclesiæ ejus nos oportet: quæ quotidie tunditur, premitur atque fatigatur, quia moderni principes novos mores, novasque leges secundum sua desideria condunt. *Hæc verba mea sententia sufficiunt, ad monstrandum non omnem regendæ Ecclesiæ normam calculo sanctissimi præsulis probatam fuisse.*

Attiniacensi, 79 *Alterum notatu dignum in decreto Attiniacensi occurrit, scilicet plures tum fuisse abbates episcopali dignitate sublimatos, quorum nomina exhibentur in subscriptione, tales sunt:* Theodulphus episcopus de monasterio Laubias, Jacob episcopus de monasterio Gamundias, Williharius episcopus de monasterio S. Mauricii; *sed reliquis appingitur* Willibaldus episcopus de monasterio Achistadi, *quod vitiosum primo aspectu videri potest, quum magis Eichstadiensis* civitatis *pontifex dici debeat. Recte tamen scriptum S. Willibaldum censeo: initia enim hujus episcopatus a monasterio repetuntur, ut habet sanctimonialis Heidenheimeiensis coæva in ejus Vita ad* VII *Julii* (*e*). *Prima Willibaldi episcopi cura fuit, construere Eichstadii monasterium, illud juxta normam regulæ Benedictinæ instituere, et in illo adjutores suos ad omnem virtutem informare: quid igitur mirum monasterii nomine hic recenseri episcopatum Eichstadiensem? Quæ presbyteris et monachis præscribuntur* psalteria *canenda pro singulis defunctis, nescio an omnes psalmos complectantur, an vero septem pœnitentiales: utroque sensu reperitur hæc vox apud antiquos, quos consule in Glossario mediæ et infimæ latinitatis et in Supplemento.*

AUCTORE J. V. H.

non vero, videtur, Gentiliacensi. 80 *Interfuisse* Lullum *nostrum Gentiliacensi conventui anno* 766, *in quo de processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio, et de sacris imaginibus actum fuit, existimat Latomus in suis manuscriptis ast recte subnectit Christ. Joannis* (*f*) *apud nullum* E *veterum simile quid legi. Interim quamvis satis frequenter Sanctus noster memoret se variis infirmitatibus torqueri, non facile in animum induco illas in causa fuisse, cur rarius conciliis et conventibus interfuerit. Quæ enim ad illum diriguntur epistolæ, quæque ipse vicissim remittit, manifeste demonstrant, illum tempore sui episcopatus tali usum fuisse valetudine, quæ sufficeret ad episcopale onus portandum, si tamen excipiantur anni vitæ extremi, in quibus octogenario major graviores Ecclesiæ ceremonias forsitan obire non potuit, ut insinuavi supra num.* 68.

§ X. De epistolis a S. Lullo scriptis et de munusculis inter Germanos et Anglos ultro citroque missis.

Epistola encyclica ad presbyteros Præter novem epistolas nihil scriptum nobis reliquit S. Lullus, *quamvis dubium non sit multo plures scripsisse, ut patet e viginti quatuor ad illum directis, quæ certe singula responsa sortitæ sunt. Licet stylus earum impolitus sit, varia tamen in eis occurrunt, quæ juvare possint ad historiam illius sæculi illustrandam. Prima, quæ occurrit, (editionem Alexandri Wurdtwein* (*g*) *sequimur) est encyclica ad presbyteros in provincia Thuringiorum constitutos, scilicet:* Denehardum, Eanberthum, Wihbertum, Sigaherium et Sigewaldum; *ut tam ipsi, quam* ancillæ Christi *(sanctimoniales)* universaque plebs, in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluviarum flagello liberemur. *Præscribitur itaque omnibus,* ut unam hebdomadam abstineant se ab omni carne et ab omni potu in quo mel sit; *dein, ut* secunda feria, quarta feria et sexta feria jejunent usque ad vesperum; *præterea, ut* unusquisque servorum Dei *(monachorum)* et sanctimonialium quinquaginta psalmos cantet omni die in illa septimana, et illas Missas, quæ pro tempestatibus fieri soleant, celebrare presbyteri, recordentur. *Dein præscribit pro Romano Pontifice* xxx Missas et illos psalmos, *scilicet* quinquaginta, *de quibus paulo ante locutus fuerat.*

F

(*a*) Labbe t. VI Conc. col. 1722. — (*b*) Mansi, t. I suppl. Conc. col. 643. — (*c*) Labbe t. VI Conc. col. 1702. — (*d*) Int. Bonif., epist. CXXXI Würdtw., p. 320. Ser. CIX. — (*e*) T. II Julii, p. 511, n. 43. — (*f*) Rer. Mogunt., t. I, p. 377. — (*g*) Int. Bonif., epist. CVII. Würdtw., p. 285. Ser. CXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H. *primum hujus generis monumentum;*

82 *Remigius Ceillier Benedictinus* (*a*) *dicit hanc epistolam quasi derivatam e litteris Pippini regis ad* S. Lullum *directa : ita ut juxta laudatum Benedictinum Pippinianam chartam, tacito regis nomine, exscripserit. Suppresso itaque regis nomine suam eamdemque encyclicam fecisset epistolam, in qua idem jejuniorum et precationum ordo præscribebatur. Nullam tamen hujusmodi epistolam reperi, nec inter Bonifacianas, nec in aliis collectionibus : una citatur, qua Pippinus preces petit in gratiarum actionem pro abundantibus fructibus terræ* (*b*) *: quare scribit,* ut unusquisque episcopus in sua parochia Litanias faciat non cum jejunio, nisi tantum in laude Dei ; qui in talem, *inquit,* nobis abundantiam dedit, et faciat unusquisque homo suas eleemosynas et pauperes pascat. *En sola Pippini ad* S. Lullum *directa epistola, quæ nobis innotuit. Notatu in Lulliana epistola dignum est, quod sit e primis monumentis, quibus episcopus clero et populo preces et jejunia præscribit. Occurrit in ea Missa peculiaris adversus aeris tempestates. Hujusmodi Missasquæ,* votivæ *dicuntur, jam tum in usu fuisse monstrat Card. Bona lib.* I *Rerum Liturgicarum*
B *cap.* XV *num.* 3 *ex Libro sacramentorum sæculi* VIII *in quo plures habentur Missæ votivæ, quam hodiernis Missalibus reperiuntur. Notatu quoque dignum videtur, quod inter cibos tempore jejunii vetitos reponatur* potus in quo mel sit, *quod etiam liquet ex epistola ad Oswitham infra citanda.*

epistola Lulli *ad Pontificem;*

83 *Epistola* Lulli, *inter Bonifacianas* CXII (*c*), *directa est ad Romanum Pontificem sive Stephanum III sive Paulum I, in eaque conqueritur presbyterum quemdam in Anglia, ut ex epistola patet, delitescentem, nomine* Enred, *in alia ordinatum parochia, et, non consentiente antecessore suo Bonifacio neque se successore ejus, in parochiam adductum a Willefritho, presbytero, suum sprevisse magisterium.* Cognita enim, *ait,* canonum auctoritate, decrevistis, ut omnes presbyteri, qui in parochia sunt, sub potestate episcopi esse debeant, et ut nullus eorum præsumat in ejus parochia aut baptizare, aut Missas celebrare sine jussione episcopi, et ut omnes presbyteri ad concilium episcopi conveniant ; quæ omnia facere contempsit prædictus ille presbyter, nomine *Enred,* et ideo secundum quod definistis, increpationis a me sententiam sortitus est. *Hujusmodi canones in conciliis istius*
C *temporis et regionis frequenter occurrunt* (*d*). *Conqueritur dein* Lullus *quod, tam Willefrith, quam cliens ejus Enred, abstulerint mancipia, vestimenta, arma, equos et armenta ; quorum aliqua* ultra mare *cum Enredo transmisit Willefrith ad matrem suam : videntur itaque hi ex Anglia oriundi fuisse. Idem quoque Enredus abstulerat ab ecclesiis* duas armillas *et* quinque siglas : *satis patet quid nomine armillæ hic veniat, quæ ex auro confecta, ornamentum brachii significat :* Siglas *interpretantur commentatores in Bonifacianas epistolas,* monile ; *ast armilla quoque monile est : siquidem igitur speciem monilis designat* Lullus, *recte concludimus Siglæ nomen genericum non esse, sed speciem indicare, scilicet annulum signatorium aureum, lapide pretioso fortassis ornatum, ex vetere saxonico vocabulo* sigle, *unde in teutonicam linguam Germanis* Siegel, *Flandris* Zegel, *manavit* (*e*).

84 *Sequitur epistola ordine* CXIII (*f*), *ad Suitanam seu Oswitham abbatissam directa, in qua, post acerbam increpationem, illam excommunicat, propterea quod* sacropalliatas fœminas duas *(id est sanctimoniales)* contra statuta canonum et sanctæ regulæ disciplinæ, sine licentia et consilio *episcopi....* propter arrogantiam et voluptatem laicorum explendam.... liberas ire permiserit in longinquam regionem. *Num fortassis in regionem natalem, Angliam ? ultro citroque enim frequens erat hoc sæculo commeatus. Pergit Sanctus :* Sed ne forte hanc meam objurgationem parvipendens contemnas, apostolico te sermone percutiam, quo ait : Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Pro hujusmodi stultitia excommunicatam te esse scias cum omnibus tuis, qui hunc negligentiæ reatum consentiendo perpetraverunt, usque dum digna satisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas et inobedientes supradictas fœminas, intra cellam vestram *(monasterium)* non recipiatis, sed foras monasterium, excommunicatæ ab Ecclesia Christi, sedeant, pœnitentiam agentes, dum venerint, in pane et aqua, et vos similiter abstinendo ab amni carne, et omni potu qui melle indulcoratur : scientes, quod si spernitis istam increpationem, quod sper- E natis eum, qui a Deo missus est peccatores salvos facere, id est, Christum, qui dixit in Euangelio : Qui vos spernit, me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me, id est, Deum Patrem omnipotentem. Optamus in Christo ad meliora vos converti.

D *ad Oswitham exprobatoria;*

discutitur, quo sensu

85 *Merito in exemplum zeli pro monastica disciplina, qua* S. Lullus *urebatur, tradit hanc epistolam Mabillonius* (*g*) ; *neque fugit doctissimum virum ex hisce litteris constare sanctimoniales in Germania carne uti consuevisse* (*h*), *siquidem carnium abstinentiam imponat Sanctus in peccati pœnam Oswithæ et sanctimonialibus iis, quæ* hunc negligentiæ reatum consentiendo perpetraverunt. *Attamen vigebat istic Benedictina regula ex Anglia traducta, ad cujus observantiam plenius instaurandum Cassinum missus fuerat S. Sturmius ut legitur in ejus Vita* (*i*) : Porro cum fratres regulam sancti patris Benedicti inhianter observare desiderassent, et ad monasticæ disciplinæ normam sua corpora mentesque toto animo inclinassent, consilium utile inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur monasteria, ut fratrum ibi concordiam et conversationem regularem perfecte di- F scerent. Quod cum sancto fuisset indicatum episcopo *(Bonifacio),* prudens illorum collaudavit consilium et hanc legationem studioso Sturmi injunxit. Qui præparatis itineris necessariis, adsumptis secum duobus fratribus, quarto ad locum prædictum *(Fuldam)* ingressionis anno, Romam profectus est, atque in illa terra, cunctis monasteriis lustratis, et omnium mores conversationesque ibi fratrum consistentium traditionesque monasteriorum ad plenum discens, intregro anno apud illa monasteria perseverans, secundo inde anno, repletus quibus viderat virtutibus, regressus est. *Ex his elucet accurate investigatum fuisse in regulam S. Benedicti, et ad litteram observatam fuisse.*

regula Benedictina esus carnium vetabatur :

86 *Hinc credo carnem, quam hic pœnæ loco interdicit* S. Lullus, *non esse quadrupedum, sed volatilium : regula enim S. Benedicti cap.* XXXIX *dicit :* Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus

(*a*) Hist. des Aut. Eccles., t. XVIII. p. 221. — (*b*) Int. Bonif., epist. CIX. Würdtw., p. 287. Ser. XCVI. — (*c*) Würdtw., p. 290. Ser. c. — (*d*) Vid. Conc. Germ. anni 742, can. IV (Harzh. Conc. Germ., t. I, p. 49). Conc. Suession. an. 744, can. v. (Ibid., p. 58). Epist. Zachar. Papæ an. 748, cap. II. (Ibid., p. 84). — (*e*) Du Cange Glossar, v° *sigla.* Interpretantur etiam *bullam, fibulam ;* cfr Schiller Lexic. Saxonico-latinum v° *sigl.* — Würdt., p. 292. Ser. XLVII. — (*g*) Vit. § XV. — (*h*) Ann. lib. XXV, § LXXIV, t. II, p. 266. — (*i*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 371.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A nibus abstineatur comestio, præter omnino debiles et ægrotos. *Atque inde nata est quæstio, num monachis liceret vesci volatilibus; circa quam in varias opiniones abierunt ipsi Benedictini, ut monstrat Benedictus Haeftenus* (*a*). *Omissa hac quæstione, utpote quæ ab instituto nostro aliena est, satis certum mihi videtur, Fuldenses monachos, quorum exemplum secuti fuerint alii utriusque sexus in Germania ascetæ, volatilibus usos fuisse; nam S. Rabanus Maurus lib.* II *de Instit. cler. cap.* XXVII *citatus ab Haefteno* (*b*) : Avium usum credo inde a patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento de quo et pisces creatæ sunt. Nam in regula monachorum non invenimus aliorum carnium esum eis contradictum, nisi quadrupedum. *Hic autem liber scriptus probatur anno* 819 (*c*) : *cum itaque jam* ad patres *provocet Rabanus, nemo non videt nos ætatem* Lulli *plane attingere; quare abstinentiam a carne, Switanæ impositam, de volatilibus intelligendam esse censeo, ne jam tunc laxiorem vivendi normam introductam fuisse, dicere cogamur.*

epistola ad Cœnam Eboracensem archiepiscopum;

B 87 *Sequitur epistola* Lulli *ad Cœnam inter Bonifacianas* CXXXI (*d*). *Appellat Sanctus Cœnam* summi pontificatus infula præditum ; *qua infula pallium archiepiscopale designatur : erat enim Cœna, alio nomine* Ethelbertus, Adelbertus *aut etiam* Albertus, *archiepiscopus Eboracensis in Anglia* (*e*), *cui sedi ab anno* LXXVII *ad* LXXXI *octavi sæculi præsedit. In illa epistola* Lullus, *in memoriam revocata antiqua amicitia*, quam coram Deo fideli sponsione pepigerant, *pergit :* Pro nomine enim Christi in contumeliis et tribulationibus glorificari, et exaltatione Ecclesiæ ejus nos oportet, quæ quotidie tunditur, premitur atque fatigatur, quia moderni principes novos mores, novasque leges secundum sua desideria condunt. Idcirco excellentiam tuam jugem precatricem pro animæ salute, subnixa prece flagitamus. Assiduis enim corporis ægritudinibus cum mentis anxietate cogor ex hac ærumnosa et periculis plenissima vita exire, redditurus pio et districto judici rationem. Parva vero munuscula dilectioni tuæ direxi, hoc est pallam holosericam optimi generis per gerulum harum litterarum. Obsecro, ut quemlibet horum librorum acquiras et nobis mittere digneris, quos beatæ memoriæ Beda presbyter exposuit, ad consolationem peregrinationis

C nostræ ; id est, in primam partem Samuelis usque ad mortem Saulis, libros quatuor : sive in Esdram et Nehemiam libros tres, vel in Euangelium Marci libros quatuor. Gravia forte postulo : sed nihil grave veræ charitati injungo.

inquiritur in nomina principum,

88 *Non pauca in hac epistola ad Cœnam Eboracensem archiepiscopum directa occurrunt notatu digna. Mirum imprimis est* S. Lullum *tam graviter conqueri de statu Ecclesiæ*, quæ quotidie tunditur, premitur atque fatigatur, quia moderni principes novos mores novasque leges secundum sua desideria condunt. *Propter summas laudes, quibus Pippinus et Carolus unanimi voce a cœvis ornantur, putat R. D. Binterim, a* Lullo *nostro hic indigitari comites Alemannos Warinum et Ruodhardum* (*f*), *atque in hanc interpretationem citat Walafridum Strabonem in Vita S. Otmari* (*g*), *ubi reapse accusantur hi duo,* qui tunc temporis *(ab anno* 754 *ad* 771) Alemanniæ curam administrabant, diabolo suadente, immanissimæ avaritiæ morbo præventi, res ecclesiarum sub sua potestate sitarum, magna ex parte in suæ proprietatis dominium per vim contraxisse. *Sed merito dubitare licet, num de hisce comitibus agere voluerit* Lullus, *cum illorum administratio intra fines Alemaniæ conclusa, vix ad Sanctum nostrum spectare potuerit. Dein quando* Lullus *lamentatur de* modernis principibus, *scribens maxime ad episcopum alienigenam, vix intelligi potest, nisi de summis principibus seu regibus, id est, Carolo et Carlomanno loquatur. Nodus igitur in eo est, ut inveniamus qua occasione* S. Lullus *queri potuerit, de filiis Pippini, quos passim laudant coævi, et de quibus certe nemo dixerit illos gravamen aliquod Ecclesiæ inferre voluisse.*

AUCTORE J. V. H.

a quibus dicebatur Ecclesia opprimi:

89 *Quamvis verba supra allata præsentem quamdam calamitatem indicare videantur, censeo tamen ita explicanda esse, ut sinistri aliquid pro futuro potius præsagiant : ita enim humanus quandoque comparatus est animus, maxime si corpore infirmo gravetur, ut quæ timet mala impendentia, illa, quasi jam actu existentia, deploret. Mortuo Pippino rege, timebant boni, ne nuptiæ, cum Desiderio Longobardorum rege utrinque conciliandæ, magna Religioni mala minarentur. Atque illo quidem tempore scriptam esse Lullianam epistolam patet ex eo quod princ*ipes *vocet* modernos, *sive recenter solio regali impositos. Jam vero exstat epistola Stephani Papæ III alias IV ad Carolum ejusque fratrem Carlomannum directa, in qua multis illos avertere conatur Pontifex, ne nuptias cum Desiderii familia paciscantur* (*h*): Quoniam, *inquit*, plures comperimus, sicut divinæ Scripturæ historiæ instruimur, per aliæ nationis injustam copulam a mandatis Dei deviare et in magno devolutos facinore. Quæ est enim, præcellentissimi, filii, magni reges, talis desipientia, ut penitus vel dici liceat, quod vestra præclara Francorum gens, quæ super omnes gentes enitet, et tam splendiflua ac nobilissima regalis vestræ potentiæ proles, *(Gisela, utriusque regis soror Desiderii filio tradenda erat)* perfida, quod absit, ac fœtentissima Longobardorum gente polluatur ; quæ in numero gentium nequaquam computatur, de cujus natione et leprosorum genus oriri certum est. Nullus enim, qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, ut tales nominatissimi reges tanto detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim societas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?

E

monstraturque accusationem ad Pippini filios spectare :

90 *Addit utrumque jam habere uxores, quibus dimissis, alias ducere non licebat, dein pergit :* Advertite, quæso, quanti qualesque potentes per alienigena conjugia a præceptis Dei declinantes et suarum sequentes uxorum alienæ gentis voluntatem, validis innexi excessibus, immensa pertulere discrimina. *Consideranti hanc epistolam dubium vix mihi superest, quin eadem rem spectarit* Lullus *noster, et, dum novos mores, novasque leges invecta lamentatur, nuptias Longobardicas et utriusque regis injustum divortium sugillarit : ex historia habemus Carolum Desideratam sive Ermengardem, Carlomannum Gerbergam, utramque Desiderii filiam, duxisse. E Stephani Papæ epistola elucet quoque, invita atque reclamante Ecclesia, Carolum plura simul attentasse matrimonia; si tamen id fecerit, cum graves utrinque auctores pro diversa stent sententia, quam hic discutiendam nobis non esse arbitramur. Unum hic indicare voluimus, si quid id genus peccati admiserit Carolus, id, non connivente, sed prohibente gravibus minis Ecclesia, accidisse.*

F

(*a*) Disquisit. Monast., lib. X, tract. VI, disquisit. II, p. 929. — (*b*) Ibid., p. 930. — (*c*) Mabillon. Ann., lib. XXVIII, § XCV, t. II. p. 424. — (*d*) Würdtw., p. 320. Ser. CIX. — (*e*) Alford. Annal. Eccl. Ang. an. DCCLXVII. n. 1. — (*f*) Geschichte der Concilien., t. II, p. 35. — (*g*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 43. — (*h*) Labbe, t. VI Conc. col. 1717.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

eadem epistola petit Lullus *libros*

91 *Alterum, quod in citata epistola occurrit, notatu dignum, et zelus sancti viri in colligendis libris diversi argumenti. Præter opuscula Bedæ, quæ hic petit alia ejus scripta jam ab eodem episcopo Cœna quæsierat, ut constat ex hujus epistola, inter Bonifacianas* CXXVII (*a*) *scilicet tractatus de* æstibus marinis *et* de cosmographia, *quos dicit Cœna ad manus non venisse :* nec alia, *ait,* apud nos exemplaria, nisi picturis et litteris permolesta. *Ex epistolis, inter* Lullum *et Guthbertum ultro citoque datis, liquet inter illos sæpius actum fuisse de libris : sic epistola inter Bonifacianas* CXXXIII (*b*) *petierat* Lullus *scripta Bedæ de* ædificatione templi, in Cantica Canticorum, *et* epigrammata heroico metro sive elegiaco composita : *receperat epistola* CXXIV (*c*) *ab eodem Guthberto libros Bedæ, de viro Dei Cuthberto* metro et prosa compositos. *Similia dona jam suo tempore rogaverat S. Bonifacius epistolis* XII (*d*) XIX (*e*) XL (*f*) XLI (*g*) LIV (*h*). *Inter quas epistola* XIX *ad Eadburgam abbatissam scripta, petit sanctus episcopus :* Quia sæpe sive solamine librorum, sive vestimentorum adjuvamine, pietas tua tristitiam meam consolata est : sic et deprecor, ut

B augeas quod cœpisti, id est, ut mihi cum auro conscribas epistolas domini mei Sancti Petri Apostoli, ad honorem et reverentiam sanctarum scripturarum ante oculos carnalium in prædicando.

qui frequentes ab Anglis petebantur :

92 *Ex Anglia quoque frequens erat litterarum commercium, quo libri e Gallia et Germania petebantur, ut docet S. Bonifacius epistola* LIX (*i*) *ad Ecbertum episcopum , qua scribit :* Ad indicium charitatis , fraternitati tuæ direxi exemplaria epistolarum Sancti Gregorii, quas de scrinio Romanæ Ecclesiæ excepi, quæ non rebar ad Britanniam venisse ; et plura item, si mandaveris, remittam, quia multas inde excepi. *A* Lullo *nostro Milret, incertæ in Anglia sedis episcopus petit S. Bonifacii* venerabilem Vitam et gloriosum finem, *inter epistolas Bonifacianas* CXVII (*k*), *et vicissim agit de mittendo* librum pyrpyri metri ; (porphyrii *legendum conjectat Serarius ; sed ultro libet modo legatur , impossibile mihi est indicare quid dicere voluerit). Cincheardus Wintoniensis episcopus a Sancto nostro petit epistola* CXV (*l*) : Si quia apud vos solamina nobis necessaria, vel ignota spiritalis quidem scientiæ sive in libris antiquis, qui a nobis non habentur, sive in aliis

C ecclesiasticis administrationibus, ut nobis libenter participare non negetis. Nec non et si quos sæcularis scientiæ libros nobis ignotos adepturi sitis, ut sunt de medicinalibus, quorum copia est aliqua apud nos, sed tamen segmenta ultramarina, quæ in eis scripta comperimus, ignota nobis sunt et difficilia ad adipiscendum : vel si qua in aliis quibuslibet negotiis vel speciebus nobis necessariis providetis, communicare dignemini.

magna erat Lulli *fama in litteris,*

93 *Probat hæc Chincheardi epistola, quanta esset* Lulli *nostri fama in scientiis excolendis, ita ut ab ea nulla fere eruditionis species aliena videretur. Quam famam etiam confirmat Caroli Magni ad* S. Lullum *epistola de studiis promovendis, quamque Brequigny* (*m*) *sub anno* 787 *reponit. Epistolam edidit Joannes Lebeuf* (*n*), *qui recte animadvertit scriptam fuisse ante annum* 787 (*o*) : *suffecisset enim tunc encyclica, qualis exstat ad Baugulfum Fuldensem abbatem* (*p*). *Cæterum excidit* Lulli *nomen ; nec annus quo data fuit exprimitur : etsi non sit dubitandum quin ad Sanctum nostrum directa fuerit, quoniam et* archiepiscopus *et* discipulus S. Bonifacii *nominetur ; quæ duo nulli, quem noverimus, quam* Lullo *nostro conveniunt. Siquidem inter Bonifacianas non exstat, et sat rara sunt laudati Joannis Lebeuf opuscula, non ingratam fore lectoribus putamus, si illam hic exhibeamus exstractam ex codice S. Martialis Lemovicensis : maxime quia extollit quoque scientiam litterarum et zelum Sancti in allaborando ad conversionem animarum : quamvis carpere videatur aliquam negligentiam in litteris et scientiis clero suo tradendis.* D

ut probat epistola Caroli Magni

94 Karolus Christi fretus auxilio rex beatissimo viro.... archiepiscopo, patri nostro. Cum in adquirendis Deo animabus studiose Deo favente invigiles, mirandum nobis valde videtur, cur in erudiendo clero proprio litterarum studiis nullam sollicitudinem geras. Cernis namque undique in subditorum cordibus ignorantiæ tenebras circumfundi, et cum possis eruditionis radium eorum sensibus infundere, in suæ illos cæcitatis caligine latere permittis. Quod enim et hac parte potens haberis, nulli est dubium : quippe cum unum sancti viri ill. præsulis, consacerdotis tui clericum, alterum ill. religiosi abbatis, ita liberalibus studiis instruxeris, ut pene nihil E eis ad perfectionis culmen desit. Quæ ergo sanctitati tuæ poterit esse excusatio, cum et aliorum filii doctrinæ vestræ pabulo pleni sunt, et vestri adhuc, subtracto eruditionis edulio, ignorantiæ fame tabescunt ? Unum certe e duobus ; aut enim contumaci ipsi superbia vestro magisterio subdi dedignantur, aut a vestra (quod evenire nolumus) parte remissius agitur. Sed quidlibet horum sit, ad vestram, pater venerabilis, curam respicit, a quo, etsi tumescente corde sunt, debent vel paterna admonitione corrigi, vel pastorali baculo coerceri. Jam vero quantum ad studium attinet, debent modo blandis persuasionibus, modo duris etiam increpationibus, ad eruditionis lumen excitari : si qui vero ex eis inopes existunt, etiam conlatis subsidiis excitari. Et certe etsi alios ad discendum attrahere non vales, saltem de tuæ Ecclesiæ famulis, quos capaces esse perspexeris, erudire potes. Illud vero credere quis jam possit, quod in tanta multitudine, quæ vestro erit subjecta regimini, ad erudiendum aptus nemo valeat inveniri. Omnes qui te discipulum Beati Bonifacii Martyris norunt, præstolantur e vestris studiis artissimum fructum. Accinge te igitur in reliquum, pater amabilis, et ad imbuendos liberalibus studiis tuos filios studiosus existe, ut et nostræ in hoc, quod ardenter cupimus voluntatis satisfacias, et perennis præmii remunerationem adquiras. Nec tuorum lucerna operum in hac solummodo parte sub modio lateat, quæ in reliquis super candelabrum posita, ex divino munere claris fulgoribus micat. Vale, pater carissime, et memor esto nostri. F

pretium librorum illa tempestate :

95 *Quanti vero pretii illa tempestate essent codices, hinc dijudicare licet quod, teste Beda venerabili, Aldfridus Northumbrorum rex circa annum Christi* 690 *Ceolfrido abbati Wiremuthensi* (*q*) *dederit pro uno codice Cosmographiæ* terram octo familiarum *seu totidem* hidarum : *illo enim vocabulo vertit Bedanus interpres Anglosaxo vocem* familiam. *Continebat autem* Hida *centum, aut, ut minimum, quadraginta jugera* (arpents) : *ita ut saltem trecenta viginti jugera* (CIX hectares) *in unum librum expenderit Aldfridus : ita certe Joseph Strutt* (*r*)

(*a*) Würdtw., p. 315. Ser. XCIX. — (*b*) Ibib., 323. Ser. CXI. — (*c*) Ibid., p. 48. Ser. LXXXIX. — (*d*) Ibid., p. 32, Ser. III. — (*e*) Ibid., p. 48. Ser. XXVIII. — (*f*) Ibid., p. 89. Ser. XV. — (*g*) Ibid., p. 91. Ser. XXII. — (*h*) Ibid., 119. Ser. VIII. — (*i*) Ibid., p. 120. — (*k*) Ibid., p. 302. Ser. LXXVIII. — (*l*) Ibid., p. 298. Ser. LXXIV. — (*m*) Table des diplômes. — (*n*) Dissertat. sur l'hist. eccléss. et civ. de Paris, t. I, p. 421. — (*o*) Ibid., p. 387. — (*p*) Bouquet SS. t. V. p. 621 et Pertz Monum. Leg., t. II, p. 52. — (*q*) Colitur XXV Sept. — (*r*) Anglet. anc., t. I, p. 173.

inter

A *interpretatur Bedam, qui rem in Historia abbatum Wiremuthensium sequenti modo tradit* (*a*) : Bibliothecam utriusque monasterii *(Wiremuthensis et Girwiensis)* quam Benedictus abbas (*b*) magna cœpit instantia, ipse non minori geminavit industria ; ita ut tres pandectes novæ translationis *(Hieronymianæ credo)* quem de Roma attulerat, ipse superadjungeret, quorum unum senex Romam rediens secum inter alia pro munere sumpsit, duos utrique monasterio reliquit. Dato quoque Cosmographorum codice mirandi operis, quem Romæ Benedictus emerat, terram octo familiarum juxta fluvium Fresca ab Aldfrido rege, in scripturis doctissimo, in monasterium B. Pauli Apostoli comparavit, quem comparandi ordinem, ipse dum adhuc viveret, Benedictus cum eodem rege Aldfrido taxaverat, verum priusquam complere potuisset, obiit.

examinatur varians lectio Mabillonii et Hagiographorum.

96 *Non dissimulabo tamen tum Mabillonium citatum, tum Nostros in Vita S. Ceolfridi ad* XXV *Septembris* (*c*), *Acta Sanctorum Benedictina exscribentes* (*d*), *aliter interpungendo hunc textum, delevisse omne emptionis vestigium. Allatum enim textum ita dispertiunt, ut donatio libri cosmographici ad incrementum bibliothecæ monasticæ, adeptio terræ ad meram liberalitatem Aldfridi regis spectare videatur ; hæc est illorum lectio :* Duos utrique monasterio reliquit ; dato quoque Cosmographorum codice... quem Romæ Benedictus emerat. Terram octo familiarum... ab Aldfrido.... in possessionem monasterii comparavit, *etc. Sed nemo non videt quam inconcinne textus fluat, si interpunctionem Mabillonianam sequamur : imprimis Beda assumptum suum, scilicet bibliothecæ incrementum per Ceolfridum, non probat loquens de libro,* quem Benedictus Romæ emerat : *deinde postquam dixit Beda,* utrique *monasterio pandectas dedisse Ceolfridum ; utri dein cœnobio Cosmographiam contulerit, qui fit, ut scriptor taceat? Tandem quomodo* comparandi ordinem, ipse dum adhuc viveret, Benedictus cum rege Aldfrido taxare potuit, *nisi de permutatione aliqua loqueretur? Certe donatarius comparandi ordinem taxare, id est, leges pacti præscribere non potest, quando ex mera liberalitate quidpiam accipit : donantis est beneficentiæ suæ modum et leges recipienti imponere. Videtur igitur de veri nominis permutatione textus intelligendus esse, et proinde interpunctio, numero superiori allata, omnino esse retinenda.*

B

C

De munusculis

97 *Ad rem nostram redeamus. Præter libros, qui ex Anglia Germaniaque ultro citroque mittebantur, inter ætatis illius homines in more positum quoque erat, ut variis invicem se munusculis donarent* (*e*). *Sic citata epistola* Lulli *ad Cœnam episcopum mentionem facit* pallæ holosericæ optimi generis. *Est vero palla aulæi genus, quo muri ecclesiæ, altaria et sepulchra tum Sanctorum, tum magnatum ornabantur, ut videre est in Glossario Caroli Du Cange verbo* Palla. *Silentio prætereundum non putamus, quæ utrinque mittebantur donaria ; hujusmodi enim, indicatione licet compendiosa, monstrari potest aliqua saltem ex parte, quibus quæque regio mercibus abundaret. Angli in Germaniam submittebant frequenter vestimenta, illaque, ut videtur lanea et linea, ut nobis exhibet epistola Cincheardi, episcopi Wintoniensis, ad* Lullum *nostrum, inter Bonifacianas* CXV (*f*) : De nostro quoque, *scribit,* vili vestitu parvæ hæc xeniola direximus, tuo cultui quamquam indigna, tamen petimus, accommoda, hoc est, tunica lanea, aliaque linea, sicut mos est apud nos habendi, caligas et peripsemata, *(pedum integumenta)* orarium, *(hic, quoniam de communibus vestimentis agitur, sudarium interpretor : cæterum significat* stolam sacerdotalem) et coculam *(sagum Hibernicum villosum)* et gunnam brevem nostro more consutam, *(vestem pelliceam, ex anglico :* Gown) ad indicium plenissimæ dilectionis nostræ.

AUCTORE J. V. H.

98 *Epistola inter Bonifacianas* CVIII (*g*) *Alhredus rex Northumbrorum et Osgeofu regia uxor circa annum Christi* 769 *scribit ad* S. Lullum, *et illum rogat,* legationibus ejus ad gloriossimum regem Carl. consulendo subveniat, ut pax et amicitia, quæ omnibus conveniunt, faciat stabiliter confirmari : *quibus verbis monstratur, quanta esset* Lulli *nostri potentia apud Carolum Magnum. Dein mittit eidem* duodecim sagas, cum annulo aureo ad dotam, *id est, in donum ; etenim sic interpretor :* Parva munuscula tuæ dignitati admisimus. *Sequitur similis argumenti epistola* CXVI (*h*), *qua Æardulfus, Roffensis episcopus, Sancto nostro dat* reptem ruptilem unum. *Reptem interpretatur Du Cange e variis auctoribus,* Renones, *seu* velamina humerorum ex pectore ad umbilicum, atque tortis villis adeo hispida, ut imbrem respuant, quos vulgo Reptos vocant, eo quod longitudo villorum quasi reptat. *Quid vero vox* ruptilis *hic sibi velit, plane non intelligo. Epistola* CXIX (*i*) Botwinus *abbas ad* Lullum *mittit* modica munuscula, id est III lacernas. *Epistola* CXXII (*k*) Cincheardus, *jam supra laudatus Wintoniensis episcopus, solatur imprimis* Lullum *amicum suum, qui* multis tribulationibus tunditur, quas prope modum omnes Sancti soliti sunt a sæculo perpeti ; *quæ referenda videntur ad illa, quæ supra num.* 88 *attigimus ; post subnectit :* Modici munusculi quantulamcumque parvitatem charitatis tantummodo intuitu direximus, hoc est, de nostro vestitu indumentum, sicut solent prodecessores nostri prodecessoribus tuis destinare. *Jam egimus supra de Gutberchto, quando de libris locuti fuimus ; eadem epistola* CXXIV (*l*) *dicit se donare* duo pallia subtilissimi operis, unum albi, alterum tincti coloris, cum libellis, et clocam, (*pallii genus, quod et hodie anglice* Cloak *dicitur*), *qualem ad manum habuit.*

ex Anglia

E

99 *Atque id genus munuscula, licet lanea aut linea, non infimi pretii fuisse inde conjicimus, quod lana jam magni fiebat, ut monstrat laudatus Strutt* (*m*) *elegibus Inæ, regis Saxonum occidentalium, qui circa finem sæculi* VII, *sanxit cap.* LV (*n*), *ut* ovis cum agno suo valeat solido, usque ad decimum quartum diem a Paschate. *Solidus autem quique denariis constabat, ut monstrat Wilkins in suo Glossario verbo* manca, marca (*o*) ; *cum vero* vellus ovis duobus denariis *æstimaretur ex lege* LXIX (*p*), *consequens, fit, ut vellus seu lanam æquivaluerit duabus quintis partibus* ovis cum agno suo. *Huc etiam facit, quod sæculo decimo tertio exeunte, anno scilicet* 1292, *in Gallia rarus esset adhuc usus lanæ seu lini in vestimentis, ut demonstrat Cl. V. Géraud* (*q*) : *siquidem illa tempestate Parisiis lineorum* XXII, *laneorum vestimentorum mercatores* XIX *tantum exsisterent. Pelliparium, ut appellabantur illi qui pelles animalium ad vestes præparabant, numerus ad* CCXIV *excurrebat : hinc conjectare licet lanam et*

ad Germanos

F

(*a*) Mabill. Act. SS. Bened., sæc. II, p. 1009. — (*b*) Colitur XII Januarii. — (*c*) T. VII Sept., p. 132, n. 44 et 45. — (*d*) Ibid., p. 126, n. 17. — (*e*) Circa usum mittendi xeniola vid. Mabill. Act. SS. Bened., sæc. III, part. I Vita ven. Bedæ, p. 554, et Haeften Disquis. monast., lib. IV, tr. VII disq. IV, p. 430 et seq. — (*f*) Würdtw., p. 299. Ser. LXXIV. — (*g*) Ibid., p. 286 Ser. XC. — (*h*) Ibid., p. 300. Ser. LXXXVI. — (*i*) Ibid., p. 305. Ser. LXXXII. — (*k*) Ibid., p. 308. Ser. LXXXVI. — (*l*) Ibid., p. 311. Ser. LXXXIX. (*m*) Anglet. anc., t. I, p. 182. — (*n*) Wilkins, Leges Anglo-Sax., p. 23. — (*o*) Ibid., p. 415. — (*p*) Ibid., p. 25 — (*q*) Paris sous Philippe-le-Bel, p. 518 et 530.

linum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

linum usus longe rarioris fuisse sæculo VIII *in Gallia, et præsertim in Germania, id temporis plane barbara. Coronidis loco adjungimus ex epistola inter Bonifacianas* CII, (*a*) *Ingalicen* Lullo *quatuor cultellos, ex epistola* CXXIV (*b*) *Gutberchtum viginti cultellos misisse : quo confirmatur dictum Strabonis* (*c*) *e Britannia præter plumbum album seu stannum, etiam ferrum commercii causa exportatum fuisse. Confer. Julium Cæsarem de Bello Gallico lib.* V, *cap.* XII.

et horum ad Anglos

100 *Neque suis partibus deerat Germania : donabat imprimis pannos ciliciarios, seu e lana caprina redactos, ut docent nos epistolæ* XII *et* XXXVII (*d*), *nec non villosos* (*e*) *(quales, teste Strabone, Georgraphiæ lib.* IV, *texebantur apud Belgas ex lana aspera, unde nomen villosi fortassis manavit). Celebrabantur quoque e Germania oriundi accipitres et falcones, quia, ut ait Æthilbertus rex, epistola* LXXXIV (*f*) : Perpauci hujus generis accipitres in nostris regionibus, hoc, est in Cantia, reperiuntur, qui tam bonos producant fœtus et ad supradictam artem (*capiendi grues*) agiles ac bellicosi educentur, edomentur, ac edoceantur. *Videtur etiam ars vitraria in Galliis tunc satis exculta fuisse* (*g*) *; nam*

B

laudatus paulo supra Gutberchtus ad Sanctum scribit : Si aliquis homo in tua sit parochia, qui vitrea vasa bene possit facere, cum tempus arrideat, mihi mittere digneris ; aut si fortasse ultra fines est in potestate cujusdam alterius, sine tua parochia, rogo ut fraternitas tua illi suadeat, ut ad nos usque perveniat, quia ejusdem artis ignari et inopes sumus. *Idem Gutberchtus petit citharistam sibi mitti*, quia, *ait*, citharam habeo, et artificem non habeo. *Citharam, ipse scriptor etiam* rottas *seu* roctam *appellat, genus instrumenti musici, secundum Strutt* (*h*) *lyram tetrachordam, quam tamen Notkerus, apud Du Cange verbo* Rocta, deltæ *figuram referre propter mysterium dicit. S. Bonifacius quoque epistola* XXXVII (*i*) *ad Ekbertum Eboracensem mittit* duas vini cupellas, *petens ut* inde lætum diem cum fratribus suis faceret.

ultro citroque

101 *Præter hæc munuscula, quasi indigena, submittebant Germani in Angliam varia, quæ propter frequentius commercium cum Oriente, abundantius in Galliis habebantur. Sic sericum, de quo jam egimus supra num.* 97, *a Germanis donabatur : sicut et aromata, ut exhibent epistolæ* XVI, XXXV *et* LXXI (*k*) *; hæc tamen non raro ex Italia proveniebant, ut*

C

liquet e variis epistolis. Sic Gemmulus, diaconus sanctæ Sedis apostolicæ, *epistolis* LXVIII et LXIX (*l*), ad vicem caritatis, cum magna reverentia dirigit *ad S. Bonifacium* cinnamomum uncias quatuor, piper libras duas, cozumbrem libram unam. *Est autem cozumber, dictus etiam* coczumber, coczimber, cotzumber *seu* cozamber, *suffimenti genus pretiosum, de quo idem Gemmulus dicit* incensum *esse, Domino offerendum*, temporibus matutinis et vespertinis sive dum Missarum celebrantur solemnia, miri odoris atque fragrantiæ. *Atque hæc de hujusmodi donariis dicta sufficiant : neque vacat enumerare munuscula aurea et argentea, quibus invicem se ornabant viri illi apostolici. Quod si quis hanc liberalitatem mutuam reprehendat, recordetur, quæso, istiusmodi donaria simul amicitiæ tesseram et eleemosynam charitatis fuisse.*

missis.

102 *Restant adhuc quinque epistolæ a* S. Lullo *scriptæ, de quibus paucis nobis agendum est. Jam recensuimus supra num.* 10, *epistolam* Lulli *ad Kanebadam abbatissimam : et num.* 18, 19 *et* 91, *quas idem scripsit litteras ad Dealunum, Leobgytham et Gutberchtum. Superest igitur una epistola inter Bonif.* CIII (*m*), *ad Gregorium Ultrajectinum directa, de qua jam egimus supra num.* 18 : *notatu præterea digna in hac occurrit descriptio quorumdam clericorum aut fortassis monachorum nimis sæculariter viventium :* Inter temporalem, *ait*, prosperitatem et æternam felicitatem, multum distare quis peritorum ignorat ? Discamus igitur hac temporali potestate frui præter æternam felicitatem, et in cujus comparatione nobis omnia vilescant. Vestimenta pretiosa, caballos farre pastos, accipitres falconesque cum curvis unguibus, latrantes canes, scurrarum bacchationes, cibi potusque exquisitæ dulcedinis saporis, argenti aurique rutilantis pondera spernamus, ne sit mollis culcitræ pausatio, molliaque cervicalia a viris potius exhibeantur, quam a flammeis puellis. Ante omnia incauta familiaritas extranearum fœminarum abscindatur, quia sæpe seducimur incauta securitate pejus, quam aperta tentatione. Tumultuosam ministrorum multitudinem clandestina divinarum Scripturarum eloquia expellant, quia illa fovea omni custodia cavenda, est per quam plurimos miserabili ruina, conspicimus corruisse.

D

E

§ XI. De anno et die obitus S. Lulli.

Non consentiunt eruditi in

Annus S. Lulli *emortualis inter eruditos controvertitur : alii enim statuunt annum Christi* 786 *; cum non sint pauci qui annum sequentem præferendum sibi censeant : ut nihil dicam de Alfordo nostro, qui sub anno* 788 *obitum collocat* (*n*) *contra omnium scriptorum sententiam. Ambigitur quoque de die obitus Sancti nostri ; cum aliis placeat dies* XVII *kalendas Novembres, alii vero ipsis kalendis eum obiisse contendant. Prius de anno emortuali, utpote graviori quæstione, agemus, infra brevibus expedituri, quæ ad diem pertinent. Mirum imprimis est Nicolaum Serarium* (*o*) *dicere* consensionem majorem *esse* in obitus anno 787. *Si inter recentiores hujusmodi majorem consensionem diceret Serarius, lubens assentirer ; verum ipse Marianum Scotum referens, satis monstrat se de veteribus loqui voluisse : inter hosce vero ne unum quidem reperi,*

F

qui aperte dicat S. Lullum *anno* LXXXVII *sæculi octavi diem supremum obiisse. Ipse Marianus, quem auctorem hujus sententiæ facit Serarius, contrarium potius insinuat. En ejus verba* (*p*) : DCCXXXLVII... Lullus archiepiscopus Moguntinus obiit. Richolphus ordinatur in episcopum IV nonas Martii apud Fritislar. *Ad hunc annum certe pertinet ordinatio Riculphi : norunt enim omnes consecrationem episcoporum illis præsertim sæculis die Dominica consuevisse celebrari ; illo autem anno, littera dominicali* g *signato, quartus nonas seu quartus dies Martii in Dominicam incidebat ; neque ulla succurrit ratio aut veterum auctoritas, cur viventi* Lullo *Riculphum successisse dicamus, ut perperam insinuat auctor Vitæ in collectione Butleriana. Certum itaque est, ut infra quoque monstrabo, præmortuum fuisse Sanctum, cujus obitus, cum ab Octobri aut Novembri dimoveri non possit, consequens fit, ut, ipso quoque Mariano non repugnante, mors* S. Lulli *anno Christi* 786 *alliganda videatur.*

(*a*) Würdtw., p. 272. Ser. XXXIX. — (*b*) Ibid., p. 311. Ser. LXXXIX. — (*c*) Geogr., lib. IV, cap. V. — (*d*) Würdtw., p. 33. Ser. III, et p. 84. Ser. CL. — (*e*) Ibid., p. 120. Ser. VIII. — (*f*) Ibid., p. 244. Ser. XL. — (*g*) Ibid., p. 311. Ser. LXXXIX. — (*h*) Anglet. anc., t. I, p. 121. — (*i*) Würdtw., p. 86. Ser. LXXXV. — (*k*) Ibid., p. 45. Ser. VII, p. 82. Ser. V, p. 188. Ser. X. — (*l*) Ibid., p. 180 et seqq. Ser. CXLVIII et seq. — (*m*) Ibid., p. 274. Ser. XLV. — (*n*) Annal. Eccl. Britanniæ, an. 788, n. 4. — (*o*) T. I Rer. Mog., p. 377. — (*p*) Pistor. Scriptt. rer. Germ., t. I. p. 635.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

A definiendo anno

104 *Præter Marianum laudatum, quem nemo dubium testem esse diffitebitur, allegatur quoque Hermanni Contracti chronicon a Gaspare Sagittario* (*a*)*; sed perperam : cum variæ sint lectiones, et sub utroque anno notatus obitus reperiatur, ut videre est apud Pistorium* (*b*)*. In editione vero, quam novis curis adornavit Æmilianus Ussermann, Benedictinus e Congregatione S. Blasii, anno* 1790, *absolute dicit sub anno* DCCLXXXVI (*c*) : Lullo Moguntiensi archiepiscopo Richulfus successit. *Hæc lectio, prout jacet, posset fortassis aptius convenire anno sequenti, cum non adeo obitum* Lulli *indicare, quam adeptionem cathedræ Moguntinæ per Riculphum videatur : non itaque repugnabo, si quis alteram lectionem præferendam sibi esse ducat ; ast mecum consentiet, per hunc nihil præjudicari opinioni, quæ diversis annis connectit et* S. Lulli *obitum et successoris sui Riculphi ordinationem.*

emortuali

105 *Submotis hisce quasi viarum impedimentis, facilius procedet scriptorum antiquiorum agmen, unanimi voce dicentium* S. Lulli *obitum anno Christi* 786 *affigendum esse. Testatur id imprimis Lambertus Schafnaburgensis, Hersfeldii monachus, auctor eximie accuratus et domesticus ; hic sub hoc anno habet* (*d*) : Sanctus Lullus archiepiscopus obiit, cui Richolffus successit. *His consonant antiquiores Annales, scilicet Fuldenses seu Laureshamenses cœvi, utpote qui in annum Christi* 817 *desinunt* (*e*) : Lullo Moguntiacensi episcopo defuncto Richolf successit. *Neque hic retorqueri potest idipsum, quod circa lectionem Hermanni Contracti numero superiori objeci ; nam in systemate adversariorum neutrum indicato anno conveniret : non Richulfi ordinatio, quæ, omnibus consentientibus, in annum sequentem rejicienda est; non* Lulli *obitus, quem in hunc quoque annum repositum volunt : manifeste igitur pro nostra sententia faciunt illi scriptores, qui Riculphi pontificatum sub hoc anno reponunt.*

B

S. Lulli,

106 *Moissiacense chronicum, in annum* 818 *desinens, habet* (*f*) *sub anno* 786 : Pavor ingens et metus in populo irruit, ac mortalitas magna postea sequuta est : et Julius archiepiscopus obiit. *Cl. vir Georgius Henricus Pertz non solum probat correctionem a Benedictinis factam, ut pro* Julio Lullus *legatur ; sed textum ipsum referre* Lullum *opinatur* (*g*)*, quia* non intellexerunt litterarum *i* et *l* eo ævo figuram *Chesnius et Benedictini. Nostrum non est hanc qualemcumque litem, quum coram non habemus exemplar manuscriptum, componere : unum dicendum videtur in specimine manuscriptorum a Cl. Pertz exhibito, optime ab invicem distingui utramque litteram, ut inspicienti manifestum fiet. Sequuntur in ordine temporis, siquidem solum in annum* 900 *excurrant, annales Fuldenses, qui iisdem verbis annales Laureshamenses repetunt* (*h*)*. Idem facit chronicon Quedlinburgense, in anno* 1028 *desinens* (*i*)*. Annales Wirziburgenses, quorum limes est annus primus sæculi duodecimi, sub idem tempus referunt* (*k*) : Lul Mogontiacensis archiepiscopus obiit, cui Richolfus successit. *Plura alia testimonia afferre possemus ; sed hæc, quatenus antiqua, sufficiunt : maxime, si, ut supra monuimus, attendatur nullus ex antiquis clare et peremptorie adversæ sententiæ favisse.*

C

alii pro anno 787, alii pro præcedenti stantes :

107 *Quanta vero est inter antiquos scriptores consensio circa annum* S. Lulli *emortualem, tanta est inter recentiores eruditos dissensio. In annum* LXXXVII *sæculi octavi vitam prorogant Nicolaus Serarius noster* (*l*)*, Cointius* (*m*)*, Gaspardus Sagittarius* (*n*)*, Remigius Ceillier* (*o*)*, Albanus Butler* (*p*)*; Mabillonius, tum in Actis SS. Ordinis S. Benedicti* (*q*)*, tum in ejusdem Ordinis Annalibus* (*r*) *dubius hæret, quamvis sententiæ recentiorum satis se propensum ostendat. Sed antiquiorum opinionem amplectuntur Pagius* (*s*)*, Eckhardt* (*t*) *et Sigismundus Calles noster* (*u*)*. Quæ multos recentiores impulit, ut in annum* 787 *mortem* S. Lulli *rejicerent, ratio petitur e consecratione S. Willehadi in Bremensem episcopum, quæ* III *idus Julii anni* 787 *celebrata fuit, cuique Sanctum nostrum interfuisse contendunt. Sanctum vero Willehadum dicto anno, et illa die, quamvis Dominica non esset, consecratum fuisse, extra omne dubium ponit Vita ejus coæva, a S. Anscharo conscripta : mortuus enim* VI idus Novembris die Dominico, *mansit in pontificatu* annis duobus, mensibus tribus, diebus viginti sex (*x*) : *unde inito calculo, prædictum annum et diem consecrationis reperimus.*

posteriori sententiæ favet antiquitas,

108 *Ast non æque certum est* Lullum *huic ordinationi adfuisse : fundamentum id asserentium in diplomate præsertim, quod pro Bremensi Ecclesia dedit Carolus Magnus, nititur. In illo Carolus, narrata de Saxonibus victoria gentisque subjectione, vult illos* pristinæ libertati donatos et omni debito censu solutos, *Deo* tributarios et subjugales esse ; *dein* in Wigmodia, in loco Bremon vocato, episcopalem statuit cathedram. *Pergit deinde* : Summi pontificis et universalis Papæ præcepto, necnon et Moguntiacensis episcopi Lullonis, omniumque qui affuere consilio eamdem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis, Willehado, probabilis vitæ viro, coram Deo et sanctis ejus commisimus. Quem etiam primum ejusdem ecclesiæ III Idus Julii consecrari fecimus episcopum..... Data II Idus Julii, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. Anno autem regni Domini Caroli XXI. Actum in Palatio Nemesensi feliciter. Amen (*y*)*. Verum dies consecrationis S. Willehadi, sine addito anno, hic certe mendosus est : datur enim intelligere anno dati diplomatis Willehadum episcopum factum, quod anno præcedenti contigit, ut supra vidimus. Immo ipse annus Incarnationis, prout in diplomate legitur, cum indictione et anni regni Caroli non concurrit : quare multi annum* 789 *ponunt.*

E

F

nec obstat

109 *Ad diem* VIII *Novembris, quo de S. Willehado agetur, examinari poterit citatum diploma, quod non pauci sublestæ fidei arguunt* (*z*)*. Sed, admissa ultro authentia citati diplomatis, illud ita explicandum censeo, ut cum laudatis supra annalibus concordare possit. Duo hic distinguenda sunt : constitutio episcopatuum in Saxonia, et ordinatio episcoporum : hanc etiam post mortem* S. Lulli *prorogare licet ; illam vero, vivente sancto archiepiscopo, factam fuisse monstrat Eigil in Vita S. Sturmii, qui* (*aa*) *anno* LXXXIX *octavi sæculi, die* XVII *mensis Decembris, obiit :* Rex Karolus, Domino semper devotus, cum ipse christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc *(Saxonum)* Christo acquirere quivisset. Inito servorum Dei consilio, poposcit, ut precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congregato tam grandi exercitu,

(*a*) Antiquit. Ducat. Thuring., p. 91. — (*b*) Scriptt., t. I, p. 221. — (*c*) Collect. Monum., t. I, p. 127. — (*d*) Pistor. Scriptt. t. I, p. 310. — (*e*) D. Bouquet SS. rer. Gall., t. V. p. 379. — (*f*) Ibid., p. 72. — (*g*) Monum. Germ., t. I, p. 298. — (*h*) Ibid., p. 350 et D. Bouquet SS., t. V, p. 329. — (*i*) Leibn. SS. rer. Brunsw., t. II, p. 276. — (*k*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 240. Eckardt. Franc. Orien., t. I. p 807.— (*l*) T. I Rer. Mog., p. 377. — (*m*) Ann. Franc., h. a. § XXIX. —(*n*) Antiq. Duc. Thur., p. 91.— (*o*) Aut. Eccles, t. XVIII, p. 220. — (*p*) XVI Oct. Edit. Lov., t. XVI, p. 26. — (*q*) Sæc. III, part. II, p. 398. — (*r*) Ad. h. a., lib. XXV, § LXXIV, t. II p. 266. — (*s*) Crit. ad. an. DCCLXXXVI, § XI. — (*t*) Franc. Orient., t. I, p. 715. — (*u*) Ann. Eccl. Germ. t. II, p. 458. —(*x*) Pertz, Monum. Germ., t. II, p. 384. — (*y*) Harzheim Conc. Germ., t. I. p. 259. — (*z*) Lndewig. Rel. Mss. præf. § XXIII. — (*aa*) Pertz, t. II Monum. Germ., p. 376.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

invocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, adsumtis universis sacerdotibus, abbatibus, presbyteris, et omnibus orthodoxis atque fidei cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite et suave Christi jugum credendo subire fecissent. Quocum rex pervenisset, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus, maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi convertit. Et post non longum tempus totam provinciam illam in parochias episcopales divisit, et servis Domini ad docendum et baptisandum potestatem dedit. Tunc pars maxime Beato Sturmi populi et terræ illius procurandum committitur.

tempus

110 *Egilis verba, si curiosius sequamur, efficerent, ut divisio episcopatuum in Saxonia cum anno saltem emortuali S. Sturmii concurreret. Sed, illo quidem vivente, serio alloboratum fuit convertendis Saxonibus, quin adhuc de erigendis episcopatibus actum fuerit; ipse textus illud aliquantulum indicat :* Post non longum tempus totam provinciam illam in parochias episcopales divisit : *parenthesis est, quæ in unum alterumve annum post Sturmii*

B

mortem excurrit; passim namque eruditi monstrant divisionem Saxoniæ ecclesiasticam ad annum LXXX *aut* LXXXI *sæculi octavi pertinere* (*a*). *In quam sententiam collimant antiquorum scripta : Lambertus Schafnaburgensis* (*b*) *sub anno* 781 *refert :* Carolus divisit terram inter episcopos in Saxonia. *Annum præcedentem indigitat Fragmentum Annalium Francorum* (*c*) : Divisit patriam *(Saxonicam)* inter presbyteros et episcopos, seu et abbates, ut in ea baptisarent et prædicarent. *Idem habet iisdem pene verbis Chronicum Moissiacense* (*d*). *Clarius id exprimit Chronicum Quedlinburgense* (*e*), *circa annum cum Lamberto concurrens :* Karolus.... terram Saxonum inter episcopos divisit, et termi*nos episcopis constituit. Tunc igitur Saxonia in octo episcopatus divisa est, ut nobis testatur Adamus Bremensis* (*f*) *scilicet : Bremensem, Osnabrugensem, Monasteriensem, Mindensem, Halberstadiensem , Verdensem , Schidrensem , Paderbornensem.*

consecrationis

111 *Jam vero hanc episcopatuum in Saxonia institutionem de consilio episcoporum factam fuisse habemus ex teste coævo, monacho Corbeiensi, scriptore scilicet translationis S. Viti. Hic promiserat*

C

breviter adnectere suo opusculo, qualiter Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis converti potuerint (*g*) ; *paulo infra suam fidem liberat, et, narrata subactione Saxoniæ , prosequitur dicens :* Quum autem requiem præstitisset ei *(Carolo)* Dominus a compluribus inimicis suis, convocavit omnes, qui sub sua ditione erant, majores, sacerdotes et principes, atque studiosissime quæsivit, quomodo veram fidem veramque religionem in universo regno suo firmaret. Quæsivit etiam nihilominus sacerdotes bonæ spei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipsos secundum ecclesiasticam fidem docerent, domos episcoporum atque ecclesias constituerent. Sed cum omnem ordinem ecclesiasticum in illa religione tradidisset, qualiter ibidem monasticam religionem instituere potuisset, invenire nequivit. *Institutio igitur episcopatuum, de consilio* Lullonis *omniumque, qui affuerunt, pontificum facta fuit anno Christi* 780 *aut sequenti : unde quoque consequitur suam manere diplomati Carolino pro Bremensi Ecclesia veritatem, quin* S. Lullum *consecratorem Willehadi faciamus.*

D

S. Willehadi Bremensis.

112 *Cæterum hæc eadem e Vita S. Willehadi habemus : nam, narrata ejus ordinatione Wormatiæ* III *idus Julii habita, addit S. Anscharius Vitæ scriptor :* (*h*) Sicque ipse primus in eadem diœcesi sedem obtinuit pontificalem. Quod tamen ob id tamdiu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ resistens, cum presbyteros aliquoties secum manere vix compulsa sineret, episcopali auctoritate minime regi patiebatur. Hac itaque de causa septem annis prius in eadem presbyter est demoratus parochia, vocatus tamen episcopus, et secundum quod poterat cuncta potestate præsidentis ordinans. *Quibus verbis clarissime patet Willehadum jam habuisse diœcesim et jurisdictionem episcopalem anno* LXXX *sæculi octavi. Cum itaque separari debeat institutio episcopatus Bremensis a S. Willehadi ordinatione intervallo septem annorum, nulla occurrit ratio, ut, cum hæc diœcesis commissa illi fuerit de consilio* Lulli *et aliorum episcoporum, etiam ordinationem eidem antistiti tribuamus. Ruit igitur, quæ recentiorum opinationem movit, ratio, ut mortem* S. Lulli *anno* LXXXVII *adscriberent; et proinde nihil obstat, quominus antiquorum scriptorum sententiam amplectamur.*

E

Controvertitur quoque dies,

113 *Circa diem* S. Lulli *emortualem est quoque, licet non tanta, opinionum diversitas : Remigius Ceillier* (*i*), *auctores Franciæ litterariæ* (*k*) *et Albanus Butler* (*l*) *ponunt diem mortis ipsis kalendis Novembris ; nec alium suæ sententiæ vadem videntur habere, quam Joannem Gerbrandum, Carmelitam sæculi* XV *in finem vergentis, qui in suo Chronico Belgico dicit* (*m*) : Tandem cum diu Ecclesiam Maguntinensem rexisset, sciens ex revelatione Spiritus Sancti instare diem dormitionis suæ, ad Herveldense monasterium, ubi jacere volebat, se transtulit, ibique trigesimo secundo anno ordinationis suæ migravit ad Dominum. *Facile quisque mecum concedet, non magnæ auctoritatis esse scriptorem, qui sæculum* XVI *tantum non attigit. Credo equidem laudatos auctores motos fuisse adnotatione Joannis Mabillon* (*n*) *dicentis :* Albuinus colitur VII kalendas Novembris (XXVI *Octobris*). Cum vero eodem anno Lullus, et quidem post eum, decesserit; si bene notatus est Albuini depositionis dies, Lullus XVII kalendas Novembris obiisse non potuit, sed potius kalendas Novembris, quo die ejus obitum reponit Joannes Gerbrandus in Chronico Belgico. *Hæc Mabillonius, et recte quidem si*

F

certo *constaret de obitus die Albuini.*

sed absque idoneo

114 *Reperio equidem Albuini depositionis diem notari sub* VII *kalendas Novembris; ast ista mentio indicatur in solis menologiis Benedictinis Menardi et Bucelini; et quas hic affert auctoritates, ad posteriora sæcula pertinent : unde non est, unde iisdem remoremur ; maxime cum dubius valde nobis videatur cultus S. Albuini, aut saltem intra angustissimos limites coarctatus, utpote cujus nulla mentio occurrit in Auctariis Usuardi a Sollerio citatis. Hæc porro quæstio ad diem* XXVI *Octobris examinabitur. Hinc facile obrepere potuit error in die depositionis notanda. Ast aliud omnino est cum* Lullo *nostro : hic primariæ sedis episcopus, sanctitate, rebus gestis, miraculis clarus, non ita latere potuit. Cum itaque Moguntina Ecclesia semper perseverarit in colendo* S. Lullo *ad diem* XVI *Octobris, illumque eadem hac die depositum censeat : nulla mihi occurrit ratio, cur ab illa opinione discedatur, quam confirmat etiam silentium Usuardinorum Auctariorum; nullum enim Sanctum nostrum kalendis Novembribus refert;*

(*a*) Schaten Hist. Wesphal., lib. VII, p. 317. — (*b*) Pistor. Scriptt., t, I, p. 310. — (*c*) Bouquet Scriptt., t. V, p. 26. — (*d*) Ibid., p. 367. — (*e*) Leibn. Scriptt., t. II, p. 275. — (*f*) Lindenb. Scriptt. Septentr., p. 4. — (*g*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 577. — (*h*) Ibid., p. 383. — (*i*) Aut. Eccles., t. XVIII, p. 220. — (*k*) T. IV, p. 172. — (*l*) Edit. Lov. ad XVI Octob. — (*m*) Sweert. Rer. Belg. Annal., p. 45. — (*n*) Ann. Bened., lib. XXV, § LXXIV, t. II, p. 266.

immo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *immo Marianus Scotus expresse habet* (*a*) : Lullus archiepiscopus Moguntinus obiit XVII kal. Novembris hora diei secunda.

ut monstratur, fundamento. 115 *Mortuus fortassis fuerit* Lullus *ex pestilentia tunc grassante, uti docet nos fragmentum Annalium Francicorum* (*b*), *quod, relatis variis in cœlo signis, addit sub anno* 786 : Postea vero mortalitas magna fuit et Lullus archiepiscopus migravit de hac luce. *Cum vero post repentinam Albuini mortem, paucis interjectis diebus et* Lullus *occubuerit, fieri potest ut hæc strages vigenti mortalitati adscribenda sit. Porro* Lullus, *ut supra num.* 30 *et seqq. vidimus, ordinatus fuit episcopus mense Martio anni* 754. *Ad Martium itaque anni* 786 *triginta duo anni solidi intercurrunt ; sunt tamen nonnulli, qui hos annos non solidos computant, sed inchoatos, ut auctor Vitæ infra edendæ, quia, ut dicit Pagius* (*c*), antiqui, si contingeret aliquem episcopum dignitati renuntiare, modo annos quibus superstes erat eidem, modo successori ejus adscribebant ; *quod dein allatis quibusdam exemplis illustrat. Sic quoque interpretari nos oportet Marianum Scotum* (*d*), *cum sub anno* 755 *dicit* Lullum post Bonifacium successisse in episcopatu annis triginta et duobus. *(Confer supra num.* 103). *Ab hac enim epocha seu ab obitu S. Bonifacii annus trigesimus secundus inchoatus est, neutiquam vero completus.*

B

§ II. De S. Lulli Reliquiis earumque translationibus.

S. Lulli *corpus, Hersfeldii conditum,* S. Lullus, XVI *Octobris anni* 786 *defunctus, sepulturam nactus est in fundato a se Hersfeldensi monasterio, in quo diem clauserat supremum, ut testatur Vitæ scriptor anonymus num.* 32. *Narrata repentina morte Albuini, pergit :* Archiepiscopus, tantæ rei miraculo nihil permotus, sed industrium mortis suæ præcursorem pronissimo favore amplexatus, navi jussit imponi et per Renum amne secundo devectum in loco, qui dicitur Hohstedi *(Hoechst)*, exponi. Ubi cum ad funeris officium frequens de toto episcopatu populus occurrisset, magnifice susceptus per terram in Herveldense monasterium est translatus. Nec ulla funebrium bonorum *(honorum ?)* ambitione caruit (si quis honor tumuli, si quod solatium humandi est), transmissa in omnes fide solida, quod magni momenti apud Deum sint ejus merita. At Beatus Lullus, eodem quo instituerat ordine, in monasterium Herveldense contendit. Ubi protinus morbo attactus, cum ordinationis suæ annum ageret tricesimum secundum, septimo decimo kalendas Novembris, honestissima morte perfunctus, naturæ concessit. Suumque præcursorem dextro tramite insecutus, cœlestis curiæ senatoribus est annumeratus, Nam quantis apud Deum emineat meritis, etiamsi vitæ clarissimæ ac insigniter actæ memoria obsolevisset, incidio tamen essent tot et tanta miracula, quibus licet carne mortuus, vivit tamen apud superstites, carne quondam viventi multo, ut ita dixerim, vivacius.

C

anno 832 *primum* 117 *Non diu sub terra jacuit Sancti nostri corpus, nam, ut habet laudatus scriptor Vitæ num.* 34 : Post traditum vero sepulturæ corpus Beati Lulli sexagesimus jam fluxerat annus, et fratribus, qui tunc temporis in monasterio Herveldensi divinas agebant excubias, incidit in animum, ut sacra ossa levarent, et loco celebriori componerent. Cumque saxum, quo sarcophagus tegebatur, adhibita ingens religiosorum hominum vis amovisset, erat videre grande atque ab hominum memoria inusitatum miraculum. Corpus, tanto temporis processu terra obrutum, nullam senserit *(senserat)* corruptionis injuriam. Eam vultus venustatem, eam membrorum omnium dignitatem, eum vestimentorum quoque nitorem præferebat, ut ipsa eum die expirasse, aut sopore potius quam morte sepultum crederes. Sinistri tantum pedis caligulam vetustas absumpserat. Igitur cum illud immani pondere saxum, quod operiendo corpori comparatum diximus, huc atque illuc volutaretur, forte manus fugit volutantium et fratri cuidam prope adstanti ita pedem contrivit, ut ossibus pariter cum carne comminutis, forma etiam pedis amissa, fœdum ac miserabile spectaculum præberet circumstantibus. Sed cito Beatus Lullus mœrentia fratrum pectora expedivit. Nocte enim proxima, cum languidum sopor oppressisset, ita repente suus membris omnibus vigor rediit, ut hymnis quoque matutinalibus interesset, nulla tantæ calamitatis ne cicatrice quidem superstite.

AUCTORE J. V. H.

E

elevatum, 118 *Lambertus Schafnaburgensis translationem* S. Lulli *in annum* 852 *reponit dicens :* (*e*) Translatio Lulli in Cœna Domini, *quæ illo anno in septimum diem Aprilis incidit. Hinc liquet sexagesimum annum, de quo agit scriptor Vitæ, numerum hic, ut vulgo dicitur, rotandum esse : nam inter* Lulli *mortem et ejus translationem fluxerunt sexaginta quinque anni et quinque circiter menses. Occasionem translationi præbuit ædificatio ecclesiæ Hersfeldensis sub invocatione S. Wigberti, cui patroni tutelares ante fuerant Apostoli Simon et Judas. Hanc Bruno Hersfeldensis et Rabanus Fuldensis abbates inchoarant, jacto primo lapide anno Christi* 831, *feria secunda,* VI *idus Julii, ut accurate adnotat laudatus Lambertus ; dedicationem quoque, eodem teste, peregit Rabanus, factus Moguntinus archiepiscopus, anno* 755, V *kalendas Novembris, qui dies sanctis Apostolis Simoni et Judæ sacer est. Ejus proinde quoque auctoritate facta fuerit translatio, quæ, ut sat manifestum est e Vitæ scriptore, vera fuit elevatio corporis, beatificationi æquivalens. Nam, ædificata nova ecclesia, decebat quidem fundatorem, licet fastis Sanctorum non adscriptum, illuc transferri : sed narratio Anonymo extra dubium ponit hujus facti quasi indolem, quod alio non collimabat, nisi ut* S. Lullo *cœlestes honores decernerentur.*

F

dein anno 1040 *in cryptam Hersfeldensem translatum fuit :* 119 *Simili ex occasione, secundum eumdem Lambertum translata fuerunt ossa* S. Lulli *anno Christi* 1040. Dedicata est, *ait* (*f*), crypta Herveldensis, atque in eam translatæ sunt Reliquiæ Sanctorum Confessorum Wigberti et Lulli. *Incendio quippe absumpta anno* 1027 *fuerat ecclesia Hersfeldensis, a Rabano olim dedicata : unde, instaurata crypta seu subterranea æde, repositæ hic fuere Reliquiæ Sanctorum. Post duplicem hanc translationem, nemo est qui ampliorem notitiam det de* S. Lulli *corpore, præter Veterem Indicem, a Browero nostro citatum* (*g*), *qui refert Sanctum nostrum Hersfeldii* requiescere corpore : *sed quoniam indiculi ætas non proditur, nobis minus utilis*

(*a*) Pertz t. V, p. 548. — (*b*) Bouquet SS. t. V, p. 27. Pertz Monum. Germ., t. I, p. 33. — (*c*) Crit. ad an. DCCLXXXVI, § XII. — (*d*) Pistor. Scriptt., t. I, p. 633. — (*e*) Ibid., p. 312. — (*f*) Ibid., p. 347. — (*g*) Antiquit. Fuld., lib. II, p. 153.

est

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. V. H.

est ejus narratio. Juvat nihilominus notare e decem Sanctorum corporibus, quorum nomina istic recitat, de novenis prædicari esse integra ; *de solo autem* S. Lullo *dicit simpliciter :* Lullus episcopus requiescit hic corpore. *Unde satis clare datur intelligi tempore, quo Vetus Index conscriptus fuit, jam abfuisse partem corporis notabilem : quam Gandersheimium, in diœcesi Hildesiensi, translatam scribit Bodo, Clusinus monachus, sæculi* XVI *auctor. Rem exponit his verbis* (*a*) : Hoc quoque minime prætereundum censuerim, sed ratione summa posteritati præsentibus notificandum, quod isdem venerabilis pater *(abbas Wedego, qui monasterii clavum post medium sæculi* XV *tenuit)*, multis precibus, licet sæpe repulsam passus, a domina abbatissa et capitulo Gandesianæ ecclesiæ, matris nostræ, divi patris Lulli, Moguntiæ quondam Ecclesiæ archiepiscopi, venerandum caput obtinuit. Est autem superior pars capitis tota, frontem habens et occipitium ; descendit vero ad nasum usque et aures, ita ut orbes oculorum pateant ex parte.

pars vero corporis

B

120 Quod ubi acceptum lætanter ad hoc cœnobium *(Clusinum)* portasset, quia tardo gradu repedavit, mensæ suæ imposuit, sicque reliquit. Verum cum jam quieti membra dedisset et somno indulgeret, strepitus quispiam gravis somno eum excitavit. At sono cessante, iterum sopori se dedit. Quo sic omnino dormiente, major graviorque priore strepitus dormientem a somno avocavit. Expergefactus, quidnam rei esset cogitavit ; at cum vir esset nullis terriculis cedens umquam, iterum somno indulsit. Quo jam tertio plene dormiente, tertio etiam strepitus jam gravissimus insonuit, qui non solum virum expergiscebat, verum multo etiam timore perculsit. Qui in mentem revocans qualiter ob seram diei horam mensæ impositum venerandum caput reliquisset, mox surrexit, candelamque accendit, et cum reverentia pariter et timore caput sanctum accedens, ipsum istud levavit, atque in ecclesiam delatum sacro altari imposuit ; sicque cum quietis locum repetivisset, amplius aliquid strepitus audivit minime. Eo tempore integrum divi patris antistitis Lulli corpus (dico autem ossa illius omnia) in ecclesia Gandesiana erat, ab aliisque separatum Sanctorum Reliquiis. Illius pollicem postea,

C

dextrum puto, dominus Hermannus Wreden abbatissæ scriptor obtinuit. Hic beatissimus præsul monasterium Hirfeldense ædificavit, ubi sepulcrum illius est pulchrum valde : et non nisi molestissime ferunt fratres, si quis dicat, illi patronum tantum sublatum. At velint nolint, surrexit, non est ibi. Hoc in eodem monasterio dominus pater Godehardus abbas fuit, postea Hildesianorum episcopus. *Caute, ut patet e numero superiore, accipienda sunt Bodonis verba, et ita interpretari illa oportet, ut concedamus tamen partem Reliquiarum* S. Lulli *Hersfeldii esse relictam : maxime cum notum sit, quando de Sanctorum lipsanis agitur, non raro partem pro toto usurpari; quæ rhetorices figura gravibus sæpe dissidiis ansam præbuit.*

Clusinis data,

121 *Ex hactenus dictis elucet corpus* S. Lulli *Hersfeldii quievisse saltem usque ad annum Christi* 1040, *quo ejus translatio cebrata fuit ; dein disceptatum fuisse quo tandem loco reconditum esset : ipso enim Bodone fatente, monstrabatur Hersfeldii* sepulcrum pulchrum valde, *quo patroni sui ossa contineri dicebant Hersfeldenses. Hæc ipsa disceptatio facit, ut anceps sit valde quæstio, quando corpus* S. Lulli *Gandersheimium translatum fuerit. Postquam me in omnen partem vertissem, nihil prorsus reperire potui, quo translationis occasionem explicarem. Succurrit dein, num fortassis corpus* S. Lulli, *Gandersheimium delatum, ex Ilmensi monasterio provenerit : (duos enim homonymos Sanctos forsitan esse jam præmonuinus num.* 23); *quo casu sua utriusque monasterii assertioni staret veritas. Ast Bodo, unicus testis, diserte dicit* Lullum, *cujus Reliquiæ in Gandesiana basilica conservabantur, fuisse* Moguntinæ Ecclesiæ archiepiscopum, *eumdemque* monasterium Hirfeldense ædificasse ; *ita ut nullus dubitandi locus relinquatur : nisi quis putet ob confusam a scriptoribus utriusque Sancti notitiam, etiam ad alterutrius Reliquias confusionem esse protendendam. Ast hic quoque omni idoneo testimonio destituimur. Malo itaque rem ancipitem relinquere, quam conjectando procedere.*

D

Hildesium,

122 *Quidquid itaque sit de hac controversia, non videtur Clusinum cœnobium diu thesaurum suum habuisse : nam aliquo jam tempore ante annum* 1581 *caput* S. Lulli *in ecclesia S. Elisabeth in honore habebatur, ut testatum facit Hermannus, monasterii S. Godehardi in civitate Hildesheimensi abbas infra citandus ; si tamen idem caput Clusium olim delatum sit: nam et hujus translationis neque tempus neque occasionem novimus. Certum tamen est Hildesheimii initio sæculi decimi septimi exstitisse* caput integrum et illæsum, *quod* S. Lulli *archiepiscopi Moguntini dicebatur, quodque deinde donatum fuit collegio Societatis Jesu Moguntiæ. Litteras donationis integras referemus, tum quia aliqua ad historiam spectantia continent, tum maxime ut operam conferamus, ne memoria Hermanni, sanctissimi et beneficentissimi abbatis oblivione deleatur : quem, ut ait Serarius noster* (*b*), cum doctrina, præsertimque matheseos et juris peritia commendet, multo tamen magis commendant et exornant vera religio, integritas et humanitas, adeo ut ipsum etiam suspiciant, diligant ac venerentur hæretici, præclarum Benedictini nostra in Germania Ordinis, cujus aliquando præsidentem, ut appellant, egit, decus et ornamentum. *En porro Hermanni abbatis diploma :*

E

ac tandem ad templum

123 Hermannus, monasterii S. Godehardi, Ordinis Divi Benedicti, in civitate Hildesheimensi abbas, omnibus patentes has litteras lecturis salutem et felicitatem sempiternam. Quemadmodum olim populus Israeliticus sancti patriarchæ Joseph ossa ex Ægypto, ubi ultra trecentos annos quieverant, diligenti cura in terram sanctam adsportavit, decenterque condidit, ita et meum et cujuslibet Christi fidelis officium esse semper arbitratus sum, ut Sanctorum Deo placentium pretiosas Reliquias hoc infelici sæculo ab hæreticorum injuria contemptuque pro viribus vindicemus et eripiamus. Quare cum anno MDLXXXI ecclesia S. Elisabeth, extra muros Hildesheimensis civitatis sita, (in qua inter cæteras Sanctorum Reliquias Beati quoque Confessoris Lulli, archiepiscopi quondam Moguntini, caput hactenus asservatum et in honore habitum fuerat,) civium hujus loci opera subverteretur, sacrumque hoc pignus cum aliis Reliquiis quasi neglectum in separato quodam juxta cœmeterii murum loco collocaretur, e vestigio per sacerdotem catholicum, fidum ac Deum timentem, dictum sancti Confessoris caput, cum aliis sacris lipsanis, illæsum et integrum, antiquis adhuc involucris tectum, inde auferri et ad monasterium nostrum transportari curavi, in quo hactenus sacrum hunc thesaurum honorifice asservatum successoribus meis tamquam singu-

F

(*a*) Leibn. Rer. Brunsw., t. II, p. 352. — (*b*) Joan. Rer. Mogunt., t. I, p. 378

lare

lare monasterii præsidium relinquere decreveram.

societatis Jesu Moguntinum pervenit.

124 Quia vero veneranda Societas Jesu magnis a me precibus B. Lulli pretiosum caput pro collegio suo Moguntino sibi donari petiit, pro eo amoris affectu, quo dictam Societatem Jesu diligo, malui tali me thesauro potius privare, quam illius piis precibus eum denegare. Igitur una cum his litteris sæpe nominatum S. Confessoris Lulli caput integrum et illæsum, prout ad me transportatum fuit, prædicto collegio Moguntino offero et dono, illud rogans, ut hoc charitatis obsequium supra memorata Societas et præcipue ejusdem collegium Moguntinum precum suarum assiduitate compenset. In horum omnium fidem majorem litteras hasce manu propria subscripsi et sigillo monasterii consueto munivi. Hildesheimii die XII Decemb. anno Domini MDCIII. *Hæc Hermannus abbas. Nunc solo æquato templo Societatis Jesu Moguntino, ignoratur quid acciderit sacro capiti* S. Lulli, *quod adhuc forsitan delitescit, ut rescripsit ad me hodiernus episcopus Argentoratensis, Ill. ac Revmus D. Andreas Röss. Gloriabatur quoque Amorbacensis abbatia in Franconia, se inter sacras Reliquias brachium* S. Lulli *possidere, ut fidem nobis facit Ignatius Gropp, ejusdem asceterii sodalis Benedictinus (a). Damus jam Vitam* S. Lulli *ex Ms. Erlangensi, cujus auctaria uncinis inclusimus.*

VITA S. LULLI,

AUCTORE ANONYMO, UT VIDETUR, MONACHO HERSFELDENSI.

Ex Ms. Erlangensi a, *collato cum Legenda Sanctorum, edita Lovanii anno* 1485 *per Joannem de Wesphalia.*

CAPUT I. *S. Lulli natales; profectio in Germaniam et promotio ad archiepiscopatum Moguntinum.*

S. Lullus, *apud Anglo-Saxones natus,*

Lullus apud Anglo-Saxones *b*, haud obscuro, ut fertur, loco editus est, genere nobilis, fide tamen longe futurus nobilior. Operante siquidem in eo Spiritus Sancti gratia, cum lacte carnis lac sugebat divinæ caritatis; jamque in tenero lactentis infantiæ trunco pulcherrimos quosdam bonæ indolis flores præferebat. Nequaquam enim pro consuetudine hujus ætatis nugis aut lasciviæ animum addixit *, sed statim a tenero, ut ajunt, ungue totum se festivæ spei tiro militiæ Christi devovit. Denique cum septimum ætatis annum attigisset, in monasterium se contulit *c*, ibique multos annos, cunctis ornatus virtutibus, exegit. Erat ei affluens Sanctarum Scripturarum scientia, qua nequaquam abutebatur in superbiam, sed verba vertens in opera, scientiam, quæ inflat, caritate, quæ ædificat, temperabat, et quo litteris instructior, eo in bonis operibus erat frequentior.

* adduxit *Lovanii editio*

et monasticam vitam amplexus,

2 Corpus suum quotidianis pene jejuniis in servitutem redigebat, atque, ut naturalem carnis fervorem restingueret *, nihil pensi habebat, quibus ærumnis exteriorem hominem afficeret. Sermo ejus * sale conditus erat, semperque in dicendo miram mansuetudinem atque humilitatem redolebat. Loquens enim ex abundantia cordis sui, vas Spiritus Sancti aliud non poterat eructare, quam quo plenum erat, mel caritatis et oleum læticiæ spiritualis. Sola hæc ei esse solebat inter fratres sermonis materia, quam incerta et brevis ævi sit vita mortalium, quam cito emarcescant flores sæcularis gloriæ; felicem fore et omnium laude prædicandam antiquorum Patrum memoriam, qui vitæ carnalis spurcitias immaculato calle transissent, qui, triumphato hoste antiquo, tranquilla jam pace et Dei fruerentur contubernio; hos imitandos fore, ad horum consortia animo suspirandum, conversatione currendum, summis viribus enitendum. Hujusmodi verbis quotidie et se, ne circa propositum languesceret, incitabat, et fratribus suis non modicum divini amoris fomitem ministrabat.

* restringeret *Lov. Ed.*

* *addit* sapientiæ *Lov. Ed.*

3 Eodem tempore in Gallia *d* Moguntiacensem archiepiscopatum administrabat *, prout probatæ per omnia fidei et magnarum in Christo virtutum, Bonifacius, qui ex eisdem Britanniæ * partibus propter Deum peregre profectus fuerat, et prædictum virum consanguinitatis linea proxime attingebat. Hic regimen pontificale ingressus, reperit per totam pene Galliam, in aliis quidem locis plurimas pristinæ gentilitatis fæces *e* resedisse, in aliis vero fidei calorem, superabundante iniquitate, ad purum refrixisse. In immensum ergo cernens messem excrevisse dominicam, tempora vero illa magnam pati operariorum penuriam, remisit in Britanniam *, et multos quorum spectatam habebat fidem et exuberans tam facundiæ quam scientiæ spiritualis flumen, exinde in opus euangelii evocavit. [Nonnullas etiam fœminas ascivit ad instruendam in Galliis castitatis ac pudicitiæ scholam; quarum pleræque ab utero matris se propter regna cœlorum castraverant sub professione virginitatis, pleræque thorum conjugalem expertæ, secundum post virginitatis naufragium tabulam, viduitatem amplectebantur. Inter has erat matertera Beati Lulli, virilis admodum animi et masculæ virtutis fœmina, nomine Cunihilt, cum filia sua, quæ, excepto virginitatis privilegio, scientia quoque et morum gravitate matrem æquabat. Quæ in Thuringia monasteriis fœminarum prælatæ, vitam magnis virtutibus claram exegerunt *f*, multosque adprime in sæculo florentes, tam viros quam fœminas, ad æmulationem instituti sui excitaverunt.

in Germaniam

* *addit* vir *Lov. Ed.*

* Hiberniæ *Lov. Ed.*

* Hiberniam *Lov. Ed.*

proficiscitur,

4 Igitur postquam celebris per Britanniam rumor percrebuit de feliciter gestis rebus Beati Bonifacii,] S. Lullo, adhuc in monasterio constituto, [cum jam diaconus esset ordinatus,] nobilis quædam flamma exarsit in pectore, ut viro Dei *, tam necessaria occupatione perfuncto, opem ferret, [nec in tanto necessitatis articulo] castris Dei se subtraheret. [Indignum scilicet, nec rationibus suis satis honestum fore arbitrabatur, ut peregrinationem hanc difficilem et arduam duceret, quam totiens infirmior fœmina usurpasset. Paucis itaque diebus deliberatione secum habita,] patrem * monasterii adiit, eique, quid animo agitaret, aperuit. A quo multis modis tentatus, cum nulla arte, nullis verborum blanditiis deduci posset a sententia *, vale faciens fratribus, iter aggressus est, cunctis eum flendo prosequentibus et tam audaci cœpto felicem exitum imprecantibus. Profectus est itaque festinanter, [Deum habens itineris socium et omnium quæ proficiscenti obstitissent, propulsorem,] et post * multos terra marique labores, tandem intravit Germaniam. [Tum temporis summam rerum in Galliis tenebat Carolus, major-domus regni Francorum, vir, incertum est,

* *addit* Bonifacio *Lov. Ed.*

* *addit* igitur *Lov. Ed.*

* a sententia revocari posset *Lov. Ed.*

* per *Lov. Ed.*

(a) Hist. Abbat. Amorbac., p. 253.

fide

AUCTORE ANONYMO.

fide an armis præstantior. Hic est enim Carolus senior, qui inter cætera, quæ egregie et fortiter fecit, cum Sarracenis, qui in Gallias irruptionem fecerant, bis conflixit et eorum copias duobus præliis ita attrivit, ut alias CCCLXXV millibus, alias *g* pene totidem millibus cæsis *g*, pauci qui superfuerant, vix et ægre in Hispaniam, unde eruperant, se reciperent.

et benigne excipitur a S. Bonifacio; * et cum se *Lov. Ed.*

5 Igitur cum S. Lullus se *] Beato Bonifacio præsentasset, gratissimum ejus habuit adventum, [non tantum in eo veneratus jura propinquitatis, qua ei, sicut est prædictum, familiariter accedebat, quantum fidei fervorem, ingenii acumen, affluentissimam Sanctarum Scripturarum scientiam, de quibus rebus jam pridem ad eum fama detulerat. Cumque aliquantis diebus eum apud se retinuisset, et ex convictu domestico certiora jam cepisset experimenta conversationis ejus et flagrantis in Deum animi, vir acris ingenii et verum cœli animal, plenum oculis ante et retro, intellexit hunc divinitus in Gallias destinatum, ut sibi, jam in decrepitam ætatem vergenti, onus pastoralis curæ allevaret : invitum igitur eum ad B gradum presbyterii promovit. Alios tamen, quos habere poterat, industrios verbi ministros circumquaque ad euangelizandum gentibus regnum Dei transmisit, hunc assiduo secum habuit et per omnia familiare sibi contubernium præstare voluit, quatenus suo specialius instrueretur exemplo, et jam nunc usu addisceret, quam strenue domo Dei præesse deberet.]

a quo, in Frisiam proficiscente, * *addit* autem *Lov. Ed.* *h* * *addit* secundario *Lov. Ed.*

6 Multis * diebus [post hæc] evolutis, cum Dei vir Bonifacius jam supremam ætatem ageret, [et debilitate corporis fractus, non posset diutius synodos frequentare et cætera pontificalis officii munia explere,] incidit ei in animum, ut * in Frisiam iret *h*, et gentilis populi barbariem gladio spiritus, quod est verbum Dei, debellaret. [Ante quidem idem opus attentaverat, sed effera natio et parum a bestiali sævitia distans, non leviter ferebat extorquere sibi inolitam consuetudinem idololatriæ, nec leve Christi jugum sustinere poterat, quæ pro impetu animi petulantis passim in omnes se libidines transfundere consueverat. Unde vir Dei, necessitati cedendum ratus, recesserat et vitam suam, adhuc per multa Ecclesiæ profuturam, furentibus et manum sibi jamjam inferre volentibus subtraxerat. Nunc autem cum vitæ C cursum consummasset et in ipso, ut ita dicam, vitæ cœlestis portu navigaret, cœptum, a quo eum difficultas rejecerat, mente promptissima repetivit,] edoctus * a Spiritu Sancto, quod humanis rebus eximendus esset per martyrium, quod solum perfectionis ejus cumulo aberat et ad quod ab ineunte ætate votis omnibus suspiraverat.

* *addit* quippe *Lov. Ed.*

archiepiscopus Moguntinus, Pippino

7 [Eo jam tempore Carolus, major-domus regni Francorum, vita excesserat, et Pippinus regni curam solus agebat : duos siquidem filios suos Pippinum et Carlomannum Carolus heredes instituerat. Sed cum per aliquot annos pari jure et communicato principatu, publica negotia curassent, Carlomannus, sæculo renuntians, reliquam sibi ætatem procul a republica habendam decrevit ; et sanctæ conversationis habitu suscepto, primum Romæ in monte Soracte, deinde in Samnio provincia, in castro Cassino a cunctis sæculi occupationibus feriabatur. Porro Hildericus rex usque ad id tempus regium nomen et regiæ dignitatis inane quoddam simulacrum præferebat, quod ei a patribus per cunctam familiæ suæ seriem hereditario jure obvenerat. Cæterum administratio totius regni et omnium rerum, quæ bello vel paci usui forent, dispositio penes majoremdomus erat. Sed Hildericus jussu Zachariæ Romani Pontificis regni solio deturbatus atque in monasterium retrusus est, et Pippinus, qui more omnium retro majorum suorum major-domus vel præfectus palatii vocabatur, ejusdem Pontificis auctoritate rex declaratus et totius populi pronissimo favore rex appellatus est ; sicque et nomen regium et cuncta regiæ dignitatis insignia ab Hilderico ad Pippinum ejusque posteros concessere. D

8 Beatus ergo Bonifacius, adito Pippino rege, *rege* qui, ut dictum est, jam solus rerum potiebatur, cum frequens adesset multitudo principum totius regni, quid mente instituisset exposuit, omnes in commune consulere rogavit, ne quid detrimenti caperet Ecclesia Dei, siquidem *, quo Dominus * *lege* se quidem vocaret; pergere, Deum vero pro se nitentibus nusquam abfuturum, idcirco confisi de ejus adjutorio, operam darent, ne denuo repullularent spurcitia *(spuria?)* vitulamina gentilitatis, quæ ipse succiderat, neu bono semini, quod ipse seminaverat in agro Dominico, zizania supersemi-naret inimicus homo.

et populo plaudentibus, * *addit* igitur *Lov. Ed.*

9 Post hæc verba] Beatum Lullum * manu apprehensum in medium deduxit, et respiciens ad multitudinem, quæ circumstabat : En, inquit, habetis virum mea sententia dignum, cui meorum studiorum [et meorum] pro Christo certaminum hereditatem delegare possim. Hic mihi affinitate carnis junctus ; sed vinculo spiritus multo est conjunctior ; pro eo, quod mecum conversatus multo tempore, certum et evidens mihi dederit spectaculum sanctitatis suæ et optimæ secundum euangelicam institutionem conversationis. Unde ego haud dubius de vestro assensu, [ecce coram Deo et Christo ejus, piissimo rege et sanctissimo vestro conventu,] injungo ei pontificatum Moguntiensem, quem hactenus per me ipsum ministrabam *. Ipse in his quæ Dei sunt, fungatur vobis vice patris, ipse me, recessurum corpore, spiritu autem vobiscum semper mansurum, tam dignitate referat, quam morum similitudine, ut carne mortuus in ejus quodammodo vivam virtutibus. E

* administrabam *Lov. Ed.*

creatur.

10 [Tu vero, (in faciem autem regis intendebat,) quem Dominus unxit regem super funiculum hereditatis suæ, dilige hunc virum, ut patrem, venerare, ut Dei Angelum, et Regi regum, cujus favorem et pronissimam vitæ voluntatem tot jam victoriis expertus es, hanc vicissitudinem redde, F ut servo ejus ex animo collabores in salutem et regimen sanctæ Ecclesiæ. Vos etiam, quicumque in sacramenta Christianæ militiæ jurastis, communi omnes studio capessite rempublicam Dei. Nitimini pro fide catholica, et huic viro, pro vobis ad mortem decertare parato, per omnia præstate operam vestram. Ingens illico clamor attollitur : tota in sententiam ejus turba conspirat. Una omnium efficitur vox, digno patri dignissimum obvenisse successorem. Plerique illorum nomen ejus et vitæ institutionem jam ante compererant, eo quod palatium Beati Bonifacii comes individuus frequentasset, et plerumque, illo in aliis occupato, ipse quædam episcopii negotia vice ejus administrasset, et per hoc in notitiam omnium fere principum incidisset. Porro aliis morum ejus integritatem facile astruxerat testimonium Beati Bonifacii, cujus verbis non minor fides habebatur, quam si quis Dei oraculum consuluisset.] Ita * cunctis in commune suffragium ferentibus, Sanctus Lullus in pontificatum protrahitur, accerrime repugnans et oneri tanto se imparem cum lacrymarum effusione protestans ; sed Beati Bonifacii auctoritate oppressus, communi sententiæ diu obluctari non potuit.

* Itaque *Lov. Ed.*

ANNOTATA.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Confer quæ dicta sunt circa auctorem hujus Vitæ Commentarii prævii num.* 5 *et* 6. *Quæ vero damus e Codice Erlangensi auctaria, uncis inclusa, primario textui inseruimus.*

b *De patria* S. Lulli *late egimus in Commentario prævio num.* 8 *et sequentibus. Lectorem non fugiet textum Lovaniensem constanter scribere* Hiberniam *pro Britannia, quoties agitur de S. Bonifacio.*

c *Circa monasticam* S. Lulli *professionem, et locum, quem monachus in patria incoluit, vide Commentarii prævii num.* 10 *et sequentes.*

d *Monstravimus Commentarii prævii num.* 16 *et sequentibus adventum* S. Lulli *in Germaniam valde probabiliter statui posse circa annum* 725.

e Fæces pristinæ gentilitatis *optime demonstrat* Indiculus superstitionum et paganiarum, *qui inter epistolas S. Bonifacii adhuc superest* (*a*), *quemque sanctus episcopus ad fidelium instructionem*
B *in concilio Leptinensi anni* 743 *promulgari fecit.*

f *Occurrit Chunihildis nomen in variis Fastis sacris ad diem* VIII *Decembris, qua de illa agetur. Aliquem cultum ecclesiasticum nactam fuisse hanc Sanctam una cum filia sua Berathgit, testis est nobis utriusque imago sacro altari imposita in ecclesia S. Michaelis Ordorffiensi in Thuringia* (*b*), *ut diximus Commentarii prævii num.* 10.

g *Victorias a Carolo Martello de Sarracenis relatas tribuunt chronologi anno* 737 *et sequenti; eumdemque numerum cæsorum hostium exprimunt chronica San-Dionysiana gallice conscripta lib.* V, *cap.* XXVI, *et Sigibertus Gemblacensis ad dictum annum* (*c*). *Cæterum hisce annis propterea affigendus non est* S. Lulli *adventus in Germaniam : Erlangensia enim auctaria tantæ non sunt antiquitatis, ut sententiam, qua Sanctum nostrum ex Anglia circa annum* 725 *solvisse opinamur, evertere queant.*

h *Commentarii prævii* § IV *late inquisivimus in tempus supremæ profectionis S. Bonifacii Frisiam versus, et consecrationis* S. Lulli.

C

CAPUT II. *S. Bonifacii corpus Trajecto Fuldam transfert S. Lullus et honorifice condit.*

S. Bonifacius Lullo *b*

Deinde B. Bonifacius, assumpto secum archiepiscopo Lullo, Turingiam et Hassiam *a*, item cætera, quæ inter Rhenum et Wisaram incoluntur loca, peragravit, prædia omnia, quæ ipse Moguntiacensi Ecclesiæ industria sua acquisierat, ei demonstravit, ipsum etiam cunctis, qui in his regionibus fama et opibus eminentiores habebantur, exquisitissimis verbis commendavit, obtestans eos sub invocatione nominis divini, ut ei in ecclesiastico regimine fautores adessent. Demum compositis rebus ex sententia, secretius, remotis, ut fertur, omnibus arbitris, eum conveniens : Semper, inquit, etiamsi privatus ageres, oportebat te circa religionem attento ac sollicito animo esse, inconcusso pectore pro castris Domini stare, numquam commodum tuum cultui divino antehabere, postremo summa ope niti, ne quid tibi in divinis rebus subriperet desidia vel ex lassitudine oborta satietas. Quanta, putas, harum rerum tibi incumbit nunc necessitas, cum positus sis columna in templo Dei, et toto cubitu totum pene sanctæ Ecclesiæ ædificium tibi videatur inniti. Vide ne baculum arundineum te inveniat manus innitentium, cum in partem quamlibet pro libidine sua inflectat aura favorum popularium. Convictu meo familiarius cæteris jam diu perfruitus, certissime nosti, quod numquam, blanditiis aut terrore principum infractus, loco cesserim, nec in causa Dei aliquando personam acceperim. Unde tibi relinquo Ecclesiam, Deo propitio et meo post Deum studio florentissimam.

12 Tu ecce coram Deo et Sanctis Angelis ejus *suprema dat mandata* jurejurando a me obstrictus, operam da, ne tantus labor meus incassum effluat, ne tua segnities corrumpat felices pro Christo victorias, ne vinea Dominica, in cultu initiata, post uvas degeneret in labruscas. Proclivis est vita mortalium a virtutibus ad vitia, et idcirco nisi attentius agas, nisi contra fluminis ictum pressius oblucteris, brevi post, excusso freno, a sobrietate Christiana præceps referetur ad pristinæ gentilitatis spurcitias. Ego jam vitæ præsentis stadium percurri : quidquid virium in corpore habui, bella E Dominica præliando, detrivi. Nunc licet senectute confectus militare nequeam diutius, absit tamen ut ab armis Domini missionem petam, et tenuem, quæ superest, spiritus scintillam inerti otio tradam. Mortem potius ipsam, ad quam communis me impellit conditio, opto mihi fieri virtutis materiam, ut de salsugine mortalitatis hujus, completis stipendiis, emigrans imperatori meo, cujus signa ad mortem sum secutus, occurram securius. Te autem ecce sub oculis omnia videntis Dei obtestor, per eam, qua mortalibus cæteris familiarius es usus, benevolentiam meam, ut ubicumque locorum victima Christi procubuero, corpus meum requiras atque ad monasterium, quod in saltu Buchoniæ secus Fuldam fluvium mihi statui, delato justa persolvas. Ecclesiæ in eodem loco, cujus ego jam fundamenta jeci, tu extremam manum impone, tuis vel Ecclesiæ, imo tuis quia Ecclesiæ, opibus. Fratres ibi propter penuriam rerum communium vitam adhuc apostolicis institutis transigunt, opere manuum victum quæritantes.

13 His per omnia opem tuam et favorem ex *ante discessum suum :* animo impende, atque in grege superstite vivam F defuncti pastoris memoriam amplectere, habiturus apud Deum et apud homines gratiam, si orbatis patre filiis strenuum te exhibueris tutorem. Nosti præterea egregium virginitatis decus et nostra memoria unica in orbe terrarum sanctitatis exemplar, Liebam, Virginem Christi *b*, quæ non *b* est contenta intra natalis soli angustias exspectare cœlestis sponsi nuptias, sed meo instinctu Gallias intravit, atque in loco, cui nomen est Bischofesheim, prælata monasterio fœminarum, ad thalamum Christi magnos post se trahit greges nobilium fœminarum. Non etiam te fugit, quod hanc propter morum ejus prædicandam puritatem unice semper dilexerim, et cum plerumque aliarum fœminarum verecunde soleam oculos declinare, huic apud me primum familiaritatis locum concesserim. Quapropter gratum mihi feceris, cum, decurso vitæ spatio, naturæ concesserit, si eam in eodem mecum sepulcro sepelies, ut dulcissima inter se nomina nec mortis dividat violentia. Postquam igitur dicendi finem fecit et[*] ** addit quem Lov. Ed.* miles veteranus multorumque stipendiorum rudem Christi tironem de singulis ad unguem in-

(*a*) Würdtw. Epist. S. Bonif., p. 126. Ser. LXXVIII. — (*b*) Thuring. Sacr., p. 26. — (*c*) D. Bouquet, t. III, p. 310 et 347.

struxit

AUCTORE ANONYMO.

struxit *, sicut instituerat, ad Frisiam contendit, assumptis secum, quos ad tale iter idoneos arbitrabatur.

* construxit et *Lov. Ed.*

S. Lullus *accurate commissam*

14 At B. Lullus videns totas rerum habenas suo juri cessisse, nequaquam more humano efferri cœpit per insolentiam, sed reputans secum quam arduo ac difficili negotio manum injecisset, toto animi conatu operi ecclesiastico se accinxit. Omnes intra suam diœcesim sitas ecclesias ac monasteria visitavit *, qualiter in singulis locis divinarum rerum studium vigeret, attendit, ne quid in gregem Dominicum inimici sævientis astutia, se inscio, præsumeret, observavit. Quos æquitatis tramitem invenerat excessisse revocavit, obstinatis in faciem restitit et impudentem superborum principum frontem pontificali auctoritate refregit. Quos vero cultui divino deditos et circa religionem ferventes reperisset, tota circa hos paterni affectus viscera explicabat : [his propter pontificalis cathedræ fasces et nomen regibus etiam venerandum nequaquam se præferebat, sed horum se servum gloriabatur, his ad solvendam corrigiam calceamenti eorum imparem se

* visitans *Lov. Ed.*

B fatebatur, verbis tamen blandis et paternæ dilectionis melle conditis exhortabatur eos, ut regiam viam, quam ingressi fuissent, infatigabili studio tererent, nec aliquando satietate capti pedem ab incepto suspenderent.] Cujus infirmitas ad languorem illum non impulit? Cujus scandalum non ussit? Cujus prosperitas lætitiam non indixit? Cujus calamitas non in ejus redundavit miseriam? Omnibus postremo omnia factus, ita mirum in modum singulis morem gerebat, ut omnium, licet ætate, sexu, vita dissidentium, pari concordia in eum studia flagrarent.

diœcesim administrat :

15 [Sicque liberalis ejus sedulitas tam Deo quam sibi animos popularium brevi conciliaverat, ut omnes in religionem devoti, et in ejus favorem quam maxime proni efficerentur; atque vulnus mœroris, qui ob decessum B. Bonifacii plerosque invaserat, cito propter tam egregium successorem in cicatricem occalluisset : neque vero tam felicibus eventis suis ipse lascivius applaudebat, aut propter ambitiosam pompam auræ popularis ipse sibi illius delicti vel ignaviæ gratiam faciebat, metuens cum Apostolo, ne forte cum illis prædicasset, ipse reprobus efficeretur.

C Idcirco] nihil sibi de priori parcitate cibi ac potus, nihil de labore vigiliarum, nihil de contemptu rei familiaris, nihil de pristina morum ac totius vitæ temperantia remittebat. Oblitus magis posteriora, toto annisu extendebat se in anteriora, anxie inhians bravio supernæ remunerationis. Cum cæteros jam pridem fide ac pietate superasset, atrox cum animo suo certamen gerebat, ut se ipsum quoque superaret atque in dies se ipso religiosior atque in studio morum provectior haberetur.

cœlesti visione præmonitus

c 16 [Aliquantum jam temporis post abscessum B. Bonifacii fluxerat, et ipse in curte regia Hilenheim *c* morabatur, constituto ibidem rege Pippino, apud quem frequens adesse solebat : nam gratissime consiliis ejus utebatur et præcipua quæque regni negotia illius nutu administrabat; tanta viro vis ingenii et latitudo cordis inerat; ac propterea ægre patiebatur eum lateri suo usquam abesse.] Quadam vero nocte in lecto decubans, cum [inter vigiliam et adultam quietem prima, ut ajunt,] somni nebula oculos ejus pressisset, vidit assistere sibi B. Bonifacium, stola pontificali et vestimentis solito cultoribus amictum, vultu quoque ipso ac veneranda canitie quiddam divini splendoris præferentem. [Obstupuit protinus terrore inopinato perculsus, atque in eodem lumina D defixus obtutu, tacitus, quantum incumbentis formidinis articulus patiebatur, secum tractabat, ne forte sopor dormienti more suo vana somniorum spectacula præberet. At ille, faciem, quam recognosceret familiarius, retegens, cum urbana quadam ac festiva hilaritate frontem contra intuentis oculos explicasset :] En, inquit, frater dilecte, tempus exigit, ut promissis tuis fidem facias. Hodie Christo testimonium dicens, cervicem percussori præbui ; hodie triumphali pompa laureatum me cœli recepit palatium. Nunc ergo memor sponsionis, qua te, præsente Deo, obligasti, moras omnes abrumpe, resides animæ jam triumphantis exuvias require, easque peregrinis regionibus ereptas, [sicut pollicitus es,] defer ad monasterium Fuldense. [Non frangat te arduum negotium, non moveat te iter asperum, non terreat te barbaræ nationis atrox et crudele ingenium : Deo auxilium ferente, omnia tibi cedent prospere.] In hæc verba visio pariter cum somno disparuit.

in Frisiam properat,

17 [Tunc archiepiscopus, gravi mœrore confectus, haud enim in ambiguo erat B. Bonifacium humanis rebus excessisse, ubi primum lux crastina terris est reddita, ad regem Pippinum rem E detulit : ei valefacto, in sua se recepit, ibique, vocata in colloquium multitudine, immane facinus Frisonum exposuit, quod illustris viri et toto orbe nominati sanguine manus suas commaculassent. Dein quid illi adhuc in carne posito ipse promisset, aperuit ; omnes postremo pro se operam dare rogavit, ne in tantum virum voti reus fieret ac per hoc Omnipotentis iram adversum se provocaret. Ubi cum cunctorum animos alacres atque ad instans negotium fervidos accepit,] * nihil moratus ad Frisiam iter instituit, habens secum armatorum copias non modicas, [cum propter barbaros, ne forte solemne funeris officium, facta vi, perturbarent, tum propter ipsos fideles, ne qua seditio inter eos oriretur, dum singuli religioso studio in sacras Reliquias impetum et pretiosissimo thesauro certatim prædam agere vellent.] Interea [cum fama interfecti pontificis jam convaluisset,] populus Trajectensis oppidi, [quod a loco martyrii ejus intervallo mediocri abest *d*,] globo facto, irruperunt in Frisiam, et ex illa clarissimorum Martyrum acie præcipuos quosque cum ipso principe militiæ cœlestis, B. Bonifacio, ad se transtulerunt, et rapto jam in se- F curitate patiebantur. Postquam eo venit sanctus Lullus, [tametsi ad vim faciendam par esset viribus, tamen] ne temerariæ plebi non tam oblata, quam pressius ingesta videretur occasio seditionis, blande ac sine tumultu agere cœpit.

* *addit* unde B. Lullus *Lov. Ed.*

et corpus S. Bonifacii, frustra reclamantibus

18 [Totam confusæ multitudinis frequentiam vocat in concionem,] omnibus in commune ambitiosius gratias facit *, quod Sanctis Martyribus exequias solemniter exhibuissent ; plurimum tamen meritis eorum apud S. Bonifacium accrescere, si corpus ejus æquo animo paterentur in monasterium Fuldense deferri, quod negotium ille sub attestatione nominis divini injunxisset ; bene cum eis ac supra spem humanam feliciter gestum esse, quibus pene tota castra militiæ Dei in prædam cessissent ; [S. Bonifacium si contra decretum animi ejus tenere vellent, eum non hoc in gratiam referre, sed in contumeliam ; gravari magis violenta devotione, quam oblectari. His verbis cecidere popularium animi, ira in favorem est conversa.] Ita cunctis annuentibus [et singulis pro virili parte officium funeris adjuvantibus,] magnifico apparatu celebrata est sacri corporis translatio *e*.

* fecit *Lov. Ed.*

e

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Trajectensibus et Moguntinis, Fuldam transfert.*

19 [Nec tamen hoc modo omnis rebus difficultas adempta, tota negotii asperitas complanata est. Nam ubi ventum est Moguntiam, tum vero totus cum populo clerus obviam effusus, jure gentium agebat apud episcopum, suum inquiens fuisse hunc pontificem, sibi potissimum hereditatem defuncti patris tam jure cœli quam jure fori, deberi, nec æqui nec boni memorem eum esse, si contra sentiret, præsertim cum ad eum, utpote antistitem, specialiter et gloria et calamitas Moguntiensis Ecclesiæ spectaret; ad ultimum si non in hanc sententiam ultro concederet, malle se viribus uti et extrema omnia experiri, quam tanto bono fraudarentur. Tum archiepiscopus, diu multumque conatus tumultuantem populum in gratiam reducere, ubi vidit rem tardius procedere, confusus incertusque animi, quid consilii caperet, quo se verteret ambigebat. Voluntati enim multitudinis refragari nec factu facile, nec satis tutum sibi videbat. Verum, copiis ita in arctum coactis, cito lætos exitus reperit secundum promissionem suam B. Bonifacius. Denique postero die cum episcopus ad publicum processurus foret, mollibus iterum verbis efferos populi animos attentare volens, quidam ex ordine clericorum, B Othbraht nomine, diaconus officio, ei se obvium tulit, atque, impetrata secretius dicendi copia: Nocte, inquit, hac ipsa divino oraculo admonitus sum per soporem, ut tibi, o pontifex, hæc in mandatis deferrem a S. Bonifacio, ut constanter agas, nec seditione plebis simultatibus inflectaris a proposito: populo quoque testificeris non impune laturos esse, quod contra dispositionem Dei obstinato animo venire tentaverunt, nisi maturius a pertinacia conquieverint. Episcopus, ut in tanta rerum angustia et consiliorum inopia necesse fuit, gratissime hoc accepit, hominem, injecta manu, in medium protrahit, capto editiori loco, cœleste oraculum in auribus populi recitari jubet. Verum propter immoderatum retinendi sacri corporis desiderium, verbis ejus non satis fidei erat apud multitudinem, animos etiam quorumdam suspicio tangebat, ne forte consilio episcopi sibi dolus necteretur. Tum episcopus, ut verbis idem conciliaret, circumstantium magis quam suæ consulens credulitati, ad comprobandam rei veritatem, jusjurandum exegit ab homine. Ille nihil cunctatus dedit: res credita est, atC que ita deinceps, relegato omni difficultatis scrupulo, corpus ablatum, et, Rheni amne trajecto, in monasterium Fuldense delatum, atque quod satis esset flagrantissimis in eum monachorum ibi commorantium studiis, solemni ac magnifico ritu traditum est sepulturæ *f*.]

ANNOTATA.

a *Hassorum nomen sæculum octavo primum innotuisse dicit Joannes Hartmann in Historia Hassiaca* (*a*) : *Hæssonum appellatio inter epistolas Bonifacianas occurrit* (*b*). *Juxta laudatum Hartmannum loco citato iste populus ad illa usque tempora Cattorum nomine veniebat.*

b *S. Lieba seu Lioba, quæ etiam Truthgeba nuncupatur, colitur die* XXVIII *Septembris, qua ejus Acta dederunt Nostri* (*c*).

c *Ignota mihi omnino curtis regia : neque nomen aliquod consonans mihi occurrit, nisi dicatur librarii incuria* Hilenheim *pro* Ingelheim *esse scriptum. Est vero Ingelhemium palatium regium, duobus milliaribus Germanicis Moguntia Bingam versus distans. Hanc lectionem suadet certe consequentia sermonis, cum dicitur* S. Lullus *postera die, relicta aula regia,* in sua se recepisse.

d *Distat* Dockinga *seu* Doccomium, *palæstra S. Bonifacii, Trajecto ad Rhenum, de quo hic agitur* (Utrecht), *leucis gallicis circiter triginta quatuor. Hodie appellatur etiamnum* Doccum, *in hodierna provincia Frisiæ.*

e *Editio Lovaniensis, omisso numero* 19, *narrationem suam translationis corporis S. Bonifacii absolvit his :* Magnifico apparatu celebrata est sacri corporis translatio AD FULDENSE MONASTERIUM ET FLAGRANTISSIMIS MONACHORUM STUDIIS MAGNIFICO RITU SEPULTUM.

f *Num.* 40 *hujus Commentarii videre est diversum ejusdem facti narrandi modum, quo Eigil S. Sturmii biographus magnam* Lullo *nostro creat invidiam : cæterum per hæc et hujusmodi nihil detractu velim famæ sanctitatis, qua vivus et mortuus gavisus est Eigil, Fuldensis abbas : ipse jam num.* 41 *Commentarii prævii monstravi, quam facile quæstiones circa jurisdictionem excrescant in simultates; dum utraque pars pro justitia litigare sibi persuadet.*

AUCTORE ANONYMO.

E

CAPUT III. *Controversia cum S. Sturmio de monasterio Fuldensi ; fundatio Hersfeldensis cœnobii ; pius obitus et sepultura.*

Orta simultate inter Fuldenses et S. Lullum

His rebus bene et ex sententia gestis, archiepiscopus omnem operam suam in locum ipsum intendit: [egregiam scilicet æstimabat sibi hanc fore materiam, in qua debitum B. Bonifacio amorem totum transfunderet et amantissimi patris desiderium tanti pignoris hereditaria possessione solaretur. Itaque locum ipsum frequentius invisere, fratres super decessu B. Bonifacii anxios verbis ad consolandum exquisitissimis refovere, ubicumque res posceret, præsto adesse, inopiæ familiaris supplementum affatim præbere, periculum, si quod forte immineret, propulsare, omnia postremo liberalis atque indulgentissimi patris officia impensius administrare.] Verum ea longe aliter quam ipse spe conciperet*, cessere *a*. [Non solum enim his rebus nullum favorem, nullam eorum benevolentiam sibi conciliabat, verum etiam cunctorum ibi degentium gravissima in se odia concitavit.] Nam Sturmio quidam nomine tum præerat monasterio, vir excellentis ingenii et prædicandæ sanctitatis, sed vehementis nimium et ferocis naturæ : [unus scilicet ex illo clarissimo grege discipulorum B. Wicberti *b*, qui in Frideslarensi monasterio ad exemplum ejus instituebantur.] Is [privatim et publice] animos fratrum sollicitabat, commonens hanc pontificis * circa se indulgentiam* aliorsum spectare, quam sibi* opinarentur: [aliud eum vultu prætendere, aliud animo machinari, et magnæ cujusdam injuriæ consilium palliare titulo pietatis, qui scilicet ad hoc quibusdam verborum lenociniis homines inescaret, ut eis fraudulenter suæ dominationis frena injiceret et libertatis bonum eriperet, quo vitæ humanæ nihil sit jucundius, nomini Christiano nihil decentius, professioni monachorum nihil commodius; proinde ipsos non bene rebus suis prospicere, si immemores nobilissimæ conversationis, qua fuerant a B. Bonifacio liberaliter educati, ultro in servitutem concederent] *c*.

F

* coneepisset *Lov. Ed.*

a

b

* *addit* Lulli *Lov. Ed.*
* gratiam *Lov. Ed.*
* ipsi *Lov. Ed.*

c

(*a*) T. I, p. 1. — (*b*) Würdtw., p. 223. Ser. LIII. — (*c*) T. VII Septembris, p. 748.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE ANONYMO. *hic multa facit*

21 His atque hujusmodi sermonibus a Beato Lullo cunctorum fratrum animos [quam maxime] alienavit, et nihil tale suspicanti non mediocrem invidiam [brevi] conflaverat. [Ex hoc omnes eum infestis nitibus, aversis obtutibus aspicere, familiaritatem abnuere, verborum blanditias, velut instructas ad perniciem suam decipulas, refugere, omnem ejus congressum et colloquium, suspectum habere, denique cum dilectione, cum beneficiis, cum munificentia odio, detractione et conviciis decertare. Huc accessit, quod sub idem fere tempus quidam factiosi homines faciem regis Pippini adversus abbatum Sturmionem interpellaverunt, accusantes eum, quod in regiam majestatem verbis nimium petulantibus excessisset. Unde rex, ira succensus, exilio eum relegavit. Fuldensis vero monasterii providentiam B. Lullo
d decrevit *d*. Ea res suspicioni jam pridem ortæ non minimum roboris addidit, tota protinus congregatio pari studio adversus episcopum conspiravit, multaque in eum gravia et memoratu incredibilia maledicta congessit, dictitans eum malorum talium incentorem fuisse, ejus largitione
B accusatores fuisse corruptos, ejus artibus instructos, ejus studio in audientiam regis admissos, postremo totam hujus accusationis fabulam ab eo fuisse confictam, quatenus, deturbato pastore, ipse in desolatum ovile sine periculo impetum faceret.

ad pacem componendam :

22 Ad sedandam ergo hanc turbam archiepiscopus modis omnis intentus, Marcum quemdam nomine præfecit eis abbatem, virum mitis ingenii, et, ut ejus ferebat opinio, tantis rerum tempestatibus comprimendis peropportunum. Sed hunc protinus illi repulerunt, tamquam partibus episcopi impensius faventem et seditionibus suis minus spei afferentem. Rursum archiepiscopus, utpote qui animo fixum haberet per omnia eis morem gerere, quamdiu posset salva æquitate, ipsis eligendi abbatis auctoritatem permisit. Læto illi hoc animo suscipiunt : eumque protinus creant abbatem, qui archiepiscopi conatibus ex æquo auderat * obviam ire, ejusque tumidos spiritus, ita scilicet illi suspicabantur, opposita, ut dici solet,
e fronte refringeret *e*. Is itaque creatus cum magna omnium exspectatione, principio statuit sibi cum archiepiscopo rem atrociter gerendam : nisi
C enim id faceret, male se usurum hac prælatione satis certo sciebat. Hoc modo cum per biennium grave utrinque bellum gessissent, hic beneficiis, illi odio et detractione certantes, et egregium pontificem, illius ætatis clarissimum lumen, sine intermissione verbis petulantissimis insectarentur, sicut heu ! frequentius fieri solet, postremo vicere studia partium.

* *lege* ausus fuerat

sed incassum tentatis omnibus,

23 Nam rex Pippinus, postquam diuturnitate temporis iracundiæ fervorem digesserat, in gratiam rediens, ut verissime confido, annitente in hoc ipsum B. Lullo, ut videlicet hac ratione objecti sibi criminis suspicionem purgaret, Sturmionem abbatem ab exilio revocavit, receptoque in pristinum statum gratiæ suæ licentiam indulsit in monasterium Fuldense redeundi, curamque ejus, sicut consueverat, administrandi. Ea res fratrum animos in spem maximam arrexerat, episcopo vero non minorem seditionis comprimendæ et rerum prospere gerendarum desperationem incusserat.] Præterea non mediocri tædio jam * afficiebatur animus ejus *, cum videret tot tantosque labores suos incassum effluere, beneficiis invidiam non exstingui, [sed tamquam suppositis facibus magis magisque in dies incandescere :] extremæ vero dementiæ esse tantas rerum impensas sine fructu insumere, quibus alio in loco D
perenne, [nullaque vetustate abolendum fidei et] devotionis suo moninentum posset exstruere. [Diu eum hæc cunctatio suspensum tenuit : propositum, quod carissimi patris instinctu in animum induxerat, non nisi anxia et ægritudine confecta mente relinquere poterat. Vincitur tamen rerum asperitate, et post diuturnam deliberationem, post multos sudores irrita spe exhausto, totam ab incœpto intentionem revocavit, contestatus cœlum et terram et viventem in Christo spiritum B. Bonifacii, voluisse quidem se præceptis ejus parere, ejusque institutionis alumnos amplis honoribus illustrare, sed in hac injuria infractum loco cedere : Deum ab se pœnas exacturum, si ambitionis spiritu, quod criminatores ejus jactitabant, potius quam intimæ caritatis affectu circa eos hactenus conflagrasset.

* *addit* Viri Dei *Lov. Ed.*
* *deest* ejus *Lov. Ed.*

24 Enimvero, nisi periculosum ducerem de ju- *tandem, probante*
diciis divinis sententiam ferre, ego haud temere vel sine nutu Dei actum crediderim, ut sancti pontificis et sanctorum, ut mea fert opinio, fratrum animi tam difficulter coalescerent. Si enim benevolentiam episcopi hæc rerum procella non E
excepisset, nimirum in alieno fundamento nimium occupatus, privatæ gloriæ studium omisisset, atque Hersfeldense nomen, toto orbe nunc clarissimum, abisset in vacuum, nec tanta copia sanctissimorum hominum auxisset numerum cœlestium spirituum. Interea Pippinus cum per xv annos functus regiis honoribus fuisset, diem clausit extremum *f*, duos filios relinquens superstites, utrumque adultum ætate et regno gubernando maturum, videlicet Carlomannum et Carolum, cui postea ex virtute et magnitudine rerum gestarum cognomen accessit, ut Carolus Magnus diceretur. Hi duo, ut paci et concordiæ prospicerent, paternum inter se divisere regnum. *f*
Carlomannus, vir ferocis naturæ, totus ambitione præceps rapiebatur, neque iræ aut cupiditati suæ aliquatenus moderabatur, dummodo, fratre ejecto, solus regno potiretur. Sed Carolus lenis ingenii et provectæ admodum gravitatis erat. Is fratrem, juveniliter tumultuantem, patiendo magis, quam injuriis obviam eundo, mitigare conabatur.

Carolo Magno,

25 Erat quidam tum gratia et favore totius F
populi, tum propriis viribus, tum usu et peritia rei militaris, tum copia omnium, quæ bellis opportuna esse solent, multum fratre instructior : mitius tamen cum fratre agendum judicabat, scilicet majori sibi gloriæ apud Deum et apud homines fore existimans, si potius fratri ad tempus cederet, quam acceptas a fratre injurias pessimo exemplo ultum iret. Nec tamen idcirco Carlomannus de ferocitate animi quidquam remittebat, sed tumultuosius in dies agere, rumpendi fœderis occasiones quærere, totum denique robur regni sui in odium atque ad perniciem fratris sollicitare. Jamque eo processerant inimicitiæ, ut ex occultis detractionibus ad apertam vim et publicum bellum res spectare videretur ; nec erat in ambiguo dissensionem hanc luctuoso exitu esse terminandam. Verum periclitante hoc modo statu reipublicæ, commode adfuit misericordia Dei. Nam Carlomannus, dum fratri jamjam arma inferre et regnum per vim totum in se transferre moliretur, ægritudine præventus interiit, et optimo viro, fratri suo, nefariæ concertationis necessitatem exemit, biennio fere posteaquam pater ejus Pippinus naturæ concesserat.

studia sua convertit

26 Ita Carolus principatum solus obtinuit, vir *lege* in bellicis
inbecillis* rebus valde strenuus et ad omnia, quibus

A bus animum adjecisset, efficacissimus. Et revera si vel Titum Livium vel Crispum Sallustium suarum rerum gestarum scriptorem nactus fuisset, salva fide dixerim, quod vel Julii vel Augusti Cæsaris vel cujuslibet illustrissimi Romani imperatoris gloriam tam belli quam pacis artibus exæquasset. Exstant quidem ejus gesta, sed pro rerum dignitate breviter nimis et strictim descripta. Quæ tamen quisquis legerit, inveniet quod is primus ex regibus Francorum appellatus sit Romanorum imperator Augustus, idque nomen etiam in successores suos transfuderit, si qui tamen virtutem ejus et industriam æmulari poterint; quod rempublicam XLVII annis strenue rexerit, magnifice auxerit, pacatissimam atque fama, opibus, ædificiis, moribus, legibus ornatissimam decedens reliquerit. Sed nos ad propositum, unde digressi sumus, revertamur. Archiepiscopus Lullus, qui semper animo agitaverat flagrantis in Deum spiritus aliquod documentum transmittere in posteros, cum res hoc modo tentata minus prospere cessisset, aliud aggreditur melioribus profecto auspiciis, et Deo aspirante, lætiores habiturum exitus.]

B 27 Locus erat in saltu Bochoniæ cui nomen Hersvelt * *g* nomen indidit antiquitas *, habitationi monachorum peropportunus. In hoc abbas Sturmis, tempore quo primum ad solitariam sylvestremque vitam eum fervor spiritus præcipitem agebat, consederat, ac erutis, [quæ faciem loci occuparant,] arbustis, parvas sibi fratribusque cellulas opere impolito construxerat, novemque ibi annos jam evolverat. Sed B. Bonifacium, licet amœnus loci situs et aquæ opportunitas alliceret, offendit tamen latus contiguum Saxonibus, nam * paganis ritibus adhuc tenebantur, et plerumque in [Thuringiam et Hassiam et] proxima quæque loca [impetum facientes,] cædes hominum et depopulationes agrorum non modicas dabant. [Horum suspecta semper eruptio, etiamsi minus periculi, multum tamen terroris et formidinis incussura fratribus videbatur.] Ut * hanc incommoditatem evaderent, operæ pretium visum est B. Bonifacio, ut] altius in Bochoniam sedes promoverent, locisque ab accessu tutioribus insiderent *h*. Illi solum, quo nunc Fuldense monasterium, occupaverunt: locus * Herveldensis, tradente B. Bonifacio, in proprium cessit Sancto Lullo, qui jam tum forsitan construendi illic monasterii desiderium animo conceperat. [Igitur postquam modo, quem dixi, a Fuldensibus defecerat,] in hunc * locum omnes copias suas, dedita opera, coegit, succisis profusius arbustis, amplioris numeri fratribus spatium laxavit, ipsum * cultioribus ædificiis exstruere aggressus est, [atque ob id acriore vi cœptis incubuit, ut fractum priori adversitate animum sequenti rerum successu restitueret.

28 Nec spem fefellit eventus. Nam] brevi temporis processu * Herveldense nomen in immensum gloriæ et magnitudinis culmen evaserat. [Jam denique satis clarum satisque pollens, cum frequentia, tum eximia conversatione servorum Dei habebatur; opibus etiam, agris ac familiis magis magisque in dies augebatur, partim studio B. Lulli, sapientis admodum viri, partim liberalitate principum totius regni, qui pio ejus desiderio summa ope omnes annitebantur. Præterea frequentes eo confluebant homines celebris in sæculo et famæ et familiæ, qui venditis rebus familiaribus, pretia eorum afferebant, et, secundum instituta primitivæ Ecclesiæ, simulacra gentium, argentum et aurum, substernebant pedibus Apostolorum Symonis et Tathei *. His etiam ecclesia loci attitulata erat: ea causa opes monasterii non minimum auxerat. Unde gloria loci ejus eo brevi adoleverat, ut quæ, ante aliquot annos arbustis consita, feris agrestibus gratum præbere latibulum conspiciebantur, nunc cultoribus frequentata atque augustissimis ædificiis nobilitata cerneres: comprobato etiam ad litteræ superficiem vaticinio Esaiæ promittentis, quod deserta in ubertatem versa advenæ comedent. Ad hanc loci claritatem humana virtute partam accessit etiam pietas Domini et pro magnitudine sua dignis eum muneribus honestavit, insigne dans documentum spectantis eo animi et benevolentiæ suæ. Episcopus, ut supra expressimus, cum *] ab exordio jacti fundamenti ecclesiam monasterii beatis Apostolis Symoni et Tatheo attitulasset, atque [jam ingentem loco reverentiam tanti patrocinii majestas comparasset,] angelica in somnis voce est admonitus, ut corpus B. Wicberti eo transferret *i*.

29 Is, sicut editus de Vita ejus libellus indicat, paulo superioribus annis accitu S. Bonifacii de Britannia * venerat; cumque diu in Galliis vitam morum gloria ornatissimam exegisset, vir ille * profecto ætate clarissimus et monasterialis disciplinæ exercitio nulli antiquorum patrum secundus, tandem felici in Christo dormitione sopitus, in oppido Frideslar *k* * sepulturam acceperat. Ossa ejus jam de loco in loco sæpenumero * fuerant translata, [idque propter timorem Saxonum, qui plerumque in Thuringiam et Hassiam, irruptione facta, agros ac villas armata manu populabantur, ne quid videlicet nefarii facinoris barbaricus furor in sanctas Reliquias præsumeret. Tum temporis, quo hæc gerebantur, in castello quodam, cui nomen est Buriburc *l*, ob munitionem loci servabantur, pro majestate tam insignis personæ non satis honesto loco reposita.] Tamen propter miraculum et novitatem signorum, quibus etiam circa aridos cineres Confessoris sui viva Dei gratia efflorebat, quotidie magno populi concursu frequentabantur.

30 [Archiepiscopus igitur ad exsequendum negotium se haud satis impigre movebat. Verebatur forsitan levitatis argui, si ad implendam rem tam egregiam post primam statim visionem præceps abiret. Verum dum] * cunctando ac deliberando tempus tereret, angelica voce * ac tertio similem in modum est communitus, ut præcipitaret moras, nec cœlestibus mandatis suam diutius operam denegaret *m*. [Ita deinceps nihil ambigendum ratus, ut facto major auctoritas inesset, Carolum, penes quem eo tempore jus regium erat, super hoc consuluit. Cum ille libens annuisset], adhibitis * sibi tam clericalis quam monastici ordinis viris illustribus, locum adiit *, sacra ossa [exinde sublata, cum magna ecclesiastici apparatus ambitione, sicut jussus fuerat,] * in monasterium Herveldense transtulit. Quantus honor, profectus et reverentia ex hoc loco illi accreverit, cunctis ibi degentibus hodieque est in propatulo. [Post hæc B. Lullus cum monasterium illud opibus affatim exornasset, ædificiis insigniter excoluisset, cunctum domus Domini decorem ad unguem elaborasset, multitudinem quoque fratrum temperatissimis institutis instruxisset, induxit animum utilitatibus rerum etiam in posterum consulere. Si quidem experimento didicerat, divina inter homines parum tuta esse; sæculares alieni semper appetentes, dum sibi censum augeant, nihil pensi habere, quam minimo discrimine divina et humana permisceant.... *n*.]

31 Inter hæc viro Dei animum pulsavit memoria

AUCTORE ANONYMO.

* *lege* Thaddæi

* cum autem B. Lullus *Lov. Ed.*

i *quo transfert corpus*

* Hiberniam *Lov. Ed.*
* illa *Lov. Ed.*

k

* Fricellar *Lov. Ed.*
* *addit* propter timorem Saxonum adhuc gentilium *Lov. Ed.*

l

S. Wigberti.

* cum autem archiepiscopus de translatione *Lov. Ed.*

m

* *addit* igitur *Lov. Ed.*
* *addit* et *Lov. Ed.*
* *addit* honorifice *Lov. Ed.*

n

ad fundandum Hersfeldense
* Herollesfelt *Lov. Ed.*
g
* posteritas *Lov. Ed.*
* qui *Lov. Ed.*
* *addit* igitur *Lov. Ed.*
h
* *addit* autem *Lov. Ed.*
C
* *addit* ergo *Lov. Ed.*
* *addit* que *Lov. Ed.*
monasterium
* brevique tempore *Lov. Ed.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

ria verbi, quod ei B. Bonifacius, cum in Frisiam profectionem moliretur, injunxerat, videlicet ut Virginem Christi Leobam *o*, cum naturæ debitum exsolvisset, in Fuldensi monasterio tumularet, quod et diligenter secundum ejus dispositionem adimpletum est. Sentiebat quoque vir Dei Lullus jam per spiritum instare diem dormitionis suæ ; rem tamen silentio premendam censuit : tum ne tam e vicino imminentis mortis articulus necessariis suis mœrorem injiceret ; tum ne jactando præscientiam, incideret in ambitionem popularis auræ, quam cunctarum virtutum perniciosam ac mortiferam labem semper duxerat ; tum ut ea, quæ de funere suo apud se disposuerat, rectius ac maturius curarentur.

Sepelit S. Liobam Fuldæ,

o

32 Habebat secum eximiæ, ut creditur, sanctitatis virum, nomine Albewinum *p*, episcopalis officii negotia post episcopum obire solitum, quem appellatione vulgata corepiscopum *q* vocant ; eoque in divinis rebus et privatim et publice adjutore ac suffraganeo utebatur. Huic ad se accersito : Causam, inquit, incidi, quæ ad Herveldense monasterium profectionem maturare me exigat : tui sit officii, celebratis prius Missarum solemniis me protinus insecuturum antecedere, et quæ mihi mecumque venientibus sint receptui * providere. Ille morarum impatiens jussa ocius capescit, quæ proficiscentibus usui forent, disposuit : Missam celebrat, quid tali commento strueretur penitus ignorans : cumque incolumis adhuc corpore sacramentis Dominicis participasset, repente spiritum exhalavit ; eodem quippe momento et vitam finivit et Missam. Archiepiscopus, tantæ rei miraculo nihil permotus, sed industrium mortis suæ præcursorem pronissimo favore amplexatus, navi jussit imponi et per Renum amne secundo devectus, in loco, qui dicitur Hohstedi *r*, exponi.

et Albuinum Hersfeldiæ,

p

q

B

* *supple* necessaria

r

33 Ubi cum ad funeris officium frequens de toto episcopatu populus occurrisset, magnifice susceptus, per terram in Herveldense monasterium est translatus. Nec ulla funebrium bonorum * ambitione caruit : (si quis honor tumuli, si quod solamen humandi est) ; transmissa in omnes fide solida, quod magni momenti apud Deum sint ejus merita. At B. Lullus, eodem quo instituerat ordine, in monasterium Herveldense contendit, ubi protinus morbo attactus, cum ordinationis suæ annum ageret trigesimum secundum, septimo decimo kalendas Novembris, honestissima morte perfunctus, naturæ concessit, suumque præcursorem dextro tramite insecutus cœlestis curiæ senatoribus est annumeratus. Nam quantis apud Deum emineat meritis, etiamsi vitæ clarissimæ ac insigniter actæ memoria obsolevisset, indicio tamen essent tot et tanta miracula, quibus, licet carne mortuus, vivit tamen apud superstites, carne quondam viventi multo, ut ita dixerim, vivacius : vivens enim paucorum, mortuus cunctorum pene aures ac mentes occupavit. Nos enim ei etiam vota facimus, jam divinos propter Deum honores deferimus, jam solemnes ferias instituimus.

ubi et ipse

* *lege* honorum

C

34 Post traditum vero sepulturæ corpus B. Lulli sexagesimus jam fluxerat annus *s*, et fratribus, qui tunc temporis in monasterio Herveldensi divinas agebant excubias, incidit in animum, ut sacra ossa levarent et loco celebriori componerent. Cumque saxum, quo sarcophagus tegebatur, adhibita ingens religiosorum hominum vis amovisset, erat videre grande atque ab hominum memoria inusitatum miraculum. Corpus tanto temporis processu terra obrutum, nullam senserit * corruptionis injuriam ; eam vultus venustatem, eam membrorum omnium dignitatem, eum vestimentorum quoque nitorem præferebat, ut ipsa eum die exspirasse, aut sopore potius quam morte sepultum crederes. Sinistri tantum pedis caligulam vetustas absumpserat. Igitur cum illud immani pondere saxum, quod operiendo corpori comparatum diximus, huc atque illuc volutaretur, forte manus fugit volutantium, et fratri cuidam prope astanti ita pedem contrivit, ut ossibus cum carne pariter comminutis, forma etiam pedis amissa, fœdum ac miserabile spectaculum præberet circumstantibus. Sed cito B. Lullus mœrentia fratrum pectora expedivit : nocte enim proxima cum languidum sopor oppressisset, ita repente suus membris omnibus vigor rediit, ut hymnis quoque matutinalibus interesset, nulla tantæ calamitatis ne cicatrice quidem superstite.

sanctissime moritur.

s

* *lege* senserat

D

ANNOTATA.

a *De controversia inter* SS. Lullum *et Sturmium vide Commentarii prævii num.* 41 *et sequentes.*

b *S. Wigbertus colitur* XIII *Augusti ; ad quem diem ejus Acta apud Nostros recurrunt* (*a*).

c *Operæ pretium fuerit narrationem hanc cum historiæ serie, qualis a biographo S. Sturmii, Eigile abbate, exhibetur* (*b*), *comparare, et animadvertere quomodo eadem facta diversam induant faciem secundum alterutrius scriptoris intentionem.*

d *Hisce verbis indicat Anonymus* S. Lullo commendatum *fuisse monasterium Fuldense ; et illa quidem tempestate frequentem fuisse commendarum usum in Galliis monstrat Thomassinus* (*c*). *Invidiosius rem narrat S. Sturmii biographus Eigil* (*d*) : Lullus interim, *ait*, obtinuit apud Pippinum regem, munera injusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum dominium donaretur.

e *Juvat hic iterum audire Eigilem dicentem* (*e*) : Marcum, quem inviti, Lullo faciente, super se abbatem acceperunt, ejus ulterius controversiam ferre non valentes, bonum consilium inierunt, et eum abjecerunt, et ne illorum ulterius abbas fieret, unanimiter contradixerunt. Quo amoto, omnes fratres de monasterio voluerunt exire, et ad regis Pippini palatium pergere, abbatem suum a rege Sturmen postulare. Quod cum Lullus audiret, mitigare eos blandis persuasionibus studuit, promittens eis, ut ipsi sibi de propriis fratribus inter se abbatem, qui eis placeret, constituerent. Quod cum omnibus placuisset, fratres bonum ex ipsis omnino fratrem et vere Dei servum, omnibus bonis moribus ornatum, elegerunt, nomine Prezzoldum,.... ipsum super se abbatem ordinaverunt, ad hoc tantum, ut illi cum ipso et ipse pariter cum eis quotidie tractarent, quemadmodum.... ad hoc pervenire potuissent, ut pristinum suum magistrum Sturmen a rege Pippino sibi concedi postularent.

E

F

f *Quum Erlangensis codex in mediam narrationem Hersfeldensis fundationis injiciat mentionem obitus Pippini regis, defuncti* XXIV *Septembris* 768*; erit fortassis, qui judicet dictum monasterium post hanc epocham accepisse. Verum Anonymus tantæ auctoritatis non est, ut recedamus asententi a num.* 55 *Commentarii prævii exposita et probabilibus munita testimoniis.*

(*a*) T. III August., p. 132. — (*b*) Pertz Monum. hist Germ., t. II, p. 372. — (*c*) Veteris et nov. discipl. Eccles., part. II, lib. III, cap. X. — (*d*) Pertz, t. II, p. 374. — (*e*) loco citato.

A g Hersfeldia, *etiam hodie* Hersfeld, *ad sinistram ripam Fuldæ fluvii, in electoratu Hasso-Casselano, in Fuldensi provincia.*

h *Quamvis Anonymus periculum potius mali, quam ipsum malum verbis suis indicet; e narratione tamen Eigilis primos Hersfeldiæ incolas sub S. Sturmio multa passos fuisse liquet, cum dicat* (*a*) : Invidus omnium bonarum rerum diabolus, pertimescens servorum Dei in solitudine conversationem, malorum hominum mentes instigabat, ut sanctum servis Christi contradicerent locum. Sancti vero servi Dei, cum pravorum hominum obstinationes, immo Zabuli adversitates ferre necdum possent, diverterunt inde, *etc.*

i *De translatione S. Wigberti in Hersfeldense monasterium egerunt Nostri ad* XIII *Augusti* (*b*).

k Frislarium, *hodie* Fritzlar, *ad Adranam* (Eder), *in electoratu Hasso-Casselano, in provincia Hassiæ inferioris.*

l Buriburc, *seu* Buriburgum, *locus nunc destructus, e regione Frislarii, ad dexteram ripam Adranæ.* Juxta *(Frislarium), ait Browerus* (*c*), in excelso monte, Buriburgum, vetus episcopi se-
B des stabat, cujus hodieque ruinæ illic monstrantur.

m *Ex hoc loco liquido constat Erlangense Ms. supplere, quæ desunt in editione Lovaniensi, qui vicissim hic hiulcam locutionem Erlangensem complet. Nam Lovaniensis editio dicit,* angelica voce secundo ac tertio commonitum *fuisse* S. Lullum, *quin quidpiam dicat de* prima visione, *quam Erlangensis codex refert. Ast Lovaniensis legenda vice quoque sua* secundam *visionem, quam tacet Erlangensis, recitat.*

n *In hæc verba desinit codex Erlangensis.*

o *In Actis S. Liobæ ad diem* XXVIII *Septembris* (*d*), *nihil reperitur de cura a* S. Lullo *in sepulturam sanctæ Liobæ impensa, quæ tota monachis Fuldensibus adscribitur.* D

p *De Albuino seu Albowino, aliis Witta seu Wittano dicto, recurret sermo ad diem* XXVI *Octobris ; ad quem ejus Acta discuti poterunt. Ex hac tamen narratione sequeretur Albuinum aliquot diebus præmortuum fuisse* S. Lullo : *unde examinandum veniet, qua de causa ejus memoria diei* XXVI *Octobris affixa fuerit.*

q *Chorepiscopus hic nuncupatur Albuinus; quidquid sit de chorepiscopis in genere, utrum scilicet episcopali charactere insigniti essent : dubium circa Albuinum nullum est, utpote quo utebatur* S. Lullus in divinis rebus et privatim et publice adjutore ac suffraganeo (*e*).

r *Valde perturbate ordinat scriptor supremum iter* S. Lulli. *Nam inspicienti mappam topographicam ad oculum patet Hersfeldense monasterium in orientali plaga Moguntiæ situm esse, ac proinde, ut Moguntia illuc eatur, nullam esse necessitatem attingendi Rhenum : imo sive quis secundo sive adverso flumine naviget, is profecto Hersfeldia tanto longius recedet. Credo itaque textum in hunc sensum corrigendum esse :* Et per Mogonum amne adverso E
devectus, in loco, qui dicitur Hohstedi, exponi *(jussit). Juxta Moguntiam in Rhenum influit Mogonus* (le Mein), *ab oriente veniens, et, quod correctioni meæ favet, via circiter media inter Moguntiam et Francofurtum est et hodie oppidulum* Hochst, *apud antiquos* Hochstedi *seu* Hochstedin *appellatum : ex quo iter terrestre, uti habet textus, Hersfeldiam versus carpendum erat.*

s *Vidimus Commentarii prævii num.* 119 *primam corporis translationem celebratam fuisse anno Christi* 852; *id est sexagesimo septimo anno post obitum* S. Lulli : *unde satis liquet Anonymum numero, ut diximus, rotundo hic usum fuisse.*

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 370. — (*b*) T. III August., p. 137, n. 24. — (*c*) Antiquit. Fuldens., p. 4. — (*d*) T. VII Septemb., p. 768, n. 30. — (*e*) Circa chorepiscopos cfr Nardi Dei Parrochi, t. I, p. 422.

C

DE S. VITALI EREMITA F

IN PAGO RATIATENSI DIŒCESIS NANNETENSIS IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Homonymi, biographiæ, ætas, vitæ ratio, Reliquiarum translationes, et cultus.

ANTE SÆCULUM IX. Incolæ *pagi Ratiatensis seu Ratensis,* S. Vitalis *eremitæ commoratione insignis,* Oceanis littus inhabitabant, *ut habet Ermentarius* (*a*), *collector miraculorum S. Filiberti, Nigri monasterii* (Noirmoûtier) *in insula Hero, nunc etiam Nigro monasterio dicta, fundatoris et abbatis; et* intra ipsum Pictavorum terminum, qui adjacet civitati Namneticæ; *ut loquitur S. Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum* (*b*). *Cum interlabente Ligere fluvio a Britannia et Nannetibus separaretur, pars fuit ista tellus diœcesis Pictavensis, ut ex eo, quod teste S. Gregorio Turonensi* (*c*), *S. Hilarius ibidem S. Lupianum baptizavit, colligit Gallia Christiana nova* (*d*) ; *donec anno* 851 *a Carolo Calvo, Francorum rege, in gratiam Herispogii decisa est a Pictavensi agro et addita Britanniæ, ut finis tandem fieret perturbationibus, quas fuse exponit Cl. V. Guépin in nuperiore sua Nannetensi hi-*

In pago Ratensi

(*a*) Act. SS., t. IV August., p. 91. — (*b*) Cap. LIV. Bibl., Max. SS. Patr. Lugdun., t. XI. p. 883. — (*c*) Ibid. loc. cit. — (*d*) T. II, col. 1143.

storia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A storia (a) *Dubium certe nullum esse potest quin usque ad tempora Herispogii, aut saltem ejus patris Nomenoji, terminus seu pagus ille episcopo Pictaviensi subfuerit; atque adeo Hadrianus Valesius* (b) *disserens de pago Herbatilicensi, qui in Ratiatensi termino jacebat, seu etiam, ut Cl. V. Guépin velle videtur* (c), *idem ac ille terminus erat, ita ratiocinatur, ac si non statim episcopalis jurisdictionis fines mutati fuissent, cum civilis auctoritatis modus conversus est; hæc ejus sunt verba :* Si ergo Arbatilicum territorium *(Comté d'Herbauge)...* erat in finibus seu in agro Pictonum, ad Pictones utique, non ad Namnetes pertinuit, et diœcesi Pictavensi, non Namneticæ attribuebatur; quem pagum postea Pictava Ecclesia facile amittere non potuit, et sibi eripi passura non fuit. *Verum cum medio sæculo* IX *omnia sus deque in Britannia atque in ipso pago Ratiatensi seu Herbatiliacensi a Normannis versa essent* (d), *iidemque agri plurimum a Lamberto et Nomenojo, Britanniæ principibus, passi fuissent* (e), *multo facilius hæc nova diœceseon limitatio facta fuerit oportet; præterea cum Gislardum in sedem Nannetensem loco Actardi episcopi*

B *Nomenojus intrusisset, planum erat ut illegitimus ille præsul auctoritatem suam extenderet in Ratiatensem pagum, quem Nomenojus, ejus fautor, vi et dolo occupaverat; præsertim cum B. Leo Papa IV, falsis forte relationibus deceptus, Nomenojo faveret, ut ex Chronico Nannetensi* (f) *colligere licet. Quibus conjecturis novum accederet robur, si certius constarent, quæ de metropoli Dolensi, ab eodem Nomenojo instituta, circumferuntur* (g) *: ex his enim liqueret Nomenojum in res ecclesiasticas et civiles omnia fuisse ausum. Quidquid id est, sæculis certe* XI *et* XII, *ut ex charta* (h) *fundationis monasterii S. Mariæ de Calmaria* (la Chaume), *anno* 1055 *in Ratiatensi pago conditi, satis manifestum est, non aliter quam ex donationis instrumento Radulphi, Radesii domini, in gratiam cœnobii de Busajo anno* 1152 *factæ, quod Hyacinthus Moricius edidit* (i), *ad diœcesim Nannetensem pertinebat Ratiatensis pagus seu terminus; neque umquam exinde ab ea fuit diremptus. Plura de hac tellure, quæ nunc capitur partitione, Ligere inferiore dicta* (département de la Loire-Inférieure), *videnda sunt in Dictionariis geographicis d'Expilly, et La Martinière, non secus ac in Dictionario universali Franciæ, an-*

C *no* 1804 *Parisiis impresso, ad verbum Retz, in Notitia Galliarum Valesii ad verba Pagus Ratiatensis et Herbatilicensis, in Geographia historica D. Vaissette* (k), *et demum, ut alia mittam, in Opere nostro in Commentario de S. Pantalo* (l), *ubi egregia disquisitio exstat adversus eos qui Pictavenses episcopos aliquando Ratiatenses dictos fuisse volunt, et in Commentariis Academiæ inscriptionum Parisiensis, in quibus* (m) *legitur abbatis Belley dissertatio de Ratiaco, antiquo Galliarum civitate.*

floruit S. Vitalis, *alibi parum notus;*

2 *Nomen porro* S. Vitalis, *qui Ratiatense territorium suis collustravit virtutibus, inter tam arctos fines conclusum remansit, ut non semel decessores nostros fuerit remoratum. Etenim cum Sollerius, Usuardini Martyrologii editor, atque in Sanctis accurate cognoscendis, distinguendisque facile princeps, ad præsentem diem in codice Usuardino D. Le Mare reperisset :* In territorio Ratine, Sancti Vitalis Confessoris, *addidit :* Hunc mihi plane ignotum fateor. *Qui vero catalogum Prætermissorum ad diem* XIV *Octobris confecit, rite scribit* S. Vitalis Confessoris *ad hanc diem meminisse Grevenum; sed et hæc subdit verba :* Dubitandum non apparet, quin is unus idemque sit cum Sancto homonymo, quem ad XVI mensis hujus diem Usuardina inter Auctaria Sollerius recenset, quemque non secus ac hic ibidem, fatemur nobis plane ignotum. *Sed nihil est in istiusmodi assertis quod admirationem excitet, quandoquidem in ipsa parœcia Leynes diœcesis Augustodunensis, in qua noster* Vitalis *absque dubio patronus est, minime innotescit; ita ut credant incolæ S. Vitalis, Savigniacensis abbatis, patrocinio atque titulo templum suæ parœciæ gaudere. Audi scilicet R. D. Guillard hujus loci deservitorem in epistola,* XII *Januarii anno* 1841 *data :* In veteri actorum libro, qui penes me est, traditur S. Vitalis, abbas Savigniacensis in Normannia, patronus esse templi Leynes ; late ejus vita explanari tomo XIV Historiæ Ecclesiasticæ Fleury; et XIV Octobris ejus festum agi. Alias traditiones colligere nequivi, et nullum umquam Officium pro- E prium inveni in mea parœcia. *Verum ad has disturbandas tenebras satis fuerit produxisse Castellanum; hæc recte omnino in universali suo Martyrologio ad præsentem diem memorantem :* In pago Ratiatensi in Britannia Minori, S. Vitalis, eremitæ, cujus corpus temporibus irruptionis Normannicæ Trinorchium, Burgundiæ monasterium, delatum fuit. *Sic Castellanus, gallico tamen idiomate usus.*

D

distinguitur a permultis Martyribus et Confessoribus;

3 *Licet ex his satis liqueat quantopere quidam hallucinati sint, dum de Sancto nostro* Vitali *ageretur, causa tamen hallucinationis non est quod omnia ejus gesta lateant, vel quod non facile ab homonymis distinguatur : etenim, ut ab hoc capite exordiamur, cum Confessor fuerit atque dicatur, sine negotio distinguitur a quinquaginta et pluribus Vitalibus, qui martyrium passi sunt. Confessores vero, qui Vitales quoque dicti fuere, hi sunt : Vitalis qui ex Martyrologiis diei* II *Januarii in Opere nostro adscribitur et vix cognocitur; Vitalis, abbas Savigniacensis, cujus festum agitur* VII *Januarii; tertius Vitalis cultum obtinet Spoleti die* XXI *ejusdem mensis; quartus, qui* IX *Martii colitur, sæculo* X *abbatem Ordinis S. Basilii Armenti et Rapollæ agebat in Sicilia;* F *quintum referunt Martyrologia ad* XXXI *Maii, eumque a Bastia cognominatum, noverunt Hagiophili e tertio ordine S. Francisci fuisse ; sextus, ex Martyrologiis notus, et diei* XXIII *Julii adscriptus, episcopus Ravennas videtur fuisse; septimus vero Vitalis die* XX *Octobris Salisburgi in Germania, ubi sæculo septimo episcopus sedit, colitur.*

de quorum uno, obscuro plurimum, fusius disseritur;

4 *Octavus ad annum* 777 *innotescit ex testamento longiori S. Fulradi, abbatis S. Dionysii prope Parisios, quod ediderunt Dubois* (n), *Mabillonius* (o), *Cointius* (p), *Felibien* (q), *Scheidius* (r), *Grandidier* (s) *et Neugart* (t), *et in quo legitur :* Similiter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit, super fluvium Nettra, quæ Hafti mihi tradidit, *et ex ejusdem testamento breviori, quod ab uno Grandidier* (u) *editum fuisse sciam, quodque habet :* Simi-

(a) Hist. de Nantes, p. 45 et seqq. Confer Chronic. Fontanellense, Fragmentum Hist. Britanniæ Armoricæ, Annal. Sam-Bertinianos, etc. D. Bouquet, t. VII, p. 42, 49, 68, etc. — (b) Notit. Gall., p. 245. — (c) Hist. de Nantes, p. 50. — (d) Chron. Nannetense ap. D. Morice, Mémoires pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 137. — (e) Ibid., col. 139 et seq. — (f) Ibid., col. 140. — (g) Confer opus R. D. Tresvaux. l'Église de Bretagne, p. 63. — (h) FF. Sammarthani Gall. Christ. Antiq., t. IV, p. 211. — (i) Mémoir. pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 621. — (k) T. VI, p. 462 et seq. — (l) T. VI Octob., p. 78 et seq. — (m) Mémoir. de l'acad. des inscript., t. XIX, p. 722. — (n) Hist. Eccl6s. de Paris, t. I, p. 269. — (o) Act. Sanct. Ord. S. Bened., sæc. III, part. II, p. 309. — (p) Cointius Annal. Eccles. Franc., t. VI, p. 131. — (q) Hist. de S. Denis, pièc. justific., p. XXXVIII. — (r) Orig. Guelfic., t. I, lib. II, prob. p. 225. — (s) Hist. de l'Église de Strasbourg, t. II, pièc. justific., p. CXXII. — (t) Cod. diplom. Alemann. t. I, p. 63. — (u) Hist. de l'Église de Strasbourg, t. II, pièc. justific., p. CXXVII.

liter

A liter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit supra fluvium Necræ. *Hujus vero cellæ situs magis determinatur diplomate Ludovici II seu Germanici, anno* 866 *dato, et a Doublet* (*a*), *Mabillonio* (*b*) *et Bouquet* (*c*) *edito ; illic enim legitur :* Hetsilinga in pago Nechragawe super fluvium Nechra, ubi Sanctus Vitalis Confessor corpore requiescit. *Pagus autem ille Nechragawe, seu Necergowe, Neccariensis, Necchargowe, totus fere jacebat in Suevia ad utramque fluvii Neccari* (le Necker) *ripam, a flumine Vilusa* (le Fils) *prope arcem* Teck *ferme usque ad castellum* Dilsperg *prope* Neckergemundam (*d*). Hetsilinga *vero absque dubio Eslinga seu Etsilinga est ad Neccarum fluvium ; de quo imperiali oppido Baudrandus aliique geographi plura explicant. Ast de cella, quæ ibidem exstabat et ubi S. Vitalis quiescebat corpus, nuspiam certi quidpiam reperire potui. Neugart* (*e*) *quidem ait eam aliquando floruisse ; verum si floruit, ita floruerit oportet, ut de ea ex citatis diplomatibus sciamus tantum, dono eam datam fuisse ab Hafti S. Fulrado abbati San-Dionysiano, qui eam cum aliis multis monasterio suo donavit ; jam* tempore clarissimi

B avi *sui* Karoli ac domni genitoris *sui* Hludovici piissimi augusti mercatum in prædicta cellula Hatsilinga fuisse, *ut Ludovicus Germanicus in citato diplomate loquitur ; eumque cum cella, petente abbate Hludovico, in suam tuitionem susceptam fuisse ab eodem Ludovico Germanico ; quoniam, cum quam maxime procul a S. Dionysii abbatia abesset cella illa, malevolorum vexationibus nimium erat obnoxia : unde liquet non audiendum esse Beatum Rhenanum* (*f*) *et qui eum descripserunt, Crusium* (*g*) *et Sattlerum* (*h*), *cum contendunt Eslingam Fulrado dono datam fuisse a Carolo Magno ; qui alias quidem in Alemannia villas San-Dionysianis monachis contulit* (*i*), *minime vero Eslingam, quam ab Hafti accepit Fulradus. Quid vero deinde factum fuerit, mihi prorsus in obscuro jacet, adeo ut D. Franciscus Petri in Suevia sua Ecclesiastica, licet plura Eslingensia monasteria commemoret* (*k*), *de cella hac ne verbum quidem faciat ; atque idem dixero de Zeillero, qui in sua Germaniæ Topographia* (*l*) *pluribus Eslingam illustrat, de S. Vitalis autem cella alto tacet silentio. Verumtamen, cum ex eo noverimus præcipuum Eslingense templum S. Dionysio sacrum esse, et vocabulum* cella, *ut superius*

C *in Commentario de S. Salvio* (*m*) *fuse demonstravimus, ædiculam æque ac monasterium olim significarit, vehementer inclinor ad credendum cellam S. Vitalis ædem sacram, non cœnobium fuisse, in quo jus patronatus aliaque similia haberent San-Dionysiani ; inde in ea ortum et promotum fuisse S. Dionysii cultum ; cujus nomen, cum tulit occasio, reædificando templo inditum fuisse ; eamque jure antiquitatis remansisse præcipuam. Jam quis ille Vitalis Confessor sit, qui sæculo* VIII *in cella Hetsilinga corpore requiescebat, nuspiam reperire potuimus. Verum cum verisimile non sit eumdem esse ac unum e præcedentibus, hæc de ejus cultu hic congerere placuit, ut ne penitus in Opere nostro omitteretur.*

reliquis Confessoribus sat cognitis.

5 *Quod autem in præsentiarum notandum est, minime confundendus est hic S. Vitalis cum* S. Vitali *Ratensi, qui numquam in Suevia requievit. De reliquis vero omnibus sic appellatis non est cur dicam ; de S. Vitali Salisburgensi ex historia hujus episcopatus tantum notavero eum etiamnum Salisburgi sepultum esse ; unde sine negotio a nostro Sancto sæpe translato distinguitur. Sanctus Vitalis vero Savigniacensis abbas, licet reapse, ut num.* 1 *monui, confundatur cum Ratensi, non difficilius ab eo separatur ; etenim primo, Savigniacensis abbas sæculo* XII *vixit, noster vero* Vitalis *pluribus sæculis ante ; secundo, hic Anglus natione fuit, ille Gallus ; tertio, vixit prior in eremo et fors in Nigro monasterio, posterior in Savigniacensi monasterio, quod condidit ; et multum abest quin eremitam egerit, cum et rebus politicis sæpius fuerit implicatus ; verbo in tantum a se invicem distant, ut unum nomen eis commune sit, præter hoc nihil. Mitto reliquos Sanctos Vitales. Hinc gradum ad nostri biographos facio.*

D

6 *Anno* 1724 *edidit D. Lobineau collectionem Vitarum Sanctorum Britanniæ Minoris, quam nuper, anno nempe* 1836, *R. D. Tresvaux, canonicus Parisiensis, solerti manu castigatam auctamque denuo in lucem emisit. In tomo secundo* (*n*) *hujus editionis habes Vitam nostri Sancti* concinnatam, *ut illic inscribitur*, tum ex biographa, quam P. Albertus le Grand desumpserat ex veteri codice Ms., asservato in parœciali S. Vitalis ecclesia diœcesis Nannetensis, tum ex Historia abbatiæ Trenorchiensis D. Juenin, Trenorchiensis canonici. *Idem dicere potuisset de sua* S. Vitalis *biographia R. D. de Garaby, scriptor Vitarum Sanctorum Britanniæ, anno* 1839 *editarum. Quoniam vero excusæ* S. Vitalis *Vitæ conjecturas rebus certis immixtas habent, operæ pretium est nosse quid profiteatur P. Albertus de biographæ suæ fontibus. Sic ejus dicta, e gallico idiomate in latinum versa, sonant :* Collecta est hæc Vita ex Ms. pergameno, quod in ecclesia parœciali S. Vitalis in territorio Ratiatensi asservatur, quodque historiam lectionibus, hymnis, responsoriis, antiphonis et propriis distinctam capit et nobis a venerabili et discreto domino Francisco Merlet, rectore dictæ parœciæ, et partim quoque ex commentariis Mss. et traditionibus insignibus, annotatis a dicto rectore ; quæ cuncta conformia sunt Annalibus Britanniæ et inviolabili temporum rationario. *Curante autem R. D. Delvaux S. J., residentiæ Nannetensis superiore, operamque suam conferente R. D. Auboisenet secretario illustrissimi episcopi Nannetensis, ad nos missus est codex chartaceus, tritus omnino, in cujus fronte gallice legitur :* Vita S. Vitalis, Confessoris, patroni hujus ecclesiæ, consona cum Vita Ms. quæ hic asserva-

E

F tur. *In calce autem codicis scribitur :* Liber fabricæ S. Vitalis, inchoatus a domino Francisco Merlet presbytero et rectore dicti loci, anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, die XVI Januarii. — Index rerum in hoc libro contentarum : 1° Vita S. Vitalis, Confessoris, patroni hujus ecclesiæ et parœciæ. *Quæ sequntur in indice, non pertinent ad nostrum Sanctum. In nota vero quam idem D. Merlet Vitæ* S. Vitalis *subjecit, quamque paulo inferius integram exhibebo, asseritur* nihil aliud *præter præmissam Vitam* in scriptis exstare. *Cum vero manifestum sit omnia, quæ ad ipsam* S. Vitalis *in terris degentis Vitam pertinent, non ex monumentis a D. Juenin in Trenorchiensi historia collectis, sed ex scriptis Alberti le Grand a D. Lobinavio deprompta esse ; ex recitatis sequitur inter conjecturas referri debere cuncta Lobinavii vel ipsius Alberti asserta, quæ in hoc Ratiatensi codice reperire non est. Atque hæc est ratio cur non displicuerit horum scriptorum verba late exhibere.*

S. Vitalis *Vitæ, editæ a Lobinavio, de Garaby et Alberto le Grand non omnibus conveniunt*

(*a*) Hist. de l'abb. de S. Denis, p. 784.— (*b*) De Re Diplom. p. 401.— (*c*) Rec. des Hist. de France, t. VII, p. 421. — (*d*) Cfr Chron. Gotwic., t. II, p. 701 et seqq.— (*e*) Cod. diplom. Alemann., t. I, p. 63.— (*f*) Lib. tres Rer. Germanic., p. 208, edit. 1712. — (*g*) Annal. Suev., t. II, p. 4. — (*h*) Geschichte des Herzogthums Würtemberg, p. 517, 644 et seqq. — (*i*) Doublet, Hist. de l'abb. de S. Denis, p. 712 et seqq. — (*k*) Suev. Eccles., p. 318 et seqq. — (*l*) T. IV Beschreibung des Schwabenlands, p. 69 et seq. — (*m*) p. 854. — Hist. des Saints de Bretagne, t. II, p. 251.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *cum fontibus, qui hic describuntur.*

7 *Jam hic San-Vitalensis codex describendus est. In primis notandum venit hanc Vitam gallicam tantum esse versionem, paratam a dicto D. Merlet, viro pietate, zelo et prudentia commendabilis quantum ex pluribus hujus libri adjectis annotationibus conjicere licet. Porro præ manibus nobis est duplex ecgraphon lectionum, quas olim Trenorchienses recitare solebant : alterum descriptum ex Breviario Trenorchiensi, circa annum* 1577 *manu exarato, nobis submisit prælaudatus D. Tresvaux ; alterum in collectione Bollandiana ad* XVI *Octobris in bibliotheca regia Bruxellensi asservatur ; easdem præterea lectiones in Historia sua Trenorchiensi olim edidit noster Chiffletius. Jam vero cum has lectiones cum Vita gallica Ms. conferrem, continuo manifestum fuit Trenorchienses lectiones partem esse Vitæ latinæ, quam olim in vico* S. Vitalis *asservatam esse ex P. Alberti testimonio cognovimus. Fas itaque est secure judicare qualem in vertendo San-Vitalensis rector fidelitatem coluerit : visus itaque est ubique sensum sensui reddidisse, sed pluribus fere diluisse verbis ; atque hæc in genere pronuntianda videntur ; specialia ad Vitæ calcem inter annotata*

B *rejicere præplacet. Cum autem nos lateat ubi terrarum vetus latinum San-Vitalense Ms. asservetur, illa gallica versio denuo latina facienda fuit ; qua in re hanc servavimus rationem : quæcumque in Trenorchiensibus lectionibus reperiremus, hæc descripsimus ad verbum ; quæ autem in versione gallica tantum occurrebant, hæc uncis [ ] inclusimus et verbotenus fere in latinum vertimus idioma, non omittentes has inserere voces quas, etsi minus latinas, in primævo textu exstare satis indicabat ipsius versionis insolentia. Hoc vero primævum Ms. latinum e triplici monumento consutum videtur : prima pars complectitur encomium potius quam Vitam, videturque omnium antiquissima ; secunda pars constat miraculis, quæ inter annum* 839 *et* 858 *contigisse videntur et forte collecta sunt ab ipso Ermentario, qui S. Filiberti miracula, ut brevi videbitur, descripsit ; tertia pars fere tota ex Ermentarii scriptis texta est. Ex nota quam nuperrimæ suæ editioni Vitarum SS. Britanniæ Minoris Alberti le Grand subdidit Daniel Ludovicus Miorcec de Kerdanet intelligo Lobinavium maxime desiderasse hæc Acta, quod sibi viderentur antiquissima, et venerabili conspersa simplicitate, quæ horum operum pretium est :*

C *quæ sententia nitebatur sola Alberti le Grand scriptione. Inspectis tabulis, ipse lector benignam saltem feret judicium.*

S. Vitalis *ætas a variis statuitur;*

8 *His animadversis, dicendum jam superest de ævo, vitæ ratione, Reliquiarum fato, cultuque* S. Vitalis. *Et primo quidem de ævo : affirmat Albertus le Grand* S. Vitalem *circa annum* 702 *in Anglia e nobilibus genitoribus ortum esse et anno* 725 *ad S. Filiberti monasterium, quod in insula Hero seu Nigri monasterii ad Ligeris ostia erat, devenisse, religiosam suscepturum vestem. In recenti vero editione Vitarum Sanctorum Britanniæ D. Lobinavii et in Vitis Sanctorum Britanniæ R. D. de Garaby annus nativitatis siletur ; tempus vero ejus ad S. Filiberti monasterium adventus ad annum circiter* 725 *refertur. Aliter omnino San-Vitalensis rector Merlet sentit ; juverit uno tractu referre quidquid in* S. Vitalis *Vitam annotaverit, hæc gallice disserens :* Non traditur in hac historia, quo anno S. Vitalis territorium Ratiatense adierit, aut que anno supremum diem obierit. Verum ex annalibus Britanniæ aliisque historiis conjici potest eum ex Anglia in Britanniam transiisse cum aliis multis Anglis e sua patria ob fidem catholicam pulsis, et in dictum locum Scobrith (qui nunc vicus S. Vitalis est) devenisse circa annum quingentesimum sexagesimum, eumque illic ad senectutem usque vixisse, quemadmodum in Vita narratur. Sæculis vero circiter duobus post ejus mortem ingruit persecutio ; et monachi, qui ad illic habitandum et divina officia in sacrario ab ipso Vitali exstructo peragendum missi fuerant, abierunt cum aliis vicinis monachis, ejusque detulerunt corpus ad Trenorchiense monasterium, aut ad aliud Burgundiæ cœnobium ad Araris ripas situm, et quindecim aut viginti circiter leucis Lugduno distans. Ex hoc monasterio venit post persecutionem ad nostras oras quidem monachus, et quod secum asportabat S. Vitalis brachium reliquit in dicto loco S. Vitalis, ubi asservatur ejus historia, ut supra exposita est, et cui credere possumus, dum de eo nihil aliud in scriptis exstet. *Ex quibus manifestum est annum* 725, *excogitatum ab Alberto le Grand et a Lobinavio æque ac a R. D. de Garaby admissum, non secus ac annum* 560 *a Fancisco Merleto adstructum meras esse conjecturas : quamobrem satius nobis visum est incertum ejus relinquere ævum ; quod ex relatione miraculorum et ex diplomate anni* 839, *partim inferius recitando, sæculo* IX *anterius fuisse solummodo cognovimus.*

D E F

traditio, qua fertur Herensis monachus fuisse, videtur niti in eo, quod Herenses ejus corpus

9 *Secunda quæstio ad* S. Vitalis *vitæ rationem pertinet. Pluribus narrat le Grand, (quem hoc loco ad verbum fere sequitur Lobinavius,)* S. Vitalem *ad Ligeris ostia venisse, ibique permulta audivisse de sanctitate S. Filiberti monachorum : his relationibus permotum, perrexisse ad Herensem, seu Nigri monasterii insulam ; sese ad abbatis pedes projecisse, sibi expetentem religiosam vestem, qua post non ita diuturnam probationem anno* 725 *indutus est ; neque silet quis ejus deinde per tirocinii annum fervor fuerit ; eoque expleto, qua ratione unanimi monachorum consensu ad professionem religiosam fuerit admissus ; eum deinde, post emissam professionem, vitæ solitariæ amore incensum, postulasse atque ab abbate suo consecutum esse licentiam in solitudine montis Scobrith (quem jam diximus vicum esse* S. Vitalis *in diœcesi Nannetensi) ædificandi sibi cellulam, in eaque habitandi. Utinam hæc omnia convenirent cum usibus monasticis horum temporum, atque adeo aliquibus historicis monumentis niterentur ! At nihil aliud in confirmationem adduci potest, quam quod in ejus Vita num.* 5, *dicitur vel* Deum S. Vitali inspirasse, vel quemdam abbatem aut alium superiorem, sub cujus obedientia et directione vitam suam sanctam componebat, jussisse, ut sacrarium ædificaret. *Verum totus hic numerus ex populari traditione ab ecclesiæ rectore Merleto, ut ipse fatetur, Vitæ intrusus fuit. Equidem sentio universum hoc commentum ortum esse ex eo quod ecclesia* S. Vitalis *Nigri monasterii monachis data sit, et sacrum ejus corpus post irruptionem Normannicam apud eosdem, Trenorchium digressos, fuerit asservatum. Sed si res rite perpenditur, nescio an potius hujus ecclesiæ donatio pretensæ huic religiosæ professioni obstet. Pronum saltem est æstimare futurum fuisse, ut sacrarium aut ecclesia a monacho exstructa ab initio penes ejus monasterium foret. Contrarium tamen discimus ex diplomate Ludovici Pii imperatoris, dato Pictavis* V *kalendas Decembris anno sui regni* XXVI, *Christi* 839, *indictione tertia.*

et ejus ecclesiam post annum 839 *ex Ludovici Pii diplomate possederint:*

10 *Ecce excerptum hujus diplomatis, quale exstat tum apud Chiffletium nostrum inter Probationes ad Historiam Trenorchiensem (a) et in Collectione Scriptorum Galliæ D. Bouquet (b):*....Notum esse volumus.... quia divino tacti amore contulimus ad monasterium Deas, in quo Sanctus Filibertus

(a) P. 194. — (b) T. VI, p. 628.

Confessor

A Confessor Christi corpore requiescit, constructum in honore Beatissimorum Petri et Pauli Apostolorum, ubi venerabilis vir Hilbodus abba præesse dinoscitur, quamdam villam juris nostri, nomine Scobrit, quæ est in pago Pictavo, in vicaria Racinse, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, et cum mancipiis utriusque sexus vel ætatis. Memoratam itaque villam, cum ecclesia Sancti Vitalis, domibus, cæterisque, ædificiis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, salinis, molendinis, exitibus et regressibus, quantumcumque ad prædictam villam pertinet, et nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum et ad integrum vel inexquisitum, de nostro jure in jus et dominationem prædicti monasterii transferimus : ita videlicet, ut quicquid ab hodierno die et deinceps rectores atque ministri ejusdem monasterii de prædicta villa, vel de iis quæ ad eam pertinent, facere, ordinare, atque ad utilitatem ejusdem monasterii facere elegerint, liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi... *Notandum est, hanc donationem factam esse, cum Herenses*

B *monachi præ metu Normannorum, in dies imminentium, ex Hero insula cum corpore S. Filiberti perfugissent in cellam Deensem (gallice* Grandlieu, *prioratum in diœcesi Nannetensi ante sæculi superioris tumultus,) quam paucis annis ante Arnulfus Herensis abbas in pago Herbadilico seu Ratiatensi juxta Nannetas ad Bedoniam fluviolum ædificaverat. Atque dum hæc attulimus ad vocandam in dubium aut at negandam* S. Vitalis *monasticam professionem, simul nos accinximus ad agendum de variis* S. Vitalis *Reliquiarum translationibus.*

hi autem præ Normannorum metu ad varia loca et demum Trenorchium

11 *Modo Herenses monachos ad cellam Deensem venisse intelligere fuit ; quod anno* 836 *factum est. At anno* 841 *denuo irruunt Normanni, cogunturque Herenses seu Deenses fugere in locum, latine Conaldum, gallice* Cunault *vocatum, situm in territorio Andegavensi, ad ripam Ligeris ; quem Carolus Calvus, antequam Andegavi caperentur, Herensibus in refugium dederat, dum corpus Beati Filiberti adhuc in monasterio Deensi quamvis a Normannis incenso, mansisset. Sed cum nulla jam spes Deensis aut Herensis monasterii repetendi foret, anno Christi* 858 *Conaldum asportatur S. Filiberti corpus, et verisimillimum est ei associatum fuisse ex hoc tem-*

C *pore corpus nostri* S. Vitalis, *non secus ac alia sacra lipsana. Anno autem* 862 *sanctum onus delatum est Mesciacum, territorii Pictavensis villam, in qua quamdiu substiterit exploratum non est. Hæc ab Ermentario, monacho Herensi testeque osculato, partim anno* 836, *partim anno* 863 *latius descripta sunt in Miraculis et Translationibus S. Filiberti* (*a*). *Quæ vero sequuntur, excerpsimus ex Falcone, monacho Trenorchiensi, qui sæculo undecimo Chronicum sui monasterii contexuit et usque ad annum* 1087 *deduxit : quod edidit Chiffletius in Probationibus Historiæ Trenorchiensis* (*b*), *et cujus partem non exiguam inseruit Cuperus suo de S. Filiberto Commentario* (*c*). *Ex hoc itaque novimus inter Normannorum prædationes Herum insulam non usquequaque a monachis desertam fuisse ; ex his tamen plerosque huc illuc vagatos esse, donec tandem Geilo, abbas factus, Carolum Calvum adiit,* quatenus Beato Filiberto adhuc in terra corpore peregrinanti sibique adhærentibus locum præbere refugii dignaretur ; *cujus petitioni rex libenter annuens, tribuit abbatiolam Sancti Portiani, confirmavitque hanc donationem diplomate, dato anno* 870, *sæpiusque edito : tum in utraque Dacheriani Spicilegii editione, tum in Historia Trenorchiensi D. Juenin, tum in Collectione Scriptorum Galliæ D. Bouquet. Affirmat in eo rex a se hoc donum fieri,* ne *diutius Herenses* huc illucque vacillantes discurrant. *Atque tum anno, videlicet* 871, *ex Pictaviensi agro, e villa nempe Mesciaco, in pagum Arvernensem, qui S. Portiani capiebat abbatiam, Herensium sacra pignora sunt delata. Quinquennio post Geilo denuo Carolum regem adiit, novum donum, Trenorchium scilicet olim Cabillonensis diœcesis abbatiam, cum suis appendiciis Beato Filiberto postulaturus imperaturusque.* Redit *ergo ad suos, ut loquitur Falco,* et sacra pignora secum tollens cum regalibus traditionum munimentis pridie idus Maji præfatum venit ad Trenorchium. *Fuit hic itaque finis peregrinationum* S. Vitalis *aliorumque Sanctorum corporum.*

D

deferunt S. Vitalis *corpus cum aliis multis lipsanis ;*

12 *Si quis autem novisse cupierit quæ sacra lipsana nostri* S. Vitalis *corpus comitata fuerint, audiat Falconem hac de re late devoteque disserentem :* Horum autem divinæ prærogationis numerum nomina dicere, non multum necessarium, sed nec penitus facile reor. Quis enim præter Redemptoris nostri, quibus ab ipsa, ut ita dicam, nativitate, juventute, ipso etiam tempore passionis usus

E est vestimenta, vel quæ ipsa sacratissima Genitrix ejusdem, vel sibi coaptavit, vel filio, ipsasque geminas quibus soli Deo nota nobis incognita sacra continentur pixides ; ipsumque quo idem Redemptor in passione passus est vinciri ligamen ; ipsum etiam salutiferæ crucis lignum ; idemque denique vas primo Salvatoris miraculo consecratum ; illud quoque Sanctissimi corpus Philiberti ; quis, inquam, his præmissis, innumerabilium sanctorum quorum eo die ibidem sunt allatæ Reliquiæ minutias dinumerare, vel nominare valebit ? Cur Sanctos Candidum, Clinumque Martyres commemorem ? Cur Sanctum Vitalem, Basilium aliosque nonnullos ? Quorum tametsi gloriosa penes nos corpora retinentur ; vereor tamen nominatim huic eos inferre opusculo, ne apud tardiores temere videar inficiari. Credimus plane tamen Beatum Valerianum dignis a Deo meritis obtinuisse, ut ejus sanctissimum corpus apud homines tantæ sanctitatis, benedictionis honorari consortio meruisset. *Trenorchiensis patronus jam pridem erat S. Valerianus : qui sint reliqui Sancti hic enumerati, modo dicendi locus occurret.*

F

quæ pleraque anno 1562 *a Calvinianis comburuntur.*

13 *Plura porro sæcula pie asservaverant Trenorchienses monachi hæc sacra pignora ; ast anno* 1562 *Calviniani, in hanc abbatiam irrumpentes, omnia fere sus deque verterunt, in primis autem sævierunt in hæc religionis monumenta. Exstat in Chiffletiana Trenorchiensi Historia catalogus sacrorum pignorum, quæ hi pietatis osores incenderunt : non castigatus quidem omnino est, cum et S. Filiberti corpus recenseat, quod tamen eorum furorem feliciter evasisse aliunde novimus* (*d*). *In eo itaque numerantur corpus S. Filiberti, corpus S. Valeriani, corpus S. Candidi senatoris, qui in Actis S. Mauritii nominari dicitur, corpus S. Clini, quem a Sarracenis* (*imo Normannis*), *Herense monasterium evertentibus, martyrio donatum arbitrantur, corpus S. Samsonis Dolensis episcopi, corpus S. Basilii, corpus S. Benedicti de Quinciaco, corpus* S. Vitalis, *corpus S. Arnulfi, corpus Beatissimi Ardagni, abbatis Trenorchiensis, quem* XI *Februarii colebant, una hydria nuptiarum Canæ, sindon Christi Domini, pars sudarii, dens et pili barbæ S. Petri, duæ costæ S. Stephani et guttæ sanguinis ejusdem Sancti, frustaque lapidum, quibus obrutus est. Antea*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. IV, part. I, p. 539 et Act. SS. t. IV Aug., p. 81 et seqq. — (*b*) P. 15 et seqq. — (*c*) Act. SS. t. IV Aug., p. 72 et seq. — (*d*) Act. SS. t. IV Aug., p. 75.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *vero in vicum Sancti* Vitalis *in Britannia Minori brachium hujus Sancti delatum fuerat, ut ex superius productis rectoris Merleti commentariis constat, atque idem etiamnum illic asservatur, ut ex præsentis parochi litteris nobis innotuit.*

Floruit S. Vitalis *cultus Trenorchii,*

14 S. Vitalis *cultus apud Trenorchienses celebris semper fuit ; constat id non tantum ex veteri Sanctorum corporum apud eos asservatorum catalogo, inter Chiffletianæ Trenorchiensis Historiæ probationes* (*a*) *impresso, aut ex veteri kalendario ibidem edito, exhibentique ad* XVI *Octobris festum* S. Vitalis *Confessoris ; sed in primis eruere est ex Trenorchiensi Chronico* (*b*) *Falconis ; in quo apud Chiffletium* (*c*) *hæc habes :* Wago post Odonis obitum pastorale suscepit officium : qui inlustrium vestigia patrum secutus, futuris probitatis suæ monimenta reliquit. Anno autem regiminis sui decimo octavo, (*qui saltem annum* 1006 *aut* 1007 *signat, ut ex prædecessoris ætate, annum* 989 *attingentis, liquet,*) in festo Beati Vitalis, dum totum monasterium festive utpote pro sollemni patroni nostri gaudio foret ornatum, per famulorum incuriam igne consumptum est cum omnibus officinis, tam-

B que valida flatu ventorum exstitit ignis vastatio, ut pene omnis suppellex monasterii consumeretur præter Sanctorum memorias, et partem ornamentorum ad cultum Dei pertinentium ; quod latebræ cryptarum ejusdem monasterii vix celare potuerunt. *Erat præterea in ecclesia abbatiæ sacellum, quod Bulla sæcularisationis capitulo unitum fuit et cujus* S. Vitalis *una cum S. Martino Vertanensi patronus titularis erat, ut testis est Juenin in sua Trenorchiensi Historia* (*d*). *Ibidem refragatur hic auctor Chiffletio, asserens jam pridem apud Trenorchienses absque solemnitate actam fuisse* S. Vitalis *festivitatem.*

in alio Burgundiæ loco. in vico S. Vitalis

15 *Neque se continuit* S. Vitalis *cultus intra monasterii septa. Insigne specimen Burgundionum pietatis erga* S. Vitalem *n.* 21 *et* 22 *Vitæ hujus Sancti occurrit. Sitne vero ex hoc tempore repetenda religio, qua quædam hujus terræ tractus ecclesiæ* S. Vitalem *in patronum elegerunt, judicet lector. Anno*

* Leynes *saltem* 1120 *parœcia de Lenna * eum jam ut patronum titularem habebat ; quod colligitur ex diplomate, dato idibus Maii, indictione* XII, *quo Calixtus Papa II primo sui pontificatus anno Trenorchiensibus permultas confirmat possessiones, quas inter*

C in Matisconensi diœcesi.... ecclesiam.... Sancti Vitalis de Lenna. *Neque sola ad eos pertinebat ecclesia, sed et tota ditio, quam ut sibi servarent abbates, construxere castellum tempore Caroli regis VI, quod regnante Ludovico XI sæpius captum et receptum fuit, ut habet liber recens editus cum titulo :* Annuaire du département de Saône et Loire pour l'année 1839. *Ex litteris vero præsentis parochi, ad frontem hujus Commentarii jam adductis, etiamnum hunc cultum vigere nobis constitit. Quod vero pertinet ad illum, qui* S. Vitali *exhibetur in vico, qui ab ipso suum nomen in diœcesi Nannetensi mutuatus est, in annotatis ad ipsam Vitam de ea dicendum erit. Satis hic fuerit exhibuisse quotidianam commemorationem, quæ olim usurpanda erat San-Vitalensi rectori, ut ex Merleti scriptis intelligimus :*

Ad laudes : Sancte Vitalis, Christi Confessor, audi rogantes famulos, et impetratam cœlitus tu defer indulgentiam.

Versus : Ora pro nobis, Beate Vitalis,

Responsorium : Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad vesperas : Nobilis Christi Confessor Vitalis, vitam vere nobilem ducens, vitam æternam D meruisti recipere, et tuis cultoribus incolumitatem obtinere.

Vers. Ad te confugimus, Beate Vitalis,

Resp. Suscipe preces nostras et vitam nobis impetra beatam.

Oratio : Adesto, Domine, supplicationibus nostris, *etc.*

16 *Non stetit in Gallia* S. Vitalis *cultus : e Britannia Minori transiit in Britanniam Majorem, adeo ut dum illa eum veluti incolam, hæc tamquam indigenam veneraretur. Atque hæc manifesta nobis sunt ex Martyrologio Anglico* (*e*), *in quo ad diem* XVI *Octobris ex Dedicationibus Willis asseritur, olim in ea Angliæ parte, quæ Vallia dicitur, exstitisse templum, quod sub patrocinio Sancti nostri* Vitalis *divino dicatum erat servitio. Paucis his de* S. Vitalis *gestis et cultu præmissis, subdimus Vitam descriptam superius.* *et in ipsa Anglia.*

VITA ET MIRACULA

S. VITALIS CONFESSORIS.

Ex duplici Ms. Breviario Trenorchiensi, collata cum editione Chiffletii S. J. et suppleta ex Ms. gallico ecclesiæ sancti Vitalis.

Vita, miracula et translationes S. Vitalis.

S. Vitalis, *Anglus, eremiticam ducit vitam in agro Ratensi :*

In hujus itaque territorii Ratinsis *a* ambitu et loco secretiori exstitit quidam incola ducens progeniem ex gente Anglica, quem decoravit non solum parentum nobilis prosapia, sed et morum ineffabilis elegantia. — Qui dum genus duxit de gente pulcherrima *b*, pulchrior fide factus perfecta, adhæsit auctori toto nisu sui desiderii, ita ut, relicto omnis præsentis vitæ lenocinio, ac militiæ terrenæ tyrocinio, labentia respuens, inhianter vitæ præceptis adhærens, ardua vitæ arctioris vota assumens, soli placere Deo studens F elegerit singulariter cum Deo juste vivere, quam positus cum plebe humana assidue peccare. — Quod ideo studuit ut altius et velocius inimicum posset subjicere, qui protoplastum esu tentavit nefario, ac pro eo diu exilio relegatum retinuit infra flammæ fœtentis et tenebrosæ domicilium. — Cujus veritus anfractus rapidos, digne vocatus homo Vitalis, contra illum assumpsit in capite crucis galeam, in corpore gestavit castitatis loricam, collo scutum sumens fidei. — Accinctus est ense justitiæ, ut legitime peracto certamine pugnæ, triumphatricis palmam victoriæ sumere posset a largitate suavis gloriæ.

a

b

2 Erat autem cellulæ habitatio beatissimi viri *omnia erga Deum,* in ipso confinio Ratinsis, quodam in monte, Scobrit *c* nomine, in qua divina virtus ita hunc virum sibi ardentissimo amore copulavit, ut quæque fuerant terrena parvi pendens, veluti si in cœlestibus jam moraretur, totus homo sic erat intentus cœlo. — Diatim orationum instans labori, ducens continuatas noctes simili vigilantia, singultus et gemitus effundens lacrymarum, mactans carnem ciborum inedia.

c

(*a*) P. 308. — (*b*) Num. 45. — (*c*) Hist. Trenorch. probat., p. 28. — (*d*) Hist. de Tournus, p. 44. — (*e*) A Memorial of ancient British piety. Supplem., p. 26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

erga animam

d

3 [Sic *d* de die in diem proficiebat in charismatibus melioribus, corpus suum ita subjiciens spiritui, et spiritum affectusque ita subdens suo Creatori, ut bonum exemplum et præcellens omnis virtutis et perfectionis imago foret in gratiam uniuscujusque se imitari volentis. Justus enim erat in suis actionibus, veridicus in suis verbis, mitis in suis moribus, munitus magno spiritali robore, largus in danda eleemosyna, castissimus et honestissimus in anima et corpore, sanctus et pius in cogitationibus, sobrius in cibo et præterea humilitate plenus, perseverans semper in spe Dei Creatoris.

et corpus suum

4 Erat vir specie amabilis, carus omnibus propter suum consilium, scientiam et doctrinam qua abundabat, in prosperitate non elatus, in adversitate non dejectus. Et licet paupere vestitu uteretur, nobilem tamen præferebat decorem, et in omnibus actionibus valde insignis erat; quandoquidem ornatus erat multis virtutibus, quæ eum perfectum reddebant in vera scientia divina, quæ in eo relucebat, omnesque quibus erat notus illuminabat, utpote mire effulgens in homine specioso, qualis erat ipse. Pulcher scilicet erat statura, clarus facie, et corpore bene compositus.

B

atque erga proximum adimplet officia.

e

5 Porro inter omnes quæ in eo effulgebant virtutes eminebant amor et fervor ardens devotionis erga Deum et eximia caritas erga proximum. Licet enim vita solitaria, (quam *e* profitebatur, quo integrius vacaret meditationi rerumque spiritualium contemplationi, et cum Deo ageret), non sineret plurima ab eo fieri opera misericordiæ corporalia, verumtamen pro viribus se impendebat promovendæ Dei gloriæ, devotioni fidelium, et allevationi proximi necessitatum.

Cum sibi oratorium exstrueret, mirabilem fontem elicit.

f

6 Ex traditione *f* pro explorato tenetur in loco in quo sancte vixit (quæ nunc parœcia est ejus nomine insignita), die quadam, sive inspirante Deo sive jubente, quoddam abbate, aut alio superiore sub cujus obedientia et directione vitam suam sanctam componebat, peculiare ei studium fuisse ædificandi, in monte Scobrith, quem incolebat, oratorium quoddam in formam sacrarii; et, cum a toparcha de Princé impetrasset licentiam tignariæ materiæ ex silva de Princé *g* decidendæ, lignarios fabros boumque ductores cum

g

C

curru bobusque in illam ab eo ductos esse; hos vero et animantia cum medium iter ligna reducentes peregissent, essentque in loco inaquoso et procul ab omni domo remoto, atque aeris fervor et diuturna siccitas sæviret, intolerabili siti laborasse atque illic hæsisse. Quare sanctus vir genibus procubuit, oculos ad cœlum et cor ad Deum Creatorem ac Dominum suum, cujus gratia laborabat et tantam patiebatur sitim, sustulit, eique ardenter supplicavit ut aquam, qua sitim levarent, impertiretur, ut iter perficere possent. Porro in Deo fiduciam suam collocans, telluri inseruit baculum, et illico ex eodem loco scaturivit aqua limpidissima, quæ deinceps prorumpere non cessavit; atque hoc pacto exstitit fons *h*, qui etiamnum in eodem loco salit et quo plurima stagna implentur: hinc semper cognominatus est fons S. Vitalis. Ad eum supplicantium ordine convenire assolent diuturnæ siccitatis tempore vicinorum vicorum incolæ, Deum per Beati Vitalis intercessionem imploraturi pluviam; quam quidem Deus sæpissime elargitur.

h

In Sancto demortuo

7 Demum cum vir sanctus post innumerabilia plurimarum virtutum bonorumque operum exercitia ad magnæ senectutis ætatem devenisset, morbo tentatus, veri Christiani implevit officia et Deo reddidit animam, quæ feliciter tetendit ad fruendum inter choros Angelorum vita æterna *i*.]

D

i

adimplentur octo beatitudines;

8 Ut rite in eo adimplerentur evangelicæ beatitudines, in quibus pauperes spiritu capescunt regna cœlorum. — Mites possident terram viventium, et lugentes consolationem merentur perfectorum, esurientesque sitientesque justitia saginantur, ac misericordes bona maximæ pietatis inveniunt, patientiamque habentes filii Dei cognominantur. [Quod Deus in servo suo S. Vitali adimpletum fuisse commonstravit, quemadmodum inferius videbitu .

sepelitur

9 Corpus beatissimi viri S. Vitalis positum est in lapideo sepulchro prope suam cavernam in eodem monte Scobrith (qui *k* olim penes sanctos senes religiosos monasterii Herensis erat). Quo in loco Scobrith perennem insignium et præcellentium ejus virtutum memoriam ab eo posteris relinqui voluit Deus Creator; ut cum divina potentia appareret, quanta reapse in massa ejus corporis apparuit, continuo recognosceretur in cœlis nunc vivere anima, quæ in terris illud inhabitaverat. Plura enim magna et insignia per illud operatus est Deus miracula *l*, quæ satis superque comprobabant ejus sanctitatem et felicitatem; quæ licet numero permulta sunt, pauca tamen tantum ex his quæ rescivimus notamus.

k

E

i

et clarescit miraculis:

10 Deus itaque, volens corpus illius viri, qui se in vita tam fideliter amaverat sibique famulatus erat, post mortem honorari, pluribus hominibus suggessit consilium pii hujus viri in corporis præsentia invocandi; quoniam spes eis esset fieri posse, ut is, qui Deo tam bene serviverat, plurimum ab eo diligeretur, atque proin sibi impetrare posset, quæ ad salutem atque vitam necessaria forent. Quibus precibus Deus tantam addidit virtutem, ut quæ peterent per merita sui servi et Beati Confessoris S. Vitalis assequerentur.

animi impotem sanat;

11 Talis sors obtigit cujusdam uxori, vici hujus Sancti incolæ, quæ, quia insana et animi impos facta erat, a marito suo ad tempus separata fuerat. Cum itaque diu ac noctu hac illac vagaretur suas ineptias peragens, boni tandem a quibusdam consultum est eam in præsentiam Sancti deducere; ubi (non per suas preces) sed per devotionem eorum qui eam adduxerant et per auxilium et favorem sanctissimi Vitalis, paucis post diebus recuperato rationis usu, hæc quæ ægrota adducta fuerat sana rediit. Unde aperte cognita est magna amicitia qua Deus servum prosequebatur et potentia quam eidem concesserat.

F

a manus epiphora mulierem

12 Alia mulier nomine Oda, vici de Scobrith quoque incola, deserto hoc vico, in alium locum commigraverat, hic deinceps habitatura. Paulo autem post acerbissima manus epiphora tentata est; qui dolor ita excrevit ut juncturæ pollicis mediæ manus palmæ adhærerent. Unde ita deformis et vitiata facta erat ut, omni hujus manus officio amisso, hoc membro capta et iners videretur. Tædio itaque tam diuturni doloris permota, rediit ad Sanctum morbi sui allevationem impetratura. In ejus ecclesia orationem suam devote fudit; qua fusa, tetendit ad ecclesiæ limen, ut illic signum crucis formaretur in sua manu, cujus nervi contracti et breviati erant. Porro cum hoc signum factum et Sanctus invocatus foret, separatus est pollex, in locum suum rediit, nervi relaxati sunt et manus usui reddita; mulier vero se omnis doloris et debilitatis expertem sensit. Atque hæc ita nativæ valetudini restituta est, impensasque gratias et laudes Deo omnipotenti

et

A et clementi et S. Vitali ejus dilecto servo solverunt tum ipsa tum quicumque aderant.

et virum a nervorum contractione, m n

13 Exstitit quoque in civitate Ploasmel Castro *m* vir quidam nomine Vulinus *n*, qui similiter omnium nervorum et membrorum contractionem patiebatur, et languori, quo defatigabatur tenuabaturque, plurimum obnoxius erat. Porro contigit ut homo quidam præcellenti et suprema pulchritudine ei apparuerit, eumque monuerit : si sinerent vires, peteret ædem S. Vitalis, ut illic valetudinem recuperaret. Hic itaque homo, divina adjutus gratia, itineri se dedit, pervenit ut poterat ad ecclesiam S. Vitalis ; et, nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi adventante, adiit ecclesiam, preces fudit, manibus gerens multa cum fide candelæ munusculum. Cum vero qui vigilabant, concinerent Dei laudes, in officio hujus noctis celebrari solitas, hora qua primum Missæ sacrificium inchoatum est, ægrotus qui aderat humi extensus jacuit, emittens lacrymas et questus miseris cum clamoribus, ita ut ad misericordiam moveret omnes adstantes, qui cum eo flebant, et nostrum Redemptorem implorabant, ut

B per merita dilecti sui servi Vitalis dignaretur ei reddere sanitatem, eumque restituere corporis valetudini, quam ei olim concesserat. Quæ piæ supplicationes effectum suum sortitæ sunt : eo ipso quippe tempore ægrotus humo surgit, et accedens ad altare invocat et implorat ex animo beatissimum Vitalem, ut per magna ejus merita vehementiam doloris sibi auferat et corporis sanitatem sibi afferat. Atque tunc per virtutem et potentiam divinam hic homo, qui in mortis angustias jam venerat, sanus et toto corpore integer factus est : opus dignum æterni opificis, qui ei vitam dederat, atque hoc prodigio honoravit fidelem suum servum Vitalem, ob cujus amorem concedit et patrat quidcumque a se petatur. Omnes variis ex locis illuc congressi, ut Missæ sacrificio et toti nocturno officio interessent, oculati testes fuerunt hujus miraculi, quod in eorum conspectu Deus patraverat.

aliumque ab instanti morte liberat;

14 Fama autem Sancti meritorum in tantum ubique sparsa est, ut ad aures plurimorum morbis aliisque necessitatibus laborantium pervenerit. Hos inter numerandus est senex quidam, Judicael nominatus, e vico de Frossay *o*, qui, cum

o

C æger decumberet, tanto dolore cruciabatur, ut jam animam Deo redditurus haberetur. Cui rei, susceptis devote a sacerdote suo et patre spirituali pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentis, se paraverat, et in tantum jam devenerat discrimen, ut vix animam ducere posset. Inter has itaque vitæ reliquias Deo vovit atque promisit se ipsum visitaturum ecclesiam S. Vitalis, si sibi gratiam et favorem restitutæ valetudinis largiretur. Per Sancti virtutem effectus continuo secutus est orationem ; nam præter omnium spem, lectum deserit, baculoque nixus infirmo procedit gradu et viæ sese committit. Cum autem ad ecclesiam venit, orationem suam fudit ; et postridie confessus est se per Dei gratiam et boni Vitalis perfecte sanatum et sospitem esse.

et mulieri p

15 In eodem vico quædam quoque degebat mulier dicta Teburgis *p*, quæ præ vehementi capitis dolore insana et errabunda facta erat. Ut itaque ab hoc sanaretur malo, ad plures vicos benefico Sanctorum cultu insignes iverat. Verum apud S. Vitalem tantum salutem invenit.

atque viro rationis usum restituit.

q

16 Alius vir nomine Araldus, vici S. Perseverandæ *q* incola, visione phantasmatis, sibi in diaboli formam apparentis, usu memoriæ orbatus fuerat, et tantæ amentiæ æstum patiebatur, ut D quoscumque posset dentibus morderet. Erat tamen penes consanguineos, qui quantum poterant vinculis eum ligatum tenebant, ducebantque per Sanctorum loca, et pervenerunt ad S. Vitalis ecclesiam. Hic eum ligatum reliquerunt, ejus demandantes curam alicui e monachis, ejusdem monasterii procuratori ; qui cum eum diutius obnoxium videret asperitati hujus amentiæ, consilium iniit ei imponendi sportam dossuariam seu viminеam cistam, eumque onerandi lapidibus, ecclesiæ ædificandæ destinatis ; quibus cum eum onerasset, hanc sarcinam ab eo portari præcipiebat, eumque ducebat fune, quali jumentum ducitur, atque hoc pacto ad sæpius pergendum ad ecclesiam eum cogebat. Quod bonum opus, quantumvis invitus faceret, brevi ei salutari medicinæ fuit. Nam paucis diebus post animi sui compos et sanus factus, ultro supplicavit Deo et bono suo servo Vitali ; qui viro sibi servienti tam bene subvenit et succurrit magna sua virtute et viva caritate, ut omnes incitarentur ad Deum laudandum et Sanctum in omnibus suis necessitatibus invocandum.

Normannis ingruentibus r

17 Sed temporibus Pippini *r* regis Aquitaniæ, Joannis Romani Pontificis et Hibbodi abbatis monasterii Herensis, magna piratarum multitudo, hostium regni, e Dania egressorum, irruerunt per Oceani littora in vicinas obvias terras, deprædantes et populabundi, ad belli et latrocinii instar, insulas, civitates, ecclesias et castella ; quæcumque autem auferentes, omnia funditus sus deque vertebant ; captivos trucidabant, nulli parcentes ætati ; omnem impietatem, crudelitatem et inordinatam probrosamque concupiscentiam erga utriusque sexus homines exercebant, se exhibentes tormentorum rigore et impudicitiis, quas in sibi obvios admittebant, maxime execrandos abominandosque hominum : ebrii et procaces, tamquam rabidi per mare et flumina in illud effluentia, Ligerim *s*, Sequanam et Garumnam scaphis discurrentes. Hi itaque detestandi prædones Britanniæ regionem, quam olim cornu *t* et finem Galliarum nuncupabant, populantur et funditus disperdunt ; tunc metropolis Dolus *u* et septem ei subjacentes civitates, miris propugnaculis munitæ, quarum hæc nomina sunt : Venetiæ, Kerahes, Corisopitus ad Ellam fluvium, Corisopitus Corentini, Portus Saliocan, Diallentic, et civitas F Sancti Pauli (quibus olim et etiamnum alia nomina sunt) viduatæ ac exhaustæ fuerunt non secus ac civitates Nannetæ, Andegavi, Turones, Aurelia, Niverni, cum omnibus intra earum fines exsistentibus castellis. Hæ stygiæ pestes, Garumnam ingressæ, Burdegala, Petrocora, Biturica et civitatibus Xantonum potiuntur ; Sequanam vero subeuntes, populantur Rhotomagum, Constantia Castra, Abrincas, Rhedones, Noviomagum, Lutetiam Parisiorum, Bellovacum, Senones, Carnutum et alia plura munitissima civitates et castra Galliæ : quæ cuncta acciderunt propter civilem discordiam, quæ, defuncto patruo Caroli Magni *v*, inter quatuor reges flagravit.

s

t

u

v

atque omnia vastantibus, w

18 In oppidis itaque et vicis tum Germaniæ *w (inferioris ?)* tum Galliæ, tanta Christianorum clades a Danis, gente perversa et idololatra facta est, ut nullus in eorum incideret manus, cujuscumque foret sexus, ordinis aut conditionis, qui continuo vitam non amitteret. Cum vero ecclesias vel monasteria invaderent, sine mora vasa sacra, thesauros et omne aurum atque argentum diripiebant ; libros autem incendentes, et e lipsanothecis et sepulcris sacras tollentes Reliquias,

flammas

A flammas eis supponebant, et igne destruebant, quas Deus comburi permittebat: quas vero comburere non poterant, eas conterebant et in pulverem redigebant, aquæ deinde aut vento tradituri, ne de eis in terra superesset memoria. Tunc
x in Galliis hæc Isaiæ *x* prophetia adimpleta est: Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

Herenses monachi y

19 Monachi itaque, qui S. Filiberti monasteria *y* incolebant, hanc carnificinam et generalem quæ hæc regio affligebatur persecutionem extimescentes, adierunt regem Pippinum ejusque
z implorarunt consilia. Eo itaque auctore *z*, jusserunt præpositi, ut secum asportarent corpora sancta tum Martyrum, tum Virginum, tum Confessorum, omnesque quas in suis monasteriis haberent Reliquias; et ut fugerent seseque abderent in speluncis et cavernis vicinis, quas invenire possent, eisque concessit rex quædam refugia et partem sui regni turbarum expertem. Quod cum audivissent plurimi monachi aliæque utriusque sexus ecclesiasticæ personæ, maluerunt permissam sibi a Deo et a rege consultam capere
B fugam, quam crudelium paganorum mucronibus sese exponere.

Trenorchium deferunt S. Vitalis *corpus,*

20 Quos inter computandi veniunt S. Filiberti monachi, qui ex Herensi suo monasterio egressi (Herum insula Oceani est), secum detulerunt sacras suas Reliquias, scilicet Beatissimæ Virginis Mariæ Deiparæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, corpus dilecti a Deo S. Filiberti, corpus illustrissimi et celeberrimi S. Vitalis, S. Samsonis, et
aa S. Benedicti *aa* (carissima eorum pignora) cum exigua suppellectili, quam eis concesserat Deus. Ut itaque seipsos et pretiosos beatorum Sanctorum thesauros servarent, propere profecti, devenerunt ad fines Burgundiæ in magnum magnificeque ad ripas Araris exstructum monasterium; in quo morati sunt, posueruntque sacras quas deferebant Reliquias: et corpus sanctissimi Vitalis insertum est aureæ gemmisque exornatæ lipsanothecæ.

quod pestis tempore bb

21 Porro aliquo tempore post *bb* accidit, ut in hac regione oriretur pestis tam contagiosa et vehemens, ut omnia vastaret; ita quidem, ut fere æstimatum foret finem mundi adesse, quandoquidem viri et mulieres, juvenes et senes ubi
C que mortui humum caderent. Timor autem tam intolerabilis homines corripuit, ut quisquis integerrimus sibi diem non polliceretur, quoniam omnes viderent socios suos inter loquendum in suas ulnas subito mortuos procidentes.

Burgundiæ populis

22 In tanto stupore præcipua Ecclesiæ capita conveniunt, et ex antiquissimorum sententia statuitur præscribendam esse pœnitentiam et afflictionem generalem, triduanum videlicet jejunium. Et responso a se dato, continuo monuit Deus id sibi placere, dummodo S. Vitalis membra in feretro ita collocarentur, ut populus ea subire posset; sese vero propter S. Vitalis preces et merita stragi finem impositurum. Res ita agitur, accipitur Sancti corpus, honorifice involvitur variatis mappis, velis et paramentis, atque ita ornatum imponitur summis quibusdam erectis valvis, et illic collocatur in gratiam quidem omnium, horum vero in primis qui vivere cupiunt, dummodo accedant ad sanctum corpus et accipiant medicamen, quod Deus per virtutem sanctarum et sacrarum Reliquiarum dilecti sui servi largitur.

saluti est.

23 Nuntium hujus magni beneficii spargitur continuo per vicos, civitates et castella circumjacentia, atque adeo per totum regnum. Accurrit populus, viri et fœminæ undique conveniunt, pectore timorem claudentes, facie pallorem et mortis speciem prodentes, rogitantesque Deum, ut sua sibi peccata remittere, se a mortis discrimine liberare et se sanos et salvos per merita ejus servi S. Vitalis servare dignetur: unde quotquot ad sacrum corpus accesserunt, a morte et contagione præservati sunt *cc*. Obtigit miraculum *cc*
post persecutionem; ex cujus *dd* historia paucis- *dd*
sima tantum gesta excerpsimus, ea ordinantes inter præcedentia, quæ partim legimus, partim ex vero relationum testimonio facta esse audivimus. D

ANNOTATA.

a *De pago Ratiatensi, seu Ratensi confer num.* 1 *Commentarii prævii.*

b *Alluditur ad vulgatissimum dictum S. Gregorii Papæ, quod Anglorum conversioni ansam dedit. Noverit lector signum, — quod ad frontem hujus sensus videt, hoc loco non secus ac inferius designare quas in lectiones hæc Vita in Trenorchiensi Ms.* E *divisa esset.*

c *Jam pridem vocatur hic mons vicus* S. Vitalis, *gallice* Saint Vial, Saint Viau, Saint Viaud, *quod vulgare* S. Vitalis *nomen est. Distat hic locus tribus leucæ quadruntibus a* Paimbœuf, *qui exiguus in ipso Ligeris ostio portus est.*

d *Ut numero* 7 *Commentarii prævii monui, quæ similibus uncis* [ ] *inclusa sunt, deerant in Ms. Trenorchiensi, atque ex Ms. Gallico versa sunt. Indubium mihi est num.* 3, 4 *et* 5 *ad Vitam omnium primo conscriptam pertinere: secus enim sensu fere carent, quæ num.* 7 *de octo beatitudinibus prædicantur. Laudandi modus insuper idem est ac in præteritis numeris.*

e *Hanc parenthesim non secus ac plerasque alias a rectore Merleto intrusam autumo. Aliquoties saltem hujusmodi intrusio manifesta est.*

f *Asseverare non dubito totum hunc numerum ab eodem rectore quoque intrusum esse; modus scilicet narrandi prorsus diversus est, neque ambiguum videtur, quin ad hunc locum referenda sint Alberti le Grand asserta, quibus prædicat* insignes traditiones *a dicto rectore annotatas fuisse, ut num.* 6 *latius recitavimus. Missa est ad nos præsentis parochi re-* F *latio de eadem traditione. Aliquanto quidem diversa ab ista est, non ita tamen ut nos remoretur. Signandum solummodo parvam crucem erectam esse apud hunc fontem, qui in tota regione notus est sub nomine gallico:* Fontaine du bienheureux Saint Vial. *Cum siccitas adurit agros, veniunt etiamnum supplicantium ordine vicinarum paræciarum incolæ, pluviam a Deo hic postulaturi.*

g *Silvam* de Princé *etiamnum exstare colligo e tabulis geographicis Cassini: quatuor leucis distat a vico* S. Vitalis, *seu a monte Scobrith, in quo ecclesia nunc est.*

h *In dissertatione nostri Henschenii de Vita S. Gummari, quam Le Roi Notitiæ seu Marchionatus Antverpiensis inseruit, quaque usi sunt illius successores in Vita S. Gummari, dicitur de simili origine fontis S. Gummari. Non dubitat laudatissimus ille noster decessor hujusmodi traditiones inter commentata ablegare, sentitque Sanctorum nomina tot fontibus accessisse, quod Sancti eorum aqua aliquando usi sunt. Equidem non dissentirem ab eo qui affirmaret hæc fontium nomina ab usu, quo olim agri, animantia, fontes, etc., benedicebantur, atque etiamnum benedicuntur, repetenda esse.*

i *Affirmat Albertus le Grand et secundum eum*

Lobi-

A *Lobinavius* S. Vitalem *die* XVI *Octobris circa annum* 740 *abiisse. D. Kerdanet, Vitarum Sanctorum Alberti Le Grand recens editor, in annotato apponit R. D. Deric, quem in suo proœmio* (*a*) *laudat R. D. Tresvaux,* S. Vitalis *mortem referre ad annum* 745, *quin novæ hujus sententiæ rationem prodat : quam opinionem in Vitis Sanctorum Britanniæ, quas nuperius conscripsit R. D. Garaby, similiter reperio. Verum ego neminem ex illis hic laudavero ob rationes num.* 8 *Commentarii prævii productas. Numerus qui sequitur usque ad verba :* Quod Deus.... *desumptus est ex lectionario Trenorchiensi.*

k *Hanc parenthesin denuo intrusam censeo a rectore Merleto ; totus vero hic numerus nescio a quo compilatore conflatus videtur ex fine primitivæ Vitæ et ex miraculorum prologo.*

l *Si quis advertat quo loco hæc miracula posita sint, persuasum sane habebit totius hujus scriptionis collectorem sensisse ea ante asperiorem irruptionem Normannorum facta esse : et quidem in omnibus his miraculis supponitur corpus* S. Vitalis *in monte Scobrith exstare ; quod cum ad annum* 858 *inde*
B *delatum videatur, ut num.* 11 *Commentarii prævii monitum fuit, consequens est collectoris sententiam sat firmam esse. Ex altera vero parte cum num.* 16 *ipsius Vitæ prodeat Herensium monachorum procurator, necesse est, ut conscripta et verisimiliter hoc prodigium factum sint post annum* 839, *quo* S. Vitalis *ecclesia Herensibus donata fuit. Num.* 7 *ex conjectura propositus fuit tamquam horum miraculorum scriptor Ermentarius, qui iisdem fere temporibus, jubente suo abbate Hilbodo, S. Filiberti miracula collegit.*

m Ploasmel Castrum, *vulgo* Ploërmel *nuncupatum, oppidum diœcesis Venetensis est, olim diœcesi Sam-Macloviensi subjacens et aliquot tantum leucis a vico* S. Vitalis *distans.*

n *Albertus Le Grand non* Vulinum, *sed* Milinum *scripsit.*

o *Distat hic vicus, in quantum ex tabulis geographicis Cassini intelligo, sesquileuca circiter a vico* S. Vitalis, *neque late disjacet a Ligeris ripis.*

p Tethburgim *habet Le Grand, et forte melius, utpote usitatius.*

q *Vicus S. Perseverandæ, vulgo* Sainte Pazanne *appellatus, quinque leucis circiter dissitus est a vico*
C S. Vitalis *jacetque inter silvam* de Princé *et Grandem lacum* (le lac de Grand-lieu). *S. Perseveranda, quæ vulgo* Pecine, Pechinne, Pazanne *audit, colitur die* XXIV *et* XXVI *Junii.*

r *Venimus tandem ad tertiam partem* S. Vitalis *Vitæ consutam ex utroque libro Ermentarii de Translationibus et Miraculis S. Filiberti. Verum enimvero sutor iste homines, tempora, facta, omnia miscuit, licet ante exiens sæculum* XII *vixerit, ut ex annotato* u *liquebit. Ecce ab initio habes ad eadem tempora relatos Pippinum, ab anno* 814 *usque ad annum emortualem* 838 *Aquitaniæ regem, Joannem Papam VIII cujus pontificatus inter annum* 872 *et annum* 882 *includitur. Hibbodum seu potius Hilbodum, qui Herense pedum ab anno* 825 *usque ad annum* 854 *tenuisse æstimatur.*

s *Invasiones, ad quas hic alluditur, latius enucleatas vide lib.* II *Translationum S. Filiberti. Acciderunt autem post annum* 840. *Ermentarius tacet destructionem Doli, etc.*

t *Adrianus Valesius in Notitia Galliarum ad vocem* Curiosolites *censet Aimoinum primum aut inter primos sæculo* XI *ineunte hoc nomine usum* D *esse lib.* II *Miraculorum S. Benedicti.*

u *Vulgaria nomina Doli et septem sequentium locorum sunt :* Dol, Vannes, Carhaix, Quimperlé, Quimpercorentin, Morlaix, Aleth *et* Saint-Pol-de Léon. *Quod* Diallentic *idem esse dixi ac Aletum, e cujus civitatis ruinis civitas S. Maclovii* (St Malo) *orta est, hæc est ratio : in fragmento historiæ Britanniæ Minoris, quod Hyacinthus Moricius edidit* (*b*), *bis prodit diœcesis aut episcopus* Dialetensis (*c*), *et alibi in ejusdem Collectione* (*d*) *denua redit* Dialectensis *episcopus. In priori vero fragmento hæc insuper habes :* Nomenojus... in locis eorum *(quorumdam episcoporum Britanniæ)* alios constituit, adminuensque parochias eorum, videlicet in monasterio Doli, quod tunc temporis erat ex diœcesi Dialetensis ecclesiæ, et in monasterio S. Brioci et Sancti Tutualis Pabut, episcopos tres usurpativos instruxit. *Eadem fere repetit alter chronologus, cui antiquitate et auctoritate multo minor est, atque adeo hæc impugnare studet. At in editione regia operum Sirmondi* (*e*) *exstat scheda, e Ms. Montis S. Michaelis descripta, quam idem Sirmondus* (*f*) *plurimum laudat, et quæ cum primo fragmento, in* E *Cartusia Vallis-Dei in diœcesi Sagiensi reperto, consonat ; in ea vero loco* Dialectensis Aletensis *legitur. Novi quidem Salanconem, qui hic episcopus Aletensis dicitur, in epistola synodica concilii Suessionensis* (*g*) *ad Nicolaum I, episcopum* Dolensem *appellari ; verum ii, qui Dolensis sedis initia ad Nomenoji tempora referunt, duce P. Sirmondo* (*h*), *amanuensium oscitantiæ aliive rationi id adscribunt ; alii autem, qui multo antiquiorem Dolensem cathedram faciunt, eam lectionem omnino sequuntur* (*i*), *quin tamen Sirmondi schedam corruptam esse sustineant, satis habentes contendisse hanc ex ira in Britones ab Anonymo scriptam fuisse* (*k*). *Quocirca nihil ex hac sententiarum varietate adversus dicta de Aleti nomine colligi potest. Vide insuper in Notitia Galliarum Valesii Aletum olim a Britannis* Guich-Aleth, Quid-Aleht *dictum fuisse : unde patet plurima huic civitati fuisse nomina. Cum autem septem superius enumeratæ civitates Dolo subjacere, et Dolus metropolis dicatur, liquet hæc scripta esse ante annum* 1199, *quo dato diplomate Innocentius III Dolum cum reliquis Britanniæ Ecclesiis denuo Turonibus subjecit. Vide opus Joannis Maan de Ecclesia Turonensi* (*l*). F

v *Quis non noverit Ludovicum Pium, qui hic designatur, non patruum sed filium esse Caroli Magni? Vide apud Ermentarium aliosque obvios scriptores late enucleatam discordiam, de qua hic sermo est.*

w *Germania Belgium et Frisiam sane indicat.*

x *Hæc verba non Isaiæ, sed Jeremiæ sunt, cap.* I, ℣ 14. *Habes eadem verba in libro* II *Ermentarii.*

y *Designare sane vult Herense et Deense monasteria.*

z *Hic denuo summa confusio est. Hæc referuntur apud Ermentarium lib.* I *Miraculorum et Translationum ad annum* 836. *Generale placitum tum habitum est. Num.* 11 *Commentarii prævii breviter explicui universam Herensium fugam.*

aa *Is est S. Benedictus, cultus die* XXIII *Octobris Quinciaci, ut notatum fuit num.* 13 *Commentarii prævii, ubi de aliis Sanctorum Reliquiis quoque agitur.*

bb *Alluditur hic forte ad mortalitatem, anno* 869 *in Burgundia ortam ; de qua Clarius in Chronico S. Petri-Vivi in hæc verba loquitur* (*m*) : In die-

(*a*) Vies des SS. de Bretagne, avert. p. IX. — (*b*) Mémoires de Bretagne, t. I, col. 279 et seq. — (*c*) Ibid. col. 284. — (*d*) Ibid. col. 23. — (*e*) T. III col. 409 et seq. — (*f*) Ibid. col. 170. — (*g*) Labbe Concil.. t. VIII col. 838. — (*h*) T. III Oper. col. 170. — (*i*) Tresvaux, l'Eglise de Bretagne, p. 254. — (*k*) Ibid. l. c. — (*l*) P. 129. — (*m*) Rec. des Hist. de France, D. Bouquet, t. VII, p. 266.

bus

A bus illis facta est fames et mortalitas magna per totum regnum Francorum, maxime per Aquitaniam et Burgundiam : ita ut præ multitudine morientium non esset qui sepeliret. Nam Senonis inventi sunt una die quinquaginta sex homines mortui ; sed misericordia Christi in ipso anno cessavit.

cc *Ad calcem San-Vitalensis Ms. invenio notatum, hoc loco Vitæ inseri debere sequentia* : Postmodum in memoriam insignis hujus miraculi erecta est in vico S. Vitalis crux lapidea, duabus pilis sustentata, quam subire licet; et qui febri laborant et præ reverentia eam subeunt in honorem Jesu Christi crucifixi, cui se in baptismo subdiderunt, et ei Beatoque Vitali devota aliqua oratione supplicant, aut aliqua abstinentia obsequuntur, paucis diebus post restituuntur sanitati. *Pertineatne hoc fragmentum revera ad Vitam, an vero compositum sit a rectore Merleto, eo vehementius ambigo, quo magis miror in textu gallico quædam inserta et deinde expuncta fuisse verba. Cum præsens parochus in sua ad nos epistola et R. D. Garaby in suis Vitis Sanctorum Britanniæ hujus crucis et populi pietatis non meminerint, planum est conjicere ea exeunte sæculo superiore destructa fuisse.* D

dd *Totus hic sensus in Ms. Gallico vere inextricabilis erat ; quam verisimillimam autumavi interpretationem, eam selegi. Historia, de quo hic sermo, videtur eadem esse ac Ermentarii sæpe laudata scriptio.*

DE S. GURDANIO SEU GURDINELLO,

B E

EREMITA, DUACI ET AQUISCINCTII

IN DIŒCESI CAMERACENSI.

SYLLOGE

S. Gurdanius idemne sit ac S. Gurdinellus ; origines Aquiscinctienses ; S. Gurdanii variæ translationes et cultus.

ANTE MEDIUM SÆCULUM IX

Duaci et Aquiscinctii, jam in diœcesi Atrebatensi, jam Cameracensi, C

Duacum, non ignobilis civitas, et Aquiscinctium, nunc rudera, florens olim abbatia, insigniuntur hodierno cultu S. Gurdanii, *seu* Gurdinelli. *Uterque locus hic temporibus subjacet archiepiscopo Cameracensi ; at non semper hunc rerum statum obtinuisse, colliget lector ex ipsis monumentis, quæ inferius afferenda sunt. Ne autem ullus inopportunus lapis in via sit, en paucis quæ jurisdictionis vicissitudo exstiterit in his oris : censent scilicet Galliæ Christianæ scriptores S. Remigii ævo episcopum apud Atrebates, nullum vero Cameraci sedem suam habuisse ; sed aliquot annis elapsis, Atrebatensem præsulem Cameracum transmigrasse, eique Atrebates remansisse unitos. Mutatio denuo contigit anno* 1093, *quo Lambertus ab Urbano Papa II Atrebatenses infulas accepit, et credita ei diœcesis, qua Duacum et Aquiscinctium capiebatur, a Cameracensi separata est. Ineunte hoc sæculo, novos diœceseon terminos statuit Pius Papa VII, atque ex eo tempore Cameracensi præsuli denuo subjacent Aquiscinctium et Duacum. Jam ad ipsum Sanctum transferamus stylum.*

cultum sortitus est præsens Sanctus, qui a pluribus duplicatur,

2 *Certum est exstitisse virum sanctum, nomine* Gurdanium ; *at volunt bene multi non unum tantum, sed* S. Gurdanium *exstitisse et* S. Gurdinellum ; *et quidem constat Duaci* Gurdinellum, *Aquiscinctii* Gurdanium *ante hominum memoriam cultum esse. Porro ex obscuritate, qua involvitur quæstio de identitate* S. Gurdanii *et* S. Gurdinelli, *orta est magna apud martyrologos differentia. Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti,* Duaci, transitum S. Gordanii eremitæ, qui et Gurdiellus dicitur, *annuntiat ; eademque fere verba usurpat Bucelinus in Menologio Benedictino. Simon Peyronet, sacræ theologiæ doctor Tolosanus, in suo Sanctorum Catalogo probe ostendit sibi hanc controversiam notam esse, secatque nodum difficultatis adversus mox citandum Molanum. Claudius Castellanus, martyrologorum universalium facile princeps, eam deminit sententiam, in generali suo Martyrologio scribens :* Aquiscinctii S. Gurdanii *(Gourdaine)* eremitæ, cujus corpus Suessiones translatum, atque inde devectum est Duacum, ubi S. Gurdinellus *(Gourdinel)* audit. *Mitto Martyrologium Parisiense et Ferrarii Catalogum generalem Sanctorum, idem adstipulantia. Secunda Martyrologiorum classis, eaque reliquis antiquior, unum* S. Gurdinellum, *aut potius* Gurdiellum *novit, et amplectitur Usuardinum codicem editum a Molano, atque alterum Usuardinum, cujus apud Sollerium nostrum ad præsentem diem mentio fit ; Martyrologium Ms. Villariense, quod jam musæum nostrum possidet ; kalendarium præfixum Breviario Ms. Duacensi, quod similiter penes nos est, et in quo hic Sanctus* Curdimellus Confessor *nuncupatur ; et demum Martyrologium Germanicum, vulgo Canisianum dictum. Tertia classis Molanum fere patrem habet : hic quippe primus late disseruit de* S. Gurdinello *distinguendo a* S. Gurdanio, *eique assenserunt Saussayus in Martyrologio Gallicano, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, P. Willot in Martyrologio Belgico, Adrianus Van Loo in Vitis Sanctorum Belgarum, auctor Martyrologii Universalis Ms., quod in Ambianensi Bibliotheca vidimus, et editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri. Modus autem scribendi nomen nonnihil quoque variatur : ex Claudio Chastelain hausimus* Gurdanium, *sed Molanus et antiqua Aquiscinctiensia monumenta vulgo* Gordanium

habent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *habent.* Gurdinellum *desumpsi ex proprio ecclesiæ S. Amati Duacensis, impresso anno* 1740, *licet in antiquioribus monumentis constanter fere* Gurdiellum, *interdum* Guardinellum, Curdimellum, *gallice aliquando* Gordiel *repererim. Non est quod pluribus arguam eos, qui* S. Gurdanium *in* Gordianum, *et* Gordavium *transformarunt. Atque hæc de nomine monuisse satis est; latius disquiramus oportet, confundendine sint* Gurdanius *et* Gurdinellus : *quod ut præstem, evolvenda sunt signa characteristica, quæ utrique annexuit Molanus ejusque asseclæ.*

variis notis duplici hujusmodi Sancto assignatis;

3 *Primo, sæculo undecimo ferebatur Aquiscinctii olim vixisse sanctum eremitam nomine* Gordanium, *et ab eo illic ecclesiolam vel ædiculam constructam fuisse, ut inferius latius dicetur. Secundo, in vico Montiniaco, qui gallice dicitur* Montigny, *qua Aquiscinctio Duacum iter est, fons visitur, negligentia rusticorum corruptus, qui* puteus Sancti Gordanii *dicitur. Erat etiam in excisi monasterii penuario puteus, qui aquam habebat præstantissimam: idque Sancto benedicenti in acceptis referebant. Tertio, tempore Molani asserebant Aquiscinctienses se ex relatione antiquorum didicisse, sanctum* Gurdanium

B *adhuc sepultum jacere ad valvas sui templi, sub monumento marmoreo, quod introeuntibus erat conspicuum, quodque sæpe a se visum testatur Rayssius in Hierogazophylacio Belgico* (*a*). *Quarto, exhibetur* S. Gurdanius *in antiquis picturis quasi excitans Gualterum et Sicherum, ambos optimates, ad condendum Aquiscinctiense monasterium. Hæc de* S. Gurdanio. *A quo* S. Gurdinellum *duplici nota distinctum volunt: quarum prior est, quod Duacenses canonici servabant corpus* S. Gurdinelli, *illudque exeunte sæculo nono jam adepti erant; altera, quod pingitur* S. Gurdinellus *juvenili habitu, palmamque manu gerens. Hæc fere Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* XVI *Octobris refert ex iis, quæ voce et scripto ei communicaverant Franciscus Barrus prior Aquiscinctiensis, non mediocri doctrina historica vir, et Adrianus Besemerus, doctor et professor ibidem.*

verum argumentum ex diverso pingendi modo,

4 *Ut mittam recentiorum Martyrologorum auctoritatem, quæ in præsentiarum propter omnimodam discordiam nulla est, duo, ut liquet, præsto sunt argumenta ad negandam utriusque identitatem : alterum, quod pictura, qua* S. Gurdinellus *exhibetur tamquam juvenis palmam manu tenens, non videtur*

C *convenire* S. Gurdanio; *alterum, quod* S. Gurdinelli *corpus venerabantur Duacenates,* S. Gurdanii *vero exuviæ Aquiscinctii sepultæ jacebant. Verum nemo negaverit picturam* S. Gurdinelli *levissimi ponderis esse. Conveniunt enim Duacenates hunc Sanctum non Martyrem, sed Confessorem esse; atque secundum hanc traditionem Officium ejus ecclesiasticum agunt; quo nihil fere ad probandum validius : quamobrem ineptus fuerit oportet ille pictor, qui Confessori Martyris insignia tradiderit. Audi scilicet Durandum, testem sæculi* XIII, *in Prochiro seu Rationali Divinorum Officiorum* (*b*) : Martyres... quandoque cum palmis, quæ victoriam signant, juxta illud : Justus ut palma florebit; ut, sicut palma viret, sic eorum memoria servetur. Hinc est, quod qui de Hierosolymis veniunt, palmas in manibus ferunt, in signum quod illi regi militarunt, qui Hierosolymis cum palmis honorifice receptus est... Confessores pinguntur cum suis insigniis : ut episcopi mitrati.... *Quod verum juvenis pingitur, hoc a nomine repetendum videtur, quod merum diminutivum est.*

5 *Alterum argumentum, quod totum in duplici sepultura est, gravissimum foret, si apprime fidendum esset Aquiscinctiensium traditioni, qua inter se narrabant corpus* S. Gurdanii *ad templi sui valvas in marmoreo monumento jacere; verum hæc traditio recens est valde, quin etiam antiquis monumentis repugnat. Etenim in Chronico Aquiscinctiensi, cujus duo ecgrapha mihi nota sunt, (quorum alterum reperire est in Bibliotheca regia Bruxellensi num.* 7436, *et a decessoribus in usum vocatum fuit tomo* IV *Octobris ad Vitam S. Goswini, abbatis Aquiscinctiensis; alterum servatur in Bibliotheca Ambianensi num.* 357, *illudque nobis descripsit socius Sant-Acheolensis;) in eo, inquam, hæc leguntur :* In eadem ecclesiola *(Aquiscinctiensi)* referunt illum obiisse (Gurdanium) ibi sepultum, ibique per quemdam Sicherum Duaco fuisse translatum. *Toto suo pondere ruit ergo hæc traditio; quin etiam si hoc testimonium deesset, quis secum reputans nullum signum, nullam notam marmoreo huic monumento insculptam esse, quæ* S. Gordanii *memoriam referat, (ut locuples testis est Rayssius* (*c*)); *quis, inquam, hæc cogitans, narrationem, huic mausolæo annexam, quam debilissimam illico non pronuntiet? Taceo quam mirabile sit, corpus cujusdam Sancti servari in Belgio ad templi valvas in marmoreo mausolæo,* B *nedum in pretiosis lipsanothecis. Præterea, sæculo* XVII *ineunte, tantillam fidem huic traditioni addebant ipsi Aquiscinctienses, ut in instrumentis publicis, quibus suas recensebant Reliquias, de* S. Gurdanio *prorsus silerent. Etenim cum anno* 1600 *die* 25 *Septembris dux de Croy et de Arschot datis litteris plura ab eis sciscitatus esset circa monasterii fundationem, ædificia, regulam, Sanctos, Reliquias, etc., in latissimis responsis die* 22 *Januarii anni* 1601 *missis, ne verbum quidem fit de* S. Gurdanii *sepulcro, licet de aliis sacris lipsanis uberes notitiæ præbeantur. Qui hæc responsa consulere cupiat, adeat num.* 7876 *Bibliothecæ regiæ Burgundicæ Bruxellensis, ubi triplex horum ecgraphon reperiet.*

sed ex die festo, nominum similitudine, et locis cultus,

6 *Rationes itaque ad negandam identitatem* S. Gurdanii *et* Gurdinelli *debilissimas aut potius nullas esse nemo inficias ibit. Contra afferri potest duplex argumentorum genus, quo sententia contraria stabiliatur : prius est, quod* Gurdanii *et* Gurdinelli *nomina sibi simillima sunt; quod Duacum et Aquiscinctium sibi fere adjacent; quodque uno eodemque die* Gurdanius *Aquiscinctii et* Gurdinellus *Duaci coluntur. Non est quod nominum similitudinem pluribus agitem;* Gurdinellum *diminutivum esse superius jam monui : illud hic addam, nominis minutione* F *non signari necessario Sanctum juvenem aut puerum, cujus rei specimina ubique fere obtinent. Quod vero* Gurdinellus *derivatur a* Gurdanio, *unicuique persuasum erit, si attendatur gallice vulgo dici* Gourdaine *et* Gourdinel; *quod Molanus et Castellanus testatum faciunt. Atque si huic nominum similitudini addatur exigua locorum distantia, quæ e duabus tantum leucis constat, et in primis quod Duaci agitur festum eodem die, quo Aquiscinctii (quod postremum ineluctabilis fere auctoritatis est), nescio qui negari possit* S. Gurdinellum *eumdem esse ac* S. Gurdanium. *Quod superest argumentum, majoris etiam ponderis est.*

et in primis ex vetusta traditione Aquiscinctiensi et Duacensi stabilitur S. Gurdanium *eumdem esse ac* S. Gurdinellum.

7 *Etenim, ut ipse Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ex informatione Francisci Barri, prioris Aquiscinctiensis, memorat, asserebant olim Duacenates* S. Gurdinellum *eumdem esse ac* S. Gurdanium, *eumque ex Aquiscinctiensi insula a Sicherio Duacum esse translatum : quod olim apud Aquiscinctienses etiam tenebatur, ut paulo superius ex veteri Chronico Aquiscinctiensi docuimus : quocirca quid, quæso, hanc tandem litem dirimet, si utriusque loci vetusta*

(*a*) P. 57. — (*b*) Lib. I, cap. III, n. 14. — (*c*) Hierogaz. Belg., p. 67.

et

A *et concors traditio spernitur? Occulere tamen nolo duplicem exceptionem, quæ huic traditioni opponi potest, sed quæ specie tantum valida est. Prior est, quod* S. Gurdanii *corpus a Sichero Duacum translatum fuisse dicitur; qui Sicherus a quibusdam statuitur idem esse ac ille, qui exeunte sæculo* XI *Aquiscinctiense monasterium condidit, dum tamen sancti* Gurdinelli *corpus sæculo* IX *jam Suessiones et Duacum foret delatum ; verum ipse Molanus hunc Sicherum distinguit a conditore dicti cœnobii, cum eum mutatis litteris Sigerum appellat, et in citato chronico Aquiscinctiensi bini Sicheri, luculenter a se invicem diversi, exhibentur; ut inferius videbitur ex ipso textu. Altera exceptio eruitur ex eo, quod narrat Molanus asseri a Duacenatibus canonicis* S. Gurdinelli *corpus sibi a Suessionensibus datum fuisse ; verum facilis solutu est ille nodus, quoniam liquido constabit ex dicendis, non* datum *fuisse hoc sacrum pignus, sed mere* restitutum *a Suessionensibus, ad quos ob Normannorum metum delatum fuerat.*

Vita non exstat; quæcumque innotescunt, desumuntur

B 8 S. Gurdinello *itaque et* Gurdanio *in unum constituto, superest ut in ejus gesta, cultum atque alia hujusmodi inquiramus. In primis dolendum est Vitam nullam exstare ; quapropter Aquiscinctienses, die* XVI *Octobris ejus natalem celebrantes, Officium concinebant de communi Confessorum, præter duas proprias orationes ad Sextam et Nonam; quas orationes proprias ne quidem habebant Duacenates S. Amati canonici; qui, licet sibi hoc festum duplex majus foret, Missam* Justus *de communi,Confessoris non pontificis et totum item Officium de communi præter lectiones* III *nocturni, ex sermone S. Fulgentii de Confessoribus desumptas, celebrabant. Porro quæ de* S. Gurdanio *innotescunt, desumenda sunt ex initio chronici Aquiscinctiensis, quod in bibliothecis Bruxellensi et Ambianensi servari monuimus.*

ex monumentis, quæ explicant Aquiscinctienses origines,

9 *Sic vero sonat :* Insula Aquæcincii, cum plurima circumquaque terra, juris primitus Cameracensi ecclesiæ exstitit; sed ab episcopo Cameracensi in beneficium data, per successionem generis sic permansit usque sed tempora junioris Anselmi. Pater senex Anselmus eam et cætera beneficia ab episcopo in militia sua obtinuit. Quo mortuo apud Cassellum in seditione vel traditione, avunculi et nepotis hæreditas Anselmo juveni cessit. Opinata res est valde et antiquorum relatione tradita, hanc

C insulam, de qua sermo est, quia inter interiorem ambitum solidam terram et spatiosam continet, quemdam Sanctum Gordanium olim inhabitasse, et facta inibi ecclesiola, quasi in solitudine eremiticam vitam duxisse. Revera enim ingressus et regressus, ob difficultatem circumfusæ paludis nimis onerosi efficiebantur intranti. In eadem ergo ecclesiola referunt illum obiisse, ibi sepultum ibique per quemdam Sicherum Duaco * fuisse translatum. Ecclesiola illa, ut erat vetustissima maceriaque depulsa et pene nullius habitudinis, pro benedictione tanti viri, alterius villulæ, quæ erat contigua, parochia facta remansit. Mortui sepeliendi illo deferebantur; et quia, ut diximus, difficilis erat accessus terra interior, a duobus pauperibus incolebatur et fodiendo exercebatur. Providentia ergo Dei, qui in sui dispositione non fallitur, contigit ut duo viri ingenui, Sicherus, conscia uxore et castitatem profitente, Gualterus cum fratribus, relicta matre, temporalia fastidientes, cœlestia adamarent, quatenus se suaque

** Intellige* Duacum

dantes Deo devotius et expeditius servire potuissent. Admixti sunt vero eorum gratissimæ devotioni et mutuæ dilectioni quidam militares, tantæ virtutis consimiles, pari modo, eodem animo, pari fide, eadem voluntate coæquales, et apostolicam vitam sequentes ; ita ut in eadem societate nemo aliquid proprium aut suum diceret; sed in commune viverent, alter alteri deserviret, et ut de eis scriptum crederes : Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. D

quarum adjuncta, quoad fundatores,

10 *Ut hæc præmissa paucis dilucidem, non est quod hoc loco describam quidquid de hoc cœnobio dictum est. Suffecerit pauca attulisse ex citato chronico Aquiscinctiensi, ex diplomate fundationis atque ex historicis Belgis. Ex chronico itaque imprimis novimus Anselmum, qui alibi Ansellus II dicitur, dominum fuisse de Ribodimonte, qui, teste Gallia Christiana* (*a*), *fundavit Ribodimontense monasterium in diœcesi Laudunensi, et cum Godefrido Bullonio in Syriam profectus* (*b*), *ad castrum Archas lapidis jactu interiit anno* 1098 *aut* 1099 (*c*). *Gualterus vero a Molano in Natalibus dicitur Dominus de Montiniaco* (Montigny) *et Piscuaria* (Pecquencourt), *et Sicherus Dominus de Los et Corcella* (Courcelles). E *In altera autem appendice Balderici Chronici, ubi hæc fundatio late quoque explicatur,* Sigerus de Lohes et Walterus, filius Ursionis, genere nobiles *celebrantur. Sicheri uxori, cui Mathildis erat nomen, in Auctario Aquiscinctiensi chronici Sigiberti Gemblacensis prima adscribitur cogitatio de hoc fundando monasterio ; ibique sæpius ad hoc opus incitasse conjugem dicitur,* ideo maxime quod Sanctum quendam Gordanium inibi quondam heremiticam vitam duxisse ferebatur (*d*).

prima dona, primum abbatem,

11 *Cum instrumentum fundationis, ab Auberto Miræo* (*e*) *editum, majoris auctoritatis sit, sequentia ex eo describere malo, quam ex prædicto chronico. In diplomate itaque dicuntur Sicherus et Walterus* ecclesiam inibi voluisse restaurare, quam a S. Gordiano, in eodem loco eremiticam vitam ducente, audierant quondam ædificatam fuisse. Hoc autem consilium Walterus scilicet ac Sicherus, Walterus per matrem, Sicherus per uxorem, confirmatum Ansello aperuerunt. Ipse vero Ansellus insulam illam Aquicinii, et arundinetum pertinens ad eam, et villam, quæ Vedretum *(vulgo* Vred *dictum ad sinistram Scarpæ fluminis inter Marchianas et Aquiscinctium)* dicitur, eidem F insulæ contiguam, quæ a nobis *(Gerardo II Cameracensi episcopo)* in beneficium tenebat, in manu mea reddidit, et ego ea in jus perpetuum donavi ecclesiæ ipsius Aquicinii. Præterea congaudens illorum religiositati, et christianissimi laboris inceptis, ecclesiæ libertatem, quam diu amiserat, restitui, et altare solutum a persona (*late id explicatum vide a Cangio in Glossario ad verbum* Persona), et ab omni reditu feci ; præter quod baculum abbatiæ in manu mea retinui; ita tamen ut eum illi darem, quem monachi illius loci, secundum regulam S. Benedicti, in abbatem eligerent. *Ex chronico porro Aquiscinctiensi et ex citato Sigiberti Auctario* (*f*) *novimus ab episcopo Gerardo duos ex monachis Hasnoniensis cœnobii, honestæ vitæ viros, ad Aquiscinctienses instruendos accersitos fuisse; e quibus uni, Alardo nomine, curam eorum commisit Gerardus et abbatem ordinavit* (*g*).

et tempus aliquantisper declarantur.

12 *Verum nulla accurata temporis nota huic fundationi affigitur cum in Aquiscinctiensi chronico,*

(*a*) T. IX col. 615. Cfr Miræi diplom., t. I, p. 136. — (*b*) Chron. Gaufr. Vosiensis, D. Bouquet, t. XII, p. 428. Chron. Turon., ibid., p. 467. — (*c*) Auct. Aquisc. Chronici Sigib. Gemblac. Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 395. — (*d*) Ibid., p. 393. — (*e*) Diplom., t. I, p. 163. — (*f*) Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 393. — (*g*) Cfr Append. alter. ad Chron. Balderici Teruanensis. Edit. a Cl. viro Le Glay, p. 358.

A *tum in citato Sigiberti Auctario. Unde Galliæ Christianæ prosecutores* (*a*), *incidentes in Historiam Restaurationis monasterii S. Martini Tornacensis, conscriptam ab Herimanno abbate* (*b*), *æstimaverunt id cœnobium anno* 1077 *inchoatum fuisse. At Mabillonius* (*c*), *Locrius* (*d*), *Miræus* (*e*), *et Joannes Buzelinus* (*f*) *biennio tardius ejusdem initia statuunt, sibique faventia habent chronicum Sigiberti Gemblacensis, quale edidit Pistorius* (*g*) *et D. Bouquet continuatores* (*h*), *chronicum Iperii* (*i*), *Albericum Trium-fontium* (*k*), *et Andreæ, prioris Marcianensis, chronicum de regibus Francorum* (*l*). *Ab his tamen dissentit breve chronicum Elnonense, editum a Martene* (*m*), *a sodalibus D. Bouquet* (*n*), *et optime nuper a Rev. D. canonico de Smet* (*o*) *non secus ac chronicum Turonense* (*p*); *quod cum iisdem fere verbis ac Elnonense utatur, planum est conjicere Turonense hic loci ectypon Elnonensis esse : utut id sit, monuerunt editores* (*q*) *Turonense in annis assignandis fallax esse ; et quod ad Elnonense spectat, passim in eo observare est non communem computum ejus autorem secutum esse, sed sæpius anno ocius ab eo referri res gestas : unde asserendum est Elnonense*

B *Chronicum non reliquis convenire in assignanda præfata fundatione anno* 1079. *Cæterum cum adducta ex fundationis diplomate satis indicent, fundationem ante datum diploma nondum inceptam fuisse, ex anno ei adscripto lis hæc forte dirimi potest ; porro sic desinit :* Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MLXXIX, Indictione II, anno vero Henrici regis XXVI (*immo* XXIII), præsulatus vero Domini Gerardi secundi Cameracensis episcopis IV. *Quod vero dicitur in chronico Aquiscinctiensi :* Mortui sepeliendi illo deferebantur, *explicatur a Molano dicente :* Porro ob tanti viri benedictionem Piscuarienses in vetustæ ecclesiolæ cœmeterio sepeliebantur, quod nunc constrictius est, et solas excipit familiares famulos Aquis-cinctenses. *De Piscuaria quoque intelligenda sunt, quæcumque laudato chronico dicuntur de* contigua villula, *cujus ista ecclesiola* parochia facta remansit.

Expenduntur varia asserta de tempore, quo noster S. Eremita vixisset, et refertur eius ætas ante medium sæculum IX.

C 13 *Jam si quæritur, quo tempore* S. Gurdianus *vixerit, non una atque eadem sententia apud varios scriptores reperitur. Cum Molanus* (*r*) *edoctus fuisset ab Aquiscinctiensibus constanter referri, et vetustis picturis exprimi monasterium in Aquiscinctiensi insula ex hujus eremitæ consilio constructum esse, et aliunde nosset in litteris fundationis aperte designari* S. Gurdanium *diu ante Sicherum et Walterum mortuum esse, scripserat :* Oportet tamen hoc consilium referre ad apparitionem post mortem. *Quæ verba* (*licet ea non probemus, utpote nullo chronico, nullove diplomate, in quibus talia omitti non solebant, nixa*) *cum non bene legisset Saussayus, fecit* S. Gurdanium *cœvum Sichero et Waltero ; quod Bucelinus bona fide in suum Benedictinum Menologium quoque intulit. Recens vero editor Martyrologii Universalis, Cl. V. de Saint-Allais, cum invenisset in Martyrologio Universali Claudii Chastelain juxta S. Mummolini nomen appositum mortis annum* 685, *et* S. Gurdanius *continuo illic sequeretur S. Mummolinum, utrumque Sanctum eodem anno ad sepulcrum deduxit. Editores autem Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri conjecturæ indulsisse videntur. cum* S. Gurdanium *ad sæculum* VIII *referunt. Id enim ex conjectura ab eis statui satis liquet, cum dictorum suorum testes adducunt Molanum tantum in Natalibus Sanctorum, Miræum in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio et in diplomatibus Belgicis, Galliam Christianam, et Lamartinière, qui profecto nihil de ætate* S. Gurdanii *habent. Verumtamen huic suspicioni, quæ forte non ita infausta est, suffragari videtur Claudius Chastelain in Martyrologio Universali ; cum, ordinem temporis sequens, collocat* S. Gurdanium *inter S. Mummolinum exeunte sæculo* VII *mortuum, et S. Gaudericum, cujus ævum refertur ad exiens sæculum* IX. *Id unum ego affirmabo, videlicet* S. Gurdanium *ante finem sæculi* IX *jam pridem cultum fuisse : ut ex sequentibus manifestum fiet.* D

Translatum fuit ejus corpus Aquiscinctio Duacum, Duaco Suessiones; unde relatum Duacum :

14 *Ex chronico Aquiscinctiensi jam innotuit corpus* S. Gurdanii *a quodam Sichero Duacum fuisse translatum, quod duobus saltem sæculis ante fundationem cœnobii factum fuerit oportet. Etenim circa exiens sæculum* IX *jam Duaci, jam Suessionibus atque denuo Duaci servabatur. Quod scilicet primum Duaci servatum est, ex præcitato chronico liquet ; quod vero deinde Suessiones translatum fuit, colligitur ex Proprio Duacensi anni* 1740. *Quoniam vero quidam his repugnant, juverit audire ipsius Proprii verba, quæ ex libro argenteo* (*s*) *et e lectionario Ms. ecclesiæ collegiatæ S. Amati Duacenses deprompserunt :* Anno Christi 870, imminente persecutione Normannorum, fratres Deo et Sancto ejus Amato apud Mervillam servientes, corpus patroni sui Amati, Duacum in sui juris ecclesiam transtulerunt. Quadriennio deinde post, obtinuerunt a S. Joanne Cameracensi, eodemque Atrebatensi episcopo et a Carolo Calvo, Ludovici Pii filio, Galliæ rege, necnon a Balduino ejus nominis primo, comite Flandrorum ; ut cum omnibus suis possessionibus et privilegiis Duaci remanerent. Corpus tamen S. Amati paulo post fuit deportatum Suessiones in Galliam, propter Normannorum persecutiones recrudescentes ; quibus sedatis, est Duacum in eamdem ecclesiam relatum, circiter annum Domini 896. Illo enim tempore, regem Francorum, Stephanum episcopum Cameracensem et Atrebatensem, ac Balduinum, ejus nominis secundum Flandrorum comitem, clerus B. Amato serviens consuluit, quid de S. Amati corpore esset agendum. Fuit autem definitum, quod Duacum esset referendum : quod et factum est ; sed honoris causa est associatum sacris corporibus Beatorum Onesimi, episcopi quondam Suessionensis, et S. Gurdinelli Confessoris. *Hæc ex Duacensi Proprio in Officio de S. Amato* (*t*) ; *atque eadem* (*u*) *in Officio de S. Onesimo, verbis tantum mutatis, repetuntur. His consona habent Rayssius in Hierogazophylacio Belgico* (*v*), *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii* (*x*), *Gramayus in Antiquitatibus Flandriæ* (*y*) *et editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri in citata* S. Gurdinelli *Vita.* E F

sententiæ contrariæ refelluntur,

15 *At Henschenius* (*z*), *cum Rayssium, SS. Amati, Onesimi et* Gurdinelli *corpora Suessionibus Duacum translata esse narrantem produxisset, addidit :* Hujus (S. Gurdinelli) et S. Onesimi corpora ex Suessionibus solum translata tradunt alii. *Quibus verbis designare sane voluit Malbrancquium, qui in*

(*a*) T. III col. 408. — (*b*) D'Achery Spicileg.. t. II, p. 904. Edit. alt. — (*c*) Annal. Ord. S. Bened. t. V, p. 141. — (*d*) Chron. Belgii, p. 212. — (*e*) Orig. Cœnob. Bened. in Belgio, p. 126, et Annal Belgic., p. 634. — (*f*) Annal. Gallo-Flandriæ, p. 186. — (*g*) Scriptt. rer. German., t. I, p. 843. — (*h*) Recueil des Hist. de France, t. XIII, p. 257.— (*i*) Martene Anecdot., t. III, p. 586 ; et D. Bouquet, t. XIII. p. 456. — (*k*) Leibnitz Access. Histor., t. II, p. 123 ; et D. Bouquet, t. XIII, p. 685. — (*l*) D. Bouquet, t. XIII, p. 419. — (*m*) Thes. Anecdot., t. III, col. 1397. — (*n*) Recueil des Hist. de France, t. XIII, p. 453. — (*o*) Corpus Chronic. Fland., t. II, p. 17. — (*p*) Martene Ampl. Coll., t. V, col. 1009; et D. Bouquet, t. XII, p. 463. — (*q*) Cfr Recueil des Hist. de France, t. X, p. 280 ; t. XI, p. 346 et t. XII, p. 461. — (*r*) Natal. SS. Belgii ad XVI Octob.— (*s*) Fol. 10 et 30. — (*t*) P. 55 et seq. — (*u*) P. 68. — (*v*) P. 34. — (*x*) Ad XII Maji, XIII Septemb. et XVI Octob. — (*y*) P. 203 et 206. — (*z*) Act. SS., t. IV, Maji, p. 204.

opere

A opere suo de Morinis et Morinorum rebus (a), cum perhibuisset monachos Mervillenses seu Broilenses anno 870 cum corpore S. Amati Duacum devenisse, subjicit : Sunt qui scribunt prius Suessiones translatum D. Amati corpus, dein Douacum cum SS. Gurdinelli et Onesimi corporibus : idque cessantibus Nortmannorum bellis ad annum 896 ; sed quæ narranda insequuntur, huic rei plane refragantur. *Et narrat deinde quo pacto stabilem sedem Broilenses Duaci nacti sint, ut ex Proprio Duacensi jam intelleximus. At non difficilis detectu est origo erroris, cui egregius historicus hoc loco se implicuit. Ex nota enim, margini apposita, liquet ei in animo fuisse refellere Molanum, qui ad* XVI *Octobris scripserat :* Duacenses vero canonici S. Gurdinelli corpus una cum corpore S. Onesimi, sibi a Suessionibus donatum *(immo restitutum)* asserunt, cum S. Amati corpus ab eis referretur, cessantibus bellis, circiter annum Domini 896. *Quibus dictis Morinorum historicus crediderit designari, S. Amati corpus Broilo seu Mervilla Suessiones devectum esse, atque inde anno* 896 *Duacum fuisse primo translatum. At vocabulo* referri *plane*

B *aliud statuerat Molanus, nihil itaque hic est, quod Martyrologi Belgæ dictis refragetur.*

et novis testimoniis confirmantur dictæ translationes,

16 *Fatendum quidem est Trentecampium nostrum in Commentario prævio de S. Amato* (b) *non verbum hiscere de hac translatione ; et in Actis Sanctorum Belgii* (c) *exhiberi quidquid Trentecampius scripserat sine ulla additione. Verumtamen hanc translationem reapse factam esse persuasum mihi est. Etenim superius jam dixi, quibus e fontibus desumpta sit citata lectio de S. Amato ; quos fontes vindicavero a Gramayi crisi* (d), *si monuero lectorem, eum certe corrupto ecgrapho usum esse ; quod constabit unicuique, conferenti ejus dicta cum Proprio Duacensi, et citato Malbrancquii loco. Præterea cum omnes exceptiones eruantur ex eo, quod S. Amatus Suessiones non censetur devectus, juverit denuo citasse breve Chronicum Elnonense* (e), *de quo nuperrimus editor non dubitavit asserere* saltem a sæculo IX auctoritatem scripti coævi ei inesse (f). *Porro ad annum* 880 *hæc illic habes :* Ludovicus rex obiit. Nortmanni in Gandavo Sancti Vedasti Belvagus (*Bellovacum*) asportatur. Sanctus Amatus Suessionis asportatur. *Atque eadem in Annalibus minoribus Elnonensibus, editis a Cl. V. Pertz* (g),

C *et in laudatissimo Chronico brevi S. Martini Tornacensis excuso inter historicos Galliæ* (h), *repetuntur ; nisi tamen in Tornacensi Chronico annus* 881 *signatur ; quæ temporis nota retinenda est ; quoniam Elnonenses chronographiæ, ut jam diximus, anno præcurrere solent. Neque his testimoniis officit, quod Gramayus affirmat, ex Iperii Chronico narrari a Meyero Duacum anno* 870 *a Normannis excisam esse ; sed præterquam quod Meyerus hæc ad annum* 880, *nomine citato, refert* (i), *omnimode erroneum est tale quid ab Iperio, in annis cæterum minime accurato, asseri, ut colliget ipse lector, si adeat tomum III* (k) *Thesauri Anecdotorum Martenii, ubi prætensum Iperii locum inveniet. Laudatum vero Elnonense Chronicum, cum docet anno* 883 *omnes abbatias, quæ ad Scarpæ ripas jacent, a Normannis vastatas fuisse, simul innuit quam caute S. Amati corpus tribus annis ante Suessiones delatum sit, quandoquidem Duacum Scarpa duas in partes secatur.*

17 *Superius ex Proprio Duacensi colligere licuit,* S. Gurdinelli *seu* Gurdanii *corpus circa annum* 896 *Duacum relatum fuisse. Hæc temporis nota, non ex Mss. Duacensibus, sed ex Molano intrusa videtur ; eam enim omittit Gramayus, neque solemnis est in vetustis historiis indicandi modus ; et sane non concordat hic annus cum episcopatu Stephani, qui hujus translationis consilium dedisse dicitur. Hic quippe Stephanus, qui diu creditus est anno* 895 *ad Cameracenses infulas promotus esse, hoc honore ornatus non fuit ante annum* 900, *ut docent Galliæ Christianæ editores* (l) *; ex quibus quoque constat eum hac dignitate usque ad annum* 933 *vel* 934 *usum esse ; intro quod proinde spatium concludenda est hæc Reliquiarum translatio. Non est quod immorer vanis conjecturis eorum, qui* S. Gurdinelli *corpus Duacum relatum fuisse statuunt eodem tempore, quo illuc devectum est corpus S. Mauronti. Le Moyne autem* (m), *rationem reddens cur hæc Reliquiarum translatio facta sit, affirmat sancti Onesimi corpus Suessionibus Duacum translatum esse propter minitantium Normannorum metum. Verum cum quælibet res duplici de causa fieri possit, non pugnat hæc sententia cum Proprio Duacensi, in quo* SS. Gur-

D *quorum postrema ineunte sæculo* X, *simul cum SS. Amati et Onesimi corporibus, facta est.*

dinelli *et Onesimi corpora dicuntur associata fuisse*

E *corpori S. Amati honoris causa : novimus præterea ex Chronico Besuensi, anno* 901 (n) *ob Normannorum formidinem quasdam Sanctorum Reliquias Suessionibus aliorsum delata esse. Quod autem ad* S. Gurdinellum *aut* Gurdanium *pertinet, alia transvehendi corporis causa aderat, justitia nempe, qua hoc sacrum pignus penes Duacenses, non autem penes Suessionenses esse debebat. Atque hæc ex antedictis satis manifesta sunt, et confirmari queunt testimonio Nithardi, Caroli Magni nepotis, qui libro* III *Historiæ num.* 2 (o) *recensens Sanctorum corpora, quæ anno* 841 *Carolus Calvus in novam basilicam Suessionensem transtulit, inter hæc non numerat* S. Gurdinelli *aut* Gurdanii, *quoniam tum nondum Suessiones delatum fuerat. Quocirca culpandus est Molanus, dum scribit hæc pia pignora a Suessionibus* donata, *non restituta fuisse.*

Novum ejus sepulcrum et imago, nunc destructa.

18 *Porro cum tempore Stephani, Cameracensis episcopi,* S. Gurdanii *exuviæ Duacum relatæ sunt in ecclesiam S. Mariæ Virginis, deinceps S. Amati, condigno honore receptæ fuerunt, atque deinceps habitæ. Gramayus in Antiquitatibus Flandriæ, postquam pluribus docuit* (p), *quo pacto anno* 1206, XIV *kalendas Novembris sancti Amati Reliquiæ novo*

F *sepulcro conditæ fuerint, subjicit :* Hoc eodem tempore similibus ex marmore mausolæis recondita corpora SS. Onesimi et Gurdinelli. *Verumtamen cum hæc celebritas maxime ad S. Amatum pertineat, mitto narrationem, quam de eo ex citato Duacensi libro argenteo ad* XXVIII *Aprilis exhibet Proprium Duacense cum litteris Radulphi episcopi Atrebatensis ; ipse satis habens annotasse, translationi illi interfuisse, præter Radulphum Atrebatensem, Gerardum Catalaunensem, et Goswinum Tornacensem episcopos. Ad* S. Gurdanium *quoque, seu* Gurdinellum, *ad sanctos Amatum, Maurontum et Onesimum referuntur sequentia, quæ ex Hierogazophylacio Belgico Rayssii* (q), *de ecclesia collegiata S. Amati Duacensi agentis, depromo :* In frontispicio ambonis chori, quem vernacule Doxale vocamus, hujus ecclesiæ visuntur prædicti quattuor Sancti depicti, cum sequentibus versibus vetustissimis characteribus :

(a) T. II, p. 305. — (b) Act. SS., t. IV Septemb. p. 121. — (c) T. IV, p. 573. — (d) Antiquit. Flandr., p. 202. — (e) Corp. Chron. Fland. edente can. De Smet, t. II, p. 12. — (f) Ibid., p. 1. — (g) Monum. hist. German., t. VI, p. 19. — (h) Rec. des Hist. de France, t. VIII, p. 285. — (i) Annal. Flandr., fol. 14. — (k) Col. 528. — (l) T. III, col. 14. — (m) Hist. des antiq. de Soissons, t. II, p. 210. — (n) D. Bouquet, Recueil des Hist. de France, t. IX, p. 20 — (o) Recueil des Hist. de France, t. VII, p. 24. — (p) P. 206 et seq. — (q) P. 34.

Corpora

A Corpora Sanctorum sanctisima quattuor horum
Hæc habet ecclesia pignora chara sibi
Astra tenent animas, cœlesti nectare potas ;
His ut jungamur, Christe Jesu, fer opem.

Hæc vero, ut ad nos scripserunt Reverendus D. Semaille, parochus et decanus Duacensis et eruditissimus vir Dutillœul, bibliothecarius, oppidi Duaci, annis 1795 *et sequenti perierint oportet, cum templum S. Amati solo æquatum est, et in forum publicum, nunc arboribus consitum, immutatum fuit. Perierunt tunc quoque* S. Gurdanii, *seu* Gurdinelli *sacræ exuviæ, non secus ac reliquorum Sanctorum,* D *quorum pignora ibidem asservabantur; et liber argenteus aliaque documenta, quæ ex libris impressis sæpius citavimus, sortem passa fuerunt cæterorum monumentorum ecclesiæ S. Amati, quæ inter ecclesiasticos et civiles superis, sæculi tumultus evanuerunt. Aquiscinctum vero mera nunc esse rudera sæpius monuimus. Atque hic stylus nobis ponendus est, optantibus ut saltem ne intereat, qui reliquus esse possit,* S. Gurdanii *cultus, dum sacræ ejus Reliquiæ et duo, ubi colebatur, templa impiam stragem in perpetuum experta fuerint.*

DE S. GAUDERICO,

B **GUALDERICO SEU GALDERICO, CONFESSORE AGRICOLA** E

OCCITANO IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De nomine, homonymis et biographis S. Gauderici ; ejusdem vitæ synopsis.

ANTE SÆCULUM, UT VIDETUR, X.

Nomina S. Gauderici *et homonymi.*

S Gaudericus, *cujus præcipua latina nomina in hujus Commentarii fronte scripsimus, gallice vocatur a Claudio Chastelain in Martyrologio suo Universali* Saint Galdry, *a Peyroneto autem doctore theologo Tolosano, testeque, utpote Occitano, magis idoneo, in suo Sanctorum Catalogo* S. Goëry, *et demum* S. Goëric *a P. Petro Maria d'Auzers Societatis Jesu, qui, dum olim in collegio Mauriacensi degeret, lectiones Mirapicenses de* S. Gauderico *ad decessores nostros misit; d'Expilly* C *vero in Dictionario suo Geographico, ubi recenset vicos Mirapicio subjacentes, Cassini in tabulis topographicis Franciæ, et auctores Dictionarii Universalis Franciæ, anno* 1804 *Parisiis excusi, appellant eum vernacule* S. Gauderic ; *Catalauni vero in finibus Hispaniæ consonant in eo* San-Galderique *nuncupando. Ut initio Commentarii prævii de S. Balderico, Falcomontano conditore, annotavimus, confudit Weissbacher in Legenda Sanctorum sæcularium sacerdotum S. Baldericum cum* S. Gauderico, *licet non tantum patria, munera, locaque cultus diversa omnino sint, verum etiam ipsa nomina non eumdem significatum habere videantur. Nam dum* Balderici, *uti alibi diximus, virum audacia spectabilem indicat,* Galdericus, Gualdericus, *seu* Gaudericus *virum potentia conspicuum denotare videtur. G quippe et W facile in nominibus Francis inter se commutantur, ut habemus in vocabulis Willelmus et Guillelmus, Walbertus et Gualbertus, Walterus et Gualterus seu Galterus, etc. Porro* wald *in nominibus potentiam significat* (a), *et* ric *divitem ; adeo ut* Galdericus, Gualdericus *seu* Waldericus *idem sit ac qui potentia abundat, seu conspicuus est. Vix est quod moneam a* S. Gauderico *nostro distinguendum esse sanctum Gaugericum, episcopum Cameracensem, quem Baronius in Annalibus* (b) *Gaudericum appellat, et de quo dixere Majores nostri ad diem* XI *Augusti ; S. Godericum seu Goericum, episcopum Metensem, die* XIX *Septembris cultum ; S. Godricum, eremitam Anglum, cujus venerationi dies* XXI *Maii assignatur ; et S. Gericum, Guericum vel Goericum Senonensem archiepiscopum, cujus natalis die* XXVII *Augusti agitur. Hæc de nomine deque homonymis.*

Quinque nobis cognitos F

2 *Jam vero si ad biographos stylum convertimus, quini numero hi nobis obviarunt. Nam primo loco inter biographica scripta recenseri posse æstimo lectiones quæ in Officio ecclesiastico de* S. Gauderico *olim in meridionali Galliæ tractu usitabantur. Secundo autem loco venit Vincentius Domenec, qui Sancti nostri Vitam Historiæ generali Sanctorum Catalauniæ* (c) *inseruit ; cujus Historiæ conscribendæ gratia quater Catalauniam peragrasse dicitur in bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum* (d), *idque instituisse iter, ut quæcumque posset recondita instrumenta scrutaretur. Obiit autem Gerundæ anno* 1606 *in odore sanctitatis. Quæ vero scripsit de* S. Gauderico, hæc desumpta sunt, *ut ipse catalaunice seu hispanice loquitur* (e), ex Breviario diœcesis Elnensis *(Perpinianensis)* et ex vetusto codice Ms., qui in monasterio Canigonensi asservatur ; *de quo codice paulo inferius redibit sermo. Tertius biographus nobis est Reginaldus Poc, qui anno* 1627 *opusculum edidit de duobus Sanctis agricolis,* Gauderico *et Isidoro sub titulo :* Compendio de la vida, muerte, y milagros de los dos gloriosos labradores San Galderique de Canigon, y San Isidoro de

(a) Wiarda, Deutsche Vornamen, etc., p. 42. — (b) T. XI, ad an. 615, § XII. — (c) P. 199 et seqq. (d) T. II. p. 360. — (e) P. 199.

Madrid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A Madrid repartido en dos libros por el Padre presentado F. Reginaldo Poc, natural de Planolas, de la Orden de Predicadores, doctor y cathedratico de theologia en la antiquissima universidad de Perpiñan. Perpiniani, typis Ludovici Roure, 1627. *Extra Perpinianensem tractum rarior videtur ille liber, adeo ut bonum consultum sit lectorem in bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum* (*a*) *monere, opusculum illud in bibliotheca regia Parisiensi repertum iri, ubi et nos eo uti coacti fuimus, alibi id non reperientes. Tamayus in Martyrologio Hispanico* (*b*) *ultra modum laudavit hanc Vitam, cum scripsit,* in eo non tantum vitam et miracula plurima S. Gauderici compaginata esse, sed et situm, privilegia et dominia monasterii Canigonensis, quod insignes S. Gauderici Reliquias habebat, in eo enucleari; *verum quæ ad hæc pertinent, non plura in eo inveni quam in Marca Hispanica Petri de Marca, qui (atque ea Reginaldus omisit) voluminis sui appendici authentica monumenta inseruit. Cæterum Poc iisdem ac Domenec usus est instrumentis ad beati agricolæ nostri prosequenda gesta.*

biographos, plerosque B 3 *Quartus biographus isque anonymus, qui sua omnia vel ex propria penu vel ex citatis scriptoribus hausisse dicitur, innotuit nobis ex epistola Cl. V. Puiggari, die* XXII *Octobris anni* 1841 *data ad R. D. Labatut, canonicum cathedralis ecclesiæ Carcassonensis, et ad nos transmissa curis R. P. Tinseau nostrorum studiorum obsequentissimi fautoris. Fertur Anonymus ille opellam suam anno* 1705 *gallice scripsisse, eamque decennio post typis credidisse Perpinianensibus. Quem paulo superius nuncupavimus, martyrologus Hispanus Tamayus quintus biographus nobis est, cum in opere suo ad hanc diem ediderit quædam* S. Gauderici *Acta, ad quorum calcem hæc ille scripsit :* Hæc sunt Acta, quæ ex Legendario monasterii Canigonensis hispano idiomate desumpsere Vincentius Dominec et Reginaldus Poc. *Sed, ut paulo supra vidimus, testatur ipse Vincentius se narrationem suam collegisse tum e Breviario Elnensi, tum e vetusto Ms. codice : unde quid velit Tamayus, non ita perspicuum est. Verumtamen cum Tamayus nihil habeat, quod a lectionibus Mirapicensibus et Vincentii Reginaldique dictis absonum sit, minus verendum est rei veritati, quam antiquitati scriptionis, inferius a nobis, utpote alia destitutis, edendæ.*

C *codice Ms. Canigonensi usos, nactus est* S. Gauderico. 4 *Neque hæc codicis antiquitas valde veneranda esse potest, nisi ei successive adjecta fuerint miracula prout volebat Deus ea coruscare : Domenec scilicet, qui eo usus est, exponit secundum eum miraculum quod ad annum* 1483 *referendum est : unde quæ hic scriptor de ejus antiquitate affirmat, eum antiquis litteris scriptum dicens, vix de uno sæculo intelligenda sunt ; cum ex approbationibus constet Domenec hæc ante annum* 1603 *exarasse. His non absona sunt, quæ in ipsis Actis editis a Tamayo occurrunt :* His et aliis virtutum stemmatibus sic agricola gratus fuit Domino, ut adhuc vivus ad donum miraculorum capessendum accederet : quorum relationem, aut sancti viri modestia occuluit, aut antiquitas invita obliteravit, licet duo adhuc in cordibus accolarum enixius adservantur. *Dubito autem graviter an audiendus sit Tamayus, cum unum tantum codicem Ms. de* S. Gauderico *exstitisse innuit. Etenim Hieronymus Pujades, auctor Chronici universalis Catalauniæ, scripti quidem ineunte sæculo* XVII, *edito vero anno* 1831 *Barcinone, nonnihil in narranda translatione* S. Gauderici *a Domenec discedit; quod* § III *hujus Commentarii cernere erit. Utut id est, sategimus, quantum per nos stabat, ut Canigonensem codicem nancisceremur. Verum en quale responsum nobis retulit R. P. Tinseau a laudato Cl. V. Puiggari, qui se quam completissima notitia de Monte Canigonensi colligenda detentum esse scribit :* Nullatenus a me reperiri potuit codex Ms. Canigonensis, quem Domenec commemorat. Etenim nihil fere superest ex archivio monasterii S. Martini. Penes me est index titulorum et chartarum, quæ in eo servabantur anno 1586, quo tempore iste index a visitatore apostolico confectus est. Penes me similiter est alter index confectus anno 1787 ex jussu supremi nostri consilii ; et in neutro mentio fit hujus codicis, licet secus bis terve S. Gaudericus in eis memoratur. *Hæc ille.*

D 5 *Ut vero lector jam in limine hujus Commentarii præ oculis habeat* S. Gauderici, *quæ noscuntur, gesta, afferendæ hic visæ sunt lectiones, quæ olim ad diem* XVI *Octobris Mirapicii in Officio ecclesiastico recitabantur; ita autem sonant :* LECTIO IV. Gaudericus in agro Tolosano, humili loco, sed piis parentibus natus, patris sequutus exemplum agriculturam exercuit. Adolescens admiranda dedit omnium virtutum exempla : juveniles siquidem ludos, et mundi illecebras respuens, totum quod ab excolenda terra aut a domesticis ministeriis vacabat tempus, orationi tribuebat. Nihil eo continentius, nihil modestius erat. Administratione familiæ suscepta, eam ex divinis præceptis instituit, sanctissimæque vitæ exemplis, Christianis moribus informavit. In pauperes misericors et beneficus, illos et recipiebat domi, et suis etiam facultatibus sustentabat.

Synopsis Vitæ

E 6 LECTIO V. Sanctissimam Dei Genitricem religiosissime venerabatur : in cujus honorem, quoties statis temporibus ad illius salutationem ex more in diœcesi Tolosana, longe antequam ab universa Ecclesia reciperetur, instituto, æs campanum pulsabatur, toties, detecto statim quocumque adesset loco capite, genibusque flexis, Deiparam salutabat. Hocce obsequii genus, Virgini Matri exhibitum, insigni miraculo comprobavit Deus. Cum enim aliquando vespere ex agricultura rediens vir Dei, rivum, oppido quod incolebat fere contiguum, trajiceret, forte accidit ut ex ecclesiæ turri æs campanum ad salutandam Virginem signum daret : pii instituti memor Gaudericus, in genua mediis in ipsis aquis procumbit. Quæ sanctitatem viri reveritæ, in duas continuo partes divisæ, locum in quo genuflexerat siccum relinquunt.

S. Gauderici

F 7 LECTIO VI. Quam plurimis aliis miraculis sanctitatem servi sui Deus testatam reliquit, quibus magnum et sanctum clarebat ubique Gauderici nomen. Illud imprimis celebre, quod dum æstivo tempore segetem tereret, subito coortam tempestatem, ad Deum, qui voluntatam timentium se facit, fusis precibus, ab area sua non modo depulit, sed inaudito hactenus prodigio id etiam obtinuit, ut cum immissus grandis turbo circum omnia everteret, et copiosius ex terris, addensatisque nubibus, imber decidens vicina quæque loca delueret, siccam interim Gauderici aream placido serenoque cœlo sol illustraret. Denique vir sanctus, virtutibus et meritis plenus, XVII calendas Novembres ad cœlestem beatitudinem est evocatus.

ex lectionibus Mirapicensibus.

(*a*) T. II, p. 461. — (*b*) T. V, p. 553.

A

§ II. Quæritur an S. Gaudericus pietatem, dictam Angelus, coluerit.

S. Gaudericus *servaritne pietatem dictam* Angelus ?

Ut ex recitatis lectionibus liquet, inter gesta S. Gauderici *una ejus in Beatissimam Virginem pietas, seu potius religiosa ejus consuetudo illam salutandi, cum pulsato campano ære ad id signum daretur, (moris id fuisse in diœcesi Tolosana diu antequam id in universa Ecclesia prævaluisset, volunt Mirapicenses lectiones aliaque monumenta,) in examen vocanda videtur. Et quidem, ut absque ambagibus sententiam meam profitear, non dubito negantium, si qui sint, adhærere partibus : tum quoniam verisimile non est* S. Gaudericum *sæculo* IX *usum fuisse Salutatione Angelica, quæ hic indigitatur ; tum quia certe tunc temporis in usu non erat mos pulsandæ campanæ ad indicandum, colendam esse Deiparam. Quo vero melius intelligat lector, quæ ad hanc quæstionem pertinent, juvat paulo latius id*

B

argumentum prosequi. Quod tamen spectat ad priorem hujus examinis partem, cum de ea actum jam fuerit a Mabillonio (*a*), *et paucis annis post ab eruditissimo Grancolasio in suo Commentario historico in Romanum Breviarium* (*b*), *dein a Trombelli* (*c*), *ut ex Gerberto, de Veteri Liturgia Allemanica disserenti, intelligo, quantum quæstionis ratio patietur, contrahemus vela.*

Sæculo quidem sexto Syri usitabant quamdam Salutationem Angelicam,

9 *Imprimis fatendum est jam sæculo* VI *Salutationem Angelicam apud Syros in usu fuisse, qualis ex Syriaco idiomate in latinum versa et utraque lingua a Guidone Fabrico Boderiano vulgata fuit : unde in Bibliothecam Maximam Patrum Lugdunensem* (*d*) *translata, sic sonat :* Pax tibi, Maria plena gratia : Dominus noster tecum. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus est fructus, qui est in utero tuo Jesus Christus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen. *Paulo diversa est versio in Grancolasio, qui in præcitato Commentario* (*e*) *talem edidit :* Pax tibi, Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus, qui est in utero solus Christus. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen.

C

Alliganda autem est, ut dixi, hæc formula saltem ineunti sæculo VI, *quoniam eam exhibet Severus Antiochenus inter varias preces, (post orationem scilicet Dominicam), quas subdit Libro de ritibus baptismi et sacræ synaxis apud Syros Christianos receptis. Hic autem Severus, auctore J. A. Fabricio* (*f*), *anno* 513 *Antiochenam cathedram ascendit, et pro Assemanni sententia* (*g*) *anno* 539 *supremum obiit diem.*

ut adversus Grancolasium et Gerbertum

10 *Sed repugnat Grancolasius* (*h*) ; *cui assentit Gerbertus in Disquisitione* VIII *de singulis partibus Horarum canonicalium* (*i*). *Audiatur Joannes Grancolasius :* Neque libellus de ritibus baptismi nomen Severi patriarchæ Alexandrini præferens, fidem ullam meretur, ad cujus finem hæc oratio reperitur ; nullus enim inter Alexandrinos patriarchas Severus appellatus fuit ; quæ ratio est, cur in quibusdam codicibus manu exaratis Severo Antiocheno tribuatur. At veteres, qui Severi Antiocheni operum meminere, libri de baptismate mentionem non faciunt. *At bona Joannis Grancolasii*

D

venia, quis, quæso, non indignum judicet eruditissimo scriptore, prius quod exponit argumentum, et quod mera hypothesis est ? Non minus enim valet ac si plane dixisset : Liber iste partus non est patriarchæ Alexandrini, ergo neque editus est a patriarcha Antiocheno ; nam illud : quæ ratio est, cur in quibusdam codicibus, *etc., prorsus gratuitum est ; quin etiam inscriptionum varietas sic jubebat ratiocinari : in quibusdam codicibus Mss. tribuitur ille liber Severo Alexandrino, in aliis Severo Antiocheno ; at Severus Alexandrinus in rerum natura non fuit ; ergo soli Antiocheno patriarchæ tribuendus est. Secunda vero probatio, qua Grancolasius sententiam suam fulcit, est mere negativa ; quocirca in tantum solummodo valet, in quantum opportunum erat, ut veteres scriptores de hos loquerentur libro. At nihil hujusmodi est : etenim est mere liturgicus, et solas continet ceremonias et preces, quæ apud quosdam Syros hæreticos in baptismate usurpabantur. Cum autem scripsisset Severus Antiochenus opuscula, quibus errores suos multo clarius exponebat, pronum erat ut orthodoxi hæc insectarentur, de libro autem isto tacerent ; quod quidem eo pronius*

E

est, quo magis verisimile est hos ritus non a Severo fuisse conditos, sed in pauculis punctis tantum aliquantum fuisse immutatos : unde tamen postmodum ei adscripti fuerint.

probatur ex Severi Antiocheni opere :

11 *Quibus accidit gravissimum testimonium J. A. Fabricii* (*k*), *qui minime dubitat Severi Antiocheni scriptis adnumerare* Librum de ritibus baptismi et sacræ synaxis apud Syros Christianos receptis, tributum, *ut ait,* Alexandrino quondam patriarchæ ; sed, *ut pergit,* in codice Guidonis syriaco tantum *Mar Severus patriarcha* nuncupatur. *Et,* Male, *inquit Richardus Simon ad Gabrielem Philadelphiensem* (*l*), ritus ille in editis exemplaribus tribuitur Severo, patriarchæ Alexandrino. Codex Ms. quem consului, præfert nomen Severi patriarchæ Antiocheni, et in multis ab edito discrepat. Asservatur in bibliotheca C. V. Claudii Hardy. *Hæc doctus Fabricius. Vide præterea Montfaucon* (*m*), *qui ritus baptizandi similiter Severo Antiocheno patriarchæ ex fide syriaci codicis tribuit. In nota autem recentium Fabricii Bibliothecæ editorum* (*n*), *memorantur alii bini codices, quorum* alter Severi hæretici Liturgia, *alter* Severi Antiocheni Liturgia *audit. Cæterum nonnulla loca in his ritibus Eutychetem sapiunt ; et notum est insuper Severum a Syris hæreticis dictum fuisse* os omnium doctorum ; *unde pro hac apud suos auctoritate facile potuit hos nonnihil mutare ritus, et suo ornare nomine.*

F

eademque in Hispania ante sæculum X *adhibita fuit.*

12 *Verum illud ex Severo petitum specimen Orientem, minime Occidentem spectat. A Gregorio Magno primum in Occidente adhibita fuit quædam Salutationis Angelicæ forma, in Offertorio nempe Missæ Dominicæ* IV *Adventus ; sed verba Angeli tantum complectitur, estque potius Antiphona quam Oratio ; quocirca quoad fidelium usum spectat, exigui valde momenti est. Aliud testimonium occidentalium pietati magis favens exhibet Vita S. Hildefonsi episcopi Toletani, quam teste Mabillonio Godescalcus, Aquitaniæ episcopus, sæculo nono ex Hispania detulit, quamque Hermannus monachus sæculo duodecimo ineunte reperit Catalauni, ut ex epistola ad Bartholomæum Laudunensem liquet* (*o*). *Illud autem testimonium sic sonat :* Beatus vero episcopus.... vidit eamdem Dominam nostram in

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. V, præf. § 119. — (*b*) Lib. I, cap. XV, p. 73. — (*c*) T. V, Dissert IV, p. 2. — (*d*) T. XII, p. 736. — (*e*) Lib. I, cap. XXV, p. 74. — (*f*) Bibl. Græc., t. X, p. 614. Edit. Hamburg. 1807. — (*g*) Bibl. Orient., t. II, p. 321. — (*h*) Lib. I, cap. XXV, p. 74. — (*i*) Cap. XI, p. 821. — (*k*) Bibl. Græc., t. X, p. 622. — (*l*) P. 290. — (*m*) Bibl. Bibliothec. Mss. p. 713. — (*n*) Bibl. Græc., p. 623. — (*o*) Cfr Mabillonium Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 520, et sæc. V, in præfat. § 119 ; et Galliam Christ., t. IX col. 529.

sede

A sede sua.... residentem.... Statimque episcopus, genibus flexis, illum ei versum Angelicæ Salutationis recolere cœpit multoties dicendo : « Ave » Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta » tu in mulieribus et benedictus fructus ventris » tui. » Ipsumque versum finitum assidue iterando repetebat, donec ante ejus præsentiam perveniret. *Quæ narratio etiam si falsa esset, (quod neque affirmamus neque negamus, quoniam difficultas sat grandis est in assignando scriptore Vitæ, quæ male Juliano S. Hildefonsi successori tribui videtur* (*a*)) *quidquid, inquam, esse queat de ipso facto, certum tamen est sæculo nono Angelicam Salutationem in Hispania notam fuisse, quoniam hoc tempore inde delata fuerunt S. Hildefonsi hæc Acta. Præterea hæc quoque formula in Liturgia Mozarabica exstat ; sed post* ventris tui *subjicitur solummodo :* quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum. *Num vero hæc antiphona ad S. Hildefonsi tempora ascendat, videant liturgiographi Hispani : id eo fateor me frustra inquisivisse, unde ultimum hoc punctum stabiliretur.*

sed non item alibi locorum.

13 *Utut id est, si jam quæritur an sæculo* X *extra Hispaniam Angelica Salutatio a populo usurpata* B *fuerit, gravissimis dubiis implicitum argumentum proponi manifestum est ; deque eo jam egerunt Mabillonius, Grancolasius, et Trombelli locis supra citatis, negantem amplexi sententiam : quorum probationibus, quas recensere non vacat, id unum addemus, nullum vestigium de ea pietate reperiri inter monumenta catechetica Anglo-Saxonica, Theotisca, Belgica, Gothica, Britannica, Islandica, Allemannica, etc., quæ Schilterus Thesauro suo Antiquitatum Teutonicarum inseruit ; Salutationem vero Angelicam, quam in Vita S. Gertrudis* (*b*) *edidit Ryckelius, et veteribus Anglo-Saxonibus et Belgis affigere videtur, recentioris ævi mihi haberi, nisi potius ex versione Evangelii quam ex Euchologio desumpta sit. Quocirca cum Mabillonio tenendum esse videtur, eam ante sæculum* XI *in vulgari usu habitam non fuisse. Nam S. Petrus Damiani, qui sæculo* XI *floruit, dignum narratu arbitratus est sacerdotem quemdam solitum fuisse eam quotidie recitare* (*c*) ; *licet ipse Rythmum super Salutatione Angelica, quem tomo III ejus Operum reperire est, composuerit, et eodem sæculo exeunte hanc precationem populo præscripserit Odo de Solliaco, episcopus Pari-* C *siensis. Quid sequentibus annis sit factitatum legere licet apud prælaudatos scriptores ; qui citatis locis quoque aguntde tertia Salutationis Angelicæ parte, jam sæculo* XVI, *non vero* XV, *exeunte quibusdam in locis adjecta, ut Trombelli adversus Mabillonium adstruit. Licet nonnulla mihi occurrerint tum in Breviariis, tum in conciliis et sacris scriptoribus, quæ nondum animadversa fuisse video, ea tamen mittenda visa sunt, quoniam nullam novam lucem quæstioni nostræ addunt. Ex dictis autem satis liquet, nullatenus verisimile esse* S. Gaudericum, *rudem simplicemque agricolam, sæculo* IX *Angeli, S. Elisabethæque verba ad salutandam Deiparam usurpasse. Patiatur vero lector ut paulo latius in antiquitatem et fata precationis,* Angelus *nuncupatæ, inquiramus.*

Exponitur sententia Mabillonii

14 *De laudabili illo usu in hæc verba loquitur Mabillonius* (*d*) : Eam *(scilicet Salutationem Angelicam)* hora ignitegii sub concubium ter recitari Johannes XXII, indulgentiis datis, statuit. Admisit hoc decretum synodus Senonensis anno MCCCXLVI ; ita enim cap. XIII : « Item auctoritate » dicti concilii præcipimus, quod observetur » inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memo- D » riæ Johannem Papam XXII de dicendo ter » Ave Maria tempore seu hora ignitegii : in qua » ordinatione conceditur certa indulgentia, » etc. Addit synodus triginta dies auctoritate sua, et suffraganeorum viginti dies pro iis, qui tunc Pater Noster et Ave Maria persolverint pro Ecclesia, rege, ac regia familia, regnique statu. Postea idem ritus inductus est ad matutinum tempus et mediam diem. In synodo Vaurensi anni MCCCLXVIII rectoribus et curatis parochiarum sub pœna excommunicationis præcipitur cap. CXXVII, ut circa solis ortum pulsari faciant unam campanam eo modo, quo ad noctem pulsari solebat : et tunc iis, qui in honorem quinque vulnerum Christi Domini quinquies orationem Dominicam, atque septies Angelicam Salutationem genibus flexis dixerint, triginta dies de injunctis pœnitentiis relaxantur. Postea vero hic numerus ad tres salutationes redactus est.

de antiquitate precationis, quæ dicitur Angelus :

15 In Statutis Francisci de Puteo, Cartusiæ majoris prioris ab ineunte sæculo XVI, ita legimus cap. I : « In omnibus domibus Ordinis, » quæ sunt sub ditione domini regis Franciæ, » singulis diebus hora meridiei ex ordinatione » apostolica pulsetur campana pro Ave Maria, » pro pace dicti regni conservanda, eo modo quo » pulsatur hora Completorii : et singulæ perso- » næ earumdem domorum dicant tribus vicibus » Ave Maria, pro quibus vice qualibet trecen- » tos dies de indulgentia ex indulto apostolico » consequentur vere pœnitentes et confessi. » E Ex quo intelligitur, hunc morem a Gallia incepisse sub initium sæculi XVI. Certe in historia monasterii nostri Parisiensis, id est Sancti Germani a Pratis, apud Jacobum Brolium legitur, Leonem X Guillelmo Briçonetto episcopo Meldensis et Lutevensis civitatum, atque ejusdem monasterii abbati concessisse, ad spiritualem utilitatem utriusque diœcesis suæ, et suburbii Sancti Germani indigenarum atque adventantium, ut quicumque ad pulsum campanæ in aurora, meridie et post solis occasum, Salutationem Angelicam ter genibus flexis recitaret, mille et quingentos indulgentiarum dies singulis vicibus consequeretur. *Hæc sententia Mabillonii.*

S. Bonaventura propagavit hanc pietatis praxim,

16 *Adstipulantur Mabillonio sui sodales, qui in editione aucta Glossarii Cangii sic scribunt :* Hujus institutionem, quæ primum ad pulsationem ignitegii cœpit, S. Bonaventuræ acceptam referunt F nonnulli ; alii vero, quod verisimilius est, Joanni XXII PP. *Sed neutiquam illud verisimilius est, siquidem teste Waddingo in Annalibus Minorum ad annum* 1269 *num.* 4, *S. Bonaventura in comitiis generalibus sui Ordinis, Assisii celebratis, hac de re egit. En verba Waddingi* (*e*) : Addidit etiam ut universi Fratres hortarentur privatim, et publice docerent ex rostris fideles quosque ad triplicem campanæ pulsum sub imo vespere ter eamdem Virginem *(Deiparam)* salutare verbis angelicis ; in ea enim erat cum aliis plerisque Doctoribus sententia, sub illa hora a Gabriele Archangelo divinum nuncium de concipiendo Verbo æterno recepisse : a quo tempore percrebuit hic mos in Ecclesia Sancta, ut ubique terrarum in summa sit observantia. *Mitto asserta Beyerlinck, qui in Theatro vitæ humanæ* (*f*) *ad articulum* Cultus B. V. Mariæ *refert S. Bonaventuram in quadam concione coram Sixto PP. IV (qui tamen sæculo tardius sedit) efflagitasse licentiam hujus decreti pro-*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 515. — (*b*) P. 57. — (*c*) Opusc. XXXIII, cap. III. — (*d*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. V, præf. § 122. — (*e*) T. IV, p. 296. — (*f*) T. V, p. 230.

mulgandi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *mulgandi. Waddingi vero testimonio consona est narratio Octaviani a Martinis; qui, cum anno* 1475 *de Sancto Bonaventura Superis adscribendo ageretur, in sua oratione, a Decessoribus nostris ad* XIV *Julii* (*a*) *edita, sic profatur :* Idem etiam piissimus cultor gloriosæ Virginis Matris Jesu, instituit, ut fratres populum hortarentur ad salutandum eamdem signo campanæ, quod post Completorium datur : quod creditum sit, eamdem ea hora ab Angelo salutatam. *Quod testimonium palmam sane præripit Joanni XXI, dicto XXII, qui tantum* III *idus Octobris anno tertio sui pontificatus decem dies indulgentiarum concessit iis, qui vespere genibus flexis recitarent ad campanæ signum ter* Ave Maria, *pro more in diœcesi Sanctonensi servato, ut probat decretum, quod ad annum* 1318 (*b*) *exhibet Raynaldus, et anno* 1327 *eumdem morem Romam induxit, ut denuo producto instrumento certum fecit Raynaldus ad hunc annum* (*c*).

quam vel Gregorius IX vel Honorius III jam pridem probaverat,

17 *Verumtamen ipse S. Bonaventura potius propagator quam institutor sanctissimæ hujus devotionis dicendus est. De Gregorio enim nono, qui ab anno* 1227 *ad annum* 1241 *Supremus Pontifex exstitit,*

B *edidit Ciaconius* (*d*) *hoc assertum :* Instituit etiam universalem usum, et consuetudinem, quam servat Ecclesia Christiana, pulsandi campanas post occasum solis et orandi Deiparam Virginem earum signo. *Quod in adjectis notis* (*e*) *confirmat Andreas Victorellus his verbis :* Gregorium IX statuisse, ut ad sanctissimæ Eucharistiæ confectionem, et ad Salutationem Angelicam pulsarentur campanæ, scripsit post abbatem Uspergensem, Genebrardus lib. IV Chronographiæ. Honorio III *(ab anno* 1216 *ad* 1227 *Romæ sedenti)* hoc alii tribuunt. *Quæ citatio malefida est : quoniam in Chronico Genebrardi* (*f*) *tribuit ipse Genebrardus hoc statutum Gregorio IX, addens tamen :* Alii istud statutum adscribunt Honorio tertio, ut abbas Urspergensis, *qui idem est ac Conradus de Lichtenaw, ab anno* 1215 *usque ad annum* 1240 *Urspergense seu Averspergense pedum adeptus. Atque ex his plane patet devotam hanc praxim integro sæculo vetustiorem esse quam arbitrati fuerant doctissimi Benedictini sodales; quin etiam cum Summi Pontifices soleant specialia pietatis exercitia potius invicta sua auctoritate confirmare quam in usum inducere, quis negabit facillime fieri potuisse ut jam paulo ante*

C *Honorium III aut Gregorium IX hæc devotio aliquot in locis viguerit?*

non vero Urbanus II.

18 *Verumtamen nequeo suffragari recentioribus quibusdam scriptoribus, ut Croiset* (*g*), *Butler* (*h*), *etc., qui, ubi de festo Annuntiationis B. M. V. agunt, referunt illius piæ praxis originem ad concilium Claromontanum anni* 1095. *Eis prævit Arnoldus Wion in Ligno Vitæ* (*i*) *e Ferreolus Locrius* (*k*) *et forte alii, qui me prætereunt. Arnoldus, qui primipilus mihi est, tradit campanula, quam sub brachio gestans Urbanus II pingitur, designari hanc institutionem, quandoquidem ipse* in Concilio Claromontano, ut a primo die quo exercitus Christianus terram sanctam recuperaturus discederet, vespere et mane, in omnibus orbis Christiani ecclesiis, tam cathedralibus, quam abbatialibus, utriusque sexus populus Christianus trino campanæ pulsu ad orationem excitaretur, statuit. *Miror multum, Wionem subjecisse sibi id ex concilio Claromontono innotuisse : equidem frustra volvo et pervolvo canones et scriptores, quos de hoc concilio consulere mihi licet. In Vita sane Urbani PP. II, a Ruinartio confecta et tomo II Operum posthumorum edita, hæc reperio* (*l*) : Quin et nonnulli Sanctum Antoninum laudant, referentem hoc a Pontifice in concilio *(Claromontano)* statum fuisse, ut ab ipso die, quo exercitus esset profecturus in expeditionem, vespere et mane in omnibus ecclesiis cathedralibus et monasteriis signum trino campanæ pulsu daretur, quo excitarentur populi ad orationes pro felici expeditionis successu fundendas. Quod quidem institutum mori pulsandæ Salutationis Angelicæ, qui postmodum apud omnes invaluit, occasionem præbere potuit. *Verum infelix mea sors, nisi errantium infelicior sit : nihil ego apud Sanctum Antoninum invenio, quod ad rem faciat. Narrat quidem hic Sanctus* (*m*), *quod apud alios obvios itidem occurrit, suadente hoc Pontifice præscriptam fuisse recitationem horarum seu precum B. M. V., vulgo parvi Officii seu Cursus B. Mariæ nuncupati, et non diu ante a S. Petro Damiani in suum eremitorium inducti; verum præterea, in quantum novi, ne apicem quidem.*

D

Male dicitur hæc praxis primum apud Tolosates obtinuisse.

19 *At quid sentiendum de asserto, quod superius ex Breviario Mirapicensi retulimus, videlicet hanc praxim obtinuisse in diœcesi Tolosana, priusquam alibi locorum cognita esset? Fateor mihi investiganti nihil occurrisse quod hanc sententiam stabiliat; immo La Faille, qui magnam vitæ suæ partem in perscrutandis Tolosanis monumentis atque charteriis egit, multum abest, quin dicat pervetustum esse hunc usum in pago Tolosano : sic enim loquitur in Annalibus civitatis Tolosæ ad annum* 1472 (*n*) : Precatio Ave Maria hoc anno instituta fuit. Summus Pontifex, efflagitante rege, trecentos indulgentiarum dies elargitur omnibus Christi fidelibus, qui, cum meridie ter pulsabitur campana, genibus flexis ter recitabunt Ave Maria, apprecantes Dei auxilium regi ejusque regno. Hanc Bullam secutum est edictum regium, et utrumque instrumentum in omnibus regni curiis ratum habitum est. *Ita gallice laudatus annalista Tolosanus; cui consentiunt plures historiographi Galli, ut P. Daniel* (*o*), *Mezeray in Vita Caroli VIII, etc. Attamen errant cum asserunt hoc tempore primum in Gallia institutum fuisse hoc precandi genus, ut infra videbimus.*

E

Hujus praxis fata in Italia a sæculo XIII

20 *Atque hæc sufficerent fere, ut quis intelligeret quantæ suspicioni subjaceat locus ille ex lectionibus Mirapicensibus desumptus. Ast cum in præsenti argumento versemur, totam quæstionem dilucidari lectori ingratum non fore confido. Quocirca ut ab Italia incipiamus, superius jam cognovimus num.* 17 *ab Honorio III aut Gregorio IX vespertinos campanæ pulsus ad Salutationem Angelicam recitandam sæculo decimo tertio ineunte præscriptos fuisse. Quam religionem ut populus admitteret, S. Bonaventura quantum potuit sategit anno* 1269. *Verum cum gravis procella Ecclesiæ Romanæ ingrueret, et pius ille mos paulatim in Italia concideret, et in Galliam e contra mearet, Joannes XXII sæculo* XIV *ineunte eum in Italia restituere conatus est, concessis Indulgentiis in Urbe vulgandis. Quæ ut constent, non est quod citem Oldoinum in Additionibus ad Ciaconium, Marraccium in Pontificibus Marianis, aliosve : satis fuerit lectori in animum revocasse decretum concilii Senonensis num.* 14 *recitatum, et duplex Joannis XXII mandatum, cujus num.* 16 *ex Raynaldo memini. Verum hæc de vespertina tantum campanarum pulsatione.*

F

usque ad iniens sæculum XVI:

21 *Anno autem* 1456 *fere ineunte,* apparente

(*a*) Act. SS., t. II Julii, p. 826. — (*b*) Contin. Annal. Eccles. Baronii ad annum 1318, § LVIII. — (*c*) Ibid. ad annum 1327, § LIV. — (*d*) Hist. Pontif. Roman., t. II, col. 70. — (*e*) Ibid., col. 73. — (*f*) Lib. IV, p. 641. Edit. Lugdun. anni 1609. — (*g*) Tom. III, p. 397. Ed. Lugd. 1804. — (*h*) T. III, p. 303. Edit. Lovanii 1829. — (*i*) Part. II, p. 565. — (*k*) De Augusta Maria, lib. VII, cap. XVI. — (*l*) P. 228. — (*m*) Chronicor., part. II. tit. XVI, § XXIII, t. II, p. 593, Edit. Lugdun., 1586. — (*n*) P. 247. — (*o*) T. VIII, p. 415. Edit. 1742.

per

A per aliquot dies cometa crinito, et rubro, longa cauda, cum mathematici *(indulgeantur talia horum temporum imperitiæ)* cum mathematici, *inquam*, ingentem pestem, caritatem annonæ, magnamque aliquam cladem futuram dicerent, ad avertendam iram Dei, Callixtus III aliquot dierum supplicationes decrevit, ut si quid hominibus immineret, totum id in Turcas Christiani nominis hostes converteret. Mandavit præterea, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis signum daretur fidelibus omnibus, ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcas dimicabant. *Hæc Ciaconius* (*a*) ; *eademque confirmat Andreas Victorellus* (*b*). *Sed paulatim obsolevit hæc pia consuetudo : quocirca Alexander VI, paulo postquam ab imminenti vitæ periculo servatus fuisset*, non instituit, sed inolitam renovavit institutionem Callixti III, jussitque ad meridiem pulsari campanas, monendo populo, ut per recitationem Orationis Dominicæ aut Salutationis Angelicæ imploraretur Dei auxilium adversus Turcas, ac datum tunc principium hujusmodi pulsationi die decima nona Augusti anni 1500. *Hæc Oldoinus* (*c*)

B *et Ciaconius* (*d*) ; *quibus suffragatur testis oculatus, Joannes Burchardus, ceremoniarum magister, in Diario suo Curiæ Romanæ sub Alexandro VI Papa, quod ab Eccardo editum reperio in Corpore Historicorum Medii Ævi* (*e*). *Sufficiat illud de Italia specimen.*

et in Gallia a sæculo XIV, 22 *Jam ad Galliam si gradum facimus, nullum antiquius hujus pietatis exemplum occurrit, quam quod num.* 16 *secundum Raynaldum attulimus de diœcesi Sanctonensi. Secundum exemplum a nobis repertum est in versione Rationalis divini officii Guillelmi Durandi, quod Johannes Golenus* (Jehan Golein) *ab anno* 1372 *ad* 1374 *in gallicum idioma transferendum curavit, et nonnullis auctariis ampliavit. Hujusmodi auctarium est, quod Cl. V. Paulinus Paris Historiæ Mss. Gallicorum Bibliothecæ regiæ Parisiensis* (*f*) *inseruit. Paucis præmitto annexam fabulam : in Germania scilicet quidam eques, mercatores spoliando assuetus, numquam omittebat ante somnum Salutationem Angelicam genibus flexis recitare : quæ pietas causa fuit, cur non item ad comes Matisconensis in infernum vivus abreptus est, sicuti declaravit ipse diabolus, qui ei humana forma inserviebat. Signo autem crucis abegit Carmelita dæmonem, corpore putrido humi relicto. Reliqua veram historiam sapiunt et verbotenus latine facienda sunt :*

C Eques ejusque conjux, pro Carmelitarum fratrum consilio, perrexerunt ad dominum Papam Clementem, Carpentorati degentem ; quæ gesta fuerant ei narrarunt, bona sua pro Deo abdicavere, et devote pœnitentiam amplexi sunt. Tum Papa jussit, ut post completorium pulsaretur ad Ave Maria, et decem dies indulgentiarum concessit, omnibus qui in miraculi memoriam hanc precem recitarent. Postea Papa Johannes atque alii concesserunt similiter indulgentias, quæ tandem ad LXX dies ascenderunt. Hujus rei historia in tabula depicta fuit in maxima Avenionensi ecclesia, quæ Sanctæ Mariæ de donis sacra est. *Atque hæc ad annum circiter* 1314 *referenda videntur ; quandoquidem Clemens V ultimis suæ vitæ temporibus (licet ibi diem non obierit, ut male ab uno biographorum asseritur,) Carpentorati versatus est. Nam, ut alia testimonia mittam, scribit Ptolomæus Lucensis* (*g*) : Eodem anno (1314) in kalendis Martii in Carpentorato, UBI CURIA TUNC ERAT, apparuerunt tres soles in Oriente naturales, *immo parhelion ; verum, ut ex biographis manifestum est, non diu ante illuc advenerat Clemens V, neque diu post illic vixit, utpote medio fere mense Aprili ejusdem anni e vivis sublatus. Tertium vero testimonium ex Statutis Synodalibus Trecorensibus anni* 1334 *petitur : sic quippe sonat statutum* LXVIII (*h*) : Item, præcipit dominus episcopus omnibus curatis diœcesis Trecorensis in virtute obedientiæ, quod de cetero pulsetur campana ter in suis ecclesiis ante ignitegium ; et quod sit inter duas pulsationes spatium unius Ave Maria, et dat omnibus sic dicentibus decem dies indulgentiæ. *Quod autem hanc synodum anno* 1334 *attexam, causa est statutum* LXVI *collatum cum statuto* VII *alterius synodi, quod æque ac alterum apud Hyacinthum Mombricium* (*i*) *reperire est.*

D

23 *Paulo post, anno* 1346 *eamdem consuetudinem ratam habuit synodus Senonensis, ut num.* 14 *ex Mabillonio retulimus. Quod confirmat Lobineau in Historia Parisiensi ad hunc annum* (*k*), *ubi omnia hujus synodi statuta exponit. Anno circiter* 1369 *hoc non absimile decretum edidit synodus Biterrensis* (*l*) : Item, simili modo ordinatur quod de cæ- E tero in aurora diei pulsetur tribus ictibus cum batallo majoris campanæ, et quilibet audiens, cujusque status fuerit, dicat ter Pater Noster et Ave Maria, et cuilibet dicenti, de Omnipotentis Dei auctoritate et nobis attributa, damus et concedimus XX dies indulgentiæ in remissionem suorum peccaminum ; *at nihil ibi de precatione vespertina. De hac vero agit Simon episcopus Nannetensis, qui ab anno* 1366 *ad* 1381 *vel* 1382 *hanc sedem occupavit ; inter ejus statuta a Martene edita, venit sequens quinto loco* (*m*) : Item, præcipimus, ut ipsi faciant hora consueta pulsari campanas in ecclesiis suis ad ignitegium, gallice *Couvre-feu* et præcipiant parochianis ad pulsationem hujusmodi dicere genibus flexis verbum Salutationis ab Angelo gloriosæ Mariæ : Ave Maria ; et ex hoc lucrantur decem dies indulgentiæ. *Quo autem pacto synodus Vaurensis anno* 1368 *præceperit matutinum dari signum, videsis num.* 14 *hujus Commentarii.*

quoad pertinet ad triplex

24 *Superius jam dixi secundum Lafaille aliosque, de lege a Ludovico XI circa Salutationem Angelicam lata : quoniam vero plures historiographi Galli varie hac de lege loquantur, alii tum matutinum, tum meridianum, tum vespertinum signum* F *tunc institutum dicentes, alii meridianum et vespertinum, alii solum meridianum, ipsa verba latina faciam ex editione anni* 1518 *Maris Historiarum, quæ nuspiam a bibliographis signata mihi occurrit* (*n*) : Anno 1472, prima die mensis Maji celebrata est in templo Parisiensi *(scilicet cathedrali)* solemnissima supplicatio publica : eodem die Johannes Brete Turonensis, sacræ theologiæ doctor, inclytam orationem habuit, in qua inter alia declaravit, regem singulari fiducia prosequi Divam Virginem Mariam, atque adeo eumdem obtestari atque hortari bonos suos Parisienses cives, ut unusquisque ad meridianum signum, dandum magna memorati templi campana, genu flecteret, et Salutationem Angelicam pro regni pace recitaret. *Neque dissonat ab hoc narratu Gaguinus* (*o*). *Quas autem indulgentias Supremus Pontifex tum concesserit, videre est ad num.* 19, *ubi fidum testimonium Lafaille enuntiavi.*

diei tempus,

25 *Et quidem cum ex præcitatis pateat jam in una diœcesi mane, in alia vespere, in tertia meridie*

usque ad sæculum XVI :

(*a*) Hist. Rom. Pont., t. II, col. 982. — (*b*) Ibid., col. 985. — (*c*) Ibid., t. III, col. 161. — (*d*) Ibid., col. 155. — (*e*) T. II, col. 2123. — (*f*) T. II, p. 67 et seqq. — (*g*) Baluze, Vit. Pap. Avenionens., t. I, col. 53. — (*h*) Mombrice, Mémoires de Bretagne, t. I, col. 1306. — (*i*) Ibid., col. 1371. — (*k*) Hist. de Paris, t. I, p. 600. — (*l*) Martene Thesaurus Anecdot., t. IV, col. 660. — (*m*) Ibid., col. 962. — (*n*) Mer des Histoires, t. IV, fol. vers. 251. — (*o*) Annal., lib. x, cap. IX, p. 261.

A *signum, quod nunc vocamus* Angelus *datum fuisse, facile fieri potuit, ut in quibusdam diœcesibus tria hæc darentur signa, etiam ante sæculi* XV *exitum. Verumtamen non audiendus est Stephanus Pasquier, qui in Disquisitionibus suis de Gallia* (*a*) *affirmat, reperiri in interrogatorio Joannæ, Viraginis Aurelianensis, eam coram judicibus anno* 1430 *aut* 1431 *hac de re sciscitantibus respondisse : vocem, qua duce sese agere asseverabat, sibi pridie ter innotuisse, mane videlicet, meridie, et vespere cum campana ad Salutationem Angelicam recitandam invitaret. Equidem nihil tale inveni in opusculo G. Goerres de Joanna Arcensi, nihil in tomo III Notitiæ Bibliothecæ regiæ, in quo totus processus recensetur ; verum in majori Historia Joannæ Arcensis, quinque tomis comprehensa, (quæ nunc præ manibus mihi non est,) certo memini me legisse ipsissima Joannæ verba, desumpta ex processibus, Lutetiæ Parisiorum asservatis, quibus luculenter constat Viraginem unius tantum pulsationis campanæ mentionem fecisse. Verumtamen in Normanniæ tractu triplex campanæ pulsatio satis antiqua sit oportet, siquidem ad num.* 5, *capitis* de populi officio *sic loquitur Claudius*

B *episcopus Ebroicensis in statutis synodalibus Ebroicensibus anno* 1576 *promulgatis* (*b*) : Præterea cum Gallorum Annales recitent, difficilioribus temporibus instituisse majores nostros, ut ad sonitum campanæ in ortu solis, meridie et occasu admoneretur populus, quocumque in opere esset, singulariter orare ad opem Dei implorandam, volumus illum morem per hæreses et pietatis incuriam multis locis intermissum renovari et retineri : præsertim publica calamitate nos ad in impellente. *Hæc ex Conciliis provinciæ Rothomagensis : in quo opere aliquot alia reperire est statuta circa præsens argumentum, ad sæcula* XIV, XV *et* XVI *pertinentia, et ex quibus luculenter patet, quanta fuerit in hac re varietas variis temporibus et variis in diœcesibus. Memorata vero sufficiunt, ut quis videat quantopere restringenda sint ad particularia loca, quæ Mabillonius (vide num.* 15) *hoc super negotio collegit. Ad Germaniam jam stylum convertamus.*

similiter in Germania a sæculo XIV *usque ad recentiora tempora.*

C 26 *Primum statutum ad Germaniam pertinens, quod mihi hac super re cognitum sit, conditum est anno* 1321 *in concilio Wratislaviensi, jubetque* (*c*) *in omnibus diœcesis ecclesiis* jugiter de vespere circa crepusculum, omni die de cætero tribus vicibus ad unam partem brevibus intervallis campanam pulsari, ut omnes et singuli Christi fideles ad campanæ sonitum, flexis genibus gratiam matris gratiæ invocantes et AVE MARIA dicentes pro bono statu Ecclesiæ et pace terrarum nostrarum deprecentur : *quod facientibus quadraginta dies indulgentiarum conceduntur. Secundum decretum latum est in synodo Eystettensi anno* 1354 *et a superiori prorsus diversum est : in eo quippe præcipitur* (*d*) singulis diebus in sacro tribus vicibus in omnibus ecclesiis parochialibus fieri campanæ unius sonitum et tunc tam a Clero, quam a populo ad minus unum PATER NOSTER et unum AVE MARIA pro bono statu ecclesiæ Eystettensis flexis genibus cum devotione dici. *Anno* 1416 *renovavit Wenceslaus, episcopus Wratislaviensis, indulgentias olim datas, jussitque fideles omnes mane et vespere pulsu campanæ invitari ad unum* PATER NOSTER *et tria* AVE MARIA *recitanda* (*e*). *Moguntiæ quoque fiebat hæc precatio mane ad ortum solis et quadraginta dierum indulgentia proponebatur, ut liquet ex capite* II *concilii Moguntini, anno* 1423 *celebrati* (*f*) ; *qua occasione hortatus est Conradus, archiepiscopus Moguntinus, suffraganeos suos ad similes indulgentias his suis superaddendas. Eodem anno prorsus simile decretum* (*g*) *promulgavit Theodoricus, archiepiscopus Coloniensis, in concilio habito in sua Metropoli. Anno autem* 1491 *Henricus III, Bambergensis præsul, sub titulo* LVIII *synodalium statutorum suorum* (*h*), *legem tulit, qua, propositis quadraginta diebus indulgentiarum, ad trinam Salutationem Angelicam mane et vespere invitarentur fideles. Semi-sæculo tardius, anno scilicet* 1549, *Erasmus, Argentinensis episcopus, inseruit synodalibus decretis cap.* XXI *statutum* (*i*), *quo mane et vespere quoque hæ præcipiebantur preces :* Gloria tibi Domine ; Ave Maria gratia, *etc., cum oratione :* Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, *etc. Medio autem sæculo* XVI *vulgaris jam erat in Germania hic usus mane et vespere salutandi Deiparam, ut liquet ex opere de Maria Deipara Virgine* (*k*) *P. Canisii, hoc ut vetus et commune institutum laudantis. In synodo vero Brixiensi anni* 1603 *ter de die obeundum commendatur hoc pietatis exercitium* (*l*) ; E *item in synodo Pragensi* (*m*) *anni* 1605, *ubi hodiernæ orationes tamquam ex prisco Ecclesiæ usu plane proponuntur ; itemque in synodo Constantiensi* (*n*) *anni* 1609. *Quid vero sequentibus temporibus in aliis pluribus diœcesibus ordinatum sit prætermittimus, quoniam vulgaris jam ubique fere vigebat usus. Verno tempore anni* 1842 *concessit Borussiæ rex, ut denuo pulsarentur campanæ ad hanc pietatem indicandam.*

Pauca de hac praxi generatim notantur,

27 *Ne vero latius excrescat hæc digressio, cæteras mittimus regiones, satis ducentes paucis dixisse quo circiter ordine hæc in Divam Mariam religio ad præsentem statum surrexerit in præcipuis Europæ partibus. Coronidis tantum loco tres adjicimus notulas : quarum prima est, absque dubio verba, quæ in Vita S. P. Ignatii, a Ribadeneira conscripta, occurrunt, et quibus asseritur hunc Sanctum hujus piæ praxis in patria sua institutorem fuisse, eodem modo debere intelligi quo illa, quibus S. Bonaventura eamdem praxim traditur instituisse ; anno enim* 1322 *capitulum Vicense in Catalaunia statuit, ut sub vesperam pulsaretur campana, qua cuncti excitarentur ad recitandum flexis genibus unum* Ave Maria pro salute ac pace animorum et corporum, ac fertilitate, et conservatione fructuum terræ (*o*). *Secunda* F *est die* XIV *Septembris anni* 1724 *a Benedicto PP. XIII indulgentias, quas hodie cuilibet Christiano lucrari licet, concessas fuisse ; et tertia demum, pluribus in locis, Germaniæ potissimum, jam dudum distinctum a reliquis exstitisse vespertinum signum, quo Christi fideles ad preces pro refrigerio animarum purgantium fundendas excitabantur. Atque hæc jam pridem totumque de* S. Gauderico *Commentarium absolveram, cum in memoriam subiit, R. D. Antonium Binterim solita sua accuratione et sagacitate in primario suo opere de memorabilibus Ecclesiæ catholicæ* (*p*) *hunc Marianæ pietatis ritum, præmisso commentario de Salutatione Angelica, examinasse. Verumtamen cum hæc mea dissertatio in nonnullis a laudato commentario differat, et illa altera germanice scripta sit, neque proin facile ab omnibus intelligi queat, lectorem boni consulturum esse duxi, si has disquisitiones, quæ nihil debent præfato operi, non supprimerem.*

et fit conjectura de miraculo, attributo S. Gauderico.

28 *Jam vero ut ad miraculum* S. Gauderico *at-*

(*a*) Recherches sur la France, lib. IV, p. 392. — (*b*) Conc. Provinc. Rothomagensis, t. II, p. 392. — (*c*) Hartzheim Concil. Germ., t. IV, p. 317. — (*d*) Ibid., t. IV, p. 377. — (*e*) Ibid., t. V, p. 160. — (*f*) Ibid., t. V, p. 209. — (*g*) Ibid., t. V, p. 221. — (*h*) Ibid., t. V, p. 631. — (*i*) Ibid., t. VI, p. 499. — (*k*) Lib. III, cap. II, p. 245. Edit. 1577. — (*l*) Ibid., t. VIII, p. 565. — (*m*) Ibid., p. 741. — (*n*) Ibid., p. 909. — (*o*) Villanueva, Viage, t. VI, p. 97. — (*p*) Denkwürdigk. der katolisk. Kirche, t. VII, part. I, p. 129.

tributum

A *tributum redeamus, ipsum prodigium negare neque audeo, neque placet; sed prædicta adjuncta in perversum detorta mihi videntur. Opinor quippe* S. Gauderico *pro debita sua pietate in Deiparam morem fuisse eam genibus flexis orandi, quotiescumque campana ad convocandum populum in templum pulsaretur, atque sibi non liceret vacare ab opere. Verum ejus oratio non videtur fuisse Angelica Salutatio, utpote nondum in usu apud Latinos satis posita; neque oratio* Salve Regina, *quam sæculo tantum decimo prodiisse in confesso est, licet de auctoris nomine et conditione nonnihil ambigatur* (a). *Circa hanc autem quam exposui sententiam notari potest, nihil in ea esse ab usu absonum, cum plurimi etiamnum probe Christiani, sonantibus campanis, cor ad Deum ejusque matrem convertant. Cæterum facile admittendum videtur* S. Gaudericum *præcipua secundum Deum pietate coluisse sanctissimam ejus Matrem; quandoquidem tradunt ejus biographi Deiparam, ut jam in terris famulatum servi sui compensaret, ei morienti apparuisse; qua visione recreatus, exhibebatur* S. Gaudericus *in tabula picta Canigonensi.*

B

§ III. De translatione Reliquiarum, miraculis et cultu S. Gauderici.

Hic Sanctus anno circiter 900 mortuus, miraculis claret,

De reliquis S. Gauderici *gestis, nihil est quod commentario indigeat, aut magis definiri possit. Solum ex lectionibus a Tamayo editis eruitur, eum* die XVI Octobris circa annum Domini 900 obdormivisse in Domino; *eamdemque sententiam in Martyrologio suo universali amplexus est Claudius Chastelain. Quæ vero* S. Gauderici *mortem secuta sunt sic enucleare studebimus, ut integras lectiones Mirapicenses, quæ die* XV *Julii in festo translationis recitantur, immisceamus. Porro sic inchoatur lectio quarta:* Cum Gaudericus, sanctitatis fama ubique clarus, immaculatum Deo spiritum reddidisset effusa ex vicinis pagis hominum multitudo, sacrum illius corpus veneratura, ad ejus exequias convenit: quibus ex more Christiano honorifice persolutis, illatus fuit in commune sepulcrum, effossum in cœmeterio ecclesiæ oppiduli *(seu potius vici, olim* C Viéville, *ut ad nos scripsit Cl. V. Puiggari, nuncupati et* 42 *focos ante sexaginta annos capientis),* quod nunc a Sancto, illius olim indigena, San-Gaudericum vocatur. Sed qui humiles semper erigit Deus, et glorificantes se glorificat, non est diu passus, servi sui corpus minus honorifice jacere. Tot enim ex illius tumulo prodiere miracula, ut iis excitati fideles, vicinarum ecclesiarum convocatis presbyteris, ex obscuro loco sacra lipsana, suavissimo odore fragrantia, extraxerint, quæ in proxima ecclesia summa veneratione collocarunt. *Nihil hac de re apud Domenec reperire est, sed ait:* Devotus populus ædificavit templum, ejus insigniendum nomine, supra ejus sepulcro, ad quod usque in præsentem diem in honorem sui servi magna patrat miracula Deus.

et beatificatur forte in concilio Narbonensi;

30 *Et quidem nonnihil ab his lectionibus discedere non ambigo, quoniam multo verisimilius arbitror* S. Gaudericum *e terra levatum fuisse, cum ad concilium provinciale Narbonense sacræ ejus Reliquiæ delatæ fuerunt. Cujus sententiæ ratio est: tum facinus presbyterorum, quorum non est neque fuit venerabiles viros beatificare, tum quod id Narbonense concilium, certe ante annum* 1014 *habitum, (hoc enim anno Canigonem translatæ fuerunt* S. Gauderici *Reliquiæ,) eodem fere tempore celebratum sit oportet, quo beatificatio illa facta supponitur. Sentio itaque* S. Gaudericum *exhumatum fuisse a presbyteris, et ab iisdem inter populi gaudia ad Narbonensem synodum delatum; ubi continuo Beatorum catalogo adscriptus, cum reliquis Sanctis, quorum allata fuerant corpora, in grandi honore habitus est. In lectione vero Mirapicensi sexta sic exponitur illa solemnitas:* Longius latiusque diffusum est Gauderici nomen, sequenti miraculo: ad concilium provinciale suffraganeos episcopos convocaverat archiepiscopus Narbonensis. Et ut mos illius ætatis erat, deferebant secum episcopi, quas in sua diœcesi illustres habebant Sanctorum Reliquias: quo, ex illarum præsentia sacrato cœtui reverentia cresceret; et ad divinum lumen, inter ecclesiastica tractanda negotia promerendum, tanti patroni suffragarentur. Adfuit concilio episcopus Tolosanus: qui omnium ore celebrata Gauderici sanctitate permotus, eo venerandas illius Reliquias deduci curavit. Arenti ac siticuloso solo positus erat locus, in quo cogebatur synodus: et cum ad eum maxima hominum multitudo convenisset, brevi aquæ penuria laboratum est. Quod advertentes episcopi, ut tanto malo remedium facerent, ad Deum confugere, et apud illum Sanctos precatores adhibere statuunt. Quare supplicationes decernunt, in quibus una cum aliorum Sanctorum Reliquiis solemni pompa sacra lipsana Gauderici efferuntur. Cujus opem dum illustrissimi antistites cum venerando clero conceptis precibus poscerent, repente sub Sancti Confessoris Reliquiarum ferculo, largis et perennibus aquis fons scatere visus est.

D

E

quod in suburbio Narbonensi

31 *Idem narrat prodigium Vincentius Domenec, omittens tamen aliquot hujus celebritatis adjuncta: sed contra indicat fere locum in quo coacta fuit synodus. Ex hispanico idiomate ejus verba latina facio:* Priusquam Sancti Gauderici corpus delatum fuisset in Hispaniam *(in Ruscinonem, quæ nunc Galliæ est)* contigit ut archiepiscopus Narbonensis jusserit fieri synodum in loco, qui vocatur CENTUM ARBORES, et in quem delata fuerant plurima sancta corpora, quæ inter corpus S. Gauderici. *Similia habet Reginaldus Poc. Jam vero quale hoc concilium sit investigandum est. Equidem fateor in eo determinando anxium me esse, veritatisne an erroris vestigia relegam: en tamen mea conjectura,* F *suis rationibus stipata. Inter instrumenta Ecclesiæ Narbonensis, quæ in Gallia Christiana leguntur, occurrit* (b) *donatio Arnusti archiepiscopi Narbonensis anno* 911 *facta ecclesiæ S. Pauli Narbonensis, quæ sic incipit:* In nomine Domini, ego Arnustus Sanctæ Narbonensis Ecclesiæ humilis archipræsul, pro remedio animæ meæ et æterna retributione, dono ad ecclesiam Sancti Pauli, Confessoris Christi, cujus ecclesia sita vel fundata est in loco, uti vocabulum est AD ALBOLAS, trans pontem prope Narbone civitate... dono atque concedo ad præfatam ecclesiam Sancti Pauli in pago Narbonense infra terminio de villa, quæ vocatur Biciano, omnem alaudem, quæ mihi advenit....

anno circiter 900 habitum est.

32 *At locus quem latine* CENTUM ARBORES *dixi, apud Domenec hispanice audit* CIEN ARBOLES; *et quoniam appositum* Cien *facile omitti aut addi potuit in usu, prorsus proclivis sum ad affirmandum locum* ad Albolas *eumdem esse ac illum, quem Domenec* Cien Arboles *nuncupat. Jam vero nullum concilium Narbonense occurrit, in quo nomina præsulum et temporis notæ minus præsenti argumento repugnant,*

(a) Perez Bayer Biblioth. Hispan. Vetus, t. I, p. 517. — (b) T. VI, col. 14.

quam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *quam concilium anno circiter* 990 *celebratum* (*a*), *et in quo adfuit episcopus Tolosanus, ab aliis multis, ut in veterum instrumentorum collectionibus videre est, frequenter absens. Hujus concilii locus non signatur; sed cum sæpius in templo Narbonensi S. Pauli sacræ synodi habitæ sint, et cæteræ, quibus his temporibus interfuit episcopus Tolosanus, alii loco alligentur, quid superest quam ut hunc sanctum cœtum seligamus e multis? Cæterum, si quis archivio Narbonensi aliisve rarioribus monumentis utitur, divinet ipse melius. Spes tamen mihi est me proxime calcasse veritatis vestigia.*

Sacrilegi latrones, S. Gauderico *intervenienti, plectuntur.*

33 *Secundum expositam chronotaxim, huic loco inserenda est res mira satis, quæ in quinta lectione Mirapicensi sic narratur :* Crescebat in dies cultus, et observantia populi erga Gaudericum ; ad quam continuis a Deo illius intercessione acceptis beneficiis ferebatur, eaque erat omnium in Sanctum Confessorem fiducia, ut securos se, suaque omnia in tuto existimarent, dummodo sub ipsius tutela forent. Nec spes eos umquam fefellit. Ex optimatibus Provinciæ homo perditus milites in ecclesiam Sancti Gauderici immisit, ut ausu sacrilego

B per vim abstraherent quæcumque in ea veluti in certissimo rerum suarum perfugio rustici complures reposuerant. Ingenti onusti præda vix e conspectu ecclesiæ abierant latrones, cum sacrilegos divina ultio, Sancto suo illatam injuriam vindicans, insequitur. Excitata siquidem inter eos seditione, omnes mutuis concidere vulneribus : ita ut ne unus quidem remanserit, qui spoliatos rusticos prohiberet, quin ablata reciperent. Et mox tanti sceleris auctor, pudenda perculsus lepra, inter horrendos corporis cruciatus sacrilegam animam evomuit. *Narrat Domenec idem factum, paucis tantum adjectis ; sic de viro præpotente, de quo hic est sermo, ait :* Erat in partibus Tolosanis princeps, apprime malus, et quantum genere nobilis, tantum moribus vilis. *Qui an fuerit Guillelmus comes Tolosanus, dictus* Taliafer, *ambigo multum : etenim unus frater tantum ei adscribitur aut cognoscitur ; in præsenti vero argumento occurrunt duo, quos princeps iste, ut habet Domenec, cum latronibus in templum* S. Gauderici *immiserat, et quorum unus, in prædicta seditione ictu lanceæ guttur vulneratus, misere exspiravit. Quoniam vero inde intelligi possunt quæ brevi de Reliquiarum*

C *furto attexemus, signentur oportet hæc sequentia, quæ latina facio, Domeneci verba :* Perrexerunt itaque hi sceleris administri ad S. Gauderici templum, non ad orandum, sed ad furandum, et, nemine eis resistente, destruxerunt domos, et diripuerunt quæcumque in eis invenire erat, et postquam SANCTI TEMPLUM PRO SUO LIBITU VASTASSENT, ad dominum suum cum præda redire cœperunt.

Non Mirapicio

34 *Nunc vero dicendum jam est de ipsarum Reliquiarum furto, quod permultis in scriptis variis semper cum adjunctis et incredibilibus fere miraculis memoratur. En quid de eo narretur in lectione quarta Mirapicensi ; quod unum ex hoc lectionario recitandum supererat :* Unde (*ex templo* S. Gauderici) Mirapicium translata in ecclesiam Sancti Mauritii, lapideo sepulcro, quod etiamnum exstat, fuere condita. Inde pars modica cum pio furto sublata in monasterium Sancti Martini de Canigon diœcesis Elnensis fuisset illata, ex eo tempore, quod ex sacro corpore superest securiori loco in ecclesia cathedrali Mirapicensi intra thecam argenteam asservatur. *Verum hæc probare non possumus ; quoniam anno* 1014, *quo Canigonem* D *jam delatæ erant, ut inferius liquebit,* S. Gauderici *Reliquiæ, nondum exstitisse videtur S. Mauricii Mirapicensis ecclesia. Cum enim hæc usque ad sæculum* XIV, *quo Joannes PP. XXII Mirapicii sedem episcopalem erexit, prioratus Benedictinus fuerit mirum esset omnino, si ineunte sæculo* XI *exstitisset, nullam de ea mentionem fieri in Mabillonii Annalibus et Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ usque ad sæculum* XII *deducta sunt : porro in indicibus utriusque hujus operis nullum invenire est verbum de hoc Mirapicensi cœnobio. La Martinière autem, d'Expilly, Moreri, Vaissette in opere geographico de Francia, Beaunier in Collectione episcopatuum et abbatiarum Franciæ, Galliæ Christianæ scriptores, etc., integrum prorsus relinquunt hoc dubium. Donec itaque contrarium probetur, (quod difficulter fieri posse autumo, quoniam ex Benedictinis Occitaniæ Historiographis, intelligo monumenta Mirapicensia hujus ævi et præcedentium temporum deperdita esse,) tamquam verisimilius admittemus* S. Gauderici *Reliquias, in lapidea theca aut sepulcro positas, tantum post annum* 1014 *Mirapicium translatas fuisse.*

E

Canigonem deferuntur S. Gauderici *Reliquiæ,*

35 *Audiatur porro sæpius jam memoratus Domenec ; iterum quæ ille hispanice habet in latinum idioma convertimus :* Anno Domini 1014 Guifredus comes Cerdaniæ, filius Domini Olibæ Cabretæ, comitis de Besalu, cum ædificasset monasterium de Canigon, Ordinis Sancti Benedicti, atque illud ingentibus divitiis ornasset, emisit duos viros qui sacras inquirerent Reliquias, ut eis, sicubi forte invenirent, novum templum honestaretur. *His concordat in plurimis Chronicum breve Canigonense, quod in Miscellaneis Baluzii* (*b*) *ita sonat :* Anno Domini millesimo primo, æra MXXXIX, anno VI Rodberti regis, indictione XIV, Guifredus comes cœpit ædificare monasterium Sancti Martini Canigonensis. Anno Domini MXIV electus fuit in primum abbatem Selva, monachus Sancti Michaelis Coxanensis. Eodem anno delatæ fuerunt Reliquiæ Sancti Gauderici Confessoris e finibus Tolosæ. *Cætera quæ potius ad monasterium quam ad* S. Gaudericum *pertinent mittimus, monentes tamen in Marca Hispanica plurima esse instrumenta optimæ notæ, quæ tum ad Guifredum, deinde monachum factum, tum ad monasterii exordia pertinent. Hieronymus Pujades præterea* (*c*) *integrum commenta-* F *rium de his exordiis texuit ; idemque fecit Gregorius de Argaiz* (*d*). *Ipsum vero mentem Canigonem, quem sic ob continuæ nivis albedinem dictum volunt, descripsit Emmanuel Marcillo* (*e*). *Scripsit integrum quoque caput memoratus Hieronymus Pujades de furto Reliquiarum* S. Gauderici, *cui patrando non duos, sed plures viros adhibitos fuisse tradit ;* quos crederem, *scribit ipse eique consentio,* monachos fuisse monasterii Sancti Martini de Canigon, stipatos a quibusdam laicis viris honestioris loci. *Hoc enim tempore in dubium vocabatur liceretne furari sacras Reliquias ; et plurimi, potissimum qui Sanctorum desiderabant corpora, opus pium esse affirmabant tale furtum. Cæterum notum est sæpissime id factum esse hoc ævo. Confer Hieronymum Pujades* (*f*) *de furto corporum SS. Eulaliæ et Julittæ, Elenam translatorum et Benedictum XIV* (*g*) *de universo hoc argumento agentem, pluraque proferentem specimina.*

sed e vico S. Gauderici, *ubi male servabantur, sublatæ fuerunt ;*

36 *Sic vero dein pergit Domenecus :* Dicti legati secundum Domini sui mandatum venerunt Tolosam, (*intellige* agrum Tolosanum, *qua in re Pu-*

(*a*) Labbe Conc. t. IX, col. 742. — (*b*) T. I, p. 190. Edit. Mansi. — (*c*) T. VII, p. 360. Chron. Univers. del Principado de Cataluña. — (*d*) Perla de Cataluña, p. 362. — (*e*) Crisis de Cataluña, p. 26. — (*f*) Chron. Univ. de Cataluña, t. VII, p. 371. — (*g*) De Beatific. et Canoniz. SS. lib. IV, part. II, cap. XXV.

jades

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *jades continuo errat)*, et hic et illic inspicientes ecclesias, diligenter inquisierunt locum, ubi invenire possent sacra corpora, et oportunitatem ea rapiendi. Cum autem animadvertissent templum, in quo S. Gauderici corpus jacebat, omnium patrando furto facillimum esse, quoniam parietes usque ad fundamenta destructi essent, *(certe ob cladem quam num.* 33 *retulimus,)* valvæ non obseratæ, et omnis custodiæ absentia liberum aditum sterneret, exsultaverunt ingenti gaudio, quod læta sibi adesset occasio tanti thesauri adipiscendi; et inter altissima noctis silentia accesserunt ad locum, ubi Sancti Confessoris exuviæ quiescebant. Tunc Deus operatus est magnum prodigium : nam cum Sancti corpus ex sepulcro tollere conarentur, sepulcrum movere nequaquam potuerunt, nec quidquam ex eo rumpere. Miraculum grande, quo Deus ostendit, quanto honore velit servos suos haberi ab hominibus! Illi stupentes, et quid agerent inscii, Dei benignitatem invocare cœperunt, et votum fecerunt Sancto Gauderico his verbis : Gloriose Sancte Gauderice, si per te nobis liceat sanctum tuum corpus

B efferre, pollicemur tibi nos te laturos esse in locum, in quo magnopere honoraberis. Quibus persolutis precibus, reversi sunt ad sepulcrum, quod facile aperuerunt; et quanta poterant pietate sacra ossa tollentes, posuerunt ea in thecis, quas ad id paratas habebant, tantoque thesauro gaudentes in viam se dederunt ad regionem suam. *Idem miraculum iisdem fere verbis narrat Pujades, qui in sequentibus ex Domenech desumptis nonnihil discors est.*

pars tamen remanet;

37 Iter itaque suum rexerunt Hispaniam versus, et venientes tandem ad locum ubi magnus erat saltus quieverunt aliquantulum ; sed interea ipsis non advertentibus ventus abstulit particulam sacri corporis. *Pujades narrat ipsos id advertisse, sed præ venti aut potius turbinis vehementia retinere non potuisse abreptum os. Verum hic multa incredibilia sunt; nam ut alia taceam, certum es potiorem partem furatos non fuisse Canigonenses. Etenim Simon Peyronnet sic in suo Catalogo Sanctorum* (*a*) *de* S. Gauderici *Reliquiis loquitur :* Sacra illius lipsana servantur in sacello ecclesiæ cathedralis S. Mauritii Mirapicensis; ejus tamen sacrum caput cum ejusdem Sancti quibusdam Reliquiis, visitur in

C ecclesia abbatiali S. Martini de Canigon in epicopatu Elnensi; *et Beaunier* (*c*) *magnifice quoque loquitur de Reliquiis* S. Gauderici *Mirapicensibus, siquidem ait templo cathedrali* nihil aliud insigne occurrere præter sepulcrum et Reliquias S. Gauderici pastoris, *et vasa quædam argentea et tapetas. Pergit autem Domenecus in narrando his verbis :* Creditur id factum fuisse ex divinæ Providentiæ lege, ne primi Reliquiarum possessores omnino iis privarentur, licet eas ob suam negligentiam jure merito amisissent : *cujus sententiæ paucos fautores inter Theologos reperiet.*

in itinere sanatur paralytica et fur plectitur.

38 *Ast sic pergit :* Jam vero sacerdos templi, unde Reliquias absumpserant, (*thesaurarium aut* S. Gauderici *corporis custodem dicit Pujades*) ex revelatione rescivit quo pacto ablata fuissent sacra lipsana, et ubi eorum particula remansisset. Quocirca propere tetendit ad locum, ubi hæc particula sacri corporis jacebat, eamque multa veneratione ad suum reportavit templum, in quo placuit Deo multa elargiri beneficia Sancti intercessionem implorantibus. Qui vero sacrum corpus ferebant, venerunt tandem, velociter absoluto itinere, ad Confluentem, terram Catalauniæ, et ingresssi sunt in locum, qui Vinça inibi dicitur ; illic autem recepit eos benigne mulier in sua domo, cibum et potum eis apposuit, eosque dein anxie interrogavit de causa eorum itineris. Illi autem cum præ gaudio animi sui compotes non essent, quod omni periculo vacarent, quid actum esset narraverunt, eique commendaverunt sacras Reliquias. Quocirca mulier eas inclusit arca ; sed cum in lectulis suis jacerent emissarii, puella a nativitatis hora paralytica, quæ in hac versabatur domo, humi prorepsit media circiter nocte ad locum ubi sacræ exuviæ repositæ erant, et ante eas vigilans Deo supplicabat, ut ei placeret rectam sibi dari valetudinem, S. Gauderico intercedente. Oratione finita, nervi, qui diu contracti fuerant, extendi cœperunt, et puella sana permansit, immensas Deo et Sancto Gauderico agens gratias. Quando autem hera hoc cognovit, stupuit, et quanto poterat secreto sustulit audacter Reliquiarum particulam, eamque sibi retinuit, insciis bajulis. Sed Dei ultio tantam temeritatem non deseruit. Ex pyxide quippe, in qua particulam illam reconderat, tanta flamma exivit, ut combusserit quidquid maximi pretii haberet, et maximi faceret ; neque destitit divina vindicta, nisi cum brevi post ipsa fur ejusque filii, (ex quibus nonnulli, quod perniciosissimum est, subita morte,) supremum diem obiissent. *Atque hæc est ratio, ait Pujades, cur templum, quod in Vinça est, costam* S. Gauderici *nunc habet.*

D

E

In monasterio Canigonensi tandem recipitur sacrum pignus;

39 Interea, *pergit Domenec*, sacri corporis bajuli citis pedibus pergebant ad monasterium ; et cum eorum adventum cognovit abbas, gavisus est valde, et quosdam emisit monachos, qui manibus suis venerabundi asportarent sacrum thesaurum, donec ab iis et a reliquis digne reciperetur. Cum vero adessent exivit supplicantium monachorum agmen, cum crucibus, accensis cereis, et cum debito apparatu, inter psalmos hymnosque ; et cum hac pompa et ingenti populi concursu deposita fuerunt sacra pignora ad latus altaris Sancti Martini de Canigon. Istic vero omnipotens Deus, intercedente suo servo, magna miracula edidit, visum elargiendo cæcis, auditum surdis, gressum claudis, loquelam mutis, et vires restituendo infirmis, qui a remotissimis partibus, moti magna spe eas recipiendi, accurrebant. *Ne vero quis hanc solemnitatem æstimet majorem quam reapse fuit, juverit pauca de hoc monasterio, sexcentis circiter metris ab ipso monte, proprie Canigone dicto, distante (ita exhibent tabulæ geographicæ Cassini), ex Beaunier in medium afferre :* Hæc abbatia sita est in Confluente ; undique Pyrenæis montibus circumdatur, rivo Tec adjacet, et abbatiæ S. Michaelis de Coxan vicina est. Integra hora rependum est in alto monte, tetram per solitudinem, antequam ad claustra devenias. Locus, in quo abbatia condita est, adeo exiguus est, ut ne horto quidem spatium sit. Omnia regularia loca et templum angusta sunt valde. *Sic Beaunier* (*c*). *Similem fere descriptionem invenio in epistola D. Puiggari (vide num.* 3 *et* 4 *hujus Commentarii prævii.)*

F

cujus ope anno 1015 *impetratur pluvia, et aurium sanitas.*

40 *Quædam dein cælestia beneficia ex Canigonensi Ms. codice subjungit Domenec :* Integer annus, *inquit*, nondum elapsus erat ex quo in Hispania sacrum pignus servabatur, cum tanta siccitas obtinuit, ut terra humore deficiente nuda esset herbis et floribus, fluvii vix fluerent, et camporum fructus perditi haberentur. In tantis angustiis positus, venit ad monasterium populus,

(*a*) P. 300. — (*b*) Recueil des archevêchés, etc., t. II, 870. — (*c*) Ibid., p. 54.

et

A et petiit ut Beati corpus in certum deferretur locum, quo undique supplicantium agmina adventarent, pluviæ implorandæ gratia. Annuentibus monachis, delatum est in condictum locum sacrum pignus, eoque alia Sanctorum corpora portata sunt. Verumtamen statutum est Sancti Gauderici Reliquiæ in templum S. Petri de Prada ferrentur, quo magis inibi essent securæ. Verum ne medium quidem iter perfecerant bajuli, cum sibi ob nimium pondus visi sunt longius progredi non posse. Qua de re cuncti obstupescentes feretrum posuerunt, jubente venerabili abbate, et orationi continuo vacantes precum suarum successum præstolati sunt. Vix autem oraverant, cum advenit pauperculus misera ducens suspiria, et humi procumbens ante Sanctum ; dum vero funderet preces, viderunt omnes sanguinem ex ejus auribus erumpentem ; sed cum surrexit multo alacrior, audiverunt eum dicentem, se per Dei misericordiam et Sancti Gauderici intercessionem salvum factum esse ab aurium dolore, quo jam pridem torquebatur ; ita ut videretur S. Gaudericus se immobilem præstitisse, ut illud patraret

B miraculum. Præterea extemplo potuerunt facillime multoque cum gaudio sacra ejus lipsana ad memoratum templum deferre ; unde ea portaverunt die Dominicæ Ascensionis in monasterium S. Michaelis de Coxan, uli multo cum honore recepta sunt. Postremo relata sunt in Canigonem, comitantibus aliquot prædicti monasterii religiosis viris et sequente multo populo. Et sic quidem Deo placuit, intercedente ejus servo, abundantem largiri pluviam.

Postquam aliquandiu in ecclesia S. Petri servatum fuisset, et cum jam Canigonem referretur, plura fiunt miracula.

41 *Oportet vero ut priusquam in monasterium S. Michaelis deferretur, diu jacuerit in templo S. Petri aut alio tempore iterum eo delatum sit, seu in aliud templum, quod S. Petro quoque patrono gaudet, nam in tomo II Historiæ Occitaniæ inter probationes occurrit charta, qua* Poncius Guillelmus et ejus filia Aladaiz *circa annum* 1107 donant Domino Deo et S. Joanni Baptistæ monasterii Vallis-Sigerii et ad Petrum abbatem..... omnia quæ interpellabant..... in omni territorio sive in parochia S. Petri, ubi corpus Sancti Goderici jacere dicitur..... *Domenec autem narrationem suam continuat hujusmodi verbis :* Alio tempore cum præ siccitate quoque laboraretur, plurimi instanter

C petierunt, ut Sancti Gauderici corpus ferretur in montem procul a monasterio dissitum : atque illuc die assignato accurrerunt e circumjacentibus locis innumeri viri et mulieres, supplicantium more incedentes, templorum suorum ferentes Reliquias, et Dei laudes concinentes. Accidit autem, cum nocte quadam similis supplicatio cum Sancti corpore per deserta et loca aspera fieret, ut surrexerit ventus tam vehemens, ut lumina et candelas extinxerit ; sed Deo volente, decidit cœlitus lux, quæ cereos omnes accendit. Cum ad assignatum venissent locum et plures ibi trivissent dies in Deo aquam rogando, surrexit homo humilis loci, multisque contumeliis supplicationes insectatus est. Sed continuo tam vehemens flavit ventus, ut cum multo damno insolentem hominem humi profligaverit : quod nemo dubitavit divinæ tribuere vindictæ. Miser vero pœnitentia ductus, et expiando peccato suo allaborans, veniam petiit a S. Gauderico : Deo autem placuit ut iste per merita servi sui rectam recuperaret valetudinem, et terra abundanter reciperet optatam pluviam.

Curatur cæcus et paralyticus et anno 1384 sedatur pestis Perpinianensis.

42 Incola vici Canigoni proximi, nomine Villælongæ, filium habebat cæcum et omnibus membris paralyticum : porro tetendit cum misello ad S. Gaudericum, supplicans, ei ne gravaretur obtinere filio suo sanas vires ; et Deo reapse placuit D puellum liberare a paralysi ; non tamen a cæcitate, quam tantum paulo post amisit. Anno Domini 1384 irruit ingens lues in civitatem Perpinianum, in agrum Ruscinonensem, et Confluentanum, in Cerdaniam et in multas alias partes ; atque tantam istic edidit stragem, ut in uno Perpiniano intra spatium, quod mensem Novembrem a mense Martio separat, octies mille tam viri quam fœminæ demortui sint. Quocirca cum in unum convenissent, ut poterant, et de modo agerent, quo Dei placarent iram, statuerunt supplicare abbati Canigonensi ne renueret sibi mittere S. Gauderici Reliquias, quoniam sibi firma spes esset Christum Dominum, intercedente hoc Sancto, manum suam cohibiturum esse a tam horrendo flagello. Assentiente venerabili abbate pro sua religione et temporum necessitate, tulerunt Canigonenses monachi sanctum corpus, quod tam mirabile se præbuit, ut vix Perpinianum ingressum esset, cum pestilentia evanuit. Prodigia quippe multa inibi edidit, sanando infirmos et adjuvando omnes, qui devote Sanctum Gaudericum invocarent ; quod experti sunt ubique homines, E qui Sancti intercessionem implorarent. Fugata autem Perpinianensi calamitate, rediit abbas Canigonensis cum suis monachis ad quærenda sacra lipsana, quæ in monasterium reportata sunt, comitante infinita populi multitudine, collecta omnibus ex locis, qua sacrum onus transiret. *Ab hoc forte tempore factus est* S. Gaudericus *patronus Perpinianensis, ut inferius videbitur.*

Anno 1483 *pluvia impetratur,*

43 *Sed cum Domeneco pergamus :* Anno autem 1483, cum ager Ruscinonensis et Confluentanus tanta siccitate laboraret, ut præ divina vindicta omnes fluvii fere exhausti essent, accurrerunt incolæ lacrymabundi ad reverendissimum abbatem, eique supplicaverunt, ut sibi liceret sanctas Reliquias ad templum Divæ Mariæ de Domonova deferre. Votis annuente abbate, illuc delatum est sacrum pignus, ad quod supplicantium more tetenderunt prædicti incolæ, stipati ab ingenti accurrentis populi multitudine, et ab aliis supplicantium agminibus, eadem de causa adventantibus : et re quidem vera Deo miserente, et sancto ejus servo intercedente, obtinuerunt terræ fructibus abundantem aquam, et sibi incolumitatem ab incumbenti peste. F

et pestis ab oppido Vinça abigitur.

44 Atque tunc quidem cum divinum celebraretur officium ob sacrarum Reliquiarum adventum, duo consules oppidi Vinça, quod pesti affligebatur, et quadraginta ex eodem loco viri, quos pestis infecerat, supplicaverunt monachis, ut in reditu sanctum corpus circum oppidum ferrent, quoniam confiderent infirmos valetudinem recuperaturos esse, si se sisterent in muris, unde transeuntes Reliquias possent videre. Cum itaque redirent cum magno populi comitatu, Vincensium votis satisfactum est. Quocirca cum ad oppidum ventum est, exiit omnis populus ad recipienda sancta lipsana, et pro devotione quam erga Sanctum fovebat, miscuit sese cum bajulis et comitatu. Adnimadvertentes autem monachi, qui sacrum onus portabant, se jam immixtos pestiferis incedere, neque posse sibi majus imminere periculum, consilium inierunt incedendi per plateas oppidi laborantis peste, cujus sese immunes fore confidebant per intercessionem Deiparæ et S. Gauderici. Progressi deinde sunt longe ordine per oppidi plateas, quin alicubi morarentur aut templum aliamve ædem intrarent. Interea ad portas et fenestras veniebant ægroti, precibus et lacrymis S. Gauderici intercessionem sibi implorantes. Et

placuit

A placuit Deo ut intra paucos dies pestis exularet ab oppido, et infirmi sanati forent. Die XVI Octobris celebratur festum hujus Sancti, qui noster intercessor sit apud Deum in nostri necessitatibus. Amen. *Quæ Domenecum secuta sunt, paucis jam exponamus.*

Translationes Reliquiarum S. Gauderici,

45 *Hujus scriptoris insistentes verbis, diximus num.* 27, *quo loco in Canigonensi monasterio* S. Gauderici *Reliquiæ positæ fuerint : dictis consona sunt quæ scribit Pujades ; hæc tantum addit, quæ tempore Domeneci nondum facta fuerant :* Inde *(a latere majoris alteris)* nostris diebus translata fuerunt in sacellum, quod monasterii capitulum simul est, et in claustro est situm ; atque illic maximo honore habentur, et quotidianis splendescunt miraculis. *Hæc scribebat Pujades, ineunte sæculo* XVII. *Verum non contiuuo immotæ manebant illic Sancti nostri Reliquiæ. Etenim, ut Reginaldus Poc pluribus exponit, quotiescumque Ruscinonensi agro incumberet siccitatis flagellum, deliberabant consules cum* duodecim S. Gauderici viris *(id eis nomen erat) mittendine essent duo aut tres syndici, aliquot sacerdotibus stipati, ad Canigonense*

B *monasterium, efflagitaturi ab abbate et monachis, ut liceret* S. Gauderici *Reliquias in Ruscinonensem agrum deferre. Quod si concedebatur, supplicationis more efferebantur, plurium paræciarum sequentibus incolis. In capitulo (ni fallor) Perpinianensi deponebantur ; mane vero exhibebantur, in infimo gradu majoris altaris locatæ ; conciones, quæ ad exsecranda peccata, malorum causam, excitarent homines, fiebant ; supplicantium ordines ad varia templa pergebant, et cum tandem impetrata esset pluvia, solemni cantico* Te Deum *grates Numini agebantur.*

et pietas Perpinianensium erga eum tempore siccitatis :

46 *Ipse Reginaldus Poc anno* 1626 *magna pars hujus solemnitatis fuit ; subjecitque elucubrationi de* S. Gauderici *Vita suam concionem ; ex qua intelligere est his celebritatibus interfuisse non canonicos tantum et sacerdotes sæculares civitatis, sed et religiosos viros ex decem Perpinianensibus cœnobiis, et moniales ex quatuor parthenonibus. Unde liquet quanta esset hæc festivitas aut supplicatio. Subdit Reginaldus Poc quid tum Deus, intercedente* S. Gauderico, *elargitus sit : triduanam nempe concessit pluviam, ita ut hoc anno in agro Ruscinonensi et Cerdania magna ubertas frugum exstiterit. Cum moris esset, ut Perpinianenses post acceptum beneficium*

C *dona quædam porrigerent monasterio Canigonensi in honorem* S. Gauderici, *anno* 1626 *data fuit egregia arca lignea serico panno vestita. Sæpius illuc invitatus fuerat Reginaldus : et quidem cum ex ejus verbis alia nonnulla cultus adjuncta discere liceat, ejus dicta latina facere non abnuo ; sunt isthæc :* Ante duodecim annos primum me audire dignata est fidelissima civitas Perpinianum, et mihi conscius sum paucos esse annos, quibus illuc non perrexi ; atque adeo anno quodam, cum consulari munere egregius eques Gaudericus Pages fungeretur, bis illuc invitatus sum, semel finem versus Octobris cum seminandum esset, semel mense Majo cum triticum spicatur et maturescit. *Subdit Reginaldus se singulo itaque fere anno illuc tetendisse, verbo quotiescumque quædam necessitas id efflagitaret, et semper populum tanta fide divinum auxilium expostulasse, ut fere jam pluere crederet. Non tamen arbitror singulis annis* S. Gauderici *Reliquias Perpinianum delatas fuisse.*

variæ tum ceremoniæ,

47 *Alius vero ritus olim usurpabatur, qui Reginaldi temporibus ex usu abierat ; erat autem hujuscemodi : cum ariditate torreretur ager, mittebant Perpinianenses ad Canigonense monasterium quatuor aut sex e civitatis primoribus, quos inter collegii S. Joannis canonicus numerabatur. Donarium aliquod offerebant* S. Gauderico *et tribus continuis diebus supplicationem instituebant in* S. Gauderici *honorem, pergentes ad collem duplici jactu lapidis sinistrorsum distantem a monasterio, et* collem S. Gauderici *appellatum. Quo cum venissent, gradum sistebant supplicantes : continuo benedicebatur terra, conjurabatur aer, et alia pietatis officia, quibus pluvia impetraretur, fiebant. Ultima vero die, nisi plueret aut jam pluisset, aquis mergebant* S. Gauderici *caput et horæ circiter quadrante, priusquam id mergerent, fumus excitabatur ad monendum incolas ex* Castel, Vernet, Cornella *et* Villafranca ; *æstimabatque Reginaldus Poc omnes vicos agri Confluentani et Ruscinonensis tum commonefactos fuisse.* Quæ monita, *ait hic scriptor,* similia erat signis quibus indicatur Maurorum maritima invasio. *Scopus autem illius significationis eo vergebat, ut nossent omnes accolæ ultimæ supplicationis instare finem. Dum vero mergerent* S. Gauderici *caput, orationem auspicati, efflagitabant a Deo, ut quemadmodum ipsi hujus Sancti caput undis madefacerent, sic et ei per suam misericordiam luberet, terram adeo aridam et pulverulentam pluvia conspergere : quod si nihil proficeret, Perpinianum defe-* D *renda patebatur reliquiaria capsa. Quæ ultima spes semel quoque fere excidisse memorabatur apud monachos Canigonenses : diu enim Perpinianum repositum jam remanserat sacrum pignus, quin optata decideret pluvia : quamobrem Canigonenses cum jam suas Reliquias referrent, et ad collem* Terranera *venissent, unus ex eis, vir simplex et sine malitia, verbis ardentibus, immo asperis, orare cœpit sanctum patronum : siquidem sermocinatio Dei cum simplibus est, auditæ sunt ejus preces et cecidit pluvia. Reginaldus, hæc anno* 1627 *scribens, recte addit jam tum vetitum esse ne in talibus adjunctis sacra lipsana undis mergerentur : reperio quippe in Decretis Authenticis Congregationis Rituum, anno* 1808 *excusis* (a), *ad postulatum Barbastrense censuisse S. R. C.* die Sabbati XIX Januarii 1619 : Nullo modo licere sub prætextu cujusvis consuetudinis, imo verius abusus, lignum SS. Crucis, et Sanctorum Reliquias ad impetrandam a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere.

S. Gauderici *qui pluviam quoque avertit, cultus popularis etiamnum perseverat.*

48 *Ut hos tandem de* S. Gauderici *miraculis claudam commentarios, subjicio alterius generis miraculum, quod Reginaldus, hic loci assiduus meus dux, in apices retulit : pluviam scilicet opportunam* F *non tantum procurat* S. Gauderici *invocatio, sed eamdem inopportunam avertit. Erat enim antiqua apud Canigonenses sequens traditio : bini hujus monasterii monachi, negotia sodalium procuraturi, profecti erant. Verum in medio itinere tantus imber cecidit, ut nisi desineret, progredi non possent ; et tamen prognostica pessima erant. Tum* S. Gaudericum *rogare cœperunt, ut sibi impetraret gratiam, qua ipse in vivis agens gavisus erat, cum segetem tereret et undequaque pluvia decidens areæ suæ parceret. Votis eorum annuit sanctus patronus : continuo evanuerunt nubes et iter suum perficere potuerunt monachi. Licet Canigonense monasterium anno* 1787, *ut ad nos scripsit Cl. V. Puiggari, a monachis derelictum sit, et ventis et pluviæ diruendum traditum, licet etiam gravissimæ reipublicæ perturbationes deinde acciderint, perseverat etiamnum* S. Gaudericus *ad nimiam pluviam et siccitatem avertendam invocari. Hæc scilicet denuo colligo ex epistola Cl. V. Puiggari :* Cum suppressum et sæcularizatum fuit Canigonense S. Martini monasterium, Reliquiæ S. Gauderici translatæ sunt in Perpi-

(a) T. I, decret. CDXVII.

nianense

A nianense cathedrale templum, et collocatæ in sacrario ei jam dicato, et in quo speciali modo coluntur, imprimis cum pluvia vel deficit vel abundat.

Loca in quibus S. Gauderici *Reliquiæ servantur.*

49 *Quoad reliqua loca pertinet, præter Perpinianum et Mirapicium, ubi* S. Gauderici *Reliquiæ servantur, nominanda sunt: Tolosa, vicus* S. Gauderici, *Barcino et Lutetia forte Parisiorum; hæc ex sæpius citata epistola Cl. V. Puiggari, qui addit:* Certum saltem est abbatem Canigonensem D. Melchiorem Soterem d'Armendaris perrexisse ad Ludovicum XIII Galliarum regem, anno 1642 Perpinianum obsidentem, et in Fano S. Erterii, (*forte* Ætherii) prioratu et vico a Canigonensi monasterio dependente castra metitum, ab eoque regi oblatum fuisse os S. Gauderici, dictum RADIUM. *Autumo ego hoc os idem esse ac Reliquias, quas Castellanus in suo Martyrologio universali scribit in Parisiensi monasterio Vallis Gratiæ servatas fuisse. Hoc quippe monasterium, nunc in nosocomium militare mutatum, adoperante Ludovico XIII olim reformatum fuit. Nihil moror abbatiam* S. Gauderici, *quam in archidiœcesi Albiensi sitam fuisse asserit laudatus martyrologus, quoniam Gallia Christiana et Beaunier de ea silent, et persuasum mihi est abbatiam* Gandericum de S. Stephano *ordinis S. Benedicti, cujus meminit Beaunier, Castellano fucum fecisse.*

B

Cultus ecclesiasticus S. Gauderici *in diœcesibus Mirapicensi, Sam-Papulensi, Electensi,*

50 *Atque ex his, quæ de cultu hucusque indicavimus, satis manifestum est quanta veneratione* S. Gaudericus *in meridionali Galliæ parte haberetur. Unde mirum non est, duplici eum olim festo gavisum esse in diœcesi Mirapicensi, ut constat tum ex his lectionibus, quas* §§ I *et* III *inseruimus: tum ex his Simonis Peyronet verbis* (*a*) : Celebratur dies ejus natalitius in episcopatu Mirapicensi sub ritu duplici secundæ classis cum octava, die qua supra (XVI *Octobris*); translationis vero, die XV Julii ritu quoque duplici, ut liquet ex lectionibus seu legendis in festo Sancti Gauderici ac translationis Reliquiarum ejus, in ecclesia cathedrali Mirapicensi et tota diœcesi cantari solitis, quæ edita fuere anno 1658 auctoritate Ludovici Herculis de Levy de Ventadour, episcopi Mirapicensis. *Post lectiones, die* XV *Julii recitandas, hanc in ecgrapho nostro reperio* ORATIONEM : Deus humilium celsitudo, qui Beatum Gaudericum Confessorem Sanctorum tuorum meritis coæquasti : præsta nobis, quæsumus, ejus intercessione, ut inter hujus mundi prospera simus humiles, et inter adversa in tuo semper obsequio constantes. Per, *etc. Colitur etiamnum Mirapicii* S. Gaudericus *ritu solemni secundi ordinis cum octava, et recitatur in Missa prosa quædam propria, ut ex Kalendario liturgico diœcesis Carcassonensis, qua Mirapicium nunc capitur, colligimus. Verum in pristinis Sam-Papulensi et Electensi diœcesibus, quæ non secus ac Mirapicensis cum Carcassonensi partim conflatæ sunt, non tam celebre est ejus festum, cum utrobique careat octava, et ritu simplici agatur; atque adeo in Sam-Papulensi, memoria tantum de eo fit, recitata tamen de eo ad Matutinas tertia lectione, quod die* XVI *Octobris celebritas illic agitur Sanctarum Puellarum.*

C

Perpinianensi,

51 *De veteri Elnensi seu Perpinianensi (jam pridem scilicet Elnensis sedes Perpinianum translata est)* S. Gauderici *cultu ecclesiastico sequentia colligimus ex sæpe laudata Cl. V. Puiggari epistola:* Frustra inquisivi vetus Breviarium diœcesis nostræ *(Elnensis seu Perpinianensis)*, quod Domenec a se adhibitum fuisse scripsit; et quidem timeo ne deinceps quoque investigationes meæ incassum cedant. Ab anno 1575 recitat Perpinianensis clerus die festa S. Gauderici Officium de Communi Confessorum non pontificum. Præter canticum Catalaunum, compositum a Reginaldo Poc et etiamnum a populo usitatum *(id in libro Reginaldi legimus, neque operæ pretium duximus id describere)*, nullus hymnus proprius exstat. Annotatu digna forte et prosa Missæ de S. Gauderico, qualis legitur in veteri Missali Elnensi, excuso anno 1511 Barcinone apud Joannem Rosenbach, Germanum, atque nunc optime asservato in majori Perpinianensi seminario; *(cujus Missæ de* S. Gauderico, *in veteri Elnensi Missali insertæ, meminit quoque Reginaldus Poc.)* En prior stropha ad OFFERTORIUM :

D

Hodiernum celebra
Festum magno gaudio
Gauderici honore
Festivo præconio.
Turba gaudet angelorum
In cœli palatio,
Et in terris clericorum
Hilaretur concio.

E

Altera ad COMMUNIONEM in hæc verba sonat :

Ave, sol justitiæ,
Et stella claritatis,
Ros misericordiæ,
Pater pietatis :
Nos ad regem gloriæ
Perducas cum beatis.

Nescio utrum eo tempore, quo in usu erat hæc Missa, erectum jam esset in templo S. Jacobi Perpinianensi, ubi et deaurata statua erat, sodalitium Sancti Gauderici, *quod suo ævo exstitisse affirmat Reginaldus Poc. Utut id est, ad id sane pertinebant duodecim viri* S. Gauderici, *quorum num.* 45 *meminimus, et penes ejus sodales absque dubio erat, publicam adornare supplicationem, quæ, ut Reginaldus denuo testis est, in* S. Gauderici *honorem quotannis Perpiniani fiebat. Quod vero ad præsentia tempora pertinet, celebratur in diœcesi Perpinianensi Sancti* Gauderici *Officium, licet patronus habeatur, sub ritu duplici majori ex Communi Confessorum non pontificum, omisso* Credo, *nisi Reliquiæ vere insignes adsint : id ex Kalendario liturgico anni* 1827. *Unde liquet ne quidem amplius in usu esse Orationem de* S. Gauderico, *quam libro suo subdidit Reginaldus, et quæ hanc habet formam:* Deus, qui B. Gaudericum confessorem tuum contra pestilentiam et terræ sterilitatem protectorem dedisti, concede ut ejus meritis et intercessione a labe peccati liberemur in terris, et abundantia gloriæ tuæ fruamur in cœlis. Per, *etc.*

F

et Tolosana. Annuntiatio in privatis Martyrologiis.

52 *In Missali Tolosano anni* 1774 *et in Breviario ejusdem diœcesis anni* 1777 *prodit* S. Gauderici *festum ad diem* XVII *Octobris, quoniam pridie S. Bertrandus celebratur. Missa de Communi Justorum indicitur, præter Orationes proprias, quarum prima opportunus a Deo postulatur imber; reliquæ duæ ex renovato Missali Remensi desumptæ sunt. Ad Matutinas autem una tantum lectio propria recitatur, collecta ex Domenec et Poc. De cultu ecclesiastico Canigonensi id unum ex Poc cognovimus, nomen ejus sacris litaniis additum fuisse: plura, utpote de patrono, suspicari licet. De Martyrologiis vix est quod dicamus; quoniam nedum inveniamus ejus nomen in ullis Fastis, qui ad Officium ecclesiasticum proprie pertineant, abest ejus nomen ab omnibus Auctariis Bedæ, Adonis, Flori, Usuardi, et a Martyrologiis Ebroicensi, Autisiodorensi et Parisiensi. Id tantum reperimus in Catalogo ge-*

nerali

(*a*) Catalogus SS., ad verbum Gaudericus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *nerali Ferrarii, in Anamnesibus seu Martyrologio Hispanico Tamayi, in Martyrologio Gallicano Saussayi, male Sanctum nostrum Hispanum nuncupantis, et in Martyrologio Universali Claudii Chastelain, cujus annuntiationem lucro sibi apposuit Cl. V. de St-Alais; Castellani, loco omnium, verba ita latina facimus :* S. Gauderici *(St-Galdry)*, qui in Occitania ad nimiam avertendam pluviam invocatur, et circa annum 900 supremum diem obiit. *Quoniam, ut num.* 4 *diximus, amplius non reperitur Canigonensis codex, ex quo, quæ* S. Gauderico *tribuuntur, gesta cognoscuntur, superest ut excudendam curemus* S. Gauderici, *a Tamayo collectam, Vitam. Cæterum ex adjectis annotatis facile cognoscet lector, quam parum fidei deberetur ipsi Canigonensi Ms., ex quo Domenec, Poc et Tamayus dicta sua mutuati fuerunt.*

ACTA S. GAUDERICI

AGRICOLÆ CONFESSORIS

B

Conscripta a Tamayo ex Domenec, Poc et aliis scriptoribus a.

a

S. Gaudericus, *humilis ortu, agros colit et pius est in Deum et proximum.*

Galdericus, seu Gaudericus fuit origine Gallus, ex provincia Tolosatum *b* oriundus, et a parentibus agricolis, et aliis humilibus exercitiis licet necessariis, Christianis attamen, mancipatis, progenitus. Quem Deus sic ab exordio ejus infantiæ virtutibus cumulavit, ut in posterum omnes sui ævi perfectissimos viros superaret. Nam *c* patiens et alacer, ut alter Job, omnes mundi ærumnas, et quæcumque adversa devincebat. Charitatis vis tanta in Dei viro crevit, quod sæpe sæpius proximi labores et angustias ipse fortius deploraret, quam illi ipsi, qui ipsis afflictabantur. Quotidie sacrosanctum Missæ sacrificium devotis cordis ardoribus exaudiebat, et fusius, si tempus permittebat, in ecclesia flexis genibus perorabat. Hinc ad agrorum culturam properans, semper tacitus et humilis, quæcumque devotionis onera assumere poterat, dum labor instabat, mentis oratione solvebat. Numquam in festis diebus manum ponere ad aratrum consuevit, sed divinis assistens officiis in ecclesia, illis expletis in domum propriam se recipiebat, et ibidem orationi vacans tempus terebat. Comessationes et contubernia juvenum, aliaque opera, quæ conscientiam penitus confundere et maculare cognoverat, prorsus sedulus evitabat. Unicuique tam in divinis, quam in humanis sua reddere satagebat, ideo quæ erant Dei Deo, et quæ proximi proximo, ne videretur aliena cupidus appetere, persolvebat. Cum viduis, orphanis et pauperibus partem substantiæ suæ destribuens, thesauros in cœlis spectabat *d*.

b

c

C

d

Fratres sanctitatem docet; mirabiliter avertit pluviam;

2 Duorum fratrum suorum mores ita formavit, ut unusquisque eorum etiam ad perfectissimam vitæ regulam traduceret, quorum memoria etiam in benedictione fuit. His et aliis virtutum stemmatibus, sic agricola gratus fuit Domino, ut adhuc vivus ad donum miraculorum capessendum accederet : quorum relationem aut sancti viri modestia occuluit, aut antiquitas invida oblitteravit ; licet duo adhuc in tabulis cordium accolarum enixius adservantur. Illud imprimis celebre fuit, nam cum S. agricola servo suo præciperet, ut semen tritici in area disponeret ad terendum, et ille præceptum sancti viri compleret ; evenit ad Majorem Dei gloriam, et Galderici sanctitudinem significandam, quod aer purus subito atris et opacis nubibus oppleretur, tempestatemque validam excutere violenter inciperet. Tunc sanctus agricola flexis genibus oravit ad Dominum, ut salvam faceret messem : vix deprecatio ab ejus ore prosiliit, quando nubes, in circuitu areæ dissipatæ, vix pluviæ globulum supra eam in posterum emiserunt, cum aliorum grana penitus tempestate corruerent *e*.

D

e

S. Mariam orans aquis non tingitur, et demum pie moritur.

3 Secundum miraculum fuit, nam cum S. Galdericus consuevisset, dum in ecclesia fiebat signum campanæ ad orationem Angelicam exorandam *f*, quocumque in loco inveniretur, genua flectere et ibidem B. V. Mariæ, cujus devotissime languebat amore, salutationem, ut moris erat, edicere ; evenit quod suæ ecclesiæ sacrista, in sancti viri contemptum et irrisiònem aliquando signum hujusmodi dedit, eo tempore, quo vir Dei rivuli *g*, ad oppidum decurrentis, æquor nudis pedibus pertransibat. Quo signo audito sanctus agricola absque aquæ timore genua flexit. Sed Deus qui hominis sancti devotionem agnoverat, continuo æquoris undas continuit, et arenam siccam in medio gurgitis exposuit, qua genuflecteret Galdericus, et morem orationis expleret, ut fecit et devote continuavit. Ex cimbalario eventum spectabat sacrista derisor ; sed viso miraculo, protinus e turri descendens, et vocibus miraculum præconizans, ad sancti viri pedes provolutus veniam precabatur, omnibus, qui aderant, quod evenerat, manifestans. Denique cum sanctus agricola ad ultimam deveniret senectam, sanctitate clarus, virtutibus onustus et miraculorum gloria celebris, instantem mortis suæ horam et diem Dei misericordia præscivit, et inde morbi gravedine insultatus * recentis Sanctis Ecclesiæ Sacramentis, ei Virgo Mater cum Jesu puero in ulnis, et Angelus Dei cum diademate liliorum apparuere *h*. Obdormivit in Domino, die XVI Octobris, circa annum Domini 900.

f

g

E

* *lege* insuitato

Feruntur ejus Reliquiæ in Canigonem, ubi miraculis clarescit.

4 Cujus corpus ibidem conditum aliquantum delituit, donec Dei nutu ob frequentiam miraculorum elevatum fuit *i* ; ad cujus sarcophagum plura Deus ægrotis postmodum beneficia impertiebatur. Sed eveniente anno Domini 1014 cum Gaufredus comes Cerdaniæ, filius Olibæ comitis Bisoldunensis, monasterium S. Martini *k* Canigonense prope Perpinianum in montibus Ruscinonis exstruxisset, et magnis possessionibus ditasset, Benedictinisque monachis commendasset, ut Reliquiis Sanctorum eluceret, misit servos suos in Gallias, pro illis extrahendis, qui mirabiliter corpus S. Galderici, ipso permittente, collegerunt, et in dictum monasterium conduxerunt, ubi plurimis miraculis exhibitis receptum, ibidem honorifice collocatum, innumera signorum frequentia requiescit, et mira circumstantium devotione colitur oppidorum : præstante Domino Nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu Sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

i

k

F

ANNOTATA.

a *Vide quæ numero* 3 *Commentarii prævii monuimus.*

b *Vicus, in quo vixisse traditur* S. Gaudericus, *olim dicebatur* Viéville, *nunc* St-Gauderic (Département de l'Aude, arrondissement de Castelnaudary.) *Confer num.* 29 *Commentarii prævii.*

c *Paucis in hoc numero declarantur omnes Chri-*

A *stiani agricolæ partes ; adeo ut in his* S. Gauderici *virtutibus proponatur colonis speculum sanctimoniæ, conditioni eorum aptissimæ.*

d *Quæ in hoc numero et in sequenti narrantur, occurrunt quoque apud Domenec ; sed quæ subsequens numerus exhibet de secundo scilicet miraculo, prorsus desiderantur apud hunc scriptorem.*

e *Similia miracula occurrunt : tum in Vita Venerabilis Annæ Mariæ a Jesu, Virginis sæcularis, quæ in America meridionali non ita pridem claruit ; tum in Vita Venerabilis Patris Anchietæ, missionarii S. J. innumeris prodigiis clarissimi. Utinam miraculum* S. Gauderico *tributum tam certis constaret testimoniis, quam ea V. P. Anchietæ et V. Annæ Mariæ !*

f *Vide super hac re totum* § II *Commentarii prævii. Poc de eo miraculo annotat, id in nullis vetustis scriptis referri, sed ex sola orali traditione adstrui. Verumtamen nefas arbitratus est imitari Domenec, qui prudenter id omiserat.*

g *Frustra quæsivi hujus rivuli nomen, licet ipse rivulus mihi signetur in duplici tabula geographica. Ex tabula autem geographica num.* 19 *Cassini hæc*
B *haurio : ducentis circiter metris (si hæc vox fertur) ab ecclesia oppidi seu vici* S. Gauderici *fluit rivulus, qui oritur e loco mille ferme metris ab eadem ecclesia distante, et* les Mathieux *nuncupato. Transit idem fluviolus sub via publica, Appamiam Fano Sancti Papuli jungente, et cum Lertii undis undas suas miscet.* D

h *Absque dubio propter id prodigium pingebatur Canigone* S. Gaudericus, *visione fruens Deiparæ ei apparentis. Poc tamen, ex quo hæc colligimus, exhibet in suo libro* S. Gaudericum *veste pastorali indutum, una manu pedum, altera fasciculum spicarum tenentem.*

i *Vide num.* 29 *et sequentes Commentarii prævii.*

k *Teste Beaunier* (*a*), *dicebatur quoque id cœnobium* monasterium S. Mariæ ; *qui titulus ei datus fuit, cum anno* 1009 *ab Oliba Elenensi seu Perpinianensi episcopo consecrata est ecclesia in honorem S. Martini episcopi, S. Mariæ Virginis, et S. Michaelis : cujus consecrationis instrumentum edidit Petrus De Marca* (*b*). *Monasterium hoc filia erat, ut medio ævo loquebantur, abbatiæ S. Michaelis de Coxu, seu de Coxan ; initio episcopo Elenensi subjectum* (*c*), *dein, centum scilicet annis post, abbati Crassensi : ut colligitur e diplomate, edito a Montfalconio* (*d*) *et ex bulla Alexandri III, publici juris facta per Petrum de Marca* (*e*). E

(*a*) Recueil des archevêchés, etc., t. II, p. 541. — (*b*) Marca Hispanica, append. col. 971. Edit. Baluz. — (*c*) Ibid., l. c. — (*d*) Diarium Italic., p. 7. — (*e*) Marca Hispanica, append. col. 1331.

DE S. BONITA, VIRGINE

BRIVATE IN AVERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

INTER SÆCULUM FORTE IX ET XI.

Colitur S. Bonita XVI *Octobris*

S. Bonita, *cujus nomen idem ac* venusta *sonat, (quod hodierna lingua hispanica liquido testatur), e Martyrologio Universali unius Claudii Chastelain mihi innotescit. Sic sonat ejus memoriæ annuntiatio :* In Arvernia Sanctæ Bonitæ Virginis, ortæ Albarii qui vicus Brivati proximus est, maxime erga Sanctum Julianum piæ, et Brivate ad Sancti Martini sepultæ ; *quæ asserta inferius subjicientur examini. Cum autem hujus Sanctæ vita atque cultus maximopere obscura sint, dedimus Brivatem litteras, plura de gestis, de Reliquiis, deque veneratione populari scicitantes. Verum ea fuit illic superiori sæculo rerum sacrarum clades, ut aliud non tulerimus responsum, quam quod nihil amplius in his oris de* S. Bonita *reperitur. Solis itaque impressis libris, qui numero paucissimi de* S. Bonita *agunt, utens, qualemcumque jam benevolo lectori exhibeo de Sancta* Bonita *syllogen. In primis recte ejus festum retulit Castellanus ad diem* XVI *Octobris, non autem ad diem* XV, *quod notandum est, siquidem Jacobus Branche in Vitis Sanctorum Arverniæ ad calcem Vitæ* S. Bonitæ (*a*) *integris litteris scribat se hausisse sua asserta a lectionibus Breviarii Brivatensis, quæ* decima quinta *Octobris recitantur. Non tamen licet Branchium erroris incusare, nam ad marginem Vitæ* S. Bonitæ *ubique diem* XVI *Octobris signat : unde consequens est ante annum* 1652, *quo memoratus hagiophilus opus suum typis credidit, festum* S. Bonitæ *translatum fuisse ob concurrens festum S. Bertrandi episcopi Convenensis, et canonici regularis Tolosatis. Verum immutata hæc fuerunt in Breviario, ex quo ipse Sanctæ* Bonitæ *Vitam descripsi,* F *quodque impressum fuit anno* 1654 *ad usum ecclesiæ collegiatæ Brivatensis ; illic enim festum Sancti Bertrandi prodit ad* XV *Octobris, Sanctæ* Bonitæ *vero ad* XVI *ejusdem mensis ; estque hæc dies translationis, non autem natalis memoria.*

C

(*a*) Vies des Saints d'Auvergne, p. 603.

Brivate in Arvernia.

2 *Porro Brivas, de qua centies jam dixerunt Decessores nostri, duplex est : altera Brivas Vetus, olim oppidum, nunc vicus, imprimis mirabili suo ponte, uno arcu Elaverim fluvium claudente, insignis, gallice dictus* Vieille Brioude ; *posterior Brivas, quæ Brivas ad ecclesiam, vulgo* Brioude-glise *appellatur, tumulo S. Juliani celeberrimi Martyris,* XXVIII *Augusti culti, ad tumultus reipublicæ gallicæ usque gavisa est ; nobili olim canonicorum collegio clara erat, jam pridem oppidum facta ; quæ Brivas jacet ad sinistram, altera ad dexteram, si secundo cursu Elaverim sequeris. Utraque olim diœcesi San-Floropolitana capiebatur ; nunc autem Aniciensi* (Le Puy, Département de la Haute-Loire.) *Juxta veterem autem Brivatem vicus est Albarium* (Alvier), *quæ* S. Bonitæ *patria fuit. Quo vero tempore hæc nata sit, definire nequiverunt ipsi Brivatenses canonici, ut liquet ex eorum Breviario. Castellanus similiter incerto tempori ejus ætatem assignavit ; at nescio quare eam Sanctis sæculi*

A culi VII præposuerit. A nobis autem nihil certi petieris, cum omnigena documenta fere desint.

Sæculo XV certo antiquior est,

3 Verum ex lectionibus, infra recitandis, colligere licet S. Bonitam *ante annum* 1454 *vixisse, atque adeo ejus Vitam ante id tempus fuisse conscriptam. Cum enim lectio* V *habeat :* Quadam die cum ultra metas alvei excurrit Elaver, et navis deesset, qua trajiceret fluvium propter nimiam aquarum copiam, ad littus stetit anxia virgo, *liquet exstructum non fuisse celeberrimum Brivatensem pontem, quo tempore hæc acciderunt, atque etiam quo tempore exaratus est codex, unde hæc in Breviaria Brivatensia translata sunt; secus enim planum omnino erat, ut ad hunc pontem a scriptore alludaretur. Jam vero, licet vocabulum* Brivas, Briva, *etc. celtice pontem significet, idque nomen his locis inditum antiquissimum sit ; licet præterea obvii geographi, tum antiquiores tum recentiores, velint, pontem, qui nunc illic cernitur, a Romanis atque adeo a C. Julio Cæsare conditum fuisse ; (cujus sententiæ promotores satis fuerit nominasse Moreri, La Martinière, d'Expilly in suis Dictionariis geographicis et historicis ad verbum* Brioude, *et auctores Dictionarii Universalis Franciæ, anno* 1804 *Parisiis excusi;) constat tamen pontem illum anno* 1454 *inchoatum fuisse, ut ostendit antiquitatum quidam indagator, nomine Dijon, in commentario de hoc ponte, quem anno* 1754 *in societate litteraria Claromontana prælegit, et partim publici juris fecerunt editores Mercurii Francici anno* 1755 : *protulit enim commentator contractum anno* 1454 *cum operariis initium de hoc ipsissimo condendo ponte. De qua re plura videre est in Bibliotheca historica Franciæ Le Long, recognita a Fevret de Fontenette* (a) ; *unde hæc mihi haurienda fuerunt,*

B

et forte etiam sæculo XII.

4 *Ad hunc tamen annum* 1454 *standum non est ; scribunt quidem Brivatensis Breviarii auctores :* Qua tempestate vixerit, incertum est : vixisse fertur Anglis in Gallos dimicantibus, quorum insidias detexit. Brivatem obsidere molientium. *Verum cum hæc innitantur solummodo traditioni alicui incertæ, quam nulla adminiculantur monumenta ; cum præterea tradatur in Dictionario Franciæ* (b), *superius citato, Brivatem, nedum ab Anglorum armis vindicatam, contra ab eis expugnatam fuisse ; quæ forte ad bella inter Philippum Augustum, Franciæ monarcham, et Richardum, Cor Leonis dictum, Angliæ regem, referenda sunt ; et demum cum satis solemne sit, ut Sanctis vivis a populo aut a scriptoribus non coævis ea tribuantur, quæ iisdem, vita functis et in cælo apud Deum intercedentibus, potius adscribenda forent ; (cujus rei exemplum in Sylloge historica de S. Gurdanio superius habuimus ;) multo fragilius in citatis verbis fundamentum jacere nobis videtur, quam ut propterea* S. Bonitæ *ætatem temporibus Philippi Augusti, seu exeunti sæculo* XII *affigamus.*

C

Verisimile est eam vixisse inter sæculum IX *et* XI.

5 *Equidem libenter statuerem* S. Bonitam *inter sæculum* IX *et* XI *aut* XII *vixisse. Nam illud certe temporis spatium, quod inter annum* 730 *et* 830 *cucurrit, ex ejus vita excludendum est, quia, ut Gallia Christiana ex authenticis documentis docet* (c), *diruta tum jacebat S. Juliani ecclesia ; quam tamen sancta Virgo, dum viveret, frequentissime adire solita fuisse traditur in Brivatensibus Breviariis, nullum hic dubium admittentibus. Quod vero pertinet ad alterum temporis limitem, seu sæculum* XI *aut* XII, *ratio, quæ prohibeat, quin* S. Bonita *hoc tempore recentior statuatur, in eo posita est, quod sæculo* XII *atque adeo* XI *exeunte jam vulgo in Gallia obtineret usus, causas canonizandorum Romam deferendi ; quod tamen ob omnimodum fere documentorum de* S. Bonita *defectum minime factum fuisse videtur : quæ ratio nonnihil stabilitur ex eo, quod Brivatenses canonici immediate Sanctæ Sedi subjiciebantur, et proin facilius beatæ Virginis laudes commendare poterant. Et quidem, quem dixi, defectus ille documentorum de Beata, impense a Brivatensi capitulo culta, alterum non spernendum momentum est, quod non sinat ejus ætatem ad recentiora differre tempora. Atque hæc ex conjectura dicta sunto, ut noverit lector, quare in fronte hujus Commentarii* S. Bonitam *inter sæculum forte* IX *et* XI *mortuam dixerimus.*

D

Multa circa hanc Sanctam obscura sunt.

6 *Si vero obscura sit ætas, non minus obscurus est locus ubi primum sepulta fuit* S. Bonita : *Branchius quidem innuit eam semper humatam jacuisse in sacello S. Martini, quod in templo Brivatensi non longe a sacello S. Juliani est, atque proin eam post mortem distractam non fuisse a patrono, quem viva impensissime coluerat ; verum ex Officio anni* 1654 *intelligimus eam olim fuisse translatam. Ex memoratis vero Branchii dictis, quæ Officio anni* 1654 *consona sunt, constat sacellum seu capella S. Martini, non esse templum diversum a templo S. Juliani (quod tamen verba Claudii Chastelain, ut gallice sonant, innuunt) sed altare tantum S. Martino sacrum in ipso S. Juliani templo. Ex lectionibus mox citandis constat perpulchrum olim fuisse hoc S. Martini sacellum : quale vero hodie sit, an etiamnum inibi extent fenestræ pictæ,* S. Bonitæ *miraculum exhibentes ; quid passæ fuerint hujus Sanctæ Reliquiæ, dum impietas proximo sæculo fureret in Galliis ; quis earum hodiernus sit status ; perseveretne populi cultus erga* S. Bonitam, *quem suo tempore laudibus dignum censuit Branchius ; quæ denique sors obtigerit Mss. codicibus, quorum reminiscitur Officium mox recitandum, atque alia istiusmodi solvere non possumus, quoniam ut num.* 1 *dictum est, altum erga nostra postulata vix solvi potuit silentium. Quamobrem jam sibi accipiat studiosus lector hymnum et tres lectiones desumptas ex Officio duplici nostræ Sanctæ, prout a me descripta sunt ex Brivatensi Breviario, quod Parisiis in bibliotheca pristini collegii canonicorum S. Genovefæ sub littera BB.* 871 *servatur.*

E

Ejus Vitæ synopsis ex Hymno,

F

7 Hymnus. Alumna Christi Bonita
Parentibus paupercula
Ad anserum custodiam
Vixisse fertur servula.
Semel relictis in die,
Ad sacra pergens limina,
In Juliani laudibus
Vacabat virgo sedula.
Ripæ temescunt fluminis :
Ad littus orat anxia :
Adest, dum fleret, Angelus ;
Habet puella prævium.
O quanta virtus Martyris !
Quam fervens hujus caritas,
Quæ nautam nacta cœlicum
Aquarum frangit impetus !
Instar columbæ simplicis
Dies traduxit innocens,
Brevique currens stadio
Bravium victrix abstulit.
Hujus precatu Virginis
Sis, Christe, nobis navita,
Ut sinuosas sæculi
Perambulemus semitas.

Deo

(a) T. III, p. 502. — (b) T. I. p. 467. — (c) T. II, col. 468.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen. D

Nescio an operæ pretium sit indicasse, versum duodecimum calamo illic sic correctum fuisse : Et est puellæ prævius. ORATIO. Deus, qui nos beatæ Bonitæ virginis tuæ annua solemnitate lætificas : concede propitius, ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis lætamur exemplis. Per Dominum, *etc.*

VITA S. BONITÆ VIRGINIS

Ex Breviario canonicorum Brivatensium anni 1654.

B

S. Bonita *anseres custodit et erga S. Julianum pietatem colit.*

LECTIO IV. Bonita virgo loco humili in pago Alveyrii *a* ditionis Brivatensis *b*, ad Elaverim *c* fluvium non procul ab urbe *(Brivate)*, parentibus tamen Christianis nata est. Ab iis anserum vili custodiæ mancipata, et fidei rudimenta edocta, incredibili fuit a teneris erga Beatissimum Martyrem Julianum *d* igne devotionis accensa ; quæ sic exarsit, ut relictis quotidie in pascuis anseribus, Brivatam properaret ad ejus tumulum, ubi ferventes fundebat preces, sibi quæ ad salutem forent necessaria, juvante Martyre, præpotens Deus suggereret ac ministraret.

a
b
c
d

Angelo duce, fluvium trajicit ;

2 LECTIO V. Quadam die cum ultra metas alvei excurrit Elaver, et navis deesset, qua trajiceret fluvium *e* propter nimiam aquarum copiam, ad littus stetit anxia Virgo, precibus et lacrymis Deum exorans, ne solita ipsius ad Sancti limina peregrinatio hac vice præpediretur. Mirum dictu ! flenti obvius est Angelus, quem per medios fluctus iratos habet puella prævium. Incolæ attoniti, viso miraculo, fantur Dei magnalia. O fides Virginis supra fidem ! o Dei clementia ! o virtus nostri Martyris singularis ! Id codices hujus basilicæ *f*, id majorum traditio, id denique specularia præbent vetusta *g* capellæ Sancti Martini, ubi Virginis corpus quiescit, in quibus tota rei series depicta conspicitur.

e

f
g

moritur, transfertur, Reliquiæ recognoscuntur.

3 LECTIO VI. Post hoc singulare Dei beneficium Bonita virgo, abdicata sæculi cura simplicitatem columbæ retinens, ac jugis in extollendis Dei laudibus et meritis Juliani Martyris, brevem sed innocentem ac plane cœlestem vitam duxit. Qua tempestate vixerit, incertum est ; vixisse fertur Anglis in Gallos dimicantibus, quorum insidias detexit Brivatam obsidere molientium *h*. Hujus ossa nuper *i* recognita cursum consummasse in adolescentia, ut Christo sponso sociaretur, argumento sunt ; vestes ibidem asservatæ e vili panno, vilis fuisse generis ; capilli denique adhuc intacti, sufflavi coloris et valde decori, virginalis intactæ pudicitiæ non exiguum pariter præbent argumentum ; natalitius dies ignoratur ; hodiernus translationis *k* est ex fastis hujus basilicæ.

h
i

(*a*) T. II, col. 463 et seqq. — (*b*) P. 101. — (*c*) T. I, p. 467. — (*d*) Act. SS., t. VI Aug., p. 169. — (*e*) Ibid., l. c. —

ANNOTATA.

a *Alveyrium, seu Albarium, gallice* Alvier, *vicus est juxta Brivatem veterem ; de quo vide num.* 2 *Commentarii prævii.*

b *Ditio Brivatensis, gallice* le Brivadois *penes canonicos Brivatenses, hinc et ex alius dominii possessione* comites *dictos, jam a temporibus Ludovici Pii erat ; qui Brivatensem comitatum cesserat Berengario cuidam, ecclesiæ Brivatensis a Sarracenis destructæ restauratori, et frequentissimi capituli conditori. Confer Galliam Christianam* (*a*), *Valesii Notitiam Galliarum* (*b*), *et Dictionarium Universale Franciæ* (*c*).

c *Gallice* l'Allier *nuncupatur, ortus in partitione a Ligeri superiori agnominata* (dép. Haute-Loire), *et miscens suas aquas Ligeri prope Nivernum.*

d *S. Julianus, Martyr Brivatensis, colitur die* XXVIII *Augusti ; ad quam de eo dixerunt decessores nostri* (*d*).

e *Ut num.* 2 *Commentarii prævii diximus, habitabat* S. Bonita *Albarium, seu Alveyrium, vicum juxta Veterem Brivatem, qui a Brivate nova seu a Brivate ad ecclesiam fluvio Elaveri separatur. Unde facile intellectu est, quapropter hujus fluminis undæ trajiciendæ essent sanctæ nostræ Virgini. Hinc quoque colligere licet Sanctam vixisse, cum templum in Brivate nova jam exstructum foret ; quod certe sæculo* IX *ineunte factum jam erat, et verisimiliter multo etiam citius, ut ostendit Stiltingus* (*e*), *licet Sirmundus aliique in contrariam abeant sententiam.* E

f *Per* codices hujus basilicæ *intelligo antiquum Officium ecclesiasticum Ms. de* S. Bonita ; *quæ conjectura si probetur, cultus* S. Bonitæ *ad sæculum saltem* XV *referendus erit.*

g *Frustra Brivatenses de his specularibus et capella S. Martini sciscitati fuimus. Quare, si divinare oporteat ad sæculum* XIII *aut* XIV *redigenda videntur, cum his temporibus magis viguerit in Gallia pictarum fenestrarum usus, et in lectionibus Brivatensia specularia vetusta dicantur.*

h *Vide Commentarium prævium num.* 5.

i *Hæc Reliquiarum recognitio, quam Branchius, anno* 1652 *scribens, ignoravit facta fuerit necesse est paulo ante annum* 1654, *quo impressæ fuerunt, hæ, quas hic loci edimus, lectiones.* F

k *Quo tempore hæc translatio facta fuerit, nuspiam reperimus. Hæc autem festivitas in sola pristina ditione et forte etiam in solo templo Brivatensi olim agebatur : certe, cum ante gallicanam rerum sacrarum stragem Brivas diœcesi San-Floropolitana clauderetur, clero hujus diœceseos non indicebatur in Kalendariis liturgicis* S. Bonitæ *festum celebrandum : cujus rei causa forsitan fuit, quod usque ad senescens sæculum* XVII *Brivas, non tantum in temporalibus, sed in spiritualibus quoque capitulo subdita erat* (*f*). *Nunc vero, cum Brivas diœcesi Aniciensi capitur, exstinctus videtur* S. Bonitæ *cultus : ex Kalendario saltem liturgico Aniciensi anni* 1832 *exulat hujus Virginis nomen ; et Brivatæ, ut num.* 1 *Commentarii prævii diximus, nihil amplius de* S. Bonita *reperitur. Faxit Deus, ut quæ exeunte superiori sæculo exstinxit impietas, ad vitam nunc revocet genuina in Deum ejusque Sanctos religio!*

(*f*) Cfr. Gall. Christ., t. II, col. 468.

DE

D

DE S. GERMANO,

EREMITA ET MARTYRE,

IN ARVERNIA.

SYLLOGE.

ANTE SÆCULUM XI.

Scripserunt decessores nostri ad diem x *mensis Octobris in Prætermissorum et ad alios dies relatorum catalogo sequentia, quæ quoniam rationem continent cur de* S. Germano *hic agimus, recitare lubet :* S. Germanus eremita, qui in Arverniæ prioratu, abs illo nomen sortito, vitam eremiticam duxisse fertur, hodie ibidem coli in Ms., quæ penes nos exstat, notitia asseritur; ast cum pauca de Sancto illo hactenus habeamus comperta, futurumque forsan sit, ut temporis lapsu plura edoceamur, expedit enimvero, ut, sepositа tantisper ista notitia, Mabillonium in Actis Benedictinis hic sequamur, ac proin ut de S. Germano non agamus ante diem, in quem cultus ejus ab auctore illo ibidem sæculo VI, parte II, pag. 209 in notula huic subjecta, differtur, XVI Octobris. *Neque displicet audire Mabillonium, qui illustrans miraculum, quo S. Robertus Casæ-Dei abbas anguillarum furtum divinitus cognovisse perhibetur, nonnihil simul illustrat hunc prioratum :* Hic locus *(quem S. Roberti biographus* Sanctum Germanum *nuncupat)* videtur esse oppidum S. Germani dictum, quatuor circiter leucis distans a Casa-Dei *(Chaise-Dieu)* Iciodorum *(Issoire)* versus, situm in loco asperrimo et frigidissimo. Dicitur vulgo S. Germanus in Eremo, *S. Germain en l'herm*, ubi olim prioratus conventualis Casæ-Dei subjectus, nunc in simplicem, ut vocant, prioratum redactus, cujus titulum habet unus e Patribus Oratorii Claromontani. Hujus loci ecclesia a B. Roberto instaurata fuit, quæ ei tradita fuerat ab Henrico Francorum rege et ipsi confirmata diplomate dato anno 1052. Porro S. Germanus hujus loci patronus dicitur ibidem vitam eremiticam duxisse, cujus festum loci incolæ celebrant die XVI Octobris. *Hæc Mabillonius loco citato. Henschenius, Mabillonio in S. Roberti Vita ad* XXVI *Aprilis* (a) *commentanda præiens, suo tempore hunc prioratum a Casa-Dei dependentem eumque opulentum dicit. Nunc vero absorptus est a voraci superioris sæculi impietate. Cavendum vero est ne hoc oppidulum cum aliis homonymis fere oppidis aut vicis Arverniæ confundatur, qualia sunt S. Germanus in Ambronio*, Saint-Germain Lembron, *S. Germanus*, Saint-Germain, *etc.*

In oppido S. Germani *in Eremo, quod olim Arverniæ prioratus erat,*

B

C

colitur S. Germanus *non* X *aut* XVI, *sed* VIII *Octobris.*

2 *Nisi varia festa sibi sacra habuerit noster* S. Germanus *(quod ob cultus exilitatem probabile non est,) erravit verisimiliter Mabillonius, cum* S. Germani *cultum in* XVI *Octobris retulit; a vero quoque alienus fuit qui conscripsit notitiam, cujus secundum decessores nostros superius meminimus. Ad nos etenim scripsit R. Parochus San-Germanensis suæ parœciæ patronum non* XVI *Octobris sed* VIII *ejusdem mensis coli. Cæterum ejus cultus ecclesiasticus hoc oppido circumscribitur; nam in directorio diœcesis Claromontanæ (cui includitur hoc oppidum), dato in annum* 1827, *exulat e sacris laterculis; et memoratus Dominus Parochus testatur ne in oppido quidem S. Germani in Ambronio hunc Sanctum patronum esse; et quidem S. Germanus Autisiodorensis, licet popularis non foret, multo majorem venerationem olim in Arvernia nactus fuit, quandoquidem Jacobus Branche in Vitis Sanctorum Arverniæ, anno* 1652 *editis, plura recenset miracula hujus Sancti ope in* Cesain *superioris Arverniæ vico patrata, dum ne nominis quidem nostri Sancti* Germani *mentionem faciat. Nullum præterea novimus Martyrologium, quod hunc Sanctum memoret : quæ tot indicia sunt cultum olim minime late fuisse propagatum.*

(a) T. III April., p. 328.

Loca ei sacra;

3 *At contra in oppido, quod ab eo mutuatum est suum nomen, viget floretque etiamnum debitus ei honor, licet nullus Hymnus, nulla Prosa, nec Litaniæ, sed Missa et Officium de communi Martyrum celebretur. Præter oppidum duo loca ei sacra sunt, uterque speciali veneratione : ad partem nempe meridionalem oppidi, si paulisper ad orientem deflectas, occurrit fons, qui scaturisse dicitur ex ipso loco, in quem S. Martyris decidit caput. Huc accedunt, qui febri tentatur; aquam hinc haustam bibunt; plurimique Deo ejusque Sancto gratulantur, salutarem hujus aquæ virtutem sese expertos esse. Alter locus est regia silva* S. Germani *in Eremo. In hac silva etiamnum exstant rudera exigui ædificii, formam crucis græcæ imitati, quod apud accolas cella* S. Germani *semper audiit atque habita est. In parte meridionali horum ruderum constructa est absis, seu quidpiam absidi simile* (chevet); *quem locum æstimat laudatus parochus verisimiliter oratorium esse, in quo preces suas fundebat sanctus eremita : cui conjecturæ non refragamur; atque adeo probabilissimum habemus, illic sepultum fuisse* S. Germanum. *Et quidem in Vita S. Juniani jam docuimus olim quandoque mortuos et imprimis, ut videtur, eremitas sepultos fuisse in loco, in quo vixerant; verumtamen terram istic fodendam sese curasse scripsit sæpe dictus reverendus vir, at nullas inscriptiones, sigilla aliasve hujusmodi res repertas fuisse : quod cum jam pridem e terra levatæ fuerint* S. Germani *Reliquiæ, mirabile videri nequit. Obtinet vero illic etiamnum pius atque nativus usus : feria scilicet secunda Paschatis properant illic San-Germanenses religiosi incolæ; et suum quisque affert prandium, quod vel agnus vel hædillus est.*

E

F

Reliquiæ, et documentorum absentia.

4 *Reliquiæ* S. Germani, *quæ in cognomini oppido nunc servantur, exiguæ sunt, cum ex cubito tantum aut radio constent* (un os de l'avant-bras). *Instrumenta autem, quæ earum authenticitatem certam faciebant, flammis absorpta perierunt inter turbas reipublicæ Gallicanæ; sed cum sacra illa pignora a duabus matronis servata, et, publico religionis cultu instaurato, reddita fuissent, confectum*

est

A *est juridicum super ea re diploma, quod anno* 1810 *ab illustrissimo D. Duvalk de Dampierre, episcopo Claromontano, approbatum fuit. Quocirca, cum Reliquiæ illæ tamquam ex corpore* S. Germani *desumptæ recognitæ fuissent, inclusæ sunt lipsanothecæ ex cupro argentato forma ovata confecto. Quo autem tempore violatum fuit* S. Germani *templum, parcitum minime est archivio, et quæ capiebat Ms. volumina incendio voranda tradita sunt anno* 1793 ; *atque nunc nemo jam est in tota parœcia, qui resciat quid de* S. Germano *testarentur ; ita ut sæpenumero laudatus parochus asserat, fieri non posse ut* S. Germani *Vita illustretur documentis ex hoc oppido repetendis. Ei vero lubuit e populari traditione nobis concinnare notitiam, quam doleo me conferre non posse cum altera notitia, quam superius memini apud decessores nostros extitisse, et quam nunc neque in bibliotheca Burgundica, neque apud nos in monumentis, quæ diebus* VIII, IX *et* X *Octobris sua luce decorandis olim fuerunt utilia, reperire quivimus. Hanc vero opellam, e gallico idiomate latine a me factam atque aliquantum contractam, jam exhibeo.*

5 S. Germanus *nobili ortus genere a teneris annis*

B *virtutem amplexus est. Ut totus Deo viveret, mundo*

S. Germanus *zeli sui* *valedixit, seseque abscondit in vastis silvis, quæ Arverniæ partem, in Euronotum vergentem, id temporis obumbrabant. Exstruxit ipse sibimet in loco aspero cellulam, quam numquam deserebat, nisi cum raros hujus regionis incolas evangelico verbo excolere averet. Suæ vitæ austeritas, beneficia atque miracula sibi divinxerunt amorem atque reverentiam cujusque ad se accedentis. Dederat ei Deus mirabilem cordis humani scientiam : unde cum peccatorem videret, intelligebat continuo quæ esset ejus conscientiæ ratio. Quibus dotibus superaddebat zelum mitem, benignum atque prudentem, quo ad cœlestem caulam oviculas reducebat plurimas. Istiusmodi autem mentis immutatio martyrii palmam ei procuravit. Etenim die quadam venator, mediis in silvis errabundus offendit forte sancti eremitæ tuguriolum. Divinitus autem noverat sanctus asceta quot in veneratoris animo laterent crimina ; quocirca pergit ei obviam Christi crucifixi imaginem manibus stringens, eumque uno intuitu ad meliorem amplectendam frugem inducit. Sancti genua exosculatur peccator, renuitque deserere virum, qui pœnitentiæ gratiam sibi adeptus fuerat.*

C 6 *Ante tumultus sæculi proxime elapsi exposita*

martyr occumbit, ut tabula picta et traditio testatur. *erat in templo tabula picta, quæ juvenem exhibebat venatorem, genuflectentem coram sancto eremita. Equus vero pœnitentis juvenis in picturæ recessu referebatur alligatus arbori. Hujus imaginis pravum ectypon nunc exstat in fastigio sacelli, sancto patrono sacri. At qualescumque ejus sint dotes, veteris traditionis per illud servantur vestigia. Testatur vero chronicon, seu potius (ni fallor) popularis traditio juveni huic perversum fuisse commercium cum matrona, quæ in his habitabat plagis. Hæc porro cum impura libidinis suæ vincula rupta vidit, ira incenditur, et Herodiadem imitata, sancti viri caput sibi expostulat : quocirca sicarios mittit ad sanctum anachoretam, obviam eis venientem. Brevi sacrum caput gladio recisum decidit, labitur in lacunam, atque ubi sistit, scatet continuo fons, de quo superius num.* 3 *diximus. Hæc itaque sunt quæ adipisci licuit ex populi narrationibus de* S. Germano. *Vix quidquam hic reperire est quod arduum creditu sit. Unum scaturientis fontis miraculum resecandum forte est, quoniam ubique fere locorum istiusmodi fontes designantur, quin historica documenta populi fidei adstipulentur. Libentius ego credo Reliquiarum immersione aliave solemnitate sacratas fuisse hujusmodi undas : unde populari venerationi nullum fundamentum substratum esse nolim quis dixerit.* D

7 *Cum vero historiæ abbatiæ Casæ-Dei scriptæ quidem, non autem editæ sint, nihil fere reliquum mihi superest, unde antiquum prioratum* S. Germani *illustrem. Tacet præterea de eo Beaunier in catalogo Archiepiscopatuum, etc. Galliæ, similiter tres Galliæ Christianæ editiones, et Mabillonius in Annalibus sui ordinis. Hanc itaque claudo syllogen, duplici proposita annotatione, quam ex privilegio num.* 1 *hujus Commentarii memorato haurio : prior scilicet ad* S. Germani *ætatem spectat ; cum etenim hoc privilegium* Vitriaco palatio publice obtentu domni ac venerabilis Hugonis Nivernensis episcopi mense Septembri, luna undecima, indictione quinta, ab incarnatione Domini anno 1052 *(aut potius secundum recentiorem computationem, anno* 1051*) ab Henrico rege datum fuerit, oportet ut* S. Germanus *sæculo undecimo anterior sit. Inter varia enim dona, quæ inibi confirmat Henricus I, habes in vico* Triniaco Ecclesiam S. Germani Martyris, cum ipso vico et omnibus ad eum pertinentibus. *Et quidem cum testetur, ut supra vidimus, Mabillonius ecclesiam* S. Germani *fuisse restauratam a S. Roberto, aliquanto etiam altius ascendendum est, quoniam medio sæculo undecimo ille S. Robertus, Casæ-Dei abbas, vixit. Altera notatio spectat ad pristinum nomen vici, quod nunc oppidum* S. Germani *in Eremo appellari diximus. Fuit autem illud nomen vel* Triniacum, *ut ex autographo scripsere sodales D. Bouquet* (*a*), *vel* Tuniacum, *ut habet Gallia Christiana in hujus diplomatis fragmento* (*b*). *A Baluzio, editore operum Servati Lupi, in appendice* (*c*), *hæc quoque charta ex veteri Membrana D. de Kerouval edita est ; et priori scribendi formæ ejus lectio favet. Cæterum, licet sat sedulo indaganti, alibi mihi non occurrit hoc nomen.* E F

Ejus ætas, et pristinum nomen oppidi S. Germani.

(*a*) Recueil des Historiens de France, t. XI, p. 588. — (*b*) T. II, col. 104. — (*c*) P. 529.

DE

A D

DE S. ANASTASIO,

MONACHO ET EREMITA

IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De Sancti cultu, biographo, ejusque in Normannia gestis.

CIRCA ANNUM MLXXXV.

Mabillonius *qui omnium primus* S. Anastasii *Vitam edidit, scribit in Observationibus prævius num.* 5 (*a*) hujus sancti viri nomen in nullo, quod quidem sciat, Martyrologio exhiberi, nequidem Benedictino : *cui annotationi subscribere cogimur, quoniam nusquam, ne in Auctariis quidem Bedæ, Adonis, Usuardi hunc Sanctum designatum reperimus. Certus tamen est ejus cultus : adeo ut eum post Mabillonium Martyrologio suo inseruerit Claudius Chastelain his verbis :* S. Anastasius Devotensis, *(de Doyde)* eremita in diœcesi Rivensi *(Rieux)*, mortuus circa annum 1086, *seu potius* 1085. *Præsenti quoque diei eum assignat, utpote natione Venetum, ampliator Ferrarii in Hagiologio Italiæ* (*b*). *Venetiis tamen nullum habet cultum ; quin etiam vix aut ne vix quidem cognitus est : cujus assertionis fundamentum mihi est, quod in vasto opere Flaminii Cornelii, senatoris Veneti, cui nomen : Ecclesia Veneta antiquis monumentis illustrata, sermo quidem fit de quodam sancto Anastasio ; verum is Persa, qui, sub Chosroa rege passus,* XXII *Januarii colitur, et cujus corpus Venetias translatum ibidem in capella SS. Trinitatis religiose asservatur* (*c*) ; *de* S. Anastasio *eremita prorsus ibidem siletur. Verum dum nullam in civitate, in qua natus est, sortitus est celebritatem, in loco, in quo obiit, jam olim devote colebatur : quod testatur Mabillonius his verbis* (*d*) : Colitur in ecclesia parœciali Sancti Martini Doydensis, seu ut habet, Vitæ auctor, Devotensis, in diœcesi Rivensi, ubi integrum ejus sacrum corpus asservatum est usque ad sæculum XVI. *Quid deinceps de Reliquiis factum sit alio loco explicabitur.*

B

S. Anastasius *olim colebatur in diœcesi Rivensi, non autem Venetiis in patria.*

C

Ejus vita conscripta fuit, non decem,

2 *Jam si ad Acta* S. Anastasii *stylus vertitur, vix quidpiam in eis est, quod dubia plura non pariat : et primo quidem Galterius, qui se eorum auctorem inscribit, Mabillonio, in Observationibus prævius ad Vitam num.* 1, *D. Ceillier in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* (*e*) *et auctoribus Historiæ litterariæ Gallicanæ* (*f*) *cæteroquin incognitus erat. Hi vero historiographi de eo gallice sic scribunt :* Galterius biographus S. Anastasii monachi et eremitæ, circa annum 1086 mortui, videtur novem aut decem annis post hujus Sancti mortem suam scriptionem perfecisse. Hanc sententiam nobis suggerit tum ipsa libelli lectio, tum paucitas miraculorum. Gravis est auctor, sed ignotus. Verumtamen sacerdos fuisse videtur, atque adeo parochus Devotensis ; saltem ad Petrum Devotensem subdiaconum opusculum suum dirigit. Parœcia autem Devotæ, in diœcesi Rivensi sita, Sancti sepulcrum habebat. Sat facili narrat ordine et brevis est ; quæ tamen brevitas ad potiora Sancti gesta omittenda minime eum coegit. *Sic fere sæpius nobis laudandi memorati Benedictini sodales ; similiter Mabillonius, ex Vitæ contextu judicans, Galterium virum gravem appellat, eumque æstimat scripsisse* non multo post S. Anastasii *obitum. Mabillonii judicio omni ex parte accedendum esse ducimus. Verum brevior est lapsus temporis,* decem *scilicet* anni, *quos præcitati historiographi a morte* S. Anastasii *ad ipsius Vitæ scriptionem assignant : nam ut mittam* S. Anastasium *in vico ad Devotas peregrinum et ignotum fuisse, eumque tamen in hac sua Vita* Sancti confessoris *et* gloriosissimi viri *titulo cohonestari, celebremque satis ei cultum, cum gesta ejus descripta sunt, delatum fuisse ; (quæ non ita continuo post mortem facta fuisse præsumenda sunt ;) quæ, inquam, ut mittantur, alterum argumentum peti potest ex morte S. Hugonis, sexti Cluniacensis abbatis, insinuata in* S. Anastasii *Actis ; quo probabile fit viginti circiter annos adjiciendos esse decem illis, quos admisere Historiæ litterariæ scriptores.*

E

3 *Etenim laudati historiographi* (*g*) *cum Mabillonio aliisque admittunt* S. Anastasium *anno circiter* 1086 *obiisse ; et ex altera parte constat S. Hugonem anno* 1109 *e vivis decessisse ; sed cum* S. Anastasii *scripta est Vita, ad superos jam evolaverat sanctus hic abbas : quod luculente satis indicatur in ipsa Vita num.* 4, *ubi hæc sunt verba :* Venerabilis abbas, Hugo nomine, qui Cluniacensi monasterio eodem tempore præerat ; *qui loquendi modus mortuo, minime vero viro viventi applicatur. Verum non multo plures quam triginta anni admitti posse videntur : nam in tota* S. Anastasii *Vita S. Hugo* venerabilis *tantum* vir *nuncupatur, nusquam* Sanctus. *Ineunte autem anno* 1120, *ut eruitur ex charta de qua ad hunc annum num.* 96 *in Annalibus Benedictinis* (*h*) *sermo fit, a Calixto II, qui ab anno* 1119 *Ecclesiam gubernavit, solemniter canonizatus fuit : audi hæc de re Hugonem monachum ad Pontium abbatem Cluniacensem scribentem* : Hic (*Calixtus II*) secundo Cluniacum rediit, ibique festum Dominicæ Circumcisionis et Apparitionis * devote peregit. Qui dum inter cætera sæpius ageret de vita et miraculis B. Hugonis, non quorumlibet chartulas super his profusius exaratas attendit, sed personas authenticas in medio Cluniacensis capituli præsentatas, de Sancto quæ

sed saltem triginta annis post mortem.

F

* *intellige* Epiphaniæ

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 487. — (*b*) T. II, ad XVI Oct. Edit. 1773. — (*c*) Eccles. Venet., t. IV, p. 356 et 358. — (*d*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 487. — (*e*) T. XX, p. 697. — (*f*) T. VIII, p. 428. — (*g*) Hist. littér. de Fr., t. VIII, p. 164. — (*h*) T. VI, p. 45. Edit. Paris.

viderant

A viderant et audierant validius attestatas, gratanter accepit. Episcopis vero et cardinalibus pariter assentientibus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi natalem tanti Confessoris, tot et tantis virtutibus approbati, festivum fieri Papa decrevit. *Quæ verba, cum hujus canonizationis solemnitatem splendoremque subindicent, hic loci exscribenda visa sunt ex Bibliotheca Cluniacensi* (*a*). *Sed cum tanta fuerit hæc solemnitas, et S. Hugo in totis Galliis apprime nosceretur, fieri non potest ut latuerit Vitæ* S. Anastasii *scriptorem, qui plurimum cum Cluniacensibus commercium habere debuit, ut hoc suum opusculum conscriberet; quocirca cum Hugonem* Venerabilem *tantum minime* Sanctum *nuncupet, dicendum est eum scripsisse eo temporis intervallo, quod inter annum* 1109 *et* 1120 *effluxit. Atque hæc de scriptionis anno.*

Temere dicitur ejus biographus sacerdos seu parochus Devotensis.

4 *Unde vero Gallicarum litterarum historiographi eruerint* S. Anastasii *biographum sacerdotem et forte parochum Devotensem fuisse, fateor me id prorsus ignorare. Minime quippe id in ipsa Vita indicatur : ait quidem Galterius in prologo se amicum esse Petri, Devotensis ecclesiæ subdiaconi,*

B *ejusque fratris Bernardi; se scribere ut eorum petitioni satisfaciat, et posteritatis ædificationi consulat; at nihil præterea, quod ad hanc rem faciat. Et quidem nescio an ipsum initium prologi contrarium indicet; quis enim Devotensis, de vico suo agens, sileret se popularem esse atque nude sic scriberet :* Galterius Petro Devotensis ecclesiæ subdiacono, et fratri ejus Bernardo, in omnibus prosperitatem? *Quis parochus Vitam scriberet paræciæ suæ patroni, et nusquam innueret sese participare hoc patrocinium? Quapropter malo cum Mabillonio in suspenso relinquere litem de scriptore, quam quid certi signans cum citatis historicis aleam errore forte plenam volvere. De Galterio tamen certo dici potest eum monachum Cluniacensem non fuisse, quoniam de S. Hugone tamquam de viro a se alieno loquitur : sed indubium fere esse eum pleraque* S. Anastasii *gesta doctum fuisse a monachis Cluniacensibus, illi manifestum forte confido, qui animadverterit vix quidpiam in hac narrari Vita quod S. Hugonis gestis non annectatur. Cæterum quanta cura illud opusculum perfecerit Galterius ad calcem prologi signat his verbis :* Rogo ergo, et obnixe supplico, ut si quid incuria parum quæsiero, aut

C egestate mei ingenii prætermisero, *etc.; quæ demissi animi formula factas ab auctore investigationes patefacere solet. Quibus ex Mabillonio addere juverit, quo pacto hæc Vita primum viderit lucem : quod ipse in Observationibus prævviis num.* 1 *sic explanat :* Hanc vero Vitam debemus illustrissimo ecclesiæ principi Antonio Petro Bertier, Rivensium antistiti, qui codicem MS., in quo ipsa habetur, ex ecclesia parœciali Sancti Martini Doydensis acceptum humanissime cum uno e nostris communicavit, quam ille statim exscriptam ad nos transmisit, Actis Sanctorum Ordinis nostri inserendam. *Quam sortem circa alias Sanctorum Vitas nobis quoque apprecamur. Jam de Sancti nostri gestis; et primo quidem de pueritia.*

S. Anastasius, *liberaliter educatus,*

5 *Anno natali* S. Anastasii *determinando opportuna instrumenta præsto non sunt. Eum tamen ineunte sæculo undecimo, circa annum forte vigesimum, natum esse absque periculo affirmare licet, cum id ex tota ejus vitæ serie elucescat. Patria ei Venetiæ fuerunt, et* nobile genus secundum dignitatem hujus mundi, *ut Galterius fere loquitur. Parentibus suis magnæ curæ fuit liberalis ejus educatio; quod quidem eis eo facilius fuit, quo nobilius eo tempore florere inciperent in Italia studia, ubi* D *tamen non ita pridem omnis eorum vigor atque decus neglecta fuerant. Prodigia itaque jam non erant, qui latinæ linguæ peritiæ græcitatis notitiam adjungerent. Circa annum quippe* 1085 *scribebat Landulphus senior in Historia Mediolanensi* (*b*). Guibertum archidiaconum utriusque linguæ magistrum *et* Ambrosium Biffium in latinis et græcis litteris eruditum atque ideo biffarium dictum. *Eadem sors obtigit nostro* Anastasio, *de quo ejus biographus num.* 2 *sic disserit :* A primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est; in quibus ita curam adhibuit, ut tam græcis quam latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. *Cæterum cum Muratorius de Litterarum statu, neglectu, et cultura in Italia, ab invasione barbarorum usque ad annum* 1100, *contexuerit non indoctum commentarium* (*c*), *satis pro instituto nostro fuerit lectorem ad eum remisisse. Monendum tamen est, nihil a Muratorio proferri, quod propius ad scholas Venetas spectet : qui defectus quoad hoc sæculum pertinet, non suppletur ab his, qui ex professo de litteris Venetis scripserunt, atque mihi innotescunt. Dubium itaque nobis est an* S. Anastasius *Venetam deseruerit* E *terram, alibi humaniores litteras edocendus. Cæterum de ejus bonarum litterarum amore seu cum doctis commercio, postea recurret aptior dicendi locus.*

vitam monasticam amplectitur in Periculo-Maris; quod quo tempore fecerit, in ambiguo est.

6 *Peractis studiis, paravit se* Anastasius *ad vitam monasticam, corpori edomando, spirituique oratione exercendo seriam operam navans. Peragravit deinde universam Galliam, quærens sibi cœnobium, ubi arctius cum Deo conjunctus viveret, donec tandem venit ad mare Britannicum, ad fines diœcesis Abrincensis in Normannia, ubi solitudo Montis Sancti Michaelis in Tumba, seu in periculo Maris* (Mont St-Michel) *votis suis explendis visa est opportuna. Annus autem quo id factum est inexplicabilibus fere tricis a Mabillonio involvitur : etenim in Observationibus prævviis ad Vitam ita scribit :* Discimus ex ipsa Vita Beatum Anastasium circa sæculi hujus undecimi medium in monasterium Sancti Michaelis in Periculo-Maris dictum secessisse, eo scilicet tempore quo abbas simoniaca labe infectus, cujus nomen reticuit, eidem cœnobio præerat. Hoc autem anno circiter MLVIII aut sequenti contigisse conjicimus, quod his duobus annis nullus in catalogis aut veteribus instrumentis monasterii Sancti Michaelis abbas memoratus occurrat, quod forte simonia notatus inter ejusdem loci abbates locum non meruerit. Et quidem cæteros abbates qui eidem monasterio hoc sæculo præfuerunt, simoniaca peste tactos fuisse non legimus. *Sic ille hoc loco; et pergit culpans Arturum Monsterium, qui ad hoc tempus male quemdam Fulconem catalogo abbatum immiscuit. At prorsus alia alibi occurrunt : Annales enim Benedictinos scribens, ad annum* 1048 § XLIII (*d*) *ita loquitur* : Haud levis suspicio est, Supponis abbatis tempore Anastasium nobilem Venetum latine et græce doctum, in Montem Sancti Michaelis accessisse, ibique monasticum habitum induisse : ubi magnam invenisse dicitur congregationem monachorum religione præstantium, excepto quod abbas per simoniam subintraverat. *Quibus verbis Mabillonius decem saltem annis citius* S. Anastasium *ad Montem S. Michaelis devenisse innuit, siquidem Suppo anno* 1048 *post quindecim gubernii annos pedum ponere et ad pristinum suum Fructuariense monasterium, quod situm erat in diœcesi Eporediensi* (Ivrea), *ut habet Mabillo-*

(*a*) Col. 464. — (*b*) Lib. III, cap. XXI et XXIII ap. Muratori Scriptt. Rer. Italic., t. IV, p. 108 et 110. (*c*) Antiq. Ital. Medii Ævi dissert. XLIII, t. III, col. 809 et seqq. — (*d*) T. IV, p. 455.

nius

A nius (a) et Lubinus (b), non autem in Vercellensi, ut male statuit Robertus de Monte (c), recedere coactus fuit.

Probatur id ab eo factum sub abbate Suppone,

7 *Duplex itaque est Mabillonii sententia, aliter in Actis Sanctorum, aliter in Annalibus sui Ordinis scribentis; quod celeberrimo viro aliquando accidisse satis cognoverunt eruditi. Posteriorem sententiam amplexi sunt ejus sodales in Historia litteraria Galliæ* (d); *eamque tenendam esse nos quoque arbitramur, tum quoniam ea non fuit Supponis probitas, ut extra omnem suspicionem sit, tum quoniam plures suadent rationes, id neque ante neque post Supponis tempora accidisse : atque hæc rationum momenta jam explicanda sunt. Imprimis non recte a Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis statui, Supponem non legi* simoniaca peste tactum fuisse *facile evincere est. In Chronicis scilicet scriptoris domestici, Roberti de Monte, sæculo* XII *abbatis S. Michaelis in Periculo Maris, reperimus sequentia* (e): Reliquias *(SS. Laurentii et Innocentii Martyrum)* et partem corporis Sancti Agapiti Martyris, scilicet carnem cum costis quattuor, Suppo abbas Montis a monasterio Sancti Benigni Fructuariensis, ubi
B prius fuerat abbas, et prece et PRETIO ad monasterium Sancti Michaelis adportavit. *Unde liquet non ita horrori fuisse Supponi res sacras pretio seu simoniace comparare. Præterea in altero Chronico Montis S. Michaelis, edito a Labbeo in Bibliotheca nova Mss.* (f) *legimus de Suppone nonnulla alia, quæ minus ei favent :* Eodem anno (1023), *inquit chronographus,* Suppo, abbas Fructuariensis, suscepit donum abbatiæ Sancti Michaelis. Et dum laboraret in renunciatione Fructuariensis monasterii, et in adeptione integra Montis, duo abbates rexerunt abbatiam S. Michaelis, videlicet Almodus, abbas Cæsarii (*Cerasii in diœcesi Bajocensi* (g)), alter Theodericus abbas Gemeticensis, *qui tamen non simul, sed successive abbatiale tenuerunt pedum, ut ex Gallia Christiana* (h) *et ex ipso jure canonico, biceps gubernium vetante, facile intelligere est. Jam vero integrum decennium laboravit Suppo, priusquam votorum suorum compos factus est, ut ex his Chronici verbis liquet :* Anno MXXXIII ordinatus fuit Suppo abbas, *non volentibus monachis, sed Roberto, Normanniæ duce, cogente Almodum, qui palam ut abbas recognoscebatur* (i), *ut secederet, quemadmodum habemus ex Gallia Chri-*
C *stiana* (k). Multa bona (*Reliquias* (l) *scilicet et vasa sacra* (m)) contulit abbatiæ, *ut loquitur citatum Chronicum, et duo monasteria a principibus cœnobio suo adeptus est, ut in Gallia Christiana docetur* (n); *verumtamen, ut Montis Chronicum denuo testatur, perseveravit in eum monachorum simultas, adeo ut* propter odium monachorum recesserit, et reversus sit ad solum proprium. *Dilapidationi bonorum monasterii odium illud tribuit Gallia Christiana* (o), *testem neminem indicans, sed verisimilius usa Historia Ms. Montis S. Michaelis, conscripta a D. Huynes, monacho Benedictino, atque nunc, ut Paulus Marchegay* (p) *tradit, in bibliotheca publica Abrincensi conservata. Verum is, qui abbatiam suam duobus asceteriis auxit, vix alio modo hanc incusationem incurrere potuit, quam vendendo ea, quæ prius emerat, ut emptionis suæ pretium solveret. Quibus si addas Galliam Cisalpinam seu Longobardiam* solum proprium *Supponis fuisse, ut ha-*
D *bet Chronicum, et proin valde mirum fore si monachi Normanni tam longe sibi abbatem quæsituri ivissent; dein illa Chronici verba* donum abbatiæ, *acceptum a Suppone, nihil canonici sapere; et demum dubium esse non posse, quin præter Ecclesiæ leges id S. Michaelis cœnobium subintraverit, cum duodecim annos laborarit ut abbatialem baculum e manibus alius eriperet; indubium fit Supponi quadrare Galterii verba.*

8 *Diximus dein neque ante neque post Supponis tempora collocari posse simoniacum illum abbatem.* *ante annum 1048,*
Nam quod pertinet ad anteriora tempora, universa series Vitæ S. Anastasii, *ut legenti patet, omnino non sinit, ut ille Sanctus ante annum trigesimum tertium sæculi* XI, *quo Suppo abbas factus est, ad Montem S. Michaelis accesserit. Neque minorem difficultatem incurrunt posteriora, a Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis assignata, tempora, seu biennium post annum* 1058, *quo catalogus abbatum vacat. Scilicet cum simonia realis, de qua hic agitur, exsistere nequeat, nisi unus sit venditor et alter emptor; atque in præsenti supposito venditor ille vel Guillelmus Nothus seu Conquæstor, ad*
E *quem ex decessorum jure, pertinebat Mons S. Michaelis* (q), *vel ipsi monachi dicendi sint; facile demonstrare est, neque Guillelmum, neque monachos hujus criminis incusari posse. Ipsa enim* S. Anastasii *Vita num.* 3 *vindicat monachos, ubi tradit in Periculo Maris a Sancto nostro* inventum *fuisse* magnam congregationem monachorum, in omnibus religiosorum, excepto quod abbas per simoniam subintraverat. *Similiter, nisi Guillelmum Pictavensem, scriptorem coætaneum et ipsius Guillelmi Conquæstoris capellanum, qui* quæ oculis suis viderit indubitanter enucleare studuit, (*ut loquitur de eo Ordericus* (r),) *erroris arguere libeat, hic nævus in Guillelmum Nothum conjici nequit : audiatur itaque Pictavensis* : Hinc namque summo studio cœpit Ecclesiis Dei patrocinari, causas impotentium tutari, jura imponere quæ non gravarent.... Rebus enim illicitis nimia ubique, ut supra docuimus, licentia fuit. Denique cœpit omnino a familiaritate sua removere, quos imperitos aut pravos dinoscebat; sapientissimorum vero optimorumque consiliis uti, externis inimicis fortiter resistere, obsequia debita a suis potenter exigere. *Talis jam erat Guillelmus ante annum* 1046, *quod ex subsequentibus biographi verbis liquet :* Cum hæc initia suum splendorem Normanniæ et antiqui status tranquillitatem jam redderent.... *Cætera legesis apud D. Bouquet* (s).

9 *Luculentius hæc Ordericus Vitalis explanat et multo apertius declarat quid Guillelmus de simonia senserit. Pauca ex eo referre non piget, quoniam Christianus Lupus* (t) *falso scripsit simoniæ scabiem resumptam fuisse a Guillelmo Conquæstore. Sic porro loquitur Ordericus* (u) : Præsules et abbates aliosque sapientes consiliarios convocabat ; et eorum consilio quis melior et utilior tam in divinis rebus quam in sæcularibus ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito et sapientiæ doctrina provisio sapientum eligebat, benevolus rex dispensatorem et rectorem episcopatus vel abbatiæ constituebat. Hanc nimirum observationem LVI (*ex Guillelmo Malmesburensi,* LII) annis

non vero inter annum 1058 et 1060

(a) T. IV, p. 152. — (b) Brev. Notit. Abbat. Ital., p. 151. — (c) Chron. Roberti de Monte, ap. Pertz, Monum. German., t. VI, p. 515. — (d) T. VIII, p. 163. — (e) Pertz, Monum. German., t. VI, p. 515. — (f) T. I, p. 351. — (g) Mabillon Ann. Bened., t. IV, p. 355, et Gall. Christ., t. XI, col. 409. — (h) T. XI, col. 515. — (i) Cfr. diploma Alani, Brit. ducis, quod est ap. Mabill. Annal. Bened., t IV, app. n. I, p. 668. — (k) T. XI col. 515. — (l) Ibid. l. c. — (m) Mabill. Annal. Bened., t. IV, p. 455. — (n) T. XI, col. 515. — (o) Ibid. loc. cit. — (p) Archives d'Anjou, p. 230. — (p) Cfr. Chronica S. Mich. Labbe Bibl. MSS., t. I, p. 347 et seqq. et Gall. Christ. t. XI, col. 512. — (r) D. Bouquet Rec. des hist. de Fr., t. XI, p. 75. — (s) Ibid., p. 76. — (t) Decret. Synod. gener. ac prov. dissert. præv. II de Simonia, t. IV Oper.. p. 63. — (u) D. Bouquet, t. XI, p. 242.

 custodivit,

A custodivit, quibus regimen in ducatu Normanniæ seu regno Angliæ tenuit;... Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat; et ideo in eligendis abbatibus vel episcopis non tam opes seu potentiam, quam sanctitatem et sapientiam personarum considerabat. *Quibus consona sunt hæc, quæ vigilantissimus Pontifex, S. Gregorius VII, ad legatum suum in Galliis, Hugonem Diensem, anno* 1081 *scribebat* (*a*): Rex Anglorum licet in quibusdam non ita religiose, sicut optamus, se habeat, tamen in hoc quod ecclesias Dei non destruit neque vendit,.... cæteris regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit. *Unde palam fit quam graviter Christianus falsus sit; et reapse exemplum quod affert de episcopo Conventriensi tanquam sententiæ suæ fulcimen, non anno* 1077, *ut vult Lupus, sed pluribus annis post mortem Guillelmi Conquæstoris accidit: de quo ipso exemplo videat curiosus lector Annales Ecclesiæ Anglicanæ ad annum* 1093 *num.* 42 (*b*). *Atque ex his quidem satis apparet Guillelmum Nothum seu Conquæstorem non eum esse, qui sacrilegus nundinator vocitetur: quam ob rem improbabilis mihi prorsus est sententia*

B *hagiographorum Benedictinorum, eorumque sequacium Ceillier* (*c*) *et Butler in Vitis Sanctorum ad* XVI *Octobris* (*d*), *qui Sanctum nostrum anno* 1058 *ad Montem S. Michaelis advenisse statuunt. Atque hæc eorum assertio eo magis improbabilis est, quod omnino caducum est fundamentum, cui innititur. Nam, quod catalogus abbatum ab anno* 1058 *ad* 1060 *vacat, non est quod miremur, nedum quod simoniacum abbatem, ut Mabillonium opinantem num.* 6 *vidimus, expunctum credamus; quandoquidem nihil urgebat sæpe dictum Guillelmum, Normanniæ ducem, dein Angliæ regem, qui penes se servabat jus S. Michaelis abbatem designandi, ut quam primum eo jure uteretur, cum ita provisum esset Montis regimini, ut Ranulfus in Chronico cœnobii ab anno* 1053 *abbas designetur* (*e*), *licet vices solummodo suppleret Radulfi abbatis, qui medio tantum anno* 1058 *in itinere Hierosolymitano vita functus est. Post hujus itaque mortem facile continuare poterat Ranulfus Montis gubernium; quod cæterum ab anno* 1060 *usque ad* 1085 *cum abbatis titulo rexit* (*f*). *Atque ex his satis verisimiliter statui posse arbitramur* S. Anastasium *ante annum* 1048, *quo abiit Suppo, ad Periculum Maris accessisse et inde post*

C *unum annum recessisse.*

Licet certum sit S. Anastasium *vere monachum fuisse in Monte S. Michaelis,*

10 *Secunda quæstio, quæ moveri meretur circa* Anastasium *nostrum, in Normannia commorantem, hæc est: fueritne novitius tantum in Monte S. Michaelis, an potius religiosæ vitæ professionem emiserit? Verum eum non novitium tantum, sed et professum monachum illic fuisse, non probabile tantum, sed et certum est: nihil enim obstat, quod Galterius scribit, nempe eum* doluisse, *quod* in laqueum nefandi hostis pœne ceciderat; *cum illa locutio plures explicatus facile admittat. Eum autem verum fuisse monachum, deducitur ex eo, quod Galterius liquido dicit eum* habitum optatum *illic* suscepisse, *et inferius ipse* Anastasius *S. Hugoni narrasse dicitur* quomodo propter simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset, *etc. Jam vero habitus monachalis saltem usque ad sæculum duodecimum non assumebatur in Gallia ante professionem: nam omissa etiam S. Benedicti regula, quæ cap.* LVIII *aperte id declarat, præscribit illud idem canon* XXXIV *concilii Aquisgranensis anni* 817 *his verbis* (*g*): Novitius nec tondeatur nec vestimenta pristina immutet priusquam obedientiam promittat. *Quæ quidem lex tantopere* S. Anastasii *tempore vigebat, ut ejus coætaneus S. Petrus Damiani in opusculo* XVI *vehementer exagitare non dubitet episcopum Maurum, qui asseruerat virum quempiam non obligari ad servandum habitum, quem in morbo assumpserat; quam sententiam ex sacris canonibus omnimode evertit*: Ecce, *inquiens*, juxta Gelasiani decreti sententiam, quacumque occasione etiamsi nulla interveniat mora probationis, quisquis religioso habitu semel induitur, funditus sibi redeundi ad sæculum licentia denegatur: *quod inferius multo acrius etiam urget; unde liquet habitum monachalem id temporis assumptum tantum fuisse, cum quis, post exactum qualecumque probationis tempus, obedientiam promitteret.*

D

ut duplici probatur argumento, mirus tamen non est ejus discessus

11 *Licet autem* S. Anastasius *annum tantum in Monte S. Michaelis degerit, ipse modus, quo id narrat Galterius, alterum argumentum est: nam, cum scribit* factum esse post revolutum annum, *ut de abbatis simonia audiret, satis innuit eum tirocinio jam functum esse; cum S. Benedicti regula unum tantum probationis annum præscribat, nisi morum conversio nondum ea sit, quæ monacho digna* E *dicatur, quod in* Anastasio *præsumi non potest. Verum audio qui sciscitentur, quid ergo abierit? Quid, relicto monasterio,* in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ in ipso introitu maris, *in Tumbalenia scilicet, vicina Monti S. Michaelis,* solus manere cœperit, jejuniis, vigiliis et orationibus vacans? *Responsio in promptu est: variæ exstabant hoc tempore sententiæ circa modum quo a subditis habendi essent simoniaci præpositi; quarum una, a* S. Anastasio *in usu posita, ea erat, simoniacos aperte hæreticos esse et paganis noxiores devitandos. Atque hæc late diduxit cardinalis Humbertus tribus libris, a Martenio tomo V sui Thesauri Anecdotorum editus; in quibus palam quoque acriterque docet simoniacos a catholicis non tantum quoadusque synodaliter deponantur, sed ne quidem ad horam tolerandos esse.*

in vicinam Tumbaleniam; quo cum secutus videtur Robertus de Tumbalenia.

12 *Unde facile intelligitur quomodo fieri potuerit, ut* S. Anastasius *crediderit Montem S. Michaelis fugiendum sibi esse. Eamdem sententiam, suadente forte nostro Sancto, videtur amplexus esse Robertus de Tumbalenia, de quo inferius paulo plura, et quem Mabillonius non dubitat eum fratrem dicere, ex quo* S. Anastasius *didicit abbatem simoniacum fuisse*: F Certe, *inquit* (*h*), hoc ipso tempore uterque (*Robertus et* Anastasius) vivebat in monasterio Sancti Michaelis; *quin etiam maxime verisimile est Robertum comitem se dedisse* S. Anastasio, quamdam insulam ingresso in ipso introitu maris, et in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ solo mansuro. *Etenim hæc ultima verba non ita urgenda esse, ut omnem comitatum excludant, sed iis perhiberi sanctum virum eremiticam vitam, cum antea cœnobiticam duceret, amplexum esse, facile unusquisque concedet: porro, ut inferius ex communi scriptionum quarumdam interpretatione videbimus, fruebatur Robertus* S. Anastasii *societate, et præterea nomen* de Tumbalenia *ex hujus insulæ incolatu Roberto adhæsisse videtur. Nam quod insula,* sancti Anastasii *mansione honestata, Tumbalenia, Tumbella seu Tumbellena est, in dubium revocari nequit, cum alia illic in introitu maris Britannici non reperiatur; dein quod Robertus agnomen suum* (*i*) *eam inhabitando accepisse dicitur, ita verisimile est, ut non facile alia ratis inveniri queat. Sæculo quidem inse-*

(*a*) Lib. IX, epist. V. Labbe Concil., t. X, col. 281. — (*b*) Alfordii, alias Griffith, Fides reg. seu Annal. Ecc. Angl. t. IV, p. 126. — (*c*) Hist. des Aut. Ecclés., t. XX, p. 696. — (*d*) T. XVI, p. 12. Edit. Lovan. — (*e*) Chronica S. Michaelis, Labbe Bibl. nov. MSS., t. I, p. 351. — (*f*) Confer cit. Chron., p. 348, 350 et seqq., et Gall. Christ., t. XI, col. 515. — (*g*) Harzheim Concil. Germ., t. II, p. 5. — (*h*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 489. — (*i*) Contrarium habet Ceillier Hist. des Aut. Eccl., t. XXI, p. 46.

quenti

A *quenti abbas S. Michaelis, Bernardus, prioratum aliquem illic instituit ; verum id etiam temporis ita deserta erat illa rupes, ut, licet Mons S. Michaelis vix incolas aliquot admitteret, magis etiam vitæ solitariæ faveret Tumbalenia : nam eo animo aliquot illic ab eo erectas fuisse cellulas tradit Gallia Christiana* (*a*), ut illuc quandoque cum selectis fratribus secedens attentius vacaret orationi. *Unde satis colligitur monticulum hunc primum ab eremitis et monachis, non secus ac Montem S. Michaelis* (*b*), *inhabitatum fuisse, neque proin præsumi posse inde agnominatum fuisse Robertum, quod illic in lucem a parentibus editus foret. Neque est quod qui adversus hæc objiciat basilicam, quæ illic esset Deiparæ dicata, præsupponere accolas tum illic degisse : cum satis notum sit cellulis oratoriis basilicæ nomen sæpe sæpius inditum fuisse : cæterum ipsa* S. Anastasii *Vita, quo novimus solitarium illic eum vixisse, satis demonstrat alios nullos habitatores in exiguo illo scopulo sedem habuisse suam.*

S. Anastasii *et Roberti amicitiam participare cupit S. Anselmus;*

13 *Quam sancte autem illic ambo degerint, colligere licet ex epistola* III *libri* I *S. Anselmi* (*c*) *inscripta :* Domino dilectissimo, reverendo monacho Roberto, frater Anselmus Beccensis, inter sancte con-
B versantes tantum minimus ; *quam communis eruditorum sententia ad Robertum de Tumbalenia datam fuisse ut certum habet : quod ut constet appellare sufficerit Mabillonium in Annalibus* (*d*), *scriptores Historiæ litterariæ* (*e*), *Ceillier* (*f*), *Butler in Vita* S. Anastasii, *etc. Quam vero fundata sit ista conjectura facile quotusquisque videbit, qui inspexerit locorum, temporum, personarumque adjuncta : quocirca minime quoque dubitamus quin* Anastasius *noster laudetur in sequentibus S. Anselmi epistolæ verbis :* Age ergo, vir venerabiliter amabilis et amabiliter venerabilior ; certus esto, dum vivo, de hac nostra voluntate, et sollicitus esto de perficienda in me, quæ tua erit, charitate. Si enim oraveris pro proximo, scio verum esse quod tibi retribuetur.... Quod ut efficacius efficias, precor, obsecro, ut illi sancto viro Anastasio, cujus desiderabili societate frueris me commendando, quantum absentem potes, notum facias, ut et illum amicum tuum mecum communices, et me servum tuum cum illo participes. Quatenus ex hac die dum vivimus per te et tecum et ego illum venerer amicum alterum Robertum ; et ille possideat servum eum-
C dem Anselmum. Quia enim non sum dignus, non audeo petere, quod tamen velle præsumo ; ut ego velut alter Robertus utar eodem Anastasio, et ipse me fruatur quasi altero Roberto : cujus bonus odor jam per multos hujus patriæ suaviter diffusus, quanto delectabilius animæ meæ fragrat, tanto ipsa ad ejus amicitiam et notitiam ardentius flagrat. Quas jam, ex quo vitam ejus audivi, habeo et amplector, quantum possum ; et oro oret et ipse mecum, ut tanto nobis crescant, quantum in Deo crescere possunt. Ambo, charissimi, valete. Obsecro, in Babylonia sentite id ipsum ; ut in Hierusalem participetis in id ipsum. Non hoc dico quasi timens vobis aliquando discordiam venire ; sed vere cupiens a vobis numquam concordiam abire. *Sic S. Anselmus ad Robertum de Tumbalenia ; qui ex sequenti numero melius etiam dignoscetur.*

Robertus, hortante, ut videtur, nostro Sancto, scribit commentarium in Cantica Canticorum;

14 *Etenim is est Robertus, qui usque ad an.* 1066 *aut in Monte S. Michaelis aut dein in Tumbalenia monachus fuit, unde in præpositurum S. Vigoris Bajocensis assumptus est, et qui, cum Odo episcopus* D *Bajocensis in Anglia carceris mœrorem sustineret, Romam profectus est ; ubi, a S. Gregorio VII Papa detentus honorifice, usque ad mortem ipsius Pontificis Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ, ut Mabillonius* (*g*) *et Gallia Christiana* (*h*) *tradunt ex Orderico Vitali lib.* VIII *Historiæ ad annum* 1087 (*i*). *Præterea Robertus, ut idem Ordericus declarat* (*k*), inter reliqua peritiæ suæ argumenta, brevem et luculentam, sensuque profundam super Cantica Canticorum Expositionem in Ecclesia dimisit : *quæ ad sanctum nostrum nonnihil spectat. Verumenimvero quantopere jam disceptatum fuerit de hac Expositione, apud plurimos videre licet, imprimis apud Oudinum in Commentariis de scriptoribus Ecclesiasticis* (*l*). *Nunc autem prævalet apud doctos sententia* (*m*), *Expositionem, quæ pridem sub S. Gregorii Magni nomine circumlata fuit, quam iterum edidit Oudinus, et cujus prologum Mabillonius in Analectis* (*n*) *publici juris jam ante fecerat sub Roberti de Tumbalenia nomine, reapse fœtum esse hujus Roberti. Quod vero propius ad rem nostram pertinet, Mabillonius in edenda* S. Anastasii *Vita suspicatus est hanc Expositionem suadente* Anastasio E *nostro scriptam fuisse, quoniam prologus hæc habet verba :* Mihi tamen amico tuo crede, quod hunc quem tibi mitto libellum, rogatus cœpi, multotiens admonitus perfeci. Rogavit me dominus Anastasius dilectissimus frater et dominus meus ; admonuerunt vero cum illo et alii multi, non tantum pensantes mihi innatam stultitiam, quantum amantes tam secretorum verborum qualemcumque sibi clarere peritiam. *Quod tam timide proposuerat Mabillonius in Actis Sanctorum, audacius dein affirmavit in Annalibus ad annum* 1048 (*o*), *et post eum scriptores Historiæ litterariæ Galliæ* (*p*). *Quibus assentiendum esse ducimus.*

sed ipse S. Anastasius

15 *At quædam quoque scriptio exstat, quæ ipsi nostro* Anastasio *a pluribus tribuitur : en ut Ceillier* (*q*) *magnam hujus controversiæ partem exponat :* Parvum tractatum de Eucharistia, qui epistolæ rationem referat, nobis reliquit S. Anastasius. Aliquamdiu tributus fuit (*a Dacherio scilicet in notis ad Lanfrancum* (*r*) *et a Dupin in Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum* (*s*)) cuidam monacho S. Sergii Andegavensis, duas ob causas : *I* quoniam Ms. codex, unde eum descripsit Dacherius, in S. Sergii monasterio servabatur ; *II* quoniam F iste tractatus inscriptus erat GERARDO abbati S. Albini ejusdem civitatis. Sed notetur necesse est, nomen GERARDUM in Ms. non integrum legi, sed initialis tantum apparet littera G, et in alio Ms. codice loco G legi W ; quod Willelmum aut Guillelmum potius quam Gerardum denotat. Quamobrem Mabillonius in Annalibus lib. LIX § LXXX (*t*) æstimat libellum scriptum fuisse ad Guillelmum abbatem Cormeliensem, olim monachum Beccensem, atque ex hoc forte tempore Anastasio notum. *At tertia sententia, quam secuti sunt Benedictini sodales, qui S. Anselmi opera edidere, adscribit illud opus S. Anselmo, et illud* G. Gislebertum *esse interpretantur ; verum hæc interpretatio pugnat cum Ms. codice, de quo Mabillonius, et totam epistolam talem non esse qualem S. Anselmus ad Gislebertum scripsisset, perspiciet unusquisque, qui eorum ætatem, et familiarem verecundamque consuetudinem attenderit ; quod ex S. Anselmi epistolis facile factu est.*

(*a*) T. XI, col. 518.— (*b*) Beaunier Rec. des archevêchés, etc., t. II, p. 726. Cfr. annot. *f* ad Vit. S. Anast. infr. — (*c*) Oper. Omn., p. 312 et seq. Edit. 1675. — (*d*) Ad annum 1048, § XLIII, t. IV, p. 456. — (*e*) Hist. litt. de Fr. t. VIII, p. 163. — (*f*) Hist. des Aut. Eccl., t. XXI, p. 46. — (*g*) Annal. Ord. S. Bened., lib. LXIX, § XLIV, t. V, p. 345. — (*h* T. XI, col. 404. — (*i*) Cfr. D. Bouquet, t. XII, p. 626. — (*k*) Ibid., l. c. — (*l*) T. II. col. 768 et seqq. — (*m*) Cfr. Hist. litt. de Fr,, t. VIII, p. 338. — (*n*) P. 128 Edit. posterior.— (*o*) T. IV, p. 456. — (*p*) T. VIII. p. 163. — (*q*) Hist. des Aut. Ecclés., t. XX, p. 697. — (*r*) P. 21. — (*s*) Bibl. des Aut. Ecclés., t. VIII, p. 11. — (*t*) T. IV, p. 471.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

non scripsisse videtur Epistolam de S. Eucharistia.

16 *Propterea tamen non ii sumus, qui raptim sequamur Ceillier, Butler, et scriptores Historiæ litterariæ Galliæ. Displicet enim eorum promptitudo, qua se Mabillonii sequaces autumant, cum plane tamen affirment* S. Anastasium *illud opusculum condidisse, licet Mabillonius hic denuo duplicem sententiam inierit, in Analectis* (*a*) *re quidem vera indubitanter hunc libellum* S. Anastasio *adscribens, sed in Annalibus* (*b*), *ubi multo accuratior esse solet, quam cautissime de hac re loquens, adeoque* verisimiliter, ut videtur, *hanc scriptionem* S. Anastasii *esse conjectans. Neque iterum est argumentum, quod Historiæ litterariæ scriptores eruunt ex enumeratione Sanctorum Patrum, quos fidei catholicæ testes adducit auctor anonymus; aiunt scilicet hoc eruditionis specimen, si conferatur cum doctrinæ laude quam Sancto nostro impertit ejus biographus, et expendantur locorum et temporum adjuncta, non relinquere spatium inquirendi alius Anastasii, cui hoc opusculum assignetur. Verum cum gratis omnino supponatur littera A.* Anastasium *designari, gratis quoque omnino negatur, quidquid tali superstruitur fundamini. Et præterea si attenditur* S. Anastasium

B

unum tantum annum in Monte S. Michaelis degisse, et deinde in Normanniæ et Britanniæ oris solum mansisse, *ut loquitur biographus, non intelligitur quo pacto alicui epistolæ umquam præmittere potuerit*: Domino G. abbati, olim CARISSIMO FILIO, nunc Deo propitio venerabili patri frater A. *Quamobrem ob ipsum titulum Sancto nostro abjudicari posse arbitramur hanc epistolam, quæ* CV *lib.* IV *epistolarum S. Anselmi* (*c*) *est, quamque legere licet apud Dacherium in notis ad Lanfrancum* (*d*) *et apud Bulæum in Historia Academiæ Parisiensis. Jam vero si quæratur cuja tandem sit, malo ignorantiam fateri, quam minus prudentem esse. Satis fuerit dixisse opusculum illud scriptum fuisse a viro docto atque orthodoxo ad abbatem quemdam, ut videtur, Normanniæ, qui ei* jusserat ut quidquid crederet de corpore et sanguine Domini, sibi patefaceret. *Scripsit ad eum monachus* eximiorum doctorum testimonia, quatenus abbati satisfaceret se vel optime credere, vel solerti vigilantia vel sagaci perquisitione hæc indagasse. *Quæ verba induxere Dacherium, Bulæum et Dupin ad æstimandum hoc opusculum pristini erroris ejurationem esse. Feliciorem forte secuti fuissent sententiam, si opinati essent anonymo auctori*

C

dubium fuisse, quid intenderet venerabilis suus pater, velletne in fidem suam inquirere, quod ubique Berengarii nomen streperet, an vero in hujus asseclas aliquod novum vibrari telum : quæ quidem ex epistola illa elicere licet, nihil vero quod errorum ejurationem sapiat. Atque hæc de gestis, quæ sancto nostro Anastasio, *in Normannia versanti, affiguntur. Nunc superest ut inquiramus, quando inde pedem retulerit.*

Mansit probabiliter S. Anastasius *in Tumbalenia usque ad annum* 1067 *ut paulo tardius,*

17 *Verum cum ex ejus biographo Galterio num.* 4 *tantummodo noverimus beatum eremitam* aliquanto tempore *in Tumbalenia* vita eximiæ conversationis claruisse, *donec Hugo, Cluniacensis abbas, cœnobia sua visitans, illac transiret, liquet quidem præsentis quæstionis nodum solutum iri, si alicunde sciretur, quo anno cœnobia Normanniæ visitaverit S. Hugo; ast S. Hugonis vita, licet maximis negotiis, posteriore sæculi undecimi parte transactis, illigetur, ita a pluribus conscripta est, ut nulla fere chronotaxis inde componi queat. Hildebertus quidem, Cenomanensis præsul, cap.* III *Vitæ S. Hugonis scripsit*: Consolationis gratia pius pater loca visitare consueverat, quæ monasterium Cluniacense contingunt (*e*); *et jam suo tempore monasteria aut saltem possessiones Cluniacensi cœnobio fuisse in Normannia declaravit ipse sanctus Hugo abbas in Deprecatorio, quod ipse ultimis suæ vitæ temporibus conscripsit, et bibliotheca Cluniacensis* (*f*) *continet. Ast quo præcise anno illa acquisierit, mihi indaganti reperire non licuit, neque proin ulla temporis nota inde ex petenda venit.*

D

ut ex Vitis SS. Anselmi et Hugonis

18 *Alio itaque vertendus est stylus : ex epistola S. Anselmi, quam superius ad Robertum de Tumbalenia scriptam fuisse æstimavimus, certo eruitur* S. Anastasium *anno* 1059 *in vicinia Montis S. Michaelis fuisse, quandoquidem Robertus in ea dicitur* desiderabili societate Anastasii frui *et* ambo valere *jubentur. Porro Anselmus se minimum inter monachos Beccenses, (ut se inscribit), ante prædictum tempus nuncupare non potuit, quoniam in fine tantum illius anni Beccum ingressus est, ut unicuique chronotaxim Vitæ S. Anselmi volventi sine mora patebit. Quocirca ille me non dissentientem habebit, qui illam epistolam anno* 1060 *aut tardius scriptam fuisse suggeret, dummodo annum tamen* 1066, *quo Robertus de Tumbalenia ad præposituram S. Vigoris assumptus est, non excedat. Sane*

E

circa hæc tempora sæpius in Pictavensem agrum venisse videtur S. Hugo, cum de stabiliendo Novo-Monasterio ageretur, ut ex his liquet quæ sæpius in Commentario de SS. Amando et Juniano num. 19 *exposita sunt. Unde facile excurrere potuit in monasteria Normanniæ et Armoricæ, non ita disjuncta. Aliud autem spatium aptius non occurrit, siquidem in catalogo abbatiarum et prioratuum Bibliothecæ Cluniacensi* (*g*) *inserto, nullum asceterium mihi obviat, quod adire debuerit, aut adiisse noscatur S. Hugo ante annum* 1070, *quo tempore dubium non est, quin* S. Anastasius *Cluniaci jam versaretur.*

erui tentatur.

19 *Ascendendum tamen esse saltem ad ann.* 1067 *aut alium propiorem, ex eo colligitur quod circa hoc tempus Guillelmus Nothus, Normanniæ dux, nondum S. Hugonem viderat, licet eum summopere videre cuperet : quod duplex assertum petitur ex Bibliotheca Cluniacensi* (*h*). *Istic quippe narratur hunc ducem incredibili reverentia excepisse S. Hugonis benedictionem, quam sibi Warmundus abbas, tamquam legatus deferebat* antequam *sancti Cluniacensis abbatis* colloquio frui potuisset. *Cum vero Warmundus, qui illic abbas dicitur, circa annum* 1067

F

abbas Dolensis factus sit, inde quoque sequitur S. Hugonis iter et Anastasii *nostri in Cluniacum discessum ad hæc tempora differenda videri. Atque exhinc probabile fit* S. Anastasium *viginti circiter annos in insula Tumbalenia vixisse, quandoquidem superius monstravimus eum ante annum* 1048 *e Monte S. Michaelis abiisse. Neque multo longius esse potest hoc spatium, quoniam inferius videbimus* Anastasium *circa annum* 1073 *in Hispaniam missum; quod non factum videtur, antequam commorationem suam aliquot annos Cluniaci protraxisset. Similiter initium ejus vitæ eremiticæ non multum differenda est ante annum* 1048, *quoniam secus, cum in Montem S. Michaelis advenit, non ita sopita esse potuisset memoria initi a Suppone gubernii, quam ut post annum tantum de eo audiret* Anastasius.

Cur S. Anastasius *post Supponis ejectionem non repetierit suam abbatiam. Recapitulatio chronologica.*

20 *Quod vero* S. Anastasius *post migrationem Supponis et melioris abbatis adventum pristinum suum cœnobium non repetiit, sed eremiticam suam vitam protraxit, ratio absque dubio est, quod his temporibus vita eremitica sanctior meliorque habebatur; cujus sententiæ tum vigentis ipsum S. Petrum Da-*

(*a*) P. 129. Edit. poster. — (*b*) Lib. LIX, § LXXX, t. IV, p. 471. — (*c*) Opera S. Anselmi, p. 452. Edit. 1675. — (*d*) P. 21. — (*e*) Oper. Hildeberti Cenoman., Col. 921. — (*f*) Col. 493 et seqq. — (*g*) col. 1751. — (*h*) Col. 453.

miani

A *miani lib.* VI, *epistola* XII *testem dicit Ceillier* (*a*), *eamque B. Simonem, comitem Crispejensem, secutum fuisse tradit ejus biographus* (*b*). *Quæ omnia ut paucis contrahamus, summe verisimile est* S. Anastasium, *circa annum* 1020 *natum Venetiis et in patria bonis litteris laudabilissime eruditum, ante annum* 1048, *Suppone abbate, ad Montem S. Michaelis devenisse, atque inde non multo post exactum tirocinii annum et assumptam monachalem vestem in vicinam rupem Tumbaleniam cum amico suo Roberto secessisse; ubi cum degeret, S. Anselmus ejus laudes ad socium Robertum scripsit amicitiamque postulavit; Robertus vero, amico hortante, Commentarium in Canticum Canticorum condidit, ipse autem* Anastasius, *qui inde circa annum* 1067 *Cluniacum abiisse videtur, nequaquam scriptiunculam quamdam de sacra Eucharistia, ut quidam scriptores voluerunt, exaravit. Hactenus de priori parte vitæ* S. Anastasii.

§ II. S. Anastasius Cluniacum petit; quæritur quo anno et cur a S. Gregorio Papa VII in Hispaniam missus sit; an ad prædicandum Sarracenis? Mors et Reliquiæ S. Anastasii.

B

S. Anastasius *mittitur Cluniaco in Hispaniam,*

Cum itaque S. Hugo circa annum 1067 *aut paulo serius in Normanniæ tractum advenisset, et* per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum S. Anastasio retulisset, *ei tandem persuasit ut secum Cluniacum pergeret. Cum vero in hac sanctitatis palæstra plures annos, ut ex narrandi Galterii modo elucet, sese exercuisset, ad amussim regulam sequens et multa ei jejunia, vigilias, genuflexiones, et orationes nocturnas superaddens, exercuisset,* præcepto sancti patris nostri Papæ Gregorii septimi et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ingressus est, ad prædicandum, *inquit Galterius num.* 5, Sarracenis; *quod quo sensu intelligendum sit, quove tempore id factum sit, disquirendum jam est. Cum autem iterum hoc loco ab Hagiographis Benedictinis dissentiendum sit, quid de his senserint*

C *prælaudati scriptores consignandum est, ne inauditi judicentur:* Aliam, *inquiunt num.* 3, deprehendimus notam ex Beati Anastasii vita repetitam, scilicet ex ejus in Hispaniam profectione, quam jubente Gregorio VII summo pontifice, et mittente Hugone abbate Cluniacensi, ab eo susceptam fuisse testatur idem Vitæ auctor. Hoc autem iter anno circiter MLXXIV consignamus, scilicet paulo post Alfonsi regis restitutionem, cum Gregorius jam secundum pontificatus sui annum attigisset. Non enim Anastasium ex iis fuisse censemus, quos postea Sanctus Hugo in Hispaniam transmisit, ut ibi disciplinam monasticam restaurarent. Isti nempe in Hispaniis permanserunt, variis monasteriis de novo construendis, aut certe veteribus restaurandis intenti; quorum etiam plerique ad episcopales infulas evecti sunt. At Anastasius eo solummodo profectus fuerat, ut Sarracenis Christi Euangelium nuntiaret; hinc, cum se incassum labore advertisset, in Gallias repedavit. *Quæ quam vera sint, non inutile erit expendisse, quoniam nonnullam lucem inde affundi posse arbitror parti historiæ monasticæ in Hispania, aut si mavis, ipsius historiæ ecclesiasticæ.* D

ubi Cluniacenses aliquot jam pridem degebant.

22 *Non tamen est quod in examen vocemus universam disputationis seriem, quam multis jam exagitavit P. Joannes Franciscus Masdeu in Historia critica Hispaniæ* (*c*). *Absurda quippe nimis est, quam ut refellatur, quorumdam assertio, qua vita monastica primum in Hispaniam invecta prædicatur ineunte sæculo undecimo a monachis Cluniacensibus. Num vero hoc tempore, scilicet regnante Alfonso Majore, celeberrimi ii monachi quædam monasteria illic occupaverint, quum multis quoque disputetur a prælaudato P. Masdeu, qui negantem sententiam adstruens adversariorum simul profert argumenta, in quæstionem iterum vocare non libet; verumtamen si admittatur monachos Cluniacenses, Alfonso Majore rege, in Hispaniam non advenisse, caveat tamen lector ne Cluniacenses Hispania excludat usque ad tempora Alfonsi Magni, aliis VI dicti: qui recentium quorumdam scriptorum error est. Hujus enim Alfonsi pater, superioris Alfonsi filius, qui apud plurimos Fredelannus, vulgo autem Ferdinandus dicitur, monasterio Cluniacensi et* E *ejusdem monasterii monacho, Atoni nomine, ecclesiam Sanctæ Agathæ, cui deinde Alfonsus VI monasterium adjecit, dedit atque concessit, additis in censum annuum nonnulla pecunia, et usu prædiorum. Ipsum instrumentum legesis in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem* (*d*). *Omnium vero maxime Cluniacenses promovit in Hispania sæpius laudandus Alphonsus VI, de quo sic Petrus Venerabilis in fine libri* I *Miraculorum* (*e*): Præter hæc *(censum annuum)* duo monasteria in Hispaniis ex propriis construxit, alia a quibusdam aliis personis construi permisit, et ubi construerentur adjuvit: in quibus Cluniacenses monachos ponens, et unde omnipotenti Deo regulariter servire possent, regia liberalitate affluenter largiens. Et pene mortuum monasticæ religionis fervorem ex parte in Hispaniis reparavit. *At jam propius res inspicienda est.*

Ex epistola Alphonsi VI regis Castellæ et Legionis

23 *In primis certum est extremis annis pontificatus Alexandri II, et præsertim eo tempore, quo S. Gregorius VII Ecclesiæ gubernacula tenuit, id est ab anno* 1073 *usque ad annum* 1085, *semel et iterum Cluniacenses in Hispaniam abiisse; at ne in latiorem campum excurramus, juvat intra breve* F *spatium totam concludere quæstionem, quæ in hoc fere versatur: quinam comites fuerint Hugonis Candidi, cum a S. Gregorio in Hispaniam deputatus fuit. Plures e comitatu excludunt quemdam Robertum, eumque ante annum* 1070 *in Hispaniam ad Alfonsum regem mittunt, cum tamen Alfonsus tum esset in carcere; alii, ut Sandovalius* (*f*), *Robertum et Marcellinum Hugoni socios addunt, et excludere videntur* S. Anastasium, *aut alium quemcumque. Qua super re primo exhibendum videtur fragmentum litterarum, quas integras edidit Dacherius* (*g*). *In hoc quippe fragmento, quod ipsius Alphonsi VI ad S. Hugonem conscriptum opusculum est, ita quæstionis cardo vertitur, ut ex ignorantia temporis quo scripta sit, necessario multi orti sint errores, etiamnum vigentes; en illud fragmentum:* Quanta te, gloriosissime pater, devotione diligam, melius, ut deputo, ipse cognoscis, quam aliquis doctor in charta scribere possit; * Robertum, quem super omnes monachos teneo excellentiorem et cariorem, vestrumque ex intimo

* *supplet Mabillonius:* ad te remitto

(*a*) Hist. des Aut. Ecclés., tom. XX, pag. 530. — (*b*) Act. SS. Ord. S. Benedicti, sæc. VI, part. II, p. 379. — (*c*) Historia critica de la España, tom. XV, pag. 252 et seqq. (*d*) Col. 463. — (*e*) Biblioth. Cluniac., col. 1296. — (*f*) Chron. general de España, tom. XI, p. 100. — (*g*) Spicileg., t. III, pag. 407. Edit. poster.

corde

A corde fidelissimum confratrem, scientem qualiter tuus amor factus est mihi velut ignis tota die et nocte ardens in corde meo; unde si omnia mihi dedisses, quæ in mundo habere potes, puto nihil esse ad comparationem illius boni, quod causa mei particulam tui gregis, quem spirituali fovisti manu, in nostris partibus misisti. Quapropter gratia Domini te illuminante, ego servus servorum Dei, omnino tuæ subjectus pietati, magis ac magis deprecor paternitatem, ut in bono quod cœpisti perseveres, quatenus aliquos tuæ sanctissimæ religionis domesticos mittere digneris, et ut illum nostrum et vestrum locum, quem tuo sanctissimo fonte incepisti rigare, repleant tua dulcedine, dum in hoc fragili moveor.

quæ non anno 1070,

24 *Lucas Dacherius, qui illas litteras Alfonsi ad Hugonem edidit, affigit, huic scriptioni annum* 1070 ; *quod nimia fiducia admisit Mabillonius in suis Annalibus* (*a*) *ad hunc annum. Verum erroneum esse hunc calculum ostendit primo ipse epistolæ finis, qui sic sonat :* De Romano autem Officio, quod tua jussione accepimus, sciatis nostram terram admodum desolatum esse ; unde vestram deprecor paternitatem, quatenus facitatis ut dominus

B Papa nobis suum mittat cardinalem, videlicet domnum Giraldum, ut ea quæ sunt emendanda emendet, et ea quæ sunt corrigenda corrigat. Vale. *Etenim talia anno* 1070 *scribi non potuere ; quandoquidem Giraldus non anno* 1070, *sed anno tantum* 1072 *ab Alexandro II cardinalis creatus sit, ut unanimi voce asserunt : Wion in Ligno Vitæ* (*b*). *Ughellus in Italia sacra* (*c*), *Ciaconius in Vitis summorum Pontificum* (*d*), *etc. : unde saltem dicendum foret, hanc epistolam non ante annum* 1072 *fuisse scriptam. At hic sistendum non est, quoniam etiam tardius scriptam fuisse constat.*

sed in priori parte anni 1073 scripta est,

25 *In citata scilicet Alfonsi epistola hæc alia quoque prostant verba :* Ad hæc scito, sanctissime pater, censum quem pater meus illi sanctissimo loco Cluniacensi solitus erat dare *(vide hujus Commentarii prævii num.* 22,*)* ego annuente Deo, in diebus vitæ meæ duplicabo. *At universi Sancti Hugonis biographi conveniunt in assignanda hujus duplicationis causa certo alicui facto, certoque anno. Unus pro reliquis audiatur Hildebertus Cenomanensis episcopus, quem vel in suis operibus* (*e*), *vel in Opere nostro ad diem* XXIX *Aprilis* (*f*), *vel in*

C *Bibliotheca Cluniacensi* (*g*) *latius consule, nos autem hic breviabimus. Postquam itaque biographus ille narravit, quo pacto Alfonsus per episcopum, a B. Petro missum, liberationis suæ diem instare, et Sanctius ab eodem Apostolo in somniis monitus fuisset, ut fratrem suum e carcere liberaret ; postquam insuper insinuavit hæc beneficia, (quæ tamen Rodericus Toletanus* (*h*) *Petro Usserio comiti, et Urracæ sorori adscripsit,) ad preces S. Hugonis cœlitus data fuisse, subjungit :* Sic Ildefonsus et sibi pariter et regno restitutus, ut liberatorem suum videre et colloquio ejus donari mereretur, destinatis apicibus imploravit ; *qui apices aut litteræ absque dubio respiciunt supra recitatam epistolam. Deinde sic pergit :* Impletur votum potestatis.... Exultat rex.... Qui ne intercessoribus suis ingratus aliquando videretur, duplicato censu paterno ducentas *(variant in hoc numero S. Hugonis biographi)* auri uncias Cluniacensi cœnobio quotannis disposuit assignari, diem utriusque exitus et de carcere scilicet et de corpore celebrem habere desiderans. Ita vir Dei cum prædicta remeans pecunia, adducebat Maurum, *etc.*

D

ut, discusso ordine chronologico aliquot gestorum Alphonsi regis,

26 *Verum hæc non uno eodemque tempore facta sunt : anno enim* 1070 *Alfonsus, sive Ildefonsus a Sanctio suo fratre in prælio captus fuit, et in carcere reclusus ; istic tamen non diu delituit : nam paulo post memoratam Sanctii visionem fuit inde extractus, non ut libertati restitueretur, sed ut custodiretur in monasterio SS. Facundi et Primitivi, atque illic monachalem vestem indueret ; quod* non proposito, sed timore *fecit, ait Rodericus. Ast hæc vana et minus stricta vincula non obstiterunt, quin anno* 1071 *effugerit Alfonsus, petieritque aulam regis Toletani, quocum permansit, donec frater suus misere occisus est ineunte, ut videtur, anno* 1072. *(Vide de dubia hac ætate Historiam regum Castellæ et Legionis Sandovalii* (*i*)*). Cum autem tantum post hanc cædem ad finem mensis Octobris, ut Sandovalius* (*k*) *tradit, Alfonsus regno Legionis atque Castellæ potitus sit, et se* regem Hispaniarum *dicere potuerit, necesse est ut prædicta epistola, in qua se* regem Hispaniarum *nuncupat, non ante hoc tempus fuerit scripta : quin etiam inter regni adeptionem et hujus epistolæ scriptionem non nullum intervallum cucurrit ; necesse quippe fuit, primo ut summus Pontifex, qui S. Hugoni jubendi jus dedit, (ait enim Alfonsus :* Quod tua jussione accepimus, *scilicet jubente S. Hugone nomine Pontificis,) cædem Sanctii et Alfonsi in regnum restitutionem resciverit, dein ut pontificium mandatum ad S. Hugonem pervenerit, et demum ut hic scripserit ad Alfonsum, atque ut Alfonsus hanc jussionem exsequi tentaverit, ejusque viderit fructus ; quibus negotiis tres saltem menses absumpti fuerint. Quæ ita presse sumpta ad initium saltem anni* 1073 *prædictam Alfonsi epistolam referrent.*

E

S. Gregorii VII

27 *Accuratius adhuc determinari potest hujus scriptionis tempus, et quidem ex his jam supra recitatis verbis, quibus Alfonsus S. Hugoni significat in ditionibus suis magnam desolationem exortam esse ob introductum Officium Romanum ; seque propterea ab eo efflagitare, ut curet cardinalem Giraldum a Pontifice in Hispania mitti, qui* emendet quæ emendenda *repererit, et* corrigat quæ *crediderit* corrigenda. *Quæ verba si conferantur cum epistola S. Gregorii VII data ad Giraldum Ostensem et Raimbaldum subdiaconum* II *kalendas Maii anno* 1073 *et*

F *cum altera ejusdem Pontificis data ad eumdem Giraldum kalendis Julii ejusdem anni, uno tantum pacto ea explanari posse penitus mihi persuasum est. Giraldus videlicet ab Alexandro II, qui die* XXI *Aprilis anni* 1073 *obiit, in Gallias et Hispaniam legatus fuerat cum Raimbaldo. Mense Maio versabatur in Gallia, ubi receperit priorem, de qua modo dixi, S. Gregorii epistolam, quæ sexta libri* I *apud Labbeum est* (*l*) *et in qua S. Gregorius sic loquitur :* Præterea hæc meminisse debetis quod in litteris quoque domini nostri beatæ memoriæ Alexandri et nostra quoque legatione orati et commoniti fuistis, quatenus causi Evuli comitis de Rocceio per vos et per antedictum abbatem *(Hugonem Cluniacensem)* favorem addere insisteretis ; et cognita pactione, quam nobiscum de terra Hispaniæ pepigit in scripto, quod sibi dedimus, una cum consilio abbatis, tales illuc personas dirigi procuraretis, qui et errorem Christianorum, qui ibi reperiuntur in spiritualibus corrigere saperent... Vos autem ex nostra parte rogate abba-

(*a*) Lib. LXIII, § LXXII, t. V, p. 29. — (*b*) T. I, p. 221. — (*c*) T. I, col. 59. — (*d*) T. I, col. 838. — (*e*) Col. 917. — (*f*) Act. SS., t. III April., p. 637. — (*g*) Col. 419. (*h*) De reb. Hisp., lib. VI, cap. XV. Collect. Pat. Toletan., t. III, p. 130. — (*i*) Chron. general de España. t. XI, p. 110. — (*k*) Ibid., p. 120. — (*l*) Collect. Conc., t. X, col. 9.

tem

A tem, ut tales sibi *(Hugoni Candido cardinali)* adjungat, qui eum comitentur, quorum consilio et adjutorio iter et laborem illum fiducialiter aggredi possit, legatione tamen in eo principaliter posita. Extra Hispaniam vero nullius umquam publici rerum ecclesiasticarum negotii sine vestro consensu, quamdiu vos in Gallia fueritis, licentiam sibi *(Hugoni Candido)* dedimus faciendi. *Mandat deinde sanctus Pontifex, ut ipse Giraldus vel continuo Romam revertatur, vel suæ moræ rationem reddat.*

et legati Hugonis Candidi, probatur,

28 *Pontificis jussa extemplo perfici cœpta sunt. In Hispaniam profectus est Hugo Candidus cum Roberto monacho Cluniacensi, atque aliis sodalibus, quos inter sine dubio Sanctus noster* Anastasius, *ut ex inferius dicendis satis constabit. Acriter promovit Hugo Candidus et plerique Cluniacenses demandatum sibi opus : unde Hispanorum (Castellanos et Legionenses intelligo) animi vehementer sunt commoti; Robertus vero blanditiis devinciebat sibi regem, et simul abolitionem ritus Mozarabici impediebat : quod S. Gregorii epistolæ* II *et* III *libri* VIII *apud Labbeum* (*a*) *certum faciunt. Interea morabatur*

B *etiamnum in Gallia cardinalis Giraldus, Gallicanæ Ecclesiæ negotiis occupatus, atque inter alia severiorem se gerens erga archiepiscopum Ausciensem : quod ex epistola S. Gregorii, quæ apud Labbeum* XVI *libri* I (*b*) *est, novimus. Agebatur tum vel finis mensis Maii, vel initium mensis Junii anni* 1073. *Atque eidem tempori annectenda est epistola Alfonsi ad S. Hugonem Cluniacensem, qua, ut vidimus, postulat ut curet S. Hugo, ne renuat domnus Papa suum mittere cardinalem Giraldum, qui melius ordinaret, quæ ad officium Mozarabicum spectabant. Cum id rescivit Giraldus statim in Hispaniam profectus est. Atque hæc profectio per Giraldi litteras vel per episcopos Galliæ, quos durius habuerat,* kalendis Julii indictione undecima, *id est, anno* 1073 *Romæ jam innotuerat : cujus assertionis irrefragabile argumentum est memorata S. Gregorii epistola* XVI *libri* I, *in qua post nonnullas objurgationes, quod gesta sua in Gallia non satis declaraverat, hæc habemus :* Nobis equidem gratum est, quod pro negotiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Hispanias profectus es. *Verisimiliter S. Hugo tum comitatus est Giraldum, et duplicem, de quo diximus, censum ab Alfonso accepit : ocius saltem in*

C *Hispaniam non est profectus. Quod ad tempus Giraldi itineris spectat, nihil est quod nos moretur Florez* (*c*), *qui Geraldum ad annum* 1071 *aut* 1072 *inducit in Hispaniam. Nam ad id inductus videtur ob id unum quod anno* 1074 *Romano Concilio interesse vidit episcopos Hispanos. Verum hanc difficultatem solvit ipse S. Gregorius, cum in epistolis, ad Alfonsum Castellæ et Sancium Navarræ reges* XIV *kalendas Aprilis indictione* XII, *seu anno* 1074 *datis* (*d*), *scribat* episcopos Hispanos, qui NUPER Romam venerant per scripta sua se id facturos *(amplexuros ritum Romanum)* et in manu sua firmasse. *In fine hujus chronotaxis liceat mihi repetere, præmisso modo omnia bene inter sese consonare, secus vero creari labyrinthum.*

constat S. Anastasium *anno* 1073 *in Hispaniam profectum esse cum Hugone Candido.*

29 *Porro* S. Anastasium *socium fuisse Hugonis Candidi et Roberti Cluniacensis, in Hispaniam proficiscentium, nobis constare superius jam diximus. Et quidem novimus ex Galterio, ejus biographo, eum* præcepto sancti patris nostri Gregorii septimi, et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam... ingressum esse (*e*). D *Jam vero duo tantum S. Gregorii VII præcepta noscuntur, quæ ad Cluniacensium in Hispaniam profectionem vel commorationem spectent. Prius illud idem est, quod num.* 27 *retulimus, et quo aliquot monachi comites dandi erant Hugoni Candido; alterum exstat in epistola* III *libri* VIII *apud Labbeum* (*f*), *anno* 1080 *data ad Alfonsum regem Castellæ et Legionis, et multo clarius in epistola* II *ejusdem libri* (*g*), *data ad S. Hugonem Cluniacensem* V *halendas Julii indictione tertia, seu anno* 1080. *In hac graviter perstringitur Robertus, quod Hispanos ab Officio Romano recipiendo dehortatus est, et ab introitu ecclesiæ arcetur; mandatur prætereæ S. Hugoni ut* sui etiam studii sit, ut monachi, in eisdem partibus *Hispaniæ* injuste dispersi, ad proprium redeant monasterium : *ex qua dictione :* injuste dispersi, *manifestum est alios Cluniacenses monachos in Hispaniam secessisse absque jussu Pontificis, dum alii illuc tetendissent ex ejusdem, ut vidimus, mandato; atque his, cum cardinali Hugoni, ut demonstravimus, profectis socium se dederit oportet* S. Anastasius, *utpote præcepto S. Gregorii VII in Hispaniam ingressus. Quamobrem cum legatus, car-* E *dinalis Hugo medio circiter mense Maio anno* 1073 *profectus fuerit, huic tempori, non anno sequenti, ut voluere Hagiographi Benedictini, attexendus est* S. Anastasii *abitus.*

Idem Sanctus videtur Mozarabibus, non Sarracenis prædicasse,

30 *At biographus scribit* Anastasium *non ad abolendum ritum Hispanicum, sed* ad prædicandum Sarracenis *missum fuisse. Verum cum Galterius saltem quadraginta annis post* S. Anastasii *missionem opusculum suum aggressus sit, quam facile ei fuit in uno errare facto? Quanto facilius si in alio regno illud acciderit, potissimum in Hispania, de qua cum medii ævi scriptores Galli agunt, flocci fere fit eorum fides? Verumtamen non idcirco in animum mihi inducam asseverare, nihil veri sub Galterii verbis latere; ecce quid apud me verisimile sit : ad Galterium relatum fuerit* S. Anastasium *missum fuisse a S. Gregorio in Hispaniam, ut Mozarabes permoveret ad ritibus suis valedicendum; confuderit autem Galterius Mozarabes cum Arabibus seu Mauris, atque inde illorum ritus cum ritibus impiis Sarracenorum. Quod vero Galterius num.* 5 *narrat* Anastasium ad probandum certitudinem fidei Christianorum... per ardentem rogum post celebrata Missarum solemnia transire voluisse; sed F Sarracenos conditioni ejus noluisse acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad Baptismi gratiam confugerent, *minime est cur molestiam creet. Grandis enim probabilitas est Galterium hoc loco et Rodericum Toletanum lib.* VI, *cap.* XXV *Historiæ Hispaniæ* (*h*) *de eodem agere facto. Narrat scilicet Rodericus per monomachiam et ignem librum officii Toletani probatum fuisse. Rodericum autem in enarrandis circumstantiis falsum fuisse si asseruerim, nihil a sententia peritorum absonum protulero, cum jam nonnulli eruditi scriptores integrum Roderici testimonium in dubium vocaverint, seu etiam inter fabulas relegarint : de his videat lector quæ Cuperus noster in dissertatione de ritu Mozarabico notavit* (*i*).

quod ex collatione historiarum,

31 *Attamen cum Chronicon Malleacense a Labbeo* (*k*) *editum, et cujus auctoritas apud Historicos laudatur, cum Roderico circa peractam monomachiam consentiat; suadente Cupero, fidem meretur Rodericus, dum illud idem duellum adstruit. At non*

(*a*) Collect. Conc., t. X, col. 252. et seq. — (*b*) Ibid., col. 17. — (*c*) España Sagrada, t. III, p. 305. Dissert. de Missa antiq. Hispan., n. 166. — (*d*) Labbe Conc., t. X, col. 52 et seq. — (*e*) Vide infra, n. 5. — (*f*) Coll. Conc., t. X, col. 253. — (*g*) Ibid., col. 252. — (*h*) Patres Toletan, t. III, p. 139. — (*i*) Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (*k*) Bibl. nov. MSS., t. II, p. 211.

tanta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *tanta benignitate excipiendus censetur a nostro Cupero Toletanus archiepiscopus, cum miraculum de Officio Mozarabico, intacto ab igne, incredibile fere, si occasionem, et magis incredibile, si attendas effectus (nam Alfonsus præcepit nihilominus Officium Romanum) solus narret, silentibus auctoribus coævis: quamobrem prodigium illud non diversum censeo a probatione, quam* S. Anastasius *adversariis suis proposuisse a Galterio narratur. Quæ sententia argumento, ex tempore deducto, stabiliri posse videtur. Rodericus scilicet narrat probationem per ignem factam fuisse paulo post probationem per duellum; verum male hanc refert ad tempora quibus Alfonsus uxorem habebat Constantiam: neque probandus est Cuperus noster* (*a*), *qui, Rodericum secutus, affixit ignis experimentum anno* 1090, *quo Alfonsus jam matrimonium inierat cum laudata Constantia. Etenim Chronicum Malleacense, cujus auctoritatem et antiquitatem multo præstantiorem Roderici scriptis prædicat jure merito ipse Cuperus* (*b*), *minime hæc ad tempora matrimonii Constantiæ, quæ* filia *erat* Roberti ducis Burgundionum (*c*), *sed ad tempus conjugii Agnetis, filiæ Guidonis ducis Aquitanorum*

B *referenda sunt; en Chronici verba* (*d*) : His diebus (*inter annum* 1068 *et* 1070) Hildefonsus rex Hispanorum duxerat filiam Guidonis *(qui idem ac Guillielmus VIII dux Aquitanorum est)* quam habuit de Mateode supradicta. Pro qua re exstitit causa et contentio de lege Romana. Quam legem Romanam voluit introducere in Hispaniam et Toletanam mutare : et ideo fuit factum bellum inter duos milites et falsitate fuit victus miles ex parte Francorum. *Unde manifestum est hæc tempore reginæ Agnetis esse facta et quidem ante annum* 1075, *siquidem Corduba hoc anno traditur capta fuisse, et Lucas Tuidensis in suo chronico* (*e*) *postquam hanc victoriam narravit, extemplo subjicit:* Tunc accepit uxorem Constantiam, *et similiter Rodericus Toletanus, eamdem prorsus secutus normam, caput* XXI *libri* VI *Historiæ Hispaniæ claudit his verbis* (*f*) : Tunc, mortua Agnete, duxit uxorem, nomine Constantiam, ex partibus Galliarum ; *et continuo pergit narrando Almenonis mortem, quæ anno* 1077 *accidisse fertur. Hæc quidem, Marianæ probata, a plurium calculo discrepant; at non video aliquid certi afferri adversus hæc antiquiora monumenta, quibus honor suus esse debet,*

C *donec meliora producantur. Oportet itaque, ut probatio per ignem, de qua apud Rodericum mentio est, inter annum* 1073 *et* 1075 *concludatur, quo tempore* S. Anastasius *in Hispania versatus fuit ; et proinde facile fuit, ut per temporis intervallum, quod ab anno circiter* 1075 *usque ad tempus, quo Galterius* S. Anastasii *scribebat Vitam, et dein usque ad Roderici Toletani ævum, duplex de eodem facto invaluerit opinio.*

ex silentio scriptorum de missionibus ad Sarracenos, et ex testimoniis,

32 *Ast inclamabunt forte adversarii : nonne S. Gregorius potuit Cluniacenses mittere monachos, quorum aliquot abolendo ritui Toletano, alii convertendis Sarracenis occuparentur? Eum potuisse negandum non est; eum vero id fecisse, utpote minime probabile, nequaquam admittendum videtur. Imprimis nullus scriptor Hispanus, licet in hanc rem, quam accurate potui, inquisivi, mihi occurrit, qui vel minimum ad hos Sarracenorum missionarios alludat; laudatur quidem a nonnullis coævis Alphonsus VI, quod* augmentum fidei procuravit, *verum facilius id refertur ad liberationem Christianorum, et episcopalium sedium instaurationem, quam ad conversionem Sarracenorum. Præterea plurimæ nobis supersunt S. Gregorii VII epistolæ, ad res Hispanicas spectantes, et nulla quæ conversionem Sarracenorum vel levissime attingat; contra plurima vetera monumenta exstant, quæ contrarium suadent : sic inter epistolas Alexandri II, qui decessor S. Gregorii fuit, leguntur quædam hujus Pontificis litteræ, quæ demonstrant nullam his temporibus spem fuisse Sarracenos Hispaniæ ad sacra Christiana traducendi; pauca ex ea recitare juverit* (*g*) : Alexander Papa omnibus episcopis Hispaniæ. Placuit nobis sermo quem nuper de vobis audivimus, quomodo tutati estis Judæos, qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis, qui contra Sarracenos in Hispaniam proficiscebantur. Illi quippe, stulta ignorantia vel forte cæca cupiditate commoti, in eorum necem volebant sævire, quos fortasse divina pietas ad salutem prædestinavit... Dispar nimirum est Judæorum, et Sarracenorum caussa; in illos enim, qui Christianos persequuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt, juste pugnatur ; hi vero ubique parati sunt servire, *etc. Hæc Alexander, qui consiliario utebatur Hildebrando, postea S. Gregorio VII.*

D

E

contrarium potius probantibus,

33 *Atque hic sæpius de Sarracenis quoque agendum habuit, cum suo etiam tempore plures principes Christiani adversus eos profecti sint. At totus in vindicando jura S. Petri, innitens pactioni, quæ cum victoribus inita fuerat; nullus est in tentanda conversione Sarracenorum, quoniam, ut inferius videbitur, irrita æstimabantur hæc tentamina. Audiatur S. Gregorius ad principes Hispaniæ scribens apud Labbeum* (*h*) : Itaque comes Evulus de Roceio, cujus famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem Sancti Petri ingredi, et a paganorum manibus eripere cupiens, hanc concessionem ab apostolica sede obtinuit, ut partem illam unde paganos suo studio et adjuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte Sancti Petri possideret. *Similiter in epistola anno* 1077 *ad omnes principes Hispaniæ data* (*i*), *et in qua sibi applicat hæc S. Pauli verba :* Necessitas euangelizandi mihi incumbuit; væ enim mihi si non euangelizavero! *Iterum quidem agit de terris a Sarracenis ereptis, at frustra requires verbum, quod ad*

F *eos evangelizandos spectat. Atque his aliisque, quæ tum apud Labbeum tum apud Aguirum facile invenire est, satis liquet S. Gregorium de expellendis Sarracenis sæpius cogitasse, de convertendis autem desperasse.*

erui posse videtur.

34 *Neque hoc tentasse æstimandus est Alphonsus, quemadmodum jam supra innuimus, et ut ex ejus ira, cum se absente Mezquita* (Mosquée) *Toletana in templum Christianum commutata fuisset, satis apparet. At nihil mirum : ex epistola enim Alexandri II supra recitata intelligere jam licuit, conversionem Sarracenorum difficiliorem habitam fuisse, quam conversionem Judæorum ; atque hanc sententiam toto medio ævo viguisse testimonio sunt Extractiones de libro, quem Humbertus de Romanis confecit de his quæ in Concilio Generali anno* 1274 *tractanda videbantur. Istic autem cap.* VI *talia sunt* (*k*) : Quinta circumstantia est quantum ad animositatem obstinationis ipsorum, quia multi Ju-

(*a*) Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (*b*) Ibid., l. c. — (*c*) Fragm. hist. Floriac. apud Chesnæum Scriptt. rer Francic., t. IV, p. 89. et Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (*d*) Biblioth. nov. MSS. Labbe t. II, p. 211. — (*e*) Hispania Illustr., t. IV. p. 100. — (*f*) Collect. Patr. Eccl. Tolet., III, p. 138. — (*g*) Labbe Conc., t. IX, col. 1138, et Aguire Conc. Hispan., t. IV. p. 430. — (*h*) Concil., t, X, col. 10. — (*i*) Labbe Conc., t. X, col. 173 et seqq. — (*k*) Mansi, suppl. Concil., t. III, col. 7.

dæi

dæi et hæretici et philosophi et imperatores et plures idololatræ conversi sunt et baptizati. Nam Vandali qui et Poloni, et Huni qui et Hungari, Gothi qui et Daci, sunt effecti Catholici : Sarraceni vero nulli vel paucissimi sunt conversi. Sexta circumstantia est quantum ad calliditatem. Sicut enim lex illorum callide est conficta, quod contra difficultatem in credendis, austeritatem in præceptis et pœnis divinis, carnalia permittit, voluptuosa, sensibilia, ad preces Mahometi omnes salvandos fore finaliter dogmatizat. *Atque hinc liquet, (nam nihil adversus præsens argumentum valere potest, quod hoc instrumentum bellum sacrum respiciat, et in cap.* XV *dicantur Sarraceni subditi tolerari,* quia nocere non possunt; item quia in multis servitiis utiles sunt et facilius convertuntur,) *hinc, inquam, manifestum est, quantis difficultatibus innexa habebatur etiam sæculo* XIII *exeunte Sarracenorum conversio. Atque hæc quidem finem versus sæculi* XI *multo difficilior haberi debebat, tum quoniam continuo adversus eos pugnabatur, tum quoniam magis vigebat apud eos lex, qua prorsus devitandus eis erat contactus Christianorum, tamquam in ipso contaminaretur, ut loquitur Ambrosius Morales, S. Eulogium testem habens. Quæ cuncta nonnihil confirmantur ex omnimoda fere absentia testimoniorum, quibus Sarraceni ad veram fidem deducti perhibentur : sic apud Baronium in Annalibus et Pagium in Critica reperies tantum aliquot in Sicilia victas dedisse manus.*

Reliqua chronotaxis vitæ S. Anastasii.

35 *Reliquam chronotaxim, quæ facilis factu est, ex Hagiographis Benedictinis describimus, unum annum tantum ab eorum calculo detrahentes ob rationes, quas in hoc paragrapho late diduximus; sic illi :* His itaque statutis, cum ex Vitæ auctore discamus Anastasium ex Hispania reversum septem annos Cluniaci, ac tres alios in solitudine transegisse, jam decem annos supra MLXXIV *(immo* MLXXIII) habemus; quibus si unum aut alterum adjiciamus, quos in itineribus vel etiam in Hispania verbi divini prædicationi incumbens consumpserit, conficiemus beatum virum anno circiter MLXXXVI (*immo* MLXXXV) ad superos abiisse. Quem quidem annum, donec certiora occurrant, retinere visum est. *Neque nobis certiora uspiam occurrerunt; quin etiam nonnihil molestum nobis est, quod Galterius scribit* S. Anastasium *ab Hispania reversum, et septennium fere Cluniaci commoratum, cum S. Hugone in agrum Tolosanum abiisse, atque tunc illic comitem Appamiæ oppidi cum uxore et filiis ad conversationem monastici ordinis a S. Hugone susceptum fuisse. Nam ut in annotationibus ad hunc locum paulo latius explicabimus, nonnihil id pugnat cum aliis certis monumentis historicis : cæterum error forte est in solo nomine :* Appamiæ oppidi comite. *Utut id est, ex authenticis instrumentis probabile fit S. Hugonem, abbatem Cluniacensem, anno* 1081 *circiter Tolosæ versatum fuisse : legitur enim tum in Gallia Christiana inter instrumenta Ecclesiæ Tolosanæ* (*a*), *charta quædam, qua Isarnus episcopus Tolosanus et Willelmus comes S. Hugoni et abbati Moisiacensi Hunaldo ecclesiam S. Saturnini tradidit; quæ traditio utpote minus æqua anno* 1083 *ad nihilum redacta fuisse a S. Gregorio VII noscitur* (*b*). *Referunt Galliæ Christianæ scriptores diploma illud ad annum circiter* 1082 ; *sed multo verisimilius est duorum saltem annorum intervallum cucurrisse inter traditionem illam ejusque revocationem, ut unicuique universam negotii seriem consideranti liquebit : unde S. Hugonis ejusque socii* Anastasii *iter ad annum* 1081 *facile referri potest. Reliqua vero hujus Sancti gesta aut commentarium non patiuntur aut non requirunt : quamobrem quæ obscuriora sunt, in adjectis annotationibus quo licebit lumine circumdare satagemus. Itaque, quod superest, dicemus jam de Reliquiis.*

Ejus sepultura, et Reliquiarum elevatio,

36 *Ut ad finem Vitæ testatur Galterius,* sacrum corpus S. Anastasii in basilica Beati Martini ad Devotas, *(aut ut nunc vulgo dicunt* Saint-Martin-Doydes,) est reconditum, ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa *Galterii tempore* fiebant. *At refrixit paulatim populi fervor atque concursus, ita ut tandem oblivioni tradita sit ejus sepulcri memoria : quod patet ex sequenti monumento, quod codici Ms., ipsam Vitam continenti, insertum erat, ut Mabillonius, qui illud Vitæ subjunxit, testatur : sic autem id sonat :* Notum, manifestum et certissimum, secundum relationem fide dignorum procerum loci Sancti Martini de las Devotas, est, quod corpus Sancti Anastasii, quod fuit ignotum et inscitum ubi jacebat, fuit revelatum VII kalendas Julii per modum qui sequitur. Fuit quædam mulier devota dicti loci, quæ plures vigilias in basilica Sancti Martini faciebat, et vox de cœlo sibi dicebat : In loco ubi oras, corpus esse Sancti Anastasii scias, et jacet ; et hoc semel, secundo et tertio sibi indixit. Propterea ipsa secura de revelatione, indixit sacerdotibus et clericis ac senioribus dicti loci, qui cum devotione et fiducia locum, ubi dixit, profunde foderunt, sed non invenerunt. Et iterum vox de cœlo eidem devotæ mulieri dixit, quod foderent profundius eumdem locum, et sanctum corpus invenient. Et ita factum fuit, et invenerunt sanctum corpus : de cujus revelatione in supradicto loco fuit magna sollemnitas, et fit quotidie *, et de circumvicinis locis ad eamdem sollemnitatem devote conveniunt, ad honorem et decorem ejusdem Confessoris et monachi magistri Sancti Anastasii, cujus anima paradisum possidet.

* quotannis

cujus adjuncta expenduntur;

37 *Pauca ad hanc appendicem de inventione corporis* S. Anastasii *notari queunt : nulla scilicet ei inest talis nota, qualis ad tempus determinandum sufficiat, neque ullam ei addidit ex codicis Ms. vetustate Mabillonius. Hanc vero inventionem sæculo saltem post Sancti obitum contigisse mihi suadent, tum ipsa sepulcri oblivio, tum etiam fors nominum mutatio. Galterius enim, ineunte sæculo* XII *scribens, vicum ubi mortuus et sepultus fuerat* Anastasius, *nude* Devotas *nuncupat; in allato vero monumento jam locus, uti etiamnum, nomen a patrono mutuabatur, et locus* S. Martini de las Devotas *audiebat. Quod autem potissimum animadversione dignum est, patet ex ista scheda* S. Anastasium *ante id tempus ecclesiastico fruitum non fuisse cultu; cum ex ipsa narratione liqueat antea nondum factam fuisse corporis elevationem, quæ legitimi cultus exordium erat. Neque cuipiam mirum videri debet* S. Anastasium, *ut recitata scheda probat, tam alte in terra sepultum fuisse : jubebat id quippe ejus sanctitatis fama, quæ Reliquiarum fures multo nimium tentasset. Talibus tum industriis usos fuisse homines ex multis constat historiis : sic in Vita S. Berengarii monachi et Confessoris, qui anno* 1093 *obiit, et* XXVI *Maii colitur, occurrunt sequentia* (*c*) : Sepultum est vero sanctum illius corpus prope introitum ecclesiæ quam decentissime, ut sanctum decebat sepelire. Sed quia furto auferri corpus

(*a*) T. XIII, col. 10 et seq. — (*b*) Ibid., col. 11 et seq. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 775 ; et Act. SS., t. VI Maji, p. 448.

A ejus timebatur, tumulus ejus muro est circumdatus, et infra ecclesiam redactus.

earumdem destructio fere integra sæculo XVI *exeunte.*

38 *Num.* 1 *hujus Commentarii prævii jam secundum Mabillonium diximus*, S. Anastasii *corpus in pristina diœcesi Rivensi in ecclesia S. Martini Doydensis seu Devotensis servatum fuisse usque ad sæculum decimum sextum : quid deinceps ei acciderit, enarrat idem scriptor, prædicto scilicet sæculo* a furentibus Calvinianis hæreticis dissipatum est, præter aliquot ejus particulas in scrinio argenteo inclusas, quæ a fidelibus eorum furori subductæ sunt et in loco tuto repositæ. Has ab aliquot annis invisit illustrissimus antistes Rivensis supra laudatus *(Antonius-Franciscus Berterius qui ab anno* 1662 *ad annum* 1705 *episcopatum obtinuit)*, suaque auctoritate recognitas et approbatas fidelium venerationi exhiberi permisit. Haud procul ab eo vico visitur fons, Sancti Anastasii vulgo nuncupatus, quo sitim suam vir sanctus aliquando extinxisse memoratur. Frequentatur vero a vicinis populis, quod ejus aquæ haustu febrium ardores sedari dicantur, quod multorum experimento certum esse tradunt. *Typis tradebantur hæc*

B *a Benedictinis sodalibus ante annum* 1701. *At tentasse paulo certiori tempori sacri pignoris dissipationem assignare operæ pretium est. Imprimis certum est hoc hæreticorum facinus non ante annum* 1560 *obtigisse, quoniam hoc tantum anno, ut ex Historia Occitaniæ* (a) *colligitur, inchoavere hæretici has Galliæ partes turbare. At quod mihi, aliis instrumentis carenti, verisimillimum est, direptæ fuerunt Sancti* Anastasii *Reliquiæ anno* 1574; *quod sequentia mihi probant : cum Barones scilicet Rivenses acriter a Catholicorum partibus starent, diu ab eorum dominio abstinuerunt Calviniani ; quin etiam in relatione gubernatoris Narbonæ, jussu regis conscripta de gestis Virorum Ecclesiasticorum, Nobilium, etc., diœceseon Narbonensis, Tolosanæ, Sam-Papulensis, Vaurensis, Montalbanensis, Rivensis et Convenensis, post enumerata loca cæterarum diœceseon, quæ in ditione hæreticorum sunt, hæc subduntur* (b) : Rebelles nullo loco in diœcesibus Rivensi et Convenensi potiuntur ; verumtamen Mansum Azilis et oppidum Carlam, quæ vicina sunt, occupant, et civitas Mazeria non longe quoque inde distat. *Hæc gallice scribebantur Narbonæ die* XXIII *Januarii anni* 1574. *At hic annus non transiit, quin Cal-*

C *vinianæ cohortes Rivensem diœcesim invasissent : quæ constant ex destructione Monasterii Salanquiarum, seu Abundantiæ-Dei, quod in diœcesi Rivensi, juxta ecclesiam S. Felicis de Salanchiis, cum splendore substitit ad annum usque* 1574; *quo a Calvinistis sus deque everso, moniales in urbem Montesquivum se receperunt, donec sæculo sequenti sedem Tolosæ fixere* (c). *A veritate itaque non videtur absonum* S. Anastasii *corporis destructionem ad hunc annum revocare. Quid deinceps de reliquis sacri corporis particulis actum sit, enarrare mihi non licet, etiamnum responsum ad nostras litteras exspectanti.*

VITA S. ANASTASII

Auctore Galterio, ex editione Mabillonii.

PROLOGUS.

Causæ scriptionis, a b

Galterius *a* Petro Devotensis *b* ecclesiæ subdiacono, et fratri ejus Bernardo, in omnibus

(a) Hist. du Languedoc, t. V. p. 188. — (b) Ibid., t. V. preuv. col. 227. — (c) Cfr Gall. Christ., t. XIII, col. 142.

prosperitatem, et ad effectum perducere bonam D
devotionem. Cogitis me, dum impensius instantes rogatis, ut ad ædificationem posterorum tradam memoriæ calamo vitam Beati Anastasii confessoris. Et a me sine difficultate non video posse sufferri, nec meis viribus competit : ne vita sancti viri culpa ingenii scriptoris potius videatur atteri, quam in majus celebrari. Ne tamen vestræ petitioni videar contraire, cui, etsi parum idoneus, debeo in omnibus obtemperare, quod dissuadet aviditas * ingenii, aggrediar tutus præ- * ariditas
sidio vestræ jussionis ; etenim si quid sum, si quid valeo, Domino imputare debeo. Præterea cum me profitear amicum vestrum, non decet ut omittam, si in aliquo vobis quovis modo obsequi possum ; cum ut quidam sapiens ait : Amicitia tantum constet in petendi devotione, et in sedula obsequendi voluntate. Ad hoc accedit devotio pura, quæ cogere potest, etsi absint omnia supradicta, ut ad perficiendum quod petitis audacter insistam. Dum enim curam hanc mihi tanto opere indicitis, posteritatis ædificationi consulitis ; dum ad laudem et honorem Dei, vitam sancti confessoris ac gloriosissimi Anastasii vultis E
reserari, ut posteris sit ad exemplum, et ad sanctitatis ejusdem viri testimonium. Rogo ergo, et obnixe supplico, ut si quid incuria parum quæsiero, aut egestate mei ingenii prætermisero, aut rescissione dignum super addidero, ne pigeat lectorem addere quod perspexerit additione dignum, aut rescindere quod transversi calami nota judicaverit corrigendum. Denique excusare me poterit devotio petentium, quæ, ut sæpe jam dixi, compulit audere quod ingenii diffidentia dissuaserat.

ANNOTATA.

a *Quid de illo Galterio sentiendum sit, et de ejus opere, num.* 2 *et sequentibus Commentarii prævii explicatur.*

b *Vicus, qui* Devotæ *dicebatur ineunte sæculo* XII, *postea dictus est locus* S. Martini de las Devotas, *ut ex num.* 37 *Commentarii prævii colligere est. Gallice nunc dicitur* Saint-Martin-Doydes, *et fere septemtrionem versus Appamiarum* (Pamiers) *jacet.* F

VITA GLORIOSI ANASTASII.

Sancti patria, monachatus in Monte S. Michaelis, vita eremitica, secessus Cluniacum et in Hispaniam, reditus Cluniacum, repetita eremus, mors in pristina diœcesi Rivensi.

S. Anastasius *liberaliter et pie educatus,*

Gloriosissimus Anastasius Confessor Dei, Venetias oriundus, secundum dignitatem hujus mundi genere clarus enituit patre et matre non infimis ortus ; qui ab ipsis cunabulis baptismatis unda regeneratus, a primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est ; in quibus ita curam adhibuit, ut tam græcis, quam latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. Fuit igitur clarus ingenio, doctus eloquio, ornatus moribus, amabilis omnibus, ut felices dicerentur, qui talem filium genuissent. Sed quia vir Dei sapientiam hujus mundi stultitiam apud Deum esse

in

A in divinis codicibus legerat, et ipsam veritatem in Euangelio dicentem audierat : Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus ; cœpit non sine gratia ad memoriam revocare, et idem apud se revolvere, quia grave damnum susciperet, se pro terrenis cœlestia amitteret. Hæc diu revolvens, tandem secum deliberavit, quod, ut de commissis pœnitentiam ageret, monastico habitu sese committeret. Sed quia, manu missa ad aratrum, turpe est retro respicere, et tortum et inutile sulcum facere, voluit sanctus vir Anastasius sese primum jejuniis, vigiliis et orationibus macerare ; ut sic probaret, si, suscepto monachorum habitu, in proposito gradu persistere posset, ne resiliret : subtraxit ergo sibi primum vinum, in quo est luxuria, quarta et sexta feria *a* cœpit jejunare, sic tamen ut aliquoties carnibus vesceretur : orationi et vigiliis plerumque insistebat.

a

ad vitam monasticam separat, eamque amplectitur in Monte S. Michaëlis;

3 Cum vero hoc modo per aliquantulum temporis carnem suam refrenasset, et jam quodammodo eam in via boni propositi teneret, abjecit edulia carnium ; et ita maxime vigiliis et orationibus cœpit instare, ut a Dominica in Dominicam jejunaret. Sed quum aliquamdiu iterum se sic manciparet, sic confirmatus est, quod sibi visus etiam est firmus, et suo proposito sufficiens. Decrevit ergo satisfacere, et suum propositum perficere. Derelictis ergo parentibus, domo et cognatis, quærens locum idoneum, ubi monachorum susciperet habitum, ad mare Britannicum pervenit, ad locum, qui Portus-Herculis *b* appellatur, qui et alio nomine ad Montem Sancti Michaelis in Periculo-Maris dicitur ; ubi inventa magna congregatione monachorum, in omnibus religiosorum, excepto quod abbas *c* per simoniam subintraverat, habitum optatum suscepit. De abbatis simonia vir Dei penitus ignorabat. Factum est autem post revolutum annum, cum sederet cum quodam fratre *d*, et post sermonem habitum de confirmatione animæ, de vita sanctorum patrum, ad invicem quæstio referretur, et inde diu et multum dissererent, tandem sermo directus est ad abbatem. Cognovit vir Dei Anastasius, quod abbas erat simoniacus, et per pecuniam infinitam quam dederat, in abbatiam subintraverat ; unde supra modum dolens, et affirmans se diabolica fraude deceptum : quippe qui locum idoneum suo proposito quæsierat, et in laqueum nefandi hostis pene ceciderat, recessit inde, et quamdam insulam *e* ingressus in ipso introitu supradicti maris, in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ *f*, solus manere cœpit, jejuniis, vigiliis et orationibus vacans.

B

b

c

d

C

e

f

unde paulo post discedit.

4 Ubi cum aliquanto tempore *g* vita eximiæ conversationis claruisset, et fama ejus longe lateque diffunderetur, venerabilis abbas, Hugo nomine, qui Cluniacensi monasterio eodem tempore præerat, ad revincenda * cœnobia exhortatione fratrum, qui per diversa loca et longe remota Deo deserviebant, cum multis fratribus exivit. Unde factum est, ut ad mare Britannicum perveniret, ubi audita vita et conversatione viri Dei Anastasii, misit duos de fratribus in insulam ad prædictam basilicam, et mandavit viro Dei, ut ad se gratia colloquendi exiret : de cujus enim bona conversatione audierat, eum et videre desiderabat ; qui, audito venerabilis viri abbatis adventu, cum magno gaudio exivit ; quem abbas honorifice suscepit et de vita et conversatione ejus studiose requisivit. A quo cum omnia audivisset, et quomodo propter simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset ; votumque ejus intellexisset, gavisus est valde super bona conversatione ejus, et quibus modis potuit in Dei servitio eum confortavit. Cumque per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum abbas multum referret, virum Dei monuit, et multum rogavit, ut Cluniacum secum adiret, ubi et votum suum complere posset, et exemplum bonæ conversationis ceteris fratribus dare. Cujus petitioni vir Dei Anastasius acquiescens, cum eo iter arripuit. Cumque Cluniacum veniret, magnam dilectionem et humilitatis familiaritatem apud omnes fratres habebat ; omnes unanimiter diligebat, omnes enim in Dei servitio vitæ suæ exemplo dirigebat. Diu namque vitam mirabilem duxit, dum sese dabat exemplar bonæ conversationis. Ceteris enim fratribus signo dato ad refectorium euntibus, vir Dei ad orationem remanebat, et nocte quiescentibus cunctis surgebat, et genu flexo fere tota nocte orabat, pane et aqua contentus vivebat, et hoc etiam quasi in momento accipiebat. Semel in anno in solitudines vel in prærupta loca ad celebrandas quadragesimas exibat, et tunc orationibus, jejuniis, vigiliis, flexionibus sese supra modum macerabat.

g

* revisenda

D

E

Petit Cluniacum, unde in Hispaniam mittitur;

5 Per idem tempus præcepto sancti patris nostri Papæ Gregorii septimi et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ad prædicandum Saracenis *h* ingressus est ; ubi ad probandam certitudinem fidei Christianorum, et ad eradicandam crudelitatis duritiam Saracenorum, per rogum ardentem post celebrata Missarum *i* sollemnia transire voluit ; sed Saraceni conditioni ejus noluerunt acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad baptismi gratiam confugerent. Sed cum a cæcitate et duritia cordis sui ullo modo redire nollent, excusso pulvere pedum illos in testimonium, ad monasterium suum regressus est. Factum est autem post regressionem ejus, revoluto septennii fere spatio, ut venerabilis abbas ad exhortationem quorumdam fratrum, laicorum et nobilium *k*, in Aquitaniam vellet exire, qui renunciantes mundo ad habitum monachorum volebant venire. Unde factum est, ut virum Dei Anastasium secum duceret ; erat enim in omnibus divinis Scripturis peritus, et in exhortatione et ædificatione fratrum validus. Cumque partem magnam Aquitaniæ exhortando fratres peragrassent, tandem in Tolosanum pagum pervenerunt, ubi comitem Appamiæ oppidi *l* cum uxore et filiis ad conversationem monastici ordinis suscepturi erant. Jam interim quoque instabat tempus, quo vir Dei Anastasius in solitudinibus vel in præruptis locis quadragesimam celebrare consueverat : unde cum multum sollicitus esset, et die ac nocte apud se tractaret, tandem Pyrenæos montes in propinquis sitos ad hoc elegit idoneos, ubi et quadragesimas celebraret, et vitæ eremiticæ ad tempus vacaret. Cujus precibus abbas, quia baculus et quasi columna ceterorum fratrum erat, invitus assensum præbuit. Sed quia cognoscebat constantiam ejus in servitio Dei, bonum votum nolebat morari. Coactus ergo et tristis concessit quod petebat. Cum vero ad invicem descenderent, venerabilis vir abbas flens et cum lacrymis et singultibus in collum ejus ruens, admonebat ut sui memor esset, pro se et pro ceteris fratribus apud Deum interpellaret, et ad ultimum valedicens, cum ceteris fratribus ad monasterium regressus est.

h

i

k

F

l

regressus Cluniacum, ad Pyrenæos revertitur,

6 Vir igitur Dei Anastasius, qui hoc solum desiderabat, ut suo voto satisfacere posset, cum magno gaudio ad montes iter arripuit : quibus cum appropinquaret, et jam nullo obstaculo interveniente,

A terveniente, singula loca notare posset, montem
m altissimum, qui Abriscola *m* dicebatur, ad habitandum elegit, quia in ea parte, qua situs erat, super alios montes eminebat. Derelicto ergo quodam fratre, quem secum habebat, ad radices montis in quadam ecclesia, solus montem ascendit, facto de frondibus satis angusto habitaculo et altari, ubi sacrificium offerret. Tunc inter nives assiduas et frigora Deo deserviebat, jejuniis, vigiliis et orationibus multum insistebat; nihil autem ad victum nisi subcinericium panem et aquam requirebat, quæ tantum sub mensura a fratre, quem sub monte reliquerat, accipiebat. Cum autem in his demoraretur, et vita ejus circumquaque audiretur, cœperunt multi adire eum, et multi ad eum convenire, ut verbum vitæ ab eo audirent, et vitam ejus quam mirabiliter deducebat cognoscerent, eumque, a quo divino pabulo refocillabantur, temporalibus sustentarent. Sed vir Dei nihil prorsus ab eis ad usum corporis accipiebat : invitari enim a populo non quærebat, qui etiam de Euangelio vivere recusabat. Quidquid ergo offerebatur, per manus quorumdam
n fratrum *n* erogabat pauperibus, quos bonæ vitæ
B cognoscebat, et ad hoc idoneos ducebat.

ubi vitam eremiticam ducit, et vexatur a dæmone.

7 Sed inter hæc cum soli Deo placere quæreret, et ad hoc toto mentis ardore flagraret, antiquus ille hostis, artifex nocendi, adversarius humani generis, cœpit bonis ejus actibus invidere, et die ac nocte locum subintrandi ad nocendum quærere. Sed cum nihil omnino inveniret, quod in ejus actibus surripere posset, nullamque in eum potestatem haberet, machinabatur quomodo saltem de cella eum expelleret. Factum est ergo, cum quadam die post finitam orationem vir Dei Anastasius cellula exiret, et extra cum duobus fratribus, qui ad eum convenerant, sederet, hostis antiquus adfuit, et ignem in cellam ejus et in altare, quod ad sacrificium offerendum fecerat, posuit ; sed vir Dei respiciens, cum ignem videret, insidias hostis nefandi agnovit; unde surgens et usque ad cellam tendens, hosti ut recederet præcepit, et signum crucis opposuit igni : ad cujus præceptum hostis recessit, et ad signum crucis exstinctus est ignis. Quod cum auditum circumquaque referretur, tunc maxime cœperunt ad eum indigenæ fere omnes convenire, et orationi
C ejus se commendare ; de commissis etiam ab eo quærere pœnitentiam : fere enim per triennium quo mansit in eremo, tot ad eum concurrebant, quod plerumque omnes montes in circuitu cereis resplendere videbantur, qui ante cellam ejus a venientibus accendebantur. Sæpe etiam venientibus dixerat, se esse indignum ad quem venirent, se esse monachum a quo pœnitentiam quærerent, et non habere se licentiam prædicandi, nec pœnitentes suscipiendi : sed quid hoc proderat, cum tamen confestissime venirent, et lacrymis et precibus eum ad prædicandum excitarent?

Revocatur Cluniacum,

8 Sed cum Deus laborem ejus vellet remunerare, et ab ergastulo carnis eum evocare ; ut major esset corona, voluit temporalem vitam ejus finiri in obedientia. Factum est ergo ut vir venerabilis, abbas supradictus Cluniacensis ecclesiæ, desiderio videndi fratrem flagraret, cum quantum præsentia ejus fratribus ceteris præstabat, quantumque vita ejus eos confirmabat, tantum ejusdem absentiam recognosceret ; unde hujusmodi epistolam per manus quorumdam fratrum ei direxit, quæ eum ad monasterium fratrum ceterorum revocavit. « Dilectissimo filio Anastasio frater Hugo, peccator, salutem, et in beatam resurrectionem gloriosam electorum sorcietatem. Miror, carissime fili, quod jam diu de D vobis nihil audivi, nullam de vestra vita cognitionem accepi : unde mando vestræ dilectioni, ut si bonum videtur vobis, descendatis ad visitandos fratres, ut, sicut dixi, desiderabilis præsentia vestra corroboret et exhortetur eos *..... *quædam hic legi non potuere. Mabillonius.* ..... Bene valete, et pro fratribus orate. » Vir autem Dei Anastasius accepta epistola beati patris sui abbatis, gavisus est valde; et Deo gratias referebat, quod eum dignaretur ad fratres suos revocare.

moratur in monasterio S. Antonini; o

9 Egressus itaque eremo, pervenit usque ad locum, qui dicitur, ad Verum Corpus Beati Antonini *o* Martyris, qui alio nomine nuncupatur Fredelas, ubi cum rogaretur a populo, ut corpus Beati Martyris in locum novum reponeret, at ad petitionem eorum se præpararet, oblatus est ei infirmus, qui jam longo tempore vexabatur a febribus, ipse vero cum aqua benedicta quam sanctificaverat eum aspersisset, et signum crucis fronti ejus affixisset, ita sanus effectus est, ac si numquam infirmitatem sensisset. De eadem aqua benedicta quoscumque aspersit, a quacumque infirmitate detinebantur, sanitati restituit. E

moritur in itinere.

10 Cum igitur de egressione ejus fama audiretur, factus est undique concursus populi, qui dolebant et plangebant se relinqui a tanto patre, in tribulatione consolatore, in adversis protectore, eumque lacrymis et fletibus deprecabantur, ne eos derelinqueret, quos fovere consueverat, quos pabulo divini verbi refocillare non neglexerat. Sed vir Dei, cujus laboris merces jam instabat, ut per obedientiam, sicut supra diximus, ejus accresceret corona, revocanti se patri suo abbati obedire volebat : nec infirmitas febrium, qua graviter detinebatur, eum ab hoc revocare poterat. Post allocutionem ergo divinæ admonitionis et exhortationis recedens, pervenit usque ad locum, quem Devotas appellant, ubi, jam invalescente infirmitate febrium, cœpit graviter ægrotare, in tantum ut hoc morbo certus esset de corporis sui resolutione; unde cum ad mitigandum dolorem aliquantulum rogaretur quiescere, et ad refrigerandum se balneare, sibi abnegavit utrumque; subjungens etiam, quia ex quo conversionem monasticam noverat, nullo balneo usus erat, nec etiam ad lavandum pedes aut caput aquam dederat. Sui igitur stadii cursu con- F summato, percepturus justitiæ coronam in consortio Sanctorum monachus, eremita et Confessor XVII kalendas Novembris migravit ad Dominum. Sacrum vero corpus ejus honorifice in basilica Beati Martini ibidem est reconditum; ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa fiunt. Sed ne videamur ingerere fastidium, si per singula discurramus, ex ordine, prætermissis multis, pauca conemur explicare.

Miracula patrat post mortem.

11 Virgo quædam a tribus dæmonibus possessa tenebatur, qui in tantum eam vexabant, quod etiam mutam reddiderant. Ducta est per multa Sanctorum loca, ut sanitatem recuperaret : et dæmonia tandem responsum dederunt, quod ab obsesso corpore non egrederentur, nisi ad corpus Beati Anastasii Confessoris supradicti deducerentur. Qui ergo eam ducebant, dixerunt intra se, ubi invenirent; et requisierunt locum, in quo Sancti corpus requiesceret; adhuc enim ignorabatur a pluribus, quod de mundo nuper migrasset. Cum ergo audissent, quod ad basilicam Beati Martini Devotis esset reconditum, ligatam cum funibus illuc deduxerunt; quibus ad locum appropinquantibus, dæmones vociferantes clamabant :

Cur

A Cur nos incendis, Anastasi? cessa cruciari * et exibimus; cessa flagellare et ab obsesso corpore recedemus. Per multa corpora Sanctorum ducti sumus, et a nullo sic flagellati recessimus; tu solus nos incendis, tu solus cruciaris *, tu solus noces nobis. Trahentes ergo eam cum manibus in ecclesiam impulerunt, et juxta tumbam Beati Confessoris extenderunt. Omnes autem, qui aderant, genu flexo cum lacrymis deprecabantur, ut Deus dignaretur ostendere adstantibus virtutem suæ clementiæ, et ad testimonium sanctitatis sui Confessoris dignaretur illam liberare. Vix orationem compleverant, et ecce dæmones ab illa puella exierunt. Surgens vero recte loquebatur, et liberatam se, nihilque mali perpeti testabatur. Mulier etiam quæ septem annis in cæcitate permanserat, cum illuc deduceretur, et post peractas vigilias noctis staret ante tumbam Sancti Confessoris, cum in ipsa celebratione Euangelium legeretur, visum recepit. Quidam vero clericus, qui phrenesi laborabat, ad eumdem locum deductus est, catenis adstrictus et funibus, ad recuperandam sanitatem. Hic quoties motio cerebri B sui accidebat, si quem arripere poterat dentibus et unguibus attrectabat; qui cum tribus vigiliis ante tumbam Beati Confessoris degisset, sanitatem recepit, et liber ab omni phrenesi recessit, nec postea aliquid pristinæ infirmitatis sustinuit.

* cruciare

* crucias

ANNOTATA.

a *Hæ feriæ passim observabantur in Gallia a religiosioribus monachis et eremitis; jejunium vero sabbati, alibi commendatum, minime in usu erat* (a).

b *Hoc agnomen Montis Sancti Michaelis in Periculo Maris apud alios scriptores non invenio. Baudrand in suo Lexico Geographico latino tria alia recenset loca, quibus illud nomen est; at omittit Montem S. Michaelis inter hæc recensere. Multis de Monte S. Michaelis jam egit Mabillonius variis in locis suorum Annalium, et latius etiam de eo dictum est in Opere nostro ad diem* XXIX *Septembris* (b), *cum ad hanc diem boni consultum esset de pluribus Sancti Michaelis apparitionibus simul scribere; similiter a Valesio in Notitia Galliarum, ad* C *vocem* S. Michael in Monte *varia ejus nomina præter* Portum-Herculis *recensente, et in Michaelis Novei Chronico apparitionum S. Michaelis* (c). *Ut tamen iste Mons S. Michaelis ab aliis homonymis fere distinguatur, pauca addidisse juverit ex Gallia Christiana* (d) : In confinio Britonum ac Normannorum, medio in mari, grandioris instar tumuli assurgit mons ducentos altus cubitus, sex millibus ab æstu Oceani, inter ostia situs, ubi mari immergunt se flumina Segia *(la Sée)* et Senuna *(Selune vel ardée)**, totidem ab urbe Abrincatensi. Ab antiquis ob formam Mons Tumba, quandoque etiam ad duas Tumbas dictus legitur, quod alteri scopulo, minori quidem atque inde Tumbella sive Tumbellana dicto, sit proximus. Denique in Periculo-Maris etiamnum nuncupatur, quia bis qualibet die tribus fere milliaribus undique cingitur Oceano, statis vicibus intumescente, ita ut incauti et ignari æstus Oceani, si qui forte deprehensi fuerint, opprimantur. *Abbatia, de qua in Vita* S. Anastasii *sermo est, occupabatur exeunte sæculo superiori a monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri; nunc vero carcer factus, permultos continuo capit damnatos.* D

* *Guintram adde ex tabulis Cassini.*

c *In Commentario prævio num.* 6 *et sequentibus latissime disputatum est de hoc abbate.*

d *Videtur hic frater idem esse ac Robertus de Tumbalenia, ut num.* 12 *Commentarii prævii probabile facere conati sumus.*

e *Insula hæc Tumbalenia est; sæculo circiter post* S. Anastasii *abitum, prioratum seu eremitorium in ea instituit Bernardus, S. Michaelis abbas* (e); *tardius vero castrum illic ædificatum est, quod anno* 1667 *præ metu hostium destructum fuit* (f). *Plura vide in Gallia Christiana* (g), *apud Beaunier* (h), *et Zeiller, qui imaginem ejus exhibet* (i).

f *In Commentario prævio num.* 8 *pauca jam monuimus de hoc sacello : nonnulla alia hic apponenda videntur ex scriptione quadam Anonymi, sæculo* X *antiquioris, de apparitione S. Michaelis in Monte Tumba; auctor scilicet agens de priscis incolis Montis Tumbæ, qui vicinus est Tumbaleniæ* (k) : Quia, *inquit*, secretiora cœli per contemplationem sublimitatis rimari volentibus gratissima esse so- E lent remotiora eremi loca, inibi olim inhabitasse comperimus monachos, ubi etiam usque nunc duæ exstant ecclesiæ, priscorum manu constructæ. *Dubium non est, quin similis fuerit ea, quæ in Tumbalenia patronam habebat Deiparam, ut ex hoc* S. Anastasii *Vitæ loco manifestum est.*

g *Quamdiu illic solus manserit, et quando discesserit, dictum fuit num.* 17 *et sequentibus Commentarii prævii.*

h *Quam parum verisimilis sit illa narratio in* § II *Commentarii prævii late expensum fuit.*

i *Ex hoc loco et ex alio inferiori liquet* S. Anastasium *sacerdotem fuisse.*

k *En hujus rei causa : anno* 1076, *aut, ut Mabillonius vult, anno* 1077 (l), *Simon comes Crespejensis, qui* XXX *Septembris in Sanctorum catalogis cum Beati nomine prodit, S. Alexium imitatus, sponsæ et sæculo renuntians, secessit in monasterium Jurense S. Eugendi. Quod virtutis exemplum tanto splendore claruit, ut, teste Simonis biographo* (m), Flandriæ, Normanniæ, ceterisque Galliarum partibus usque ad fines Germaniæ, tanti viri rumore suscepto, stupore repleti morarentur : quippe qui notus regionibus illis, dilectus Deo, et tam F carus omnibus erat, quatenus Hugo Burgundiæ dux, comesque Matisconensis et ejusdem ordinis quamplures, pietatis affectu et illius dulcedine inflammati, arma deponerent, sæculum relinquentes.

l *Hic locus intricatus est valde : constat quidem Rogerium II Fuxensem comitem (nam qui postea comites Appamienses interdum dicti sunt, sæculo* XI *exeunte, comites Fuxenses appellabantur) dedisse Hugoni Cluniacensi anno* 1074 *locum* Garunnam *dictum, ædificando monasterio aptum, ineunte anno sequenti castrum de Lordal aliaque, et anno* 1076 *ecclesiam quamdam a se constructam* (n); *constat secundo monasteriorum advocatos, qui sæpe principes erant,* milites monachos (o) *nonnumquam appellatos fuisse; constat tertio* fraternitatum *usum Cluniaco* (p) *non exulasse, et viros qui harum fraternitatum fiebant participes,* in fratres et monachos recipi *aliquando dictos esse* (q), *atque hanc*

(a) Cfr Binterim Denkw. der katol. Kirche, t. V, part. II, p. 130 et seq. — (b) Act. SS., t. VIII Septemb., p. 74. — (c) P. 204 et seqq. — (d) T. XI, col. 510. — (e) Gall. Christ., t. XI, col. 518. — (f) Ibid., col. 521. — (g) Ibid., loc. cit. et col. 510. — (h) Rec. des archevêchés, etc., p. 732. — (i) Topographia Gall., part. VIII, p. 21 et seqq. — (k) Act. SS., t. VIII Sept., p. 77. — (l) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 371. — (m) Ibid., p. 378. — (n) Cfr Mabillonium in Annal., lib. LXIV, § LXVI et § CXV, t. V, p. 73 et 95 et D. Vaissette Hist. du Languedoc. t. II, p. 233. — (o) Du Cange in Glossar. v. *Advocatus* et *Miles*. — (p) Ibid., ad v. *Fraternitas* vide plura exempla et ordinem recipiendi. — (q) Ibid., loc. cit.

gratiam

A *gratiam in donatores et benefactores vulgo fuisse collatam : ex quibus si quis Galterii dicta explicare velit, ego quidem non obstabo. Certum saltem est Galterii verba non crude accipienda esse, quasi comes Fuxensis, seu Appamiarum, ejusque uxor, et liberi vitam monasticam amplexi forent. Etenim ille idem comes, qui ab anno* 1073 *usque ad annum* 1121 *Fuxensem terram obtinuit* (*a*), *nedum monachalem cucullum induerit, anno* 1095 *crucem assumpsit* (*b*) *et in Terram Sanctam profectus est. Præterea multum abest, ut semper monachis faverit; quinimmo excommunicatus fuit ab Urbano II et Paschali II, quod illorum terras occupaverat ; et diu Sedi Apostolicæ rebellem se præstitit : ut habemus ex authenticis instrumentis, Galliæ Christianæ* (*c*) *et Historiæ Occitaniæ* (*d*) *insertis. Verum facile fieri posset, ut hic amanuensium error irrepserit : etenim nondum his temporibus comites Fuxenses Appamienses dicebantur ; quod nomen ortum videtur a castro, quod Rogerius II, e bello sacro redux, juxta abbatiam S. Antonini condidisse perhibetur* (*e*); *atque adeo anno* 1111 *primum occurrit id castrum* Appamiæ *agnominatum* (*f*) : *alias atque etiam diu*

B *post* Fredelaz, Fredeleiz, locus Sancti Antonini, *etc., dicebatur. Deinde Galterius paulo infra eumdem locum consueto nomine indicat, scribens num.* 9: Egressus itaque de eremo pervenit usque ad locum, qui dicitur AD VERUM CORPUS BEATI ANTONINI MARTYRIS, qui alio nomine nuncupatur FREDELAS : *en duplex nomen a Galterio relatum ; qui fit ut hic loci omiserit Appamias, si superius comitem Appamiensem scripserit ? Id itaque potius admittendum videtur, hic non agi de Fuxensi comite,* D *licet nos lateat quem indicare voluerit Galterius.*

m *Quis ille mons sit, nulli me docent libri, neque chorographicæ tabulæ. Ut ex itinere* S. Anastasii, *Cluniacum paulo post redeuntis, patet, meridiem versus Appamiarum jacet.*

n *Testimonium est, servatum tum fuisse consilium, quo nemini soli concedenda suadetur ab asceticis vita eremitica. Latius vide de hac re præcellentes Disquisitiones Monasticas Haefteni, Afflighemiensis præpositi* (*g*).

o *De S. Antonino Martyre ample disputavit Stiltingus in Opere nostro ad diem* II *Septembris* (*h*). *At nihil istic proferre ei licuit quod ad hanc Reliquiarum translationem, aut capsæ mutationem pertineret ; neque nobis fuit datum quidpiam reperire, quod certo tempori hoc factum annectat. Sine temporis nota narrat Petrus de Marca, Benearnensis historicus, ex Fuxensibus scriptoribus, Reliquias S. Antonini Lezatum multa cum solemnitate translatas fuisse, Rogerio II eas sub pallio suo portante. Cum inde forte relatæ sunt, facta fuerunt quæ hic narrantur. Notandum insuper est, quod, cum hic locus detorqueri non posse videatur ut credamus id* E *temporis caput solummodo S. Antonini illic servatum fuisse, non vero totum corpus, facile intelligitur quanti momenti hic Galterii textus sit adversus scriptores Historiæ Occitaniæ, qui sensere* (*i*) *corpus S. Antonini Fredelas, seu Appamias delatum fuisse tempore sacrorum bellorum; quibus anno* 1095 *tantum initium datum fuit. Cæterum aliis argumentis fuse jam refellit Stiltingus* (*k*) *hanc opinationem.*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, notes, p. 586. — (*b*) Ibid., p. 287 et 288. — (*c*) T. XIII, instrum. col. 88. — (*d*) T. II. instrum. col. 378 et seq. — (*e*) Gall. Christ., t. XIII, col. 150 ; et Hist. du Languedoc, t. II, p. 358. — (*f*) Ibid., locis cit. — (*g*) P. 283 et seqq. — (*h*) Act. SS., t. Sept., 340. — (*i*) Hist du Languedoc, t. I, p. 623. — (*k*) Act. SS., t. VI Sept., p. 349 et seqq.

DE S. BERTRANDO,

C ARCHIDIACONO TOLOSANO, ET CONVENENSI EPISCOPO F

IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Bertrandi festum die XVI Octobris proprie celebrandum ; ejus biographiæ, earumque fontes ; de initiis monasterii Scalæ-Dei.

CIRCA ANNUM MCXXV.

S. Bertrandus, XVI *Octobris celebrandus in Martyrologiis,*

Silet hodierno die Martyrologium Romanum S. Bertrandi *nomen ; neque alio die silentium illud rumpit. Verumtamen per totam fere meridionalem partem Galliæ viget ejus cultus, atque adeo apud canonicos regulares unius alteriusve Congregationis olim invaluerat, et in ipsam Hispaniam et Germaniam jam pridem penetraverat. Ad finem hujus Commentarii, ubi de cultu agemus, has diœceses aliaque loca, quantum licuerit, conabimur recensere. Hic tantum notabimus, eum in quibusdam locis die* XV, *in aliis die* XVII *Octobris coli, plerumque ob alia concurrentia festa ; unde explicandum est quapropter Saussayus, Martyrologium Parisiense et Ebroicense, non secus ac Baillletus ad diem* XV *Octobris de eo agant. Quod vero Ferrarius in suo Catalogo generali Sanctorum et Saussayus iterum de eo ad* XIX *Novembris sermonem habent, errorem esse inferius videbimus. (Vide ad finem hujus Commentarii.) Peyronnet, doctor sacræ theologiæ et parochus Tolosanus, in suo Sanctorum Catalogo, Castellanus in Martyrologio suo universali, et Carolus de Caylus in Martyrologio Autisiodorensi soli mihi inter martyrologos occurrunt, qui* S. Bertrandi *festum diei* XVI *annectunt ; quod recte ab eis fieri indubium est, quandoquidem hac die* S. Bertrandus *mortuus est, et in oppido et ecclesia, sua olim episcopali sede, multo cum honore celebratur. Jam ad ejus biographos stylum transferimus.*

2 *Ut*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plures biographos nactus est:

2 *Ut nihil dicam de lectionibus, in ejus Officio recitari solitis, quas sat multas numero habemus, quatuor nobis cogniti sunt biographi, inter quos historiæ ecclesiasticæ scriptores non numeramus : Bailletus, et, qui eo hic maxime usus est, Butler vulgo satis cogniti sunt. Tertius obscurus est valde : nomen ei est Joannes Lastrade presbyter et prædendarius Convenensis ; ejusque opusculum, cujus exemplar apud Patres nostros Parisienses adepti fuimus, editores Bibliothecæ historicæ Galliæ latuit. Hunc autem titulum, quem ex gallico latinum facio, sibi præfixum habet :* Relatio translationis partis Reliquiarum *(une relique)* S. Bertrandi Convenensis, recognita, castigata et aucta compendio Vitæ hujus Sancti, aliisque capitibus ; *impressumque fuit Tolosæ anno* 1742. *In præfatiuncula fatetur auctor se nancisci nequivisse primigeniam Vitam* S. Bertrandi : *quam ob rem Breviariis Ms. et impresso suæ ecclesiæ, Valesii Notitia Galliarum, Bailleti Vitis Sanctorum, Saussayi Martyrologio, Oihenarti Notitia utriusque Vasconiæ fere tantum utitur. Immixtis dissertationibus, quas ex concionibus, in jubilæo aliisque* S. Bertrandi *festis ab ipso ad populum habitis, distractas esse arbitror, ad justum volumen excrevit opella : quocirca non multum nobis gratularemur hujus Vitæ detectionem, nisi ei nonnulla de* S. Bertrandi *cultu inserta essent, quæ alibi frustra indagassemus.*

quorum unus, Vitalis synchronus,

3 *Primigenia autem Vita* S. Bertrandi, *quam modo Lastrade sibi defuisse dolentem audivimus, in Collectione Veterum Scriptorum Edmundi Martene* (*a*), *ex Ms. codice Floriacensi desumpta, prodiit. Reperimus nos deinde duplex ejusdem Vitæ apographum, utrumque a P. Petro Possino anno* 1649 *ad Bollandum transmissum : quorum prius, multo præstantius quam id quod edidit Edmundus Martene, sua manu descripsit ipse Possinus, cujus merita litteraria recenset Bibliotheca Societatis* (*b*); *alterum vero, quod primam tantum partem, seu novem primos numeros capit, descripsit P. Odo de Gissey, cujus opera enumerat itidem Societatis Bibliotheca* (*c*) : *inter quæ Historia Tolosana Ms. citatur ; cui forte illustrandæ seposuerat laudatus Pater hanc ex nescio quo codice haustam scriptionem. Ei præmissus est in editione Marteniana et in ecgrapho P. Gisseji sequens titulus :* Incipit Vita S. Bertrandi episcopi, quæ * ad instantiam domni Jacinti sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, ad * mandatum domni Willelmi * archiepiscopi Auxitani nepotis ejusdem Sancti, edita * est * tempore scilicet * Alexandri papæ; a magistro Vitale apostolicæ sedis notario, qui de provincia Auxitana oriundus fuit, qui vitam et miracula Beati Confessoris, ex relatione tamen * archiepiscopi, et ab aliis qui eum viderunt in ecclesia sua et plene * noverunt gesta ipsius, et fratribus Scalæ-Dei Cisterciensis Ordinis scripsit veraciter fideliter tali stilo. *In optimo tamen ecgrapho P. Possini legitur tantum :* Incipit Vita S. Bertrandi edita a magistro Vitali sacrosanctæ Sedis Apostolicæ protonotario ; *ex qua diversitate dubium fit auctorine an amanuensi tribuendus sit hic titulus. Ut vero magis lectori pateat, quanta sit hujus Vitæ auctoritas, paucis disseremus de tempore deque occasione hujus scriptionis, et de fontibus unde hausit Vitalis.*

* *deest in Ms. Gisseji*

* per *G. Ms.*
* scripta *G. Ms.*
* *deest G. Ms.*
* *S. G. Ms.*
* dicti *G. Ms.*
* eum *G. Ms.*

scripsit ultimam partem operis sui post annum 1170,

4 *Variæ sunt sententiæ auctorum, qui de tempore, quo Vitalis* S. Bertrandi *Vitam conscripsit, dixerunt. Fabricius in Bibliotheca Mediæ et Infimæ Latinitatis, lib.* XX *ad vocem* Vitalis (*d*), *affirmat Vitam* S. Bertrandi *circa annum* 1123 *scriptam fuisse. Bailletus in tabula critica auctorum, tomo VII Vitarum Sanctorum prævia* (*e*), *ait Vitalis scriptionem quadraginta fere annis post* S. Bertrandi *mortem factam esse ; ejus vero mortem anno circiter* 1126 *annectit. Collectores Bibliothecæ Historicæ Galliarum* (*f*) *audaciori passu incedunt, et Vitalis opus ad annum* 1166 *referunt. Equidem tria tempora distinguenda esse duco : primo enim certum est postremam Vitæ partem, numeros saltem ultimum et penultimum, exaratos fuisse post mortem Gulielmi archiepiscopi Auxitani, ad cujus mandatum Vitalis susceperat provinciam* S. Bertrandi *gesta conscribendi, et qui anno* 1170 *supremum diem obiit, ut Gallia Christiana* (*g*) *docet. In penultimo enim numero narratur miraculum Cantuariæ in Anglia ad tumulum S. Thomæ archiepiscopi factum ; verum hic Sanctus, ut in ejus Vita* (*h*) *traditur, obiit* IV *kalendas Januarii anni* 1170. *Ipso narrandi modo distinguitur etiam hæc pars a reliqua Vita ; cum exordiatur his verbis :* Alio quoque tempore accidit in Francia sabbato Pentecostes, *etc. Quæ formula, licet alibi non minus quam hic necessaria, nuspiam apparet. Cavendum tamen est ne quis multo recentiorem hanc adjectam laciniam faciat, quandoquidem in ea agitur de Sancio Parra, qui* S. Bertrando *coævus fuerat, et verisimiliter etiam tum vivebat.*

reliquam fere inter annum 1167 et 1170;

5 *Reliqua pars, qualem reliquit Vitalis, integra aut fere integra scripta fuit inter annum* 1167 *et annum* 1170 ; *quod enim post annum* 1167 *scripta fuit, luculentum id facit sequens testimonium, ex numero* 29 *ipsius Vitæ desumptum :* Ego *(Vitalis)* quoque indignus servus Christi, et Auxitanæ Ecclesiæ clericus, qui hoc opus scribendi accepi ex mandato domini Vileumi archiepiscopi prælibatæ sedis, et sanctitatem et miracula B. Bertrandi tempore schismaticorum, quibus sacrosancta Romana Ecclesia multarum turbine procellarum fluctuabat, significavi Alexandro summo pontifici, viro catholico, in palatio Lateranensi, in præsentia venerabilium cardinalium. *Quæ verba sine ulla fere ambiguitate respiciunt ad concilium Lateranense, anno* 1167 *celebratum, ut inferius demonstrabitur. Quod autem ante annum* 1170, *obitualem Gulielmi III Auxitani archiepiscopi referenda est dicta pars, evincitur ex altero Vitalis testimonio, sic num.* 11 *sonante :* Sicut hujus Sancti (Bertrandi) virtutem, ita quoque et illius *(Gulielmi III)* religionem, cujus causa præsenti instamus proposito, multis ut veris audemus efferre præconiis, sed non præsumimus, cum sit scriptum : Lauda homines post mortem, magnifica post consummationem. *Sat clara sunt hæc dicta ut commentario non egeant, omnesque cavillationes præscindant.*

materiam vero collegit maxime ante annum 1167.

6 *Ex præcitatis verbis Vitalis, se Romam* S. Bertrandi *sanctitatis exponendæ causa perrexisse narrantis, liquet eum jam per aliquot tempus ante annum* 1167 *in* S. Bertrandi *gesta et miracula inquisivisse, eaque notasse ; dubium autem non est magnam partem primæ hujus scriptionis hic insertam esse. Quanta vero pars et quæ sit, quam primum edidit, determinari forte potest ex ecgrapho P. Gisseji, quod num.* 9 *desinit his verbis :* Manifeste datur intelligi, et occulta fide constat esse perspicuum, quod S. Bertrandus, Convenarum episcopus, fidelis Christi servus et prudens, cujus vita innumeris refulsit miraculis, postquam migraverat a sæculo majora noscitur beneficia præstitisse : more enim solito, et multo frequen-

(*a*) T. VI, col. 1021 et seqq. — (*b*) Allegambe Bibl. S. J., p. 691 et seq. — (*c*) Ibid., p. 641. — (*d*) T. VI, p. 302.—(*e*) P. XVI.— (*f*) T. I, numm. 8093 et seq. Edit. 1768. — (*g*) T. I, col. 986. — (*h*) P. Roger., lib. II, cap. XX, in Chr. Lupi oper.. t., X, p. 49.

tius

A tius postmodum mirabili virtute coruscavit signorum ; statim namque omni mora postposita, Domino disponente, virtutes renovantur sancti pontificis, declarantur et signa copiosius. *Editio Marteniana et ecgraphum P. Possini habent eadem ; sed quæ subnectuntur, liquido postea addita fuerunt. Rite ergo a me tria tempora distincta esse arbitror : primum, quod annum* 1167 *antecedit ; secundum, quod tres sequentes amplectitur annos ; tertium demum quod sat proxime annum* 1170 *secutum est. His annotatis corruunt præmissæ opiniones contrariæ ; imprimis opinio Fabricii annum* 1133, *a quibusdam tempus emortuale* S. Bertrandi *dictum, assignantis : testatur quippe ipse Vitalis num.* 29, *se, mortuo* S. Bertrando, *nondum pueritia excessisse et* commoratum esse in pascuis cum quibusdam quorum cura erat armenta regere.

scripsit autem ad instantiam Hyacinthi, dein Papæ sub nomine Cœlestini III ;

7 *Jam vero quæ occasio fuerit hujus publicandæ Vitæ ex præmissis fere liquet : non quidem fuit instructio processus canonizationis, verisimillime jam antea factæ, ut infra videbimus, sed potius commune studium, quo Sanctorum Vitæ scribuntur, commonefaciendi videlicet lectores, eis in quocumque Sancto exemplar esse et præsidium : hunc fuisse scopum Vitalis ex universo opusculo satis liquet. Ut ex titulo præterea novimus,* instabat domnus Jacintus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis, et mandatum *dederat* domnus Willelmus, archiepiscopus Auxitanus : *quod utrumque plurimum scriptorem commendat, ejusque fidem, egregiis his viris probatam, lectori magni faciendam exhibet. Ille enim Jacintus cardinalis idem est, qui anno* 1191 *ad S. Petri cathedram sub nomine Cœlestino III evectus est. Quod ne quis in dubium revocet, præsto est argumentum peremptorium. Toto tempore, quo Gulielmus III* S. Bertrandi *nepos Ausciis sedit, unus tantum Jacintus cardinalis diaconus fuit, atque hunc eumdem Jacintum anno* 1191 *ad Romanas sublimatum fuisse infulas, nihil fere in universa Pontificum Romanorum historia certius est : mitto tum quæ de eo Baronius ejusque Criticus Pagius ad annum* 1191 § 1 *prodidere, tum quæ de eo habent Ciaconius, ejusque ampliator noster Oldoinus* (*a*) : *proponam tantum quæ decessor noster Papebrochius in Propylæo Maii* (*b*) *ex antiquo Pontificum Catalogo de eo protulit : nominum identitas indicatam quæstionem solvet :* Cœlestinus, natione Romanus,

C ex patre Petro Bobonis, antea Hyacinthus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, creatus XII Aprilis, consecratus die Resurrectionis, XIV ejusdem anni MCXCI ; sedit annos VI, menses VIII, dies XXVIII, tempore Henrici VI et Isaacii Angeli Imperatorum. Obiit die VIII Januarii MCXCVIII, sepultus in basilica Lateranensi : et paucis solum horis vacavit sedes.

quocum Vitalis vario tempore agere potuit,

8 *Porro ille Jacintus, seu Hyacinthus, deinceps Cœlestinus III, renuntiatus fuerat cardinalis circa annum* 1144 *vel a Cœlestino II, ut placuit Ciaconio, vel a Lucio II, ut voluere Panvinius et Aubery, vel ab Eugenio III anno* 1145, *ut asserit Moreri, aut ab Honorio II anno* 1126, *ut Novaes in Elementis Historiæ Pontificiæ* (*c*) *adversus hos aliosque, satis bono argumento nitens, probare conatur. Ex quo vero cardinalitia dignitate ornatus fuit, plura exstitere tempora, quibus hortari potuit Vitalem ad Vitam* S. Bertrandi *conscribendam : nam, ut mittam tempora, quæ ante Alexandri III pontificatum cucurrerunt, venit ille anno* 1162 *Montempessulanum, unde missus fuit ad Ludovicum VII Galliarum regem, duos deinde continuos fere annos, nonnumquam cum legati titulo, in hoc regno versaturus ;* D *porro a vero non absimile est Vitalem cum Gulielmo Ausciensi Montepessulano quoque degisse eodem an.* 1162, *cum concilium illic celebratum est, ut in Collectione Conciliorum* (*d*) *ex variis scriptis notat Labbeus, et cui sine dubio interfuit Hyacinthus, quandoquidem ejus nomen reperiatur ad calcem bullæ illic datæ anno* 1162 (*e*). *Quæ tempora si minus placeant, superest annus* 1167, *quo celebratum est concilium Lateranense, et in quo, ut jam vidimus, Vitalis* S. Bertrandi *sanctitatem et miracula evolvit ; cum vero huic concilio absque dubio interfuerit Hyacinthus, et ex sua in Galliis commoratione et itinere in Hispaniam tempore Anastasii IV, qui eum quoque legatum creaverat, suscepto* (*f*), S. Bertrandi *famam probe novisse debuerit, mirum non foret, si id temporis per instantiam, de qua in titulo sermo est, Vitalem ad scribendum impulisset. Quidquid demum de tempore sentiendum sit, Hyacinthi assensus Vitalis lucubrationi sine negotio vindicatur, eamque quam maxime commendat, cum ille cardinalium collegii socius non tantum summa in negotiis tractandis dexteritate, sed ut obvii ejus biographi asserunt, singulari quoque prudentia ornatus fuerit ; quod cæterum satis patet* E *ex epistolis, quæ supersunt et quarum septemdecim tomo X conciliorum Labbei, una in Supplemento diplomatum Miræi, plures in tomo I Thesauri anecdotorum Martenii, et in Collectione Historicorum Galliæ D. Bouquet exstant.*

et ad mandatum Gulielmi Ausciensis, ex quo Vitalis non secus atque ex canonicis Convenensibus et monachis Scalæ-Dei multa audivit.

9 *Non absimile quid dicendum foret de Gulielmo Auxitano seu Ausciensi archiepiscopo, Sanctique* Bertrandi *nepote : fuit quippe tum rebus gestis, tum animi dotibus commendabilis, ut colligere potest lector ex his, quæ de eo in Gallia Christiana* (*g*) *leguntur. Præterea legatus quoque fuit Sanctæ Sedis, quo munere Gulielmus II et Geraldus, hujus Gulielmi III in sede Auxitana successor, etiam gavisi sunt. Ejus porro narrationes uberes fuerunt fontes, unde hausit Vitalis, ut indicatur in titulo et num.* 10 *et* 11 *Vitæ. Præter hunc testes adducit Vitalis Convenenses canonicos, aut ut titulus perhibet,* alios qui eum viderunt in ecclesia sua, et plene noverunt gesta ipsius, *et demum* fratres Scalæ-Dei Cisterciensis ordinis, *ut titulus et ipse Vitalis num.* 11 *testatur. Verum hi de miraculis ejus tantum testabantur, non autem de reliqua vita, et potissimum nihil de ejus juventute nosse poterant : quod notet lector velim, imprimis si penes se habeat opusculum* F *Lastrade, qui scripsit* (*h*) S. Bertrandum ab avunculo suo Gulielmo II, Ausciensi archiepiscopo, fratribus Cisterciensibus abbatiæ Casæ-Dei, in finibus diœcesis Ausciensis sitæ, creditum fuisse, bonis sanctisque litteris et solidis virtutibus imbuendum. *Quæ priusquam ad crisim vocemus, monebimus lectorem hæc et alia multa, quæ habet Joannes Lastrade, non reperiri in libris, quos ad opusculi sui calcem recenset, et deprompta esse sine dubio vel ex legendario Ms. Convenensi, vel ex versione aut epitome primigeniæ* S. Bertrandi *Vitæ, male tamen intellectæ : unde certum fit, aliam præter jam memoratas* S. Bertrandi *Vitas exstare, quandoquidem ille se primigenium Vitalis opus præ manibus non habuisse declarat.*

Cum his tamen monachis S. Bertrandus, *neque senex, vixerat,*

10 *Ast dubium non est, quin loco* Casæ-Dei *dicendum esset Joanni Lastrade* Scala-Dei ; *non quidem quod tum omnis error evanesceret, sed quod alluditur ad hæc Vitalis verba num.* 11, *qualia edita fuerunt ab Edmundo Martene* (*i*) : Partim et illa scribenda duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de Ordine Cisterciensi, dum apud eos se-

(*a*) Hist. Roman. Pontif., t. I, col. 1018 et 1151. — (*b*) P. 13 *. — (*c*) Elementi d'Istoria Pontif., t. III, p. 134. (*d*) T. X, col. 1410. — (*e*) Hist. du Langued., t. II, pr. col. 586. — (*f*) Cfr Mariana Hist. Hispan., lib. XI. cap. III.— (*g*) T. I, col 985. — (*h*) Relation de la translation d'une relique de S. Bertrand, p. 15. —(*i*) Ampl. Collect., t. VI. col. 1027.

deret,

A deret, et de schola virtutum eorum assumeret exempla verborum. *Verum corruptum hunc esse textum asseverare non ambigo ; scribi scilicet oportet :* Partim et illa scribenda duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de Ordine Cisterciensi, dum apud eos sederem et de schola virtutum eorum assumerem exempla verborum : *qui sensus omnino planus est, si tamen illud* exempla verborum *exularet, licet omnino ad Vitalis stylum pertineat, insulsis antithesibus pollentem. Quod autem ita restituenda sunt biographi verba ex conjectura assecutus jam eram, priusquam ad manus meas devenisset ecgraphum P. Possini, quod recte hic loci, ut fere alibi, fluit. Et quidem ejus lectionem retinendam esse ex triplice capite liquet : primo, altera est hiulca ; secundo, innuit narratum iri quæ* S. Bertrandus *egit, dum ipse apud fratres Scalæ-Dei commoraretur, cum tamen nil hujusmodi facit Vitalis, miracula tantum recensens, pleraque post* S. Bertrandi *mortem patrata, cætera per vitam, non assignato tempore et loco ; sed nullum factum a* S. Bertrando, *dum versaretur in monasterio Scala-Dei. Tertio, certum est* S. Bertrandum *non in sua juventute versatum esse apud dictos fratres, et non minus certum* B *videtur ne in sua quidem senectute eum cum dictis fratribus egisse. Etenim quod ad priorem partem præmissæ affirmationis spectat, extra controversiam est hanc abbatiam non fuisse conditam ante annum* 1114, *quo tempore jam quadraginta fere annos in episcopali cathedra sederat* S. Bertrandus ; *quod autem ad alteram partem pertinet, simile præsto est argumentum : consentiunt quippe scriptores* S. Bertrandum *ante annum* 1127 *ultimum obiisse diem ; et hæc sententia nisi certa, virisimillima est. Jam vero liquet abbatiam de Scala-Dei non tantum post annum* 1114, *sed non ante annum* 1127 *fuisse conditam in loco dicto* Capadur, *ad fontes seu ad Caput Aturri fluvii : quod postremum paulo latius declarabimus.*

quoniam, ut adversus Petrum de Marca probatur,

11 *Specialem Dissertationem de origine monasterii Scalæ-Dei apud Bigerros in diœcesi Tarbiensi olim conscripsit Petrus de Marca, eamque Baluzius inter opuscula hujus laudatissimi scriptoris anno* 1681 *edidit. Diversam a nostra init ipse sententiam ; at pauca tantum notanda sunt, ut ex ipsiusmet verbis appareat illi initium non ante annum* 1127 *factum esse ; en igitur ejus verba* (a) : Visuntur illic C *(in superiore parte Campanæ Vallis ad oram Aturri)* hodie veteris domus maceriæ ; cujus fundamenta jacta fuerant in agro comitis Bigorritani proprio, ut docet veteris schedæ statim proferendæ fides. A quo tamen agro Centullus secundus comes præcipuam partem, petitione Fortonis viri nobilis fractus, avulserat. Dein post obitum Centulli, pudore et pœnitudine ductus, Forto juri sibi cesso renuntiavit in commodum monasterii ex auctoritate et consensu Petri comitis Bigorræ atque Beatricis comitissæ ejus uxoris. *(Plura hic sunt, quæ citando instrumento non confirmantur, et proin meræ conjecturæ sunt, mihi prorsus erroneæ.)* Proferenda sunt et expendenda vetustæ chartæ verba, ut recte primæ illius fundationis tempus constitui possit : « *Grangiam de Cabatur, ubi abbatia primitus facta fuit, Forto de Vico, qui locum a Centullo comite impetraverat, consensu et voluntate Willermi Bigorritani episcopi et Petri Bigorræ consulis ejusque uxoris Beatricis dedit Valcherio abbati Morimundensi et Bernardo Scalæ-Dei abbati in manu Willermi Auxiensis archiepiscopi et Romanæ Ecclesiæ legati.* » Huc usque Scalæ-Dei instrumentum ; *de quo sic ratiocinatur Scriptor :*

12 Si exstaret integrum istius donationis instrumentum, *(exstat illud, ut modo videbimus,)* patefaceret primam monasterii originem, quam tamen beneficio comitis Bigorritani deberi satis perspicue docet, cum in agri sive grangiæ dominicæ parte constructum ostendat. Domus quippe religiosæ constructio, imo vero et abbatiæ dignitas hanc Fortonis donationem antecedit, utpote collatam in Bernardum, jam tunc abbatem Scalæ-Dei. *Hoc loco egregium virum sisto : penes se scilicet habebat laciniam tantum instrumenti, non autem integram chartam, factam occasione translationis hujus abbatiæ in alium locum. Ex præmissis autem liquet, ei persuasum fuisse citata verba ex instrumento donationis Fortonis desumpta esse ; multum vero abest : sunt quippe excerpta ex instrumento de translatione, condito anno* 1142, *quo tempore jam pridem abbas erat Bernardus. Videsis hoc instrumentum satis integrum in Gallia Christiana* (b). *Hinc ruunt omnes doctissimi dissertatoris conclusiones, inductiones, quin etiam incusationes adversus Fortonem. Notet præterea lector nihil in tota hac charta signari de comitibus Bigorritanis, qui hujus abbatiæ fundatores fuissent, neque dici* grangiam de Cabadur restitui, *sed* dari *a Fortone :* E *quod in hypothesi illustrissimi de Marca prorsus aliter fuisset scriptum, cum his temporibus non soleret donatio restitutioni prætendi : unde sole clarius est Scalæ-Dei originem a Fortonis donatione repetendam esse. Ex sequentibus vero Petri de Marca verbis tempus hujus donationis dignoscitur ; sonant porro hoc modo :*

inter annum 1127 et 1131 conditum fuit, id est post mortem S. Bertrandi.

13 Cum.... in Valcherium quoque abbatem Morimundensem collata fuisse dicatur *(grangia de Cabadur)*, metiendum est illius *(donationis)* tempus ex annis Valcherii, qui Galterus dicitur in Annalibus Cisterciensibus, ab Angelo Manrique conscriptis, ubi obiisse illum scribitur anno 1131, postquam per quinquennium Morimundensem abbatiam rexisset, ab anno scilicet 1127 usque ad annum 1131. Sed in priorem hujus quinquennii annum non potest conjici, quoniam Centullus secundus comes adhuc superstes erat anno 1127, ut manifeste docent acta a nobis laudata in Historia Benearnensi lib. IX cap. VII. Donatio autem Fortonis incidit in annos Petri Bigorræ comitis, qui etiam Marciani comitatu potiebatur, atque Beatricis comitissæ, ejus uxoris. *Hæc recte* F *laudatus antistes. Unde miror Dionysium Sammarthanum* (c) *hujus abbatiæ initia vage ante annum* 1136 *statuisse. Paucis jam præmissa retexo : Centullus II non fundavit monasterium Scalam-Dei, neque deinde avulsit aliquam partem a collato territorio, ut eam Fortoni traderet ; verum ante monasterii fundationem contulit grangiam* de Gabadur *Fortoni, qui pro sua pietate hanc grangiam tradidit Valcherio abbati Morimundensi, ut in ea monasterium Scalam-Dei conderet ; quæ posterior traditio, et proinde monasterii constructio obtinuit temporibus Petri, qui ex uxoris jure in comitatu Bigorritano Centullo II successit, non ante annum* 1127.

Idem dicendum de monasterio Casæ-Dei.

14 *Ne vero lector Fortoni de Vico, non autem comitibus Bigorritanis, (ut suadere conatus est Parisiensis archiepiscopus,) fundationem Scalæ-Dei adscribens, ineat sententiam recte proinde loco Scalæ-Dei substitutam fuisse a Lastrade Casam-Dei Ordinis Cisterciensis, moneatur necesse est Casam-Dei non Cisterciensis sed Præmonstratensis Ordinis in Ausciensi archidiœcesi sitam, etiam serius quam Scalam-Dei conditam fuisse. Audiendus scilicet est Carolus Ludovicus Hugo, episcopus Ptolemaidis, et*

(a) P. 396 et seqq. — (b) T. I, instrum. p. 192. — (c) Gall. Christ., t. I, col. 1260.

A *abbas Stivagiensis, sic disserens* (*a*): Frelone fundatore, vel Frocone, ut scribit Mauritius Dupré Ordinis annalista (*non autem Petro comite Bigorritano, ut vult Dionysius Sammarthanus, Casam-Dei cum Gratia Dei confundens* (*b*)) prodiit hoc cœnobium, Guillelmo d'Andozille (*imo* de Montald, *ut* § *sequenti evolvetur*) archiepiscopo Ausciensi, illud transcribente Waltero abbati S. Martini Laudunensis, anno 1135, indictione XIII, epacta IV, concurrente I, ut legimus in originali diplomate, asservato in scriniis S. Martini. sed pene exeso. *Ex quibus satis liquet*, S. Bertrandum *neque cum incolis Scalæ-Dei, neque cum Casæ-Dei ascetis umquam versatum fuisse. Ut autem hæc claudantur, operæ pretium est animadvertere fratres Scalæ-Dei optime potuisse rescire* S. Bertrandi *miracula, quoniam ab anno* 1142 *sedem suam habuerunt in his Tarbensis diœcesis finibus, qui diœcesi Convenensi adjacent. Ex quibus omnibus plurimum crescit Vitalis auctoritas; ad quam tamen commendandam omnium maxime facit tum ejus officium notarii apostolici, tum ejus Romana ablegatio ad promovendam* S. Bertrandi *canonizationem. Quod si ejus scriptio aliquantum deinde* B *corrupta fuit, id ab eo alienum est: cæterum paucissimæ sunt istiusmodi litterarum series. His de* S. Bertrandi *biographo præmissis, stylum jam ad se vocant ipsa hujus Sancti gesta.*

§ II. De S. Bertrandi parentibus, fratribus, aliisque consanguineis. Trium Gulielmorum, Ausciensium archiepiscoporum chronologia illustratur.

Nomen S. Bertrandi,

Ut ex totâ S. Bertrandi *vitæ serie facile innotescet, natus est* S. Bertrandus *ante medium sæculum* XI, *quin tamen certum tempus assignari queat, tum ob silentium Vitalis, tum ob aliorum monumentorum omnimodam fere absentiam. De ejus similiter* C *nomine late disputare non vacat, siquidem* Bertrandi *vocem, ut Peyronetii phrasi utar, a* Bertchranno, Bertichranno, *seu* Bertichramno (*c*) *deductam esse, norunt viri docti. Cæterum hac de re jam dixere decessores nostri ad diem* VI *mensis Junii* (*d*), *ubi simul noster Sanctus ab aliis homonymis distinguitur. Admittendum tamen non videtur idem esse illud nomen ac* Bernardum; *quo nomine Sanctum, de quo agimus, a quibusdam appellatum fuisse non mirari non potuimus. Juverit tamen notare* Bertichramnum *aut similis formæ nomen, sæculo duodecimo ineunte, quo Sanctus noster florebat, in Occitania non amplius obtinuisse, ipsumque proin Sanctum in conciliis et alibi* Bertrandum *subscripsisse.*

natalis locus

16 *Occurrit autem difficultas, cum quo nomine natalis ejus locus olim appellaretur definiendum est. Novimus quidem ex edenda Vita jam tempore Atonis Raimundi,* S. Bertrandi *patris, castellum in quo natus est, in castrum, cui* Insula *deinde, et tandem* Insula Jordanis *nomen datum est, mutatum fuisse; verum grave me vexat dubium corruptumne* D *ediderit Martenius hoc loco textum, annon; scribit etenim:* Fuit autem oriundus de castello Setio, quod incolæ commutantes construxerunt exinde castrum, quod Insula nuncupatur. *Repugnat huic lectioni:* Castello Setio, *Oihenartus, dux plerumque tutissimus, qui in Notitia utriusque Vasconiæ* (*e*) *hæc habet:* Castellum ICTIUM, locum hunc principio, (antequam civibus frequentaretur et urbis formam indueret) vocatum fuisse testatur Vitalis protonotarius. *Et quidem tum in laudato ecgrapho Possini, tum in altero Gisseji,* castellum Ictium *luculente legitur. Præterea, quæ minime spernenda auctoritas est, (siquidem annuatim frequentissimis examinatur oculis, illudque jam plura sæcula) consonat Oihenarto nostrisque Mss. tum Officium* S. Bertrandi, *quod inter Propria Tolosana anni* 1647 *excusum reperitur, tum alia, de quibus inferius dicemus. Ne tamen secundum hanc auctoritatem difficultatis nodum scindamus, obstat fragmentum extractum ex chartulario monasterii Grandis-Silvæ, quod in Historia Occitaniæ, a Benedictinis monachis elaborata, inter probationes* (*f*) *legere est; hæc porro ibi occurrunt:* Anno Incarna- E tionis MCLXXI Odo de Insula, et India uxor ejus, pro animis suis et Arnaldi Gausberti, dant eidem monasterio (*Grandis-Silvæ*) et Pontio abbati quidquid habent in nemore de SETES pro XX solid. Morlan. ex caritate. *Ubi vero situm sit, aut olim fuerit* nemus de Setes, *nihil habeo unde indicare possim; ad feudum tamen aut allodium dynastiæ Insulanæ pertinere videtur: quocirca fateor me angi de damnando Marteniano textu. Facile in hanc rem inquirere possent Occitaniæ viri docti, quibus multa detegenda supersunt de gente Insulana, de qua vix quempiam late disseruisse autumo.*

a Setico et Sotia distinctus examinatur.

17 *Ne quis vero, quoniam Insula Jordanis non procul a Tarno fluvio jacet, idem esse contendat ac* Seticum contra Torn, *unde Carolus Simplex, rex Francorum, anno* 922 *pro Ecclesia Gerundensi dedit chartam, quam in Marca Hispanica* (*g*) *legesis, cavit jam Petrus de Marca in eodem opere* (*h*), *ubi contra Catellum ostendit locum hunc esse trans Mosam. Neminem quoque confido castelli Setii antiquitatem esse propugnaturum ex eo, quod Cæsar* (*i*) *sæpius Sotiates memorat; longius enim ab Insula incolebant illi, ut iterum ex historicis demonstrat laudatus Parisiensis præsul, de Marca, in historia* F *sua Benearnensi* (*k*), *ubi clare patefacit Sotiam eamdem esse ac Vicum Julii, aut Adurrim* (Aire), *Setium vero seu Ictium, nunc gallice* l'Ile Jourdain *jacet ad Garumnæ fluvium, in pago Ausciensi* (Département du Gers.) *Plura de hoc oppido in obviis occurrunt topographiis.*

S. Bertrandi nobilitas et ejus familiæ potentia notatur.

18 *Sed quidquid de castri nomine sentiatur, certum est* S. Bertrandum *ex Insulana gente esse ortum, prout testatur Vitalis num.* 1 *Vitæ, et secundum eum cæteri historiographi. Quam nobile vero esset illud genus undecimo jam sæculo multiplici ex capite colligitur: Ato Raymundus quippe, dominus Insulæ et* S. Bertrandi *pater, matrimonio fuit junctus filiæ Gulielmi, comitis Tolosani, cui agnomen* Scindens-ferrum; *Tolosanorum autem comitum genus tam illustre erat, ut Constantia, ejusdem Gulielmi ex priori matrimonio filia, secundis nuptiis juncta fuerit Roberto regi Francorum, quemadmodum ab Occitaniæ historiographis* (*l*) *et a collectoribus Historicorum Galliæ* (*m*) *fuit ostensum adver-*

(*a*) Annal. Præmonstrat., t. I, col. 481. — (*b*) Gall. Christ., t. I, col. 1031. — (*c*) Catalogus SS. verbo Bertrandus. — (*d*) T. I, p. 776. — (*e*) P. 533. — (*f*) T. II, col. 546. — (*g*) Col. 845. Edit. Baluz. — (*h*) Col. 375. — (*i*) Comment. de bell. Gall. lib. III, cap. XX. — (*k*) Hist. du Béarn, p. 35 et seqq. — (*l*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 601. — (*m*) Recueil des histor. de France, t. XII, p. 794.

sus

A *sus Pagium* (*a*) *imprimis, hac de re in contrarium disserentem. Neque ibi desiit ille affinitatum splendor, ut videri potest ex indice genealogico hujus domus, quem contexuere prælaudati historiagraphi* (*b*) ; *quapropter non demiror anno* 1341 *dynastiam Insulanam antiquitatis et nobilitatis suæ gratia a Philippo Valesio, Galliarum rege, comitatus titulo fuisse decoratam : qua super re vide Oihenartum* (*c*) *et d'Expilly insuo Dictionario* (*d*). *Generis autem nobilitati non impares erant divitiæ, quas cum monasterio Grandis-Silvæ nonnihil communicavere Insulani dynastæ, ut ex præcitatis Grandis-Silvensibus excerptis facile eruere est. Harum autem magnitudinis si quis specimen cupiat, videat quæ de Bertrando de Insula, episcopo Tolosano, habet Gallia Christiana* (*e*) *et Moreri in suo Dictionario ad hujus præsulis nomen. Quam late vero pateret ejusdem familiæ ditio, partim disci potest ex fœdere* (*f*) *anno* 1196 *inito inter Jordanem de Insula et comitem Convenarum, et ex Registro* (*g*) *de Saisimento civitatis Tolosæ et comitatus Tolosani, anno* 1271 *facto.*

Aliquot minores errores notantur.

19 *Sed de* S. Bertrandi *parentibus et fratribus paulo latius jam agamus. Gulielmus Catel cum in sua Tolosanorum comitum Historia, in Gulielmi Scindentis-ferrum liberos quam sedulissime poterat inquisivisset, his suam dissertationem claudit verbis, quæ ex gallicis latina facio* (*h*): Filiæ autem nomen ignoramus pariter; sed ex memorata S. Bertrandi Vita colligimus nuptam eam fuisse Ottoni Raimundo ; ex quo matrimonio duo exstitere liberi : Jordanes nempe dominus Insulæ, qui anno 1132 filiam Godefridi, domini Mureti, uxorem duxit, quemadmodum invenio fuisse notatum a D. De Beloy in quadam ex suis orationibus ; et Bertrandus, qui initio archidiaconus fuit Tolosanæ ecclesiæ S. Stephani, postea vero episcopus Convenensis, et qui demum ob vitæ sanctitatem canonizationis honores est adeptus. *Hæc ille, at infelicius quam assolet, cum errores hic non deesse videantur : primo enim nævus forte est in* S. Bertrandi *patris nomine quod* Ato Raimundus *sonat ; secundo, Jordanes ejus frater non fuit, sed nepos, ut patet ex ejus matrimonii tempore ; tertio alios saltem duos habuit* S. Bertrandus *fratres, quorum alter Raimundus de Insula, alter Anonymus, qui Andohiellæ aut Andofilæi forsan fuit dominus. Rem jam aggrediamur. De patris nomine vix potest esse quæstio : habet enim Vita a Martene edita :* Sanctus ergo Bertrandus clarus genere, sed nobilior fide, virtutibus refulsit : cujus pater dictus Ato Raimundus vir generosus ; *cui lectioni consonant tum ecgrapha Possini et Gisseji et textus quem Oihenartus* (*i*) *legerat, tum* S. Bertrandi *Officium ecclesiasticum : passim quoque a Vitali non aberrant Occitaniæ laudati historici ; at in arbore genealogica comitum Tolosanorum, liberos Gulielmi Scindentis-ferrum enumerantes, Emmæ ejusdem, ut aiunt, filiæ maritum tribuunt* Othonem Raimundum. *De hoc vero lapsu quem cum Catello communem habent jam satis.*

Expenditur charta ad S. Bertrandi *genus pertinens,*

20 *De* S. Bertrandi *vero patre cum continuo fuerit quæstio, non abs re fore confido, pauca hic proferre de charta quadam, in qua nomen ejus inscribitur, et quam omnium antiquissimam esse autumo, quæ ad Insulanum genus pertineant. Eruerunt eam Occitaniæ historiographi ex archivio monasterii S. Petri Curtensis seu* Mas-Garnier, *eamque inter probationes tomi sui II* (*k*) *publici juris fecerunt. Porro narratur in hoc instrumento, quo pacto monachus quidam, Aymardus nomine, a Gulielmo Unaldi et aliis villarum dominis terram, in qua S. Licerii templi vestigia supererant, cœnobio S. Petri Curtensis impetraverit. Condita autem fuit hæc charta, non anno* 1060, *ut voluere Occitaniæ historiographi, sed certo post hunc annum ; quemadmodum unicuique liquebit, qui Philippi Francorum regis ætatem cum his, quæ in hac dicuntur charta, comparaverit. Constat præterea eam die* XVIII *Januarii* 1061 *fuisse scriptam, ut illa ipsa, si cum tempore obitus Pontii Tolosani comitis conferatur, demonstrat. His autem præmissis, en qui illic subscribunt testes :* S. Atto Raimundus de Yla, S. Willelmus, Willem-Bernard de Yla, S. Arnaldus Otto de Cabatui, et Arnaldus Garsia de Garag Castro. *Ex quibus subscriptionibus tria eruere licet : primum ante annum* 1061 Castellum Ictium, *aut* Setium, *in* Castrum de Insula *jam fuisse mutatum, siquidem hoc tempore castrorum domini, vulgo saltem, a præcipuo castro suo cognomen mutuarentur ; secundum, tum nondum huic cognomini appositam fuisse* Jordanis *voculam ; qua in re passim errant Occitaniæ historiographi, licet Oihenartus* (*l*) *jam præmonuisset,* Insulam Jordanis *sic vulgo dictam fuisse a* Jordanis *appellatione, in illius oppidi dynastarum gente familiari ; at hujus appellationis familiaritas a medio fere sæculo duodecimo tantum obtinuit ; et tertium tandem, idque præcipuum, ex ea cognosci* Willem-Bernard de Yla, S. Bertrandi, *ut videtur, fratrem.*

ex qua unus ex ejus fratribus cognoscitur,

21 *Etenim cum, teste Vitali, agnomen de* Insula *castro Atonis Raimundi, hujus tantum temporibus accesserit, necessario ipse* S. Bertrandi *pater primus sui generis* de Insula *cognominatus est ; cum autem moris non esset fratrem a fratre mutuari suum titulum* (de Yla), *dici non potest* Willem-Bernard de Yla S. Bertrandi *esse patruum ; verum cum e contrario paternum titulum assumerent vulgo filii, quamdiu ipsi non obtinerent proprium dominium, quid superest quam ut ille Gulielmus* S. Bertrandi *censeatur frater ? Non enim obstat ætas, nam prorsus verisimile est* S. Bertrandum *anno* 1061 *fratres habuisse, qui ad testandum ætatem haberent idoneam ; neque obstat quod agnomen* Bernard *addatur, quod vulgo tamquam patris nomen habetur ; nam præterquam quod ob eamdem causam* S. Bertrandi *patruus dici non posset (pater enim agnomen* Raimundum *habet), agnomina illa non semper indicant patrem, ut ex obvio Alfonsi I comitis Tolosani specimine eruitur : dicebatur quippe ille Alfonsus-Jordanis* (*m*), *licet patre Raimundo de S. Ægidio gauderet.*

et error circa eum aut alterum fratrem proponitur,

22 *Verum dum chartam illam examinamus, paulatim delapsi sumus ad fratres* S. Bertrandi, *et jam unum notavimus, Gulielmum-Bernard videlicet, quem si Oihenartus* (*n*) *Andofilæi dominum fecisset, anonymum suum sustulisset ; sed quo id factum foret jure, non ego dispicio. Verumtamen non ii sumus qui Oihenarti rejiciamus sententiam, cum inter* S. Bertrandi *fratres Andofilæi dominum adnumerat* (*o*). *Hanc quidem oppugnant assertionem Occitaniæ historiographi sequentibus e gallico idiomate latine factis verbis* (*p*) : Huic sane nituntur testimonio *(Vitalis nempe, qui Vitam* S. Bertrandi *conscripsit)* auctores, qui Raimundo Insulæ domino sanctique Bertrandi germano fratri alterum fratrem,

(*a*) Crit. Baronii ad annum 998, § v et seqq., t. XVI, p. 377 et seq. Edit. Luc. — (*b*) T. III, p. 601. — (*c*) Notit. utriusque Vasconiæ, p. 444. — (*d*) Dictionn., t. III, p. 859. — (*e*) T. XIII, col. 29 et seq. — (*f*) Hist. du Languedoc, t. III, instr., col. 169 et seq. — (*g*) De Rozoi, annal. de Toulouse, t. I, pr., p. 1 et seqq. — (*h*) Hist. des Comtes de Toulouse, liv. I, part. III. — (*i*) Notit. utriusque Vasconiæ, p. 535. — (*k*) Hist. du Languedoc, t. II, col. 235. — (*l*) Notit. utriusque Vasconiæ, p. 533. — (*m*) Hist. du Languedoc, t. II, passim. — (*n*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*o*) Ibid., l. c. — (*p*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391 et seq.

qui

A qui Andofilæi in pago Tolosano sit dominus et Gulielmi III Ausciensis archiepiscopi parens, tribuendum esse arbitrantur ; at fatendum est Vitalis testimonium non valde clarum esse ; siquidem non modo auctor ille sibi ipsemet contradicere videtur, verum etiam antiquis monumentis edocemur Gulielmum III e Montaltensium oriundum esse genere ; quocirca hic præsul filius fuerit sororis S. Bertrandi. *Sic illic adversus Oihenartum* (*a*) *et adversus Ange* (*b*) *insurgunt, non advertentes illam quæstionem quam proxime connexam esse cum hac altera, num Gulielmi II et III, qui in catalogo archiepiscoporum Ausciensium distinguuntur, confundendi sint in unum virum, et qui intermedius Sancius dicitur ad fabulas sit ablegandus.*

et diluitur, tum discussa Vitalis obscuritate,

23 *Porro cum quæstio hæc ad historiam ecclesiasticam Ausciensem tam prope spectet, clarius eam diducere conabimur ; quod ut præstemus, ante omnia proferendum mihi est Vitalis testimonium, quod Occitaniæ historiographi infirmare studuerunt, num. autem* 10 *habet hæc :* Noverit * vestra dilectio, fratres carissimi, quoniam *, quæ præmisimus, ex * magna didiscimus parte, relatione domini Vileumi * venerabilis archiepiscopi Auxitanæ se- dis, nepotis ejus, quem in * ætate tenera * apud se nutrivit, et eumdem fecit applicari studio literarum, et canonicavit eum in ecclesia Sancti Stephani, unde ipse fuerat canonicus, et exinde ad dignitatem episcopalem assumptus. Archiepiscopi * pater * LINEA * GERMANITATIS SANCTO BERTRANDO noscitur fuisse conjunctus. MATER vero PRÆDICTI METROPOLITANI erat GERMANA beatæ et recolendæ memoriæ Vileumi * Bernardi * ARCHIEPISCOPI AUXITANI, a quo iste nomen accepit, nondum tamen in præsentem lucem effusus, sed clausus in utero matris. Quod eodem veraciter docente, dum in Auxitana sede de * suæ narrationis auctoritate multa virtutum exempla colligerem et præsentis scripti propositum, eo mandante, addiscerem.... Fatemur utique quoniam non spe quæstus ad gloriam commoti ad scribendum venimus, sed hujus * viri gratia, qui PATRUELI gloria S. Bertrando conjunctus fuisse dignoscitur. *Sic Vitalis. In his utique nihil omnino obscurum ; et quidem ipsa Martenii lectio non ita corrupta est, ut inde non facile plura colligamus de* S. Bertrandi *et Gulielmi III* C *Ausciensis præsulis consanguinitate. Dicitur imprimis* mater prædicti *(id est qui Vitalis temporibus vivebat)* Vileumi *seu Gulielmi,* Auxitanæ sedis archiepiscopi, germana fuisse alterius archiepiscopi Auxitani : *quibus clare indicatur quæ mater fuerit ; at æque clare indicatur quis fuerit pater : noverunt quippe populares patrem ejusdem Gulielmi, seu ut habet Martenii editio, ipsum* Wilelmum per lineam germanitatis Sancto Bertrando fuisse conjunctum. *Et quantumvis nemo dubitare possit quin hæc conjunctio per lineam germanitatis talis sit, ut* S. Bertrandus *sit Gulielmi istius patruus, curat tamen ipse Vitalis ne quis de hac re suscipiat dubia, et paucis lineis inferius subdit* Wilelmum *istum* patrueli gloria S. Bertrando esse conjunctum. *Quod sane clare testimonium est. At sibi contradicere videtur Vitalis? Qua in re, obsecro? Non in stemmate sane, ut liquet ; at in his quæ de Bertrando archiepiscopo Auxitano perhibet. In examen id vocemus.*

tum sublata contradictione,

24 *Prodeat hæc secunda objectio : dicit Vitalis Gulielmo tertio impositum fuisse nomen alterius archiepiscopi Auxitani, quem tamen non Gulielmum, sed* Bertrandum *nuncupat in editione Martenii.* D *Gravis objectio, fateor ; sed ejus gravitas major est, quam ut in Vitalem, et non in Vitalem tantum, sed in ipsum Gulielmum Auxitanum præsulem, ex cujus ore Vitalis scripserat, redundare queat. Quapropter in oscitantes amanuenses totus error transferendus est, ut satis liquet ex ecgrapho P. Possini, nullis tricis obnoxio. Verumtamen non ita horrendum oscitaverunt in modum ; fateor equidem Bertrandum illum eumdem esse ac Gulielmum I Ausciensem archiepiscopum, qui sororis filio proprium suum imposuit nomen ; sed difficultatem hanc feliciter jam solvere tentaverat Martenius* (*c*), *supponendo Gulielmum I fuisse binominem ; quæ suppositio, accuratione ecgraphi P. Possini commendans, sequentibus stabiliri potest. Inter instrumenta Galliæ Christianæ* (*d*) *exstat charta, qua idem præsul ejusque fratres ecclesiam de Monte-alto Cluniaco cedunt ; sic autem incipit :* In nomine Dei summi omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Willelmus, filius Bernardi, et archiepiscopus Auxiorum, et fratres mei Raimundus et Oddo et Otgarius et Girald et Bertrannus.... donamus ecclesiam S. Michaelis de Monte-Alto, *Ubi animadvertere est Gulielmum Bernardi esse filium : unde secundum temporis vulgarem fere morem* Gulielmus Bernardi *dicendus erat ; et profecto sic ipse subscribit concilio Burdegalensi anno* 1093 *celebrato* (*e*) ; *en verba :* Signum archiepiscopi Auxiensis Willelmi Bernardi ; *et ibidem, cum hujus concilii præcipuos indicat viros, scribit notarius :* Coram domno Amato, legato apostolicæ sedis, et archiepiscopo Burdegalensi, et archiepiscopo Auxiensi, nomine Willelmo Bernardi. E

quæ videtur orta ex eo, quod Gulielmus I Ausciensis præsul videtur fuisse binominis.

25 *Verum agnomen substituebatur his temporibus nonnumquam nomini, unde quis binominis fiebat : rem miram certa probatio credibilem faciet : Occitaniæ scilicet historiographi exhibent* (*f*) *chartam ex monasterio S. Petri Curtensis erutam ; circa hujus autem mediam partem hæc leguntur :* Lacessitis rusticis illiusque dominis solitudinis, ad hoc tandem rei exitum duxit argumentosa apis, *(scilicet Aymardus monachus, qui concionatus erat)* ut a quo possideri domino illius heremi medium videbatur jure patrimonio, WILLELMO scilicet qui et UNALDO, relinquendum impetraret Deo.... Post non multum vero temporis prædictus WILLELMUS-UNALDI, vir venerabilis, in festum Beati Petri F Cathedræ causa venerat orationis, *etc. Et in Gallia Christiana* (*g*) *simile exemplum occurrit : dicitur quippe ibi* Arnaldus Rogerii, *episcopus Convenensis ipso quo Vitalis scribebat tempore, nuncupari* Rogerium *in diplomate quo pax inter Petrum Boni-fontis abbatem et Milites templi componitur. Ex quibus siquidem constat ab agnomine et nomine quosdam factos fuisse binomines, nemo jam mirari deberet, si Gulielmus I Auxitanus etiam* Bernardus *vocatus fuisset. Unde sine negotio amanuenses* Bertrandum *facere potuerunt. Verumtamen si cui non placuerit ille explicandi modus, quoniam alibi nusquam sic nuncupatus reperitur ille Ausciensis præsul, altera præsto est difficultatis solutio, in usu quoque horum temporum fundata : medio enim ævo frequenter initialis nominum littera scribebatur tantum ; unde Vitalis forte* W. Bernardi *solummodo scripsit ; atque hinc omisso* W. *facile ceciderint Amanuenses in erroneum* Bertrandum. *Cæterum amplus est conjecturarum campus ; et quidem ab eo discurrendo abstinuissemus, nisi vindicanda nobis fuisset edendæ Vitæ auctoritas.*

* Novit *Martenius* * et *M.*
* *Omittit M.*
* Wilelmi *M.*
* prima *addit M.*
* *Omittit M.* B
* *Omittit M.*
* *Omittit M.*
* per lineam *M.*
* *Omittit M.*
* Beati Bertrandi *M.*
* *Omittit M.*
* hujusmodi *M.*

(*a*) Notit. utriusq. Vascon., p. 451. — (*b*) Hist. Généal., t. II, p. 763. — (*c*) Ampl. Coll., t. VI, col. 1027. — (*d*) T. I, p. 160, col. 1. — (*e*) Mansi Supplem., Concil., t. III, col. 125. — (*f*) Hist. du Languedoc, t. II, prob. col. 235. — (*g*) T. I, col. 1129.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *Ostenditur duo antiqua monumenta*

26 *Tertia objectio, quam Vitali ejusque sequacibus Oihenarto et Ange Occitaniæ historiographi opponunt, hæc est,* ex antiquis *scilicet* monumentis erui Gulielmum III e Montaltensium esse genere. *Sic illi loco citato Galliæ Christianæ nimiam habentes fidem, ut jam ostendemus. Antiqua monumenta, ad quæ tum Dionysius Sammarthanus, tum secundum eum memorati historici alludere videntur, duplicia sunt : prior est charta ex archivio Simorræ desumpta, in qua de incendio urbis Simorræ ejusque translatione agitur, et quæ clauditur his verbis* (a) : Facta sunt autem hæc anno a Christi Incarnatione MCXLI, indictione quarta, epacta XI, occurrente secunda, mense Februario, Guillelmo archiepiscopo de Montald regente Auxiensem sedem. *Altera autem charta est vetusta membrana ex archivio Ausciensis metropolitani templi eruta, quam Sammarthanus apud Oihenartum* (b) *reperiens, iterum in opere suo edidit* (c) ; *sonat autem in hæc verba :* Successit Bernardo archiepiscopo Guilielmus qui de prosapia Montaltensium descenderat, homo alti sanguinis, summa tam morum quam parentum nobilitate præpollens, tam in divinis

B quam in forensibus negotiis strenuissimus, in proposito constans, religionis amator, qui intra fines Gasconiæ tam Cisterciensis quam Præmonstratensis Ordinis decem monasteria, et sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi in honore omnipotentis Dei fundavit et plantavit, quem prospera vincere, nec adversa frangere potuerunt, vir profundi sensus et consilii, et singularis discretionis. *En utraque charta, ex qua adversarii suam probari contendunt sententiam ; at neutra quidquam efficere videtur, quoniam intra sæculum tres Gulielmi sedem Auxitanam occupaverunt, et utrumque instrumentum ad Gulielmum II referendum est, cum tamen de Gulielmo III hoc loco agatur.*

non Gulielmo I aut III Auxitanis præsulibus,

27 *In prioribus quidem Galliæ Christianæ editionibus, quemadmodum et in Notitia utriusque Vasconiæ duo tantum recensentur hujus nominis præsules, qui sæculo undecimo et duodecimo Ausciis sederunt ; horum autem posterior in duos distinctus est in nova Gallia Christiana, et tres proinde ab eis admittuntur : quorum primus est Gulielmus filius Bernardi, quem ex Montaltensium baronum genere prodiisse, ob donationem quamdam affirmat Dionysius Sammarthanus* (d). *Fuit autem hic, auctore Vitali,*

C *Gulielmi (quem tertium dicere solemus) avunculus, seditque ab anno* 1068 *ad annum* 1096 (e). *Gulielmus vero II prius Lactorensis fuerat episcopus, et Lactoræ sedit ab anno circiter* 1120 *ad annum* 1126, *quo anno ad Ausciensem cathedram est translatus : occupabat hanc adhuc sedem anno* 1142 *mense Septembri, ut colligitur ex charta translationis Scalæ-Dei, diœcesis Tarbensis, in qua ejus nomen memoratur* (f). *Tertius vero Gulielmus reperitur in instrumentis ab anno* 1148 *usque ad* 1170. *His tribus itaque distinctis, videamus quid ad propositam quæstionem evincant superiori numero allatæ chartæ.*

sed Gulielmo II applicanda esse,

28 *Prior reapse aperte asserit Gulielmum quemdam Ausciensem archiepiscopum ad Montaltensium pertinere domum ; sed animadvertendum est, instrumentum, unde id eruitur, anno* MCXLI *fuisse conditum ; cum vero hoc anno non sederet Gulielmus dictus tertius, de quo loquitur Vitalis, nequaquam exinde colligitur, ut hic Gulielmus tertius de* Montald *dicendus sit, aut quod idem sonat, nepos paterno genere Gulielmi I, archiepiscopi. Simile quid dicendum est de secunda charta ; incipit enim expressis his verbis :* Successit Bernardo archiepiscopo Wil- D lelmus, qui de prosapia Montaltensium descenderat, *etc. Jam vero Gulielmus II successit Bernardo, ut Gallia Christiana aperte docet et ut ex permultis probatur monumentis ; Gulielmus vero III successit Sancio : unde iterum concludi quidem potest Gulielmum II fuisse Montaltensem, non item Gulielmum III. Verumtamen urget tomi I Galliæ Christianæ scriptor* (g) *hanc chartam ad Gulielmum, quem tertium dicimus, spectare ; en verba :* Tam brevi tempore Sancius fuit archiepiscopus, ut minime miremur, eum fuisse plerisque ignotum ; et ex Guillelmo qui eum præcessit, alteroque, qui successit, unum esse factum. *Sic ille, innuens inde esse factum, ut Gulielmus II dictus sit Montaltensis, dum ex eo genere oriundum vellet Gulielmum III. Verum hæc conjectura nullo pacto admitti potest, nam cum præcitata charta ex ipso Ausciensi archivio desumpta sit, et continuo post mortem Gulielmi scripta videatur, non potest hæc conjectura probari, nisi hæc triplex in canonicis Ausciensibus supponatur mentis cæcitas : I ut ignoraverint an modo mortuus episcopus annos* 22, *an annos* 44 *secum vixerit ; II ut obliti sint an Gulielmus II et Gulielmus III iidem essent ; III ut ex eorum me-* E *moria prorsus abierit Sancius, qui ante* 22 *annos sedem occuparat ; quæ profecto absurdissima sunt.*

et secundum ejus gesta explananda.

29 *At forte alter quis urgebit eamdem sententiam ex alio capite, ex gestis videlicet, in hoc instrumento enumeratis. Dicitur quippe inibi Gulielmus* tam in divinis quam in forensibus negotiis strenuissimus, in proposito constans, religionis amator : *quæ omnia quam optime Gulielmo II conveniunt. Fuit enim S. Sedis Romanæ legatus, et tantopere Ranimirum Arragoniæ regem in rebus civilibus juvit, ut ab eo obtinuerit splendidissimum diploma, datum æra* 1168, *id est anno* 1130, *quodque edidit Oihenartus* (h), *et post eum Dionysius Sammarthanus* (i). *Prætera secundum Ausciense instrumentum idem Gulielmus* intra fines Gasconiæ tam Cisterciensis, quam Præmonstratensis Ordinis decem monasteria, et sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi.... fundavit et plantavit : *et reapse in Annalibus Præmonstratensibus in indice prævio circariarum, reperio : I monasterium, Casam-Dei, anno* 1135 *in Ausciensi archidiœcesi fundatum ; II monasterium S. Joannis de Castello, alias Gratiam-*

Dei, anno 1140 *in diœcesi Adurensi conditum ; III* F *Combam-Longam, fundatum anno* 1138 *in diœcesi Conseranensi ; IV Capellam, cujus initia, ex charta donationis factæ a Bernardo Jordane pronepote* S. Bertrandi, *ad annum* 1142 *referuntur. Superest autem ut præterea sex monasteria Ordinis Cisterciensis ab anno* 1120 *circiter ad annum* 1144 *in Vasconia fundata recenseantur ; res difficilis non est, in sola diœcesi Ausciensi occurrunt : monasterium de Beudona, fundatum anno* 1134 ; *monasterium de Gimont, cujus exordia vidit annus* 1142 ; *et monasterium de Portaglonio ante ipsum annum* 1126 *Gulielmi nostri curis conditum. Hoc tempore fœcundum quoque fuit Cistercium in aliis Vasconiæ diœcesibus : Convenensis enim diœcesis anno* 1136 *oriens vidit Boni-fontis monasterium ; similiter diœcesis Tarbensis circa annum* 1127 *et* 1131 *fundatum vidit in agro Capadur monasterium Scalæ-Dei, quod anno* 1142 *quinque leucis ad Tarbam propius translatum est. Quibus si addas monasterium sanctimonialium, in eodem Cisterciensi Ordine Deo mancipatarum, abbatiam scilicet Luminis-Dei ante me-*

(a) Gall. Christ., t. I, instrum., p. 169. — (b) Notit. utriusq. Vascon., p. 452. — (c) Gall. Christ., t. I, col. 287. — (d) Ibid., col. 981. — (e) Ibid., col. 982 et Annal. Ausciens. ap. Pertz, Monum. hist. Germ., t. III, p. 171. — (f) Confer hæc cum Gall. Christ., t. I, col. 1075 et 984. — (g) Col. 987 in nota. — (h) Notit. utriusq. Vascon., p. 452. — (i) Gall. Christ,, t. I, instrum. p. 162.

dium

A *dium sæculum* XII *in pago Convenensi jam florentem, sex asceteria Ordinis Cisterciensis in hac Vasconiæ parte, quæ Ausciensi metropoli subjacebat, reperies; et si his quatuor abbatias Ordinis Præmonstratensis in Vasconia quoque sitas adjeceris, indicatus numerus occurret expletus. Similem calculum circa Fontis-Ebraldi propagationem instituere liceret; at cum nullus stricte indicetur numerus, illud notasse sufficiat ante medium sæculum* XII *potissimum Ordinem illum succrevisse, et plura illi nata esse hoc tempore monasteria in his partibus, quæ Gulielmo tamquam sedis Apostolicæ legato subjacebant. De hujus autem legationis ampla potestate vide Petri de Marca Historiam Benearnensem* (*a*). *Atque hic duo notata velim: I lato valde sensu intelligenda esse hæc chartæ verba,* fundavit, plantavit: *aliud enim indicare non possunt, nisi Gulielmo Ausciis sedente, aut tamquam legato annuente, etc., prædicta monasteria fuisse fundata; II similem calculum non posse institui de Gulielmo III: unde denuo probatur hanc chartam ad Gulielmum II spectare.*

Quæ confirmantur alio vetusto testimonio,

B 30 *Porro his adversariorum solutis difficultatibus, superest ut Oihenarti, cæterorumque sententia, Vitalis narrationi consona, proprio confirmetur argumento: suspicati sunt Occitaniæ historiographi Oihenartum Vitalis auctoritate fuisse motum ad annumerandum* S. Bertrandi *fratribus Anonymum, Andofilæi dominum, patrem Gulielmi III Auxitani præsulis, et maritum sororis Gulielmi I ejusdem sedis archiepiscopi. Audiamus Oihenartum:* Wilielmi autem archiepiscopi patrem illius loci, qui nunc Andohiele *(Andofielles)* dicitur, dynastam fuisse, videtur colligi ex cognomine ANDOZILÆI ipsi addito in Necrologio Casæ-Dei comitatus Pardiniacensis: sic enim ibi scriptum exstat: « Guillelmus Dandozille archiepiscopus Auxitanus et sedis Apostolicæ legatus, nepos Sancti Bertrandi, qui eum fecit canonizari, multa bona fecit nobis et multos adversarios pacificavit. » *Sic Oihenartus in Notitia utriusque Vasconiæ* (*b*). *Quo ex testimonio non tantum patet prælaudatos historicos lapsos esse memoria, quod minimum est, sed potissimum Vitalem non errasse, cum huic Gulielmo non patrem sed matrem Montaltensem tribuit, et proin novo confirmari argumento tres Gulielmos intra sæculum Ausciis sedisse: primum scilicet Montaltensem, secundum Bernardi successorem, Montaltensem quoque, tertium autem Andofilænsem, successorem Sancii de Fenogreto, ut constat ex charta quam D. Claudius Estiennot in archivio parthenonis B. Mariæ de Brolio invenit, et in qua ad annum* 1144 *Sancius ille, una cum Licerio Pardiaci comite, dedit B. Mariæ de Fonte-Ebraldi locum de Brolio* (*c*).

et assertione Præmonstratensis annalistæ non infirmantur.

C 31 *Celare tamen nolo gravem adversus hanc sententiam difficultatem, quæ ex Annalibus Præmonstratensibus* (*d*) *exsurgit. Hæc enim scribit historicus jam citatus, de primordiis Casæ-Dei agens:* Frelone fundatore, vel Frocone, ut scribit Mauritius Dupré Ordinis annalista, prodiit hoc cœnobium, Guillelmo d'Andozille archiepiscopo Ausciensi, illud transcribente Waltero abbati S. Martini Laudunensis, anno 1135, indictione XIII, epacta IV, concurrente I, ut legitur in originali diplomate asservato in scriniis S. Martini, sed pene exeso. *Hanc porro si admitteremus narrationem, gravis erroris damnandus esset imprimis D. Claudius Estiennot, qui præcitatam Broliensem chartam protulit, et ex qua aperte declarantur ob intermedium Sancium Gulielmum tertium a Gulielmo secundo distinguendum: illic autem cum nuntietur Gulielmus d'Andozille anno* 1135 *Ausciis sedisse, quo tempore contendimus Gulielmum de Montald Ausciensem fuisse episcopum, corruit totum prius computum. At multa infirmant Præmonstratensis annalistæ testimonium, quod cæterum nos summopere venerari declarare non ambigimus: etenim exesum erat, quod legit diploma; et dein non aperte indicat an tempus scriptionis tantum legerit, an vero cætera, quæ profert, ibidem quoque invenerit; mihi autem tum ob rationes superius circa tres Gulielmos expositas, tum quia in nulla alia charta, in qua utervis Gulielmus dicitur alicui contractui fuisse præsens, numquam ejus nomini agnomen additur, mihi inquam persuasum est laudatum annalistam nomen* d'Andozille *hausisse ex fragmento historico, cujus in præcedenti numero meminimus. Neque temera conjectura est; nam in sequentibus palam in illud vitium incidit; ait quippe:* Si veteri membranæ Ausciensis metropolis *(eam edidimus partim num.* 26 *et seqq.),* gesta Guillelmi d'ANDOZILLE compendiose referenti, credimus, totam dotem, et totius monasterii structuram debet Præmonstratensis religionis amatori, Guillelmo, qui intra fines Vasconiæ, tam Cisterciensis, quam Præmonstratensis Ordinis, decem mo- E nasteria,... fundavit et plantavit. *Sed animadverterit lector in invocata charta dici* Guillelmum ex genere Montaltensium, *et præterea exaggerata esse hæc verba* totam dotem, et totius monasterii structuram: *quapropter minor quoque mihi fides est, cum Gulielmum* Andofilæensem *superius scribit. Quod probat insuper illud agnomen* d'Andozille *ex prædicto Casæ-Dei Necrologio esse appositum, est consortium vitii in scribendo:* Andozillam *enim alibi nusquam repertum iri existimo. Porro ut perfectum relegamus iter, paucis totam hunc excursum complecti juvat: quocirca, siquidem ex nullo capite probatur Gulielmum III habuisse patrem ex Montaltensium domo, standum est Vitalis narratui, qui ei matrem ex hac domo adscribit, patrem autem, qui* S. Bertrandi *frater, et Andofilæi videtur fuisse dominus: num autem hic idem sit ac* Willem-Bernard de la Yla, *quem num.* 20 *ex pulvere excussimus, malo nihil affirmare, quam in errorem impingere.*

Alius S. Bertrandi *frater*

32 *Alius* S. Bertrandi *frater, quem Catellus ignoravit, quem vero Oihenartus videtur detexisse* (*e*), *Raimundi de S. Ægidio, comitis Tolosani, fuit* F *socius in bello Hierosolymitano; num vero ipse domui suæ intulerit comitum Tolosanorum gentilitia insignia, (ut certo hoc aliquando fruita est honore), mihi exploratum non est. Cæterum constat bene eum meruisse de Raimundo Tolosano, et nonnullis in Palæstina copiis, e ditione forte sua collectis, fuisse præpositum. Narrat quippe Raimundus de Agiles* (*f*) *plura de* Raimundo *quodam* de Insula, *qui non potest non esse Atonis Raimundi de Insula filius: id enim indicat non tantum ipsum nomen* Raimundus, *(quod cum patris cognomen esset, avi forte nomen erat, et proin secundum hujus temporis morem imponebatur filio,) verum etiam ipse ordinarius scribendi modus Raimundi de Agiles, potissimum gesta Raimundi de S. Ægidio, cujus capellanus erat, ejusdemque militum commemorantis: porro subjacebat castrum* de Insula *Tolosano comitatui. Videat lector apud Bongarsium has* S. Bertrandi *fratris res gestas, quæ ad annum* 1099 *referendæ videntur. Præter hæc nihil aliud de hoc Raimundo certo cognoscitur; verumtamen filium habuisse videtur Jordanem, qui, anno* 1132 *matrimonium iniens cum Alues, filia Godefredi Murelli, stemma Insulanum*

(*a*) Hist. du Béarn, P. 329. — (*b*) P. 453. — (*c*) Gall. Christ., t. I, col. 985. — (*d*) T. I, col. 481. — (*e*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*f*) Bongarsius, Gesta Dei per Francos, p. 162.

con-

A *continuavit* (*a*). *Est autem ille ipse Jordanes, quem Catellus* S. Bertrandi *fratribus adjunxit; at quam erronee hoc fecerit, videt unusquisque, siquidem in magna prorsus senectute uxorem duxisset.*

et nonnulla alia de ejus genere,

33 *Percurrenti vero catalogum principum prælatorum, militum, quem Jacobus Bongarsius Gestis Dei per Francos præfixit, occurrunt præter memoratum Raimundum de Insula,* Wiscardus de Insula *et* Balduinus de Insula; *at cum sæculis, quibus bella sacra acta sunt, nomina* Wiscardus *et* Balduinus *minoris usus forent in Occitania, non dubito quin bellatores isti ad genus comitum Insulensium pagi Flandrensis pertineant: quapropter non vacat diutius ingens perscrutari volumen, cui consueti desunt indiculi. Quoniam nihil quoque mihi perspectum est de* S. Bertrandi *matris nomine, pauca, quæ hac de re dicenda sunt, ad hunc servare locum visum est. In stemmate comitum Tolosanorum, quod texuerunt Occitaniæ historici* (*b*), *inter liberos, Guilelmo Scindenti-ferrum ex secunda ejus uxore Emma, Provinciæ comitissa, natos, prodit puella, Emma nomine, quæ, ut aiunt, Atoni Raimundi nupsit. At nusquam in eorum opere aliud fundamentum*

B *hujus asserti reperi præter recentioris scriptoris testimonium; et quidem affirmant id ab eo ex conjectura prolatum fuisse* (*c*), *et alibi, ubi explicite de sancto* Bertrando *sermonem faciunt* (*d*), *satis sibi habent Vitalis narrationem verbotenus in gallicum convertere idioma, minime sancti* Bertrandi *matris nomen determinantes.*

imprimis de matre notantur.

34 *At longius quam par est ab eorum discessere sententia scriptores operis* Art de vérifier les dates. *Duos enim tantum liberos adscribunt Gulielmo Scindenti-ferrum ex prædicto matrimonio genitos, Pontium videlicet successorem, et Bertrandum, marchionem Provinciæ, omittuntque omnem filiam, quæ* S. Bertrandi *mater foret; quin tamen ea augeant liberorum numerum, quos dictus Guliemus ex Arsinde, priore uxore, suscepisset. Recensent nempe tantum Raimundum et Henricum in juvenili ætate mortuos et Constantiam, alteram Roberti regis Franciæ uxorem, et Ermengardem Roberto comiti Arvernensi nuptam. At certo alicubi inserenda erat* S. Bertrandi *mater, quoniam id apertis verbis testatur Vitalis, qui in hoc capite omni exceptione major est. Cæterum qui latius splendidum* S. Bertrandi *ma-*

C *ternum genus cognoscere cupiat, adeat, potissimum multoties citatam Occitaniæ historiam* (*e*) *et librum qui inscribitur* Art de vérifier les dates. *Paternum autem stemma texuit Oihenartus* (*f*), *quod tamen latius declaratur in Historia Occitaniæ* (*g*). *Verum huic quoque plura desunt nomina quæ libenter ex authenticis monumentis supplerem, nisi per plura sæcula in historiam profanam oporteret excurrere; quod a nostro proposito alienum est. Monebo tantum in catalogo ditissimi archivii D. de Joursanvault* (*h*) *indicari explicarique nonnullas chartas ineditas,* S. Bertrandi *generi, jam pridem extincto, illustrando aptas. De editis non est quod dicam.*

D

§ III. Pueritia et militia S. Bertrandi; quæritur an vere canonicus regularis fuerit in ecclesia S. Stephani Tolosæ; investigantur ejus episcopatus initia.

S. Bertrandus pie educatur;

Quemadmodum superius jam innuimus, brevis est Vitalis in S. Bertrandi *gestis evolvendis, prolixus autem in recensendis miraculis: de his in annotatis ad Vitam fere agam; de illis hoc loco examinanda sunt plurima. E domo paterna* S. Bertrandum, *puerili nondum superata ætate, educit illius encomiasta Lastrade* (*i*), *mittitque eum ad Gulielmum I Ausciensem archiepiscopum, avunculum Gulielmi III, ut superius jam vidimus: quæ opinationes denuo ex male intellecto Vitali haustæ sunt. Ait hic quippe num.* 10: Ex magna didicimus parte, relatione domini Vileumi *(videlicet III),* venerabilis archiepiscopi Auxitanæ sedis, nepotis ejus (*scilicet* S. Bertrandi), quem, *(nempe Gulielmum),* in ætate tenera apud se nutrivit, et eumdem fecit applicari E studio litterarum. *Quæ Vitalis dicta a Lastradianis assertis prorsus diversa sunt. Postquam vero Gulielmus I,* (*sic Lastrade* (*k*) *pergit*), *aliquamdiu nepotem suum excoluisset, credidit eum monachis Cisterciensibus in monasterio Casæ-Dei, sacris litteris eruendum. Quæ nova commenta, utpote quod in his agatur de monasterio tum nondum exsistente, num.* 10 *et seqq. satis jam convulsa fuerunt. Ex Vitali num.* 1 *id unum scimus* placuisse utrique parentum, ut juxta Apostolum, ab infantia sacras cognosceret litteras, quæ eum possent instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. *Cujus rei causa quibus viris creditus fuerit, nos latet: cæterum sacræ hæ litteræ nihil aliud esse videntur quam prima Christianæ doctrinæ et forte latinitatis elementa; nam juvenis factus, armis indutus est.*

juvenis factus, militaribus armis induitur;

36 Cum vero B. Bertrandus, (*sic loquitur Vitalis num.* 2,) attigisset juvenilis robur ætatis militaribus armis est decoratus: *quod quoto ætatis anno factum sit, difficile determinare est, quoniam stabile non erat hujus solemnitatis tempus. Designantur scilicet citatis verbis ceremoniæ, quibus creabantur milites et equites: hujus celebritatis ritus edidit Martenius inter veteres ritus Ecclesiæ* (*l*) *et plura* F *hac super re exstant in Dictionario Trivultiano ad verbum* Chevalier, *plura in Glossario Cangii ad verbum* Arma, Miles, *etc., et apud obvios fere scriptores. Cum autem de tempore, quo arma traderentur, loquuntur scriptores veteres, vagam tantum temporis indicationem:* cum juvenile robur, cum adolescentiæ tempora, *etc.* attigisset, *proferunt: sed cum necesse esset, ut eques non ludicris sed gravibus armis ferendis par foret, viginti unus aut vulgo saltem octodecim anni requirebantur in creando equite; pro pluribus valeat unum Henrici, Gulielmi, Conquæstoris filii, specimen; sic de eo breve Chronicon S. Martini Turonensis* (*m*): Henricus anno regni patris sui Guillelmi III natus est in Anglia, XXI ejusdem regni, ætatis vero suæ XIX a patre sumpsit arma in Pentecosten. *Ordericus Vitalis lib.* VIII *scribit eum a Lafranco Cantuariensi archiepiscopo (ut in more fere erat) armis indutum fuisse. Simile quid in* S. Bertrando *obtinuisse planum conjicere est.*

in quo vitæ statu justitiam, aliasque virtutes colit;

37 *Quos mores miles induerit aut servaverit,*

(*a*) Oihenart, Notit. utriusq. Vasconiæ, p. 536. — (*b*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 538. — (*c*) Ibid., p. 176. — (*d*) Ibid. p. 361. — (*e*) Ibid. p. 538. — (*f*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*g*) T. III, p. 601. — (*h*) T. II, p. 48. — (*i*) Relation de la translation d'une relique, etc., p. 12. — (*k*) Ibid., p. 14 et seq. — (*l*) Lib. II, cap. XII. — (*m*) D. Bouquet, Rec. des histor. de France, t. XII, p. 65.

pluribus

A *pluribus explicat biographus Vitalis, eum non tantum a cultis virtutibus, verum etiam a calcatis vitiis laudans. Et reapse non exigua laus est* isti viro, *qui*, cum non de parentibus infimis, et sub habitu militari posset viribus et potentia sua nonnullos opprimere, aliena diripere, et multam exercere malitiam, noluit exequi temporalis militiæ potestatem ad bonorum perniciem : *hæc Vitalis. Quæ sane eo magis nostrum Sanctum commendant, quo crebrior tum esset apud milites nobilesve iniquitatis injustitiæque usus : qua de re grave testimonium est Treuga-Dei, a medio sæculo* XI (*a*) *sæpius denuntiata; et quidem, si una tantum* S. Bertrandi *Vita exstaret, sat plura jam præsto essent vexationum specimina, quæ his temporibus in consuetudinem abierant.*

dein canonicus et archidiaconus Tolosanus fit.

38 *Quamdiu* S. Bertrandus *militem egerit determinare nequeo ob silentium Vitalis aliorumque scriptorum. Cum vero quadraginta saltem annos episcopalem sedem tenuerit, manifestum est non ita diuturnam ejus fuisse militiam. Aliquot itaque annis post assumpta arma canonicus factus sit oportet in ecclesia cathedrali S. Stephani Tolosana, ut tradit Vitalis num.* 10, *et dein archidiaconus Ecclesiæ*

B *Tolosanæ, ut idem Vitalis testatum facit num.* 7. *At quæstio est, num id temporis capitulum ecclesiæ cathedralis jam collegium esset canonicorum regularium ; et proin an horum institutum professus sit* S. Bertrandus. *Affirmans sententia proponitur in Officiis propriis Tolosanis anni* 1647, *et in Proprio Sanctorum Ordinis canonicorum regularium Congregationis Gallicanæ anni* 1665 ; *in Propriis vero ejusdem Congregationis annorum* 1758 *et* 1765 *et similiter a Bailleto velatur difficultas his aut similibus verbis :* In ecclesia Tolosana canonicus et archidiaconus eo tempore fuit, quo regularis disciplina sub Isarno præsule ibidem reflorere cœpit. *Lastrade, qui tamen in præfatiuncula lectorem monet nihil quod verum non sit in suo libello repertum iri, pro more e sua penu profert* S. Bertrandum *allectum fuisse ab Isarno, qui eo ad perficiendam cleri sui reformationem tamquam instrumento usurus esset. Ad solvendam vero propositam quæstionem, ante omnia necesse est, ut inquiramus in initium episcopatus* S. Bertrandi ; *nam si ad annum* 1073, *ut quidam volunt, referas ejus electionem ad cathedram Convenensem, a priori, ut aiunt, omnem præscindis quæstionem, excludisque* S. Bertrandum *e*

C *capitulo regulari ecclesiæ S. Stephani, quod certo certius post annum* 1073 *exorsum est. Primum itaque variæ variorum scriptorum sententiæ de tempore, quo Convenensibus infulis ornatus est* S. Bertrandus, *exponendæ videntur.*

Factus est episcopus non anno 1073,

39 *Claudius Robertus in tentato potius quam perfecto opere, Gallia Christiana* (*b*), S. Bertrandum *vage cœvum facit Alexandro III ; quod dimidio sæculo a vero aberrare est. Ricciolus* (*c*) *et fratres Sammarthani* (*d*), *Oihenartum secuti, ejus episcopatus initium determinare refugiunt, scribuntque :* Regebat episcopatum annis 1085 et 1086 ; *Dionysius vero Sammarthanus* (*e*) *sic disserit :* Mortuo vero Otgero, Conveniensi episcopo, subrogatur anno circiter 1073. Hoc enim anno confirmavit Petro Simorræ abbati monasterium Salengolinum. *Eadem tamen columna de Gulielmo ejusdem sedis præsule agens, Sarancolinense instrumentum in dubium vocat, monens :* Anno 1078 habitum est adhuc Gerundæ concilium, cui interfuit Guillelmus, Convenarum præsul ; qui si fuerit noster Guillelmus, quæ leguntur ex argumentis parum certis de Otgerio et de Bertrando anno 1073 D debent deferri ad aliud tempus. *Baillet* (*f*) *et Beaunier* (*g*) *Sancti nostri episcopatus exordium innectunt anno* 1076, *quin moneant cui superponant fundamento tam alienam sententiam. Mitto reliquos, qui hac de re dixerunt, aut aliorum potius sibi affinxerunt sententias.*

sed post annum 1078, *ut liquet ex concilio Gerundensi,*

40 *Equidem opinor* S. Bertrandum *ad Convenensem cathedram evectum fuisse circa annum* 1083 ; *quod videtur sequentibus stabiliri posse argumentis : certum imprimis est eum ante annum* 1078 *Convenensem non fuisse præsulem, quoniam hoc anno absque dubio sedebat adhuc Gulielmus, qui anno* 1063 *ad hanc sedem accesserat. Aperte enim id colligimus ex concilio Gerundensi, cujus Acta edidit Martenius* (*h*) *ex scriptis D. Joseph de Traverner d'Ardenne, canonico Barcinonensi ; at multo accuratius vulgata illa fuerunt in Hispania Sacra* (*i*) *ab Antolino Merino. In utraque tamen editione penultima subscriptio hæc est :* Guillelmus Conveniensis episcopus subscripsi ; *porro hæc tertia Gerundensis synodus celebrata est temporibus S. Gregorii Papæ VII* anno Dominicæ incarnationis septuagesimo octavo post milessimum, *ut totidem* E *verbis ibi reperies. Neque illud unicum testimonium est, quod, etiamsi solum, difficultatem dirimeret.*

et ex instrumento restaurationis monasterii Balneolensis ;

41 *Circa ipsum tempus, quo hæc sacra synodus conveniebat, restaurare cupiebant monasterium Balneolense Bernardus, comes Bisullunensis, et conjux ejus, comitissa Ermeniardis : ut vero hujus restaurationis instrumentum majori muniretur auctoritate, Amati Ellorensis episcopi, S. Romanæ Ecclesiæ legati, et dicti concilii præsidis, aliorumque præsulum confirmationem petierunt. Prodidit illustrissimus Petrus de Marca* (*k*) *hoc ipsum instrumentum, quod duplicem partem habet ; posterior pars sic desinit :* Et rogo firmari hanc meam largitionem testibus : Berengarius, gratia Dei Gerundensis episcopus. Guillermus archilevita. S. Guillermi Dei misericordia Convenarum episcopi. S. Raimundi comes. Petrus sacerdos et monachus, qui hoc scripsit die et anno quo supra. *Qui dies et annus ad finem prioris partis cum confirmatione Amati hac formula produntur :* Quæ est facta nonis Martiis anno millesimo LXXVIII, æra millesima centesima decima sexta, indictione prima. Ego Amatus Ellorensis episcopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, laudo et confirmo, *etc. Testi-* F *monium clarum est.*

quæ chronotaxis non quatitur instrumento Simorrensi, cui subscripsit S. Bertrandus ;

42 *Ast interceditur : pugnat videlicet hæc chronotaxis cum charta Simorrensi, in qua* Bertrandus *anno* 1073 *dicitur esse episcopus. Cui objectioni duplex potest dari solutio : etenim, si nullum ex tribus monumentis intrinsece examinetur, fides potius danda est Actis concilii, quorum exemplaria, utpote plura numero, minus obnoxia erant corruptioni, quam instrumento cujusdam cessionis, servato in uno tantum scrinio ; deinde duplex monumentum adversus unum prævalere debet. Altera solutio ex integritate monumentorum petitur : si enim productas chartas inspiciamus, vitium ex una parte, nullum ex altera oculos ferit. Quantumvis quippe nusquam obviare potui integro Simorrensis membranæ ecqrapho, duplex linea, quam ex ea refert Sammarthanus, sufficit ut jam patescat nævus ; ait nempe* (*l*) : Mortuo vero Otgero.... subrogatur S. Bertrandus anno circiter 1073. Hoc enim anno confirmavit Petro Simorræ abbati monasterium Salengolinum : *quo nomine sæculo* XI *dicebatur monasterium in diœcesi*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 607 et seqq. et passim. — (*b*) Gallia Christ., p. 315. Edit 1626. — (*c*) Chronolog. reformata t. II, p. 207. — (*d*) Gall. Christ., t. II, p. 548. Edit. anni 1656. — (*e*) Gall. Christ. nova, t. I, col. 1094. — (*f*) Vies des Saints, t. VII, p. 243. — (*g*) Rec. des archevêchés, t. I, p. 90. — (*h*) Thesaur. Anecdotor., t. IV, col. 1190. — (*i*) España sagrada, t. XLIII, p. 482. — (*k*) Marca Hispanica append., col. 1168. Edit. Baluzii. — (*l*) Gall. Christ. t. I, col. 1094.

Ausciensi

A *Ausciensi situm* (*a*), *deinde dictum* Sarancolinum, *ut notat Gallia Christiana* (*b*), *aut* Sarrancolinum, *ut vult d'Expilly; qui monasterium illud prioratum nuncupat. At nævus, qui adest, chronologicus est. Anno enim* 1073 *non erat* Petrus Simorrensis abbas. *Exhibet quippe Mabillonius* (*c*) *ad annum* 1703 *partem instrumenti pertinentis ad concilium, apud S. Mariæ Orreæ hoc anno idibus Augusti celebratum, et in quo cella Sanctæ Dodæ monasterio Simorræ asserta fuit; ad calcem vero instrumenti mutili, in quo Pontii Bigorrensis episcopi nomen legitur, traditur hunc Pontium tunc temporis abbatiale Simorrense munus una cum episcopali tenuisse. Adversus hæc recalcitrat quidem Sammarthanus* (*d*); *sed in texendo Tarbensium episcoporum catalogo vestigia sua relegit, affirmatque* (*e*) *Pontium, prius Simorrensem abbatem, non abstinuisse a Simorrensi abbatia, quam anno* 1073 *adhuc haberet, cum judicio episcoporum cella Sanctæ Dodæ Simorrensibus est restituta. Novi equidem aliam suscitari posse exceptionem ex his, quæ Sammarthanus* (*f*) *asserit de Bernardo, postea facto abbate S. Savini Tarbensis, et quem antea Petrus, Simorrensis abbas,*

B *constituisset in suo cœnobio priorem; at ne latius denuo excurrere cogamur, sufficerit invitasse lectorem ad examinandum expendendumque catalogum abbatum Simorrensium et S. Savini Tarbensium; et utrumque hiulcum ab eo repertum iri, affirmare non dubito.*

atque adeo verisimile est ejus episcopatum circa annum 1083 inchoatum fuisse.

43 *At licet gravi vitio laboret Simorrensis charta, de qua modo dixi, non tamen est quare ei omnis adimatur auctoritas: facile enim oscitans amanuensis loco* MLXXXIII, MLXXIII *scribere potuit; et reapse si annus* MLXXXIII *probatur, potior tollitur difficultas. Pontius enim Bigorrensis aut Tarbensis episcopus anno* 1080 *mensem Aprilem inter et hujus anni finem mortuus aut sedem suam reliquisse censendus est, quandoquidem kalendis Aprilis ejusdem anni diploma confirmavit, et ante anni exitum ejus successor, Hugo, Burdigalensi concilio interfuit. Pontio itaque mortuo aut aliorsum translato, et Simorrensi proinde pedo pertinente ad neminem, potuit Petrus sine negotio abbas Simorrensis esse anno* 1083. *Quod vero hujus explicationis consequens est, admittatur oportet,* S. Bertrandum *anno* 1083 *Convenensi cathedra jam potitum esse. Et quidem neque ad multo superiora tempora referri potest ejus epi-*

C *scopatus exordium: vidimus enim anno* 1078 *Gulielmum Convenis sedentem; ast inter Gulielmum et* S. Bertrandum *inserunt, quotquot vidi alicujus notæ scriptores, Otgerum: cui sententiæ traditio Tolosana, quæ ex* S. Bertrandi *officio innotescit, et Convenensis, adstructa a Lastrade, consona omnino est. Relato itaque* S. Bertrandi *episcopatus initio ad annum circiter* 1083, *expendenda superest duplex quæstio: prior an vita canonicorum regularium ante annum* 1083 *in ecclesiam Tolosanam S. Stephani introducta sit; posterior, si ad priorem affirmanter respondetur, hujusne participem se fecerit* S. Bertrandus.

Cum autem vita canonica in ecclesiam S. Stephani anno 1077 introducta fuerit, ut liquet non ex instrumento quod vulgo circumfertur,

44 *Ad prius quæsitum varie a variis respondetur; duplicem tantum proferam sententiam: Galliæ Christianæ scriptores* (*g*) *et similiter Occitaniæ historiographi* (*h*) *statuunt chartam reformationis circa annum* 1077 *confectam et S. Gregorio Papæ VII inscriptam seu missam fuisse. Contra Lelarge, Gallicanæ Canonicorum regularium congregationis socius, in suis de canonicorum ordine disquisitionibus* (*i*), *anno* 1679 *vulgatis, ex Catelli monumentis Occitaniæ partem dicti instrumenti refert, et hanc* D *reformationem anno* 1083 *alligat. Hæc illi. Quæ ut in examen vocemus, pauca de dicto instrumento præmittenda sunt, in eo Isarnus Tolosanus episcopus: primum disserit de misero S. Stephani ecclesiæ statu; deinde dona enumerat sua, idemque præstat Gulielmus, comes Tolosanus; postea commendatur facta bonorum cessio protectioni S. Hugonis Cluniacensis abbatis, et S. Gregorii VII approbationi; sequuntur imprecationes; et demum nova fiunt dona, inter quæ* quarta pars oblationum ecclesiæ S. Saturnini, tertia pars cœmeterii ejusdem ecclesiæ, *etc. Verum, si res penitius inspiciatur, una ex sequentibus tribus hypothesibus admittenda est: vel tota charta facta sit oportet circa annum* 1081; *vel ejus finis circa hunc annum, et reliqua pars aliquot annis ocius; vel finis circa annum* 1081, *postulatio approbationis opposita paulo ante, et prima pars, cum reformatio inducta est: adeo ut id diploma semel aut iterum auctum videatur. Cujus sententiæ rationes tum ex instrumenti forma, tum ex epistola S. Gregorii VII* (*k*) *repeto; sic enim ad annum* 1081 *ad Richardum abbatem Massiliensem scribit:* Unde et

E canonici *(S. Saturnini)* querimoniam ad nos direxerunt super clericis sancti Stephani... qui... cœmeterium, quod ante regularem ordinationem suam locus ille *(S. Saturnini)* quiete per longa temporum curricula tenuit, modo auferre atque ecclesias ad eum pertinentes in potestatem suam illicitis conditionibus redigere conantur, *etc. In quibus verbis certe alluditur ad donationis appendicem, in qua data fuerant San-Stephanianis* tertia pars cimeterii *Sancti Saturnini, et* cætera omnium ecclesiarum totius episcopatus ad *Isarnum* pertinentia; *verum inter hæc nonnulla erant de quibus litigabant inter se Isarnus et San-Saturniniani. Cum autem S. Gregorius VII in rebus urgendis alacer esset, non multum spatium inter Isarni prostremam donationem et Pontificis epistolam interponendum est: unde liquet ultimam instrumenti partem ad annum circiter* 1080 *referendam esse; at prima pars facta fuerit cum clerici ad vitam regularem invitati sunt: quod quo tempore præstitum fuerit, non patet ex dicto instrumento, aliis de causis usui sæpius futuro.*

sed ex instrumento traditionis ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ in Cluniacensium gratiam,

45 *Aliunde itaque repetenda est hujus reformationis ætas: id fieri posse existimo ex monumento donationis ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ, traditæ S. Hugoni Cluniacensi ab eodem Isarno episcopo: habes integrum hoc monumentum in tomo* XIII *Galliæ Christianæ; sic autem desinit:* Et ut charta rata

F permaneat, manu propria firmavi et canonicis meis corroborandam tradidi. D. Isarni episcopi. D. Raymundi episcopi. D. Raymundi episcopi Lectorensis præpositi Sancti Stephani. D. Raymundi Petri canonici S. Stephani. D. Petri Amelii prioris ejusdem sedis... Facta autem charta anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, pontificatum Romanæ Ecclesiæ tenente Gregorio septimo PP., Francorum autem regnum Philippo rege, *etc. Jam vero si quis attenderit Isarnum in aliis chartis solere canonicos a clericis distinguere, et cum canonicos alibi scribit, ab eo intelligi canonicos S. Stephani, jam regulariter viventes, liquet ex modo invocata charta, anno* 1077 *reformationem in ecclesia S. Stephani jam obtinuisse. Præterea* Prioris *titulus, qui Petro* Amelii *tribuitur, alterum argumentum est id temporis clericos S. Stephani regularem vitam amplexos esse.*

(*a*) Gall. Christ., t. I, col. 1014. — (*b*) Ibid., col. 1094 ad marginem. — (*c*) Annal. Ord. S. Bened., t. V, p. 67. Edit. Luc. — (*d*) Gall. Christ., t. I, col. 1015. — (*e*) Ibid., col. 1228. — (*f*) Ibid., col. 1015. — (*g*) T. XIII, col. 13 et passim. — (*h*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 226, et probat. col. 292 et seqq. — (*i*) De Ordine canonic., p. 356. — (*k*) Labbe, Concil., t. X, col. 297.

A *Unde evidens est* S. Bertrandum, *quem circa annum* 1083 *episcopum factum esse diximus, potuisse canonicis regularibus S. Stephani adscribi. At quæritur secundo an reapse eis adscriptus fuerit.*

potuit illic S. Bertrandus regularis esse canonicus, et reapse fuisse videtur;

46 *Quidam affirmant, alii respondere refugiunt, ut Bailletus et recentiorum breviariorum Congregationis Gallicanæ scriptores. Et reapse est unde quis dubius hæreat; in affirmantium tamen sententiam ire juvat sequentes ob causas. Vitalis, num.* 7 *de electione* S. Bertrandi *ad Convenensem cathedram agens, sic loquitur :* Venerunt ad claustrum Beati Stephani, ejusdem loci episcopo et conventui electionem indicantes; *ubi quid sibi* claustrum, *quid sibi* conventus *velit, perspicuum est, nisi quis præter omnem verisimilitudinem sibi fingat clericos non reformatos habitasse in eodem claustro cum canonicis regularibus. Num. autem* 10 *idem Vitalis, ludens fere verbis, et indicans Gulielmum III, Ausciensem præsulem,* S. Bertrandi *locum occupasse in ecclesia S. Stephani, scribit :* Et (S. Bertrandus) canonicavit eum *(Gulielmum)* in ecclesia S. Stephani, unde ipse fuerat canonicus. *Verum Gulielmus absque controversia canonicus regularis fuit, quandoquidem in instrumento reformationis, de quo supra,* B *hæc occurrunt :* Statui siquidem habita deliberatione, ut quicumque clerici abhinc et deinceps corpori voluerit communicare ecclesiæ prælibatæ, mancipandum se noverit rigori canonicæ vitæ, *etc. Quibus accedit quod* S. Bertrandus, *episcopus Convenensis factus, continuo regularem vitam inter canonicos suos introduxerit, ut habet Vitalis num.* 8.

licet archidiaconatus, quem obtinuit, in instrumento de reformatione non memoratur,

47 *At duplex occurrit difficultas: prior nempe constare ex Vitali num.* 7, S. Bertrandum *ante suum episcopatum archidiaconum Tolosanum fuisse, ejus tamen archidiaconatum non recenseri inter archidiaconatus canonicorum, qui se reformationi subjecerant: in instrumento scilicet, de quo plura num.* 44, *hæc occurrunt* (*a*) : Dono ergo *(canonicis nempe S. Stephani)* Petri Emelii ejusdem sedis prioris archidiaconatum Agarnensem cognominatum similiter et Bernardi Franconi archidiaconatum a porta Narbonensis ad usque Carcassonense territorium, insuper et illorum omnium archidiaconatus clericorum, qui se huic vitæ canonicæ associare voluerint nunc et in futurum, ut cuncti suas, quas in domino archidiaconi tenent, partes C in commune reddant. *Verum ex his verbis id tantum evinci posset* S. Bertrandum *nondum archidiaconum fuisse tempore, quo hoc instrumentum conditum esse diximus. Altera difficultas et multo gravior petitur ex eo, quod* S. Bertrandus, *jam episcopus factus, archidiaconatum suum non dimisit. Etenim licet hac de re taceatur in Gallia Christiana, hujus tamen rei probati testes præsto sunt : videlicet Occitaniæ historici* (*b*), *in margine ad monumenta Occitaniæ Catelli* (*c*) *lectorem remittentes, hæc gallice scribunt :* Electus episcopus, archidiaconatum tamen retinuit; in instrumento enim, anno 1086 facto, se episcopum simul et archidiaconum Tolosanum dicit; *similiter fratres Sammarthani sic loquuntur* (*d*) : Regebat (S. Bertrandus) episcopatum annis 1085 et 1086, in scriniis Ecclesiæ Tolosanæ subscribit episcopi Convenarum nomine simul et archidiaconi Tolosæ, necnon anno 1120. *Quæ dicta firmari possunt his verbis, ex instrumento restitutionis B. Mariæ Dealbatæ, factæ in gratiam monasterii B. Mariæ Deauratæ circa annum* 1110 (*e*) : Hoc factum est consilio et voluntate Amelii episcopi Tolosani et canonicorum ecclesiæ Sancti Stephani Arnaldi Raimundi præpositi, Aicardi Willelmi, Bertranni, archidiaconorum et aliorum, qui ibi aderant. D

et hujus archidiaconatus munia, non emolumenta, tempore sui episcopatus retinuit.

48 *Verum ex ipso monumento sæpe dictæ reformationis videtur colligi posse, apud hos canonicos munera tantum per mortem vacasse; nam verbis Isarni numero superiore recitatis hæc subjunguntur :* Et POST EORUM DECESSUM quoscumque voluerit episcopus archidiaconos esse cum cleri consilio, secundum Deum debent eligere et constituere; *et præter decessum nulla alia vacationis causa assignatur. Præterea commune jus hic non obtinuisse vel ex eo evincitur, quod Raimundus Lectorensis, qui dictum instrumentum confirmat, S. Stephani præpositus erat (vide num.* 45); *sed hoc tamen notandum illos post admissas canonicorum regularium institutiones suæ præposituræ emolumenta non percepisse : secus enim non dedisset Isarnus* sub communi vita regulariter in prædicta sede canonicis viventibus PRÆPOSITURÆ scilicet et decaniæ, sacristaniæ et capiscoliæ cunctum honorem. *Dubium non est quin similiter* S. Bertrandus, *archidiaconatum in diœcesi Tolosana servans, onus et dignitatem sui muneris, non vero ejus emolumenta sibi* E *reservasse dicendus sit. Porro frustra ex Convenensis ecclesiæ paupertate excusatio peteretur; non enim minus pauper et misera erat ecclesia Tolosana, ut ex Isarni dictis patet. Quem vero archidiaconatum* S. Bertrandus *rexerit, non invenio. Cum diœcesis Tolosana in archidiœcesim transiit, plura turbata fuerunt; unde, licet tempore* S. Bertrandi *plures archidiaconatus penes laicos fuisse constet* (*f*). *atque proinde sciatur quosnam certe nequiverit possidere, tanta tamen hic offunditur caligo, ut nihil certi asseri queat.*

Recitantur aliquot leges vitæ canonicæ, quam servavit S. Bertrandus,

49 *Sed redeundum est ad vitam canonicam, quam* S. Bertrandus *professus fuit. Præcipuæ ejus leges in sæpe memorata Isarni charta sic exponuntur :* Verbi gratia ut nihil sibi aliquid proprium habeat, vel etiam (quod absit) dicat; omnes una prandeant, una somnum capiant, communis omnibus secundum apostolicæ institutionis formam victus sit et vestitus; nulli præter licentiam sui prioris suppetat eundi vel evagandi libertas aliqua, ut quibus unus Dominus, una fides, unum est baptisma, unus existat spiritus et una anima. Ne vero alicui ob penuriam victus tantæ authoritatem diffinitionis transgrediendi male blandiatur F occasio, decerno ut deinceps ex suis, si forte reperiri possint qui mereantur, præpositum, decanum, archidiaconos, scholæ magistrum, sacristam, communi consensu sibi eligant, substituant, eorumque honores cum omnibus honorum censibus, tam a sæculari conversatione convertentium quam a puero sub canonica disciplina nutritorum, per succedentium hujuscemodi ministrorum ecclesiæ successiones, cum archidiaconatuum redditibus accipiant, possideant. Omnia ergo quæ communi donare eorum vitæ decrevi, *etc.*

qui, licet hoc canonicorum collegium tantum anno 1103 a summo Pontifice confirmatum fuit, vero religiosus fuit.

50 *Ut num.* 44 *monitum fuit, post enumeratas in illa charta donationes, petitur a summo Pontifice Gregorio VII approbatio aut confirmatio. Verum dubito num hæc charta Romam pervenerit, tum quoniam S. Gregorius circa annum* 1081 (*g*) *San-Stephanianos appellat mere* clericos, *San-Saturninianos vero* canonicos, *(qua vocum varietate hos regulari vitæ præceptis obstrictos fuisse, non item illos designasse videtur); tum quoniam San-Stephanianorum reformatio numquam ab eo confirmata censenda est : nusquam enim exstant confirmatoriæ litteræ, ab*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 222. Exstat quoque, non tam recte tamen, in Gall. Christ., t. XIII, instr., col. 7. — (*b*) Ibid., t. II, p. 391. — (*c*) P. 906. — (*d*) Gall. Christ., t. II, p. 548. Edit. 1656. — (*e*) Gall. Christ., nov., t. XIII, instrum. col. 14. — (*f*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 237. — (*g*) Labbe Concil., t. X, col. 297.

hoc

A *hoc pontifice datæ ; sed ex Gallia Christiana* (*a*) *habes hujusmodi litteras a Paschali II concessas fuisse anno* 1105, *et inter instrumenta ejusdem operis* (*b*) *occurrit privilegium Innocentii II anno* 1142 *eidem ecclesiæ indultum, et quinquennio ante bulla pro regula confirmanda ab eodem Pontifice concessa fuisse ibidem* (*c*) *traditur. Porro ad hæc monumenta alludit Alexander III in bulla, data anno* 1162 ; *hæc enim illic obviant verba* (*d*) : Ad exemplum prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Paschalis et Innocentii Romanorum Pontificum Apostolicæ Sedis privilegio communimus ; statuentes ut ordo canonicus et regularis vita in eadem ecclesia constituta ibidem perpetuis et futuris temporibus inviolabiliter observentur, *etc. Nihil vero istic de S. Gregorio VII. At quoniam S. Gregorius canonicorum Tolosatum regulam non confirmavit, inde consequens non est* S. Bertrandum *genuinis canonicis regularibus non accensendum esse. Etenim etiamsi novus Ordo religiosus fuisset, (non is tamen erat, utpote S. Augustini regulam sequens,) nihil id omnino obstitisset, quoniam, ut videtur, in concilio Lateranensi* IV *anni* 1215 *canone* XIII (*e*) *primum novorum religiosorum Ordinum institutio vetita est ; et quod pertinet ad nova fundanda monasteria, approbatio Pontificis dimidio etiam sæculo tardius cœpit certis in casibus necessaria esse* (*f*). *Dum vero* S. Bertrandus *in cœnobio S. Stephani cum archidiaconi dignitate moraretur, non omnimoda sane pace fruitus est. Jurgia plurima inter canonicos S. Stephani et canonicos S. Saturnini fervebant : quorum facta paucis referunt historiographi Occitaniæ* (*g*).

B

§ IV. An hodiernæ Convenæ, a S. Bertrando ædificatæ, locum occupent veterum Convenarum; item, sitne præsens ecclesia ab hoc Sancto exstructa. De institutione canonicorum regularium Convenensium.

C

S. Bertrandus *episcopus sacratus fuit a Guilielmo I Ausciensi, qui neque patruus neque avunculus ejus fuit.*

Superiori § *arbitror verisimile a me factum esse* S. Bertrandum *circa annum* 1083 *ad Convenenses infulas fuisse promotum :* Procedente tempore, *addit Vitalis*, consecratus est a Vileumo Bernardo beatæ recordationis venerabili archiepiscopo in Auxitana ecclesia. *An vero tum primum sacerdos factus sit, non est quod edisseram, quandoquidem in diœcesi Tolosana archidiaconus presbyter esse poterat, ut liquet ex hoc solo capite quod* S. Bertrandus, *episcopus factus, archidiaconatum suum non dimisit. Gulielmus I, Ausciensis præsul, qui* S. Bertrandum *consecrasse dicitur, ejus* avunculus *appellatur in propriis Tolosano et S. Genovefæ anni* 1665 ; *verum is neque avunculus, neque patruus* S. Bertrandi *fuit. Si enim avunculus esset, tum ipse et tota caterva suorum fratrum, quos ex instrumento, edito in Gallia Christiana* (*h*) *cognoscere licet, inter liberos Gulielmi Scindentis-ferrum, comitis Tolosani, et* S. Bertrandi *materni avi, computandi forent ; licet ipse Gulielmus, Ausciensis archiepiscopus, se filium Bernardi istic dicat. Neque patruus* S. Bertrandi *fuit Gulielmus, quia num.* 23 *et* 24 *demonstratum fuit fratri* S. Bertrandi *sororem Gulielmi I Ausciensis præsulis nupsisse ; et proinde secundum Tolosanum et Parisiense Officia amita nupsisset suo nepoti : quod absque certo argumento admittendum non est.*

D

52 *Præter boni episcopi strenue adimpleta officia, teste Vitali*, dedit S. Bertrandus vehementius operam, ut ecclesia in altum consurgeret, et decoravit cum illa ornamentorum venustate, quam exigit sibi in usus ecclesiæ, quia diligebat decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus. Circa ecclesiam claustrum construxit, quantum permisit loci angustia, impediente præcipitio rupium : ibidem religionis amator, canonicos instituit, qui sub regula S. Augustini ecclesiasticis manciparentur obsequiis. In monte quippe domus non erant, et ecce temporibus hujus Sancti, meritis exigentibus suis, homines accesserunt et in monte civitatem habitationis reædificaverunt : et juxta prophetam, seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis ; et locus, qui multis temporibus desertus fuerat, habitatores recepit. *Duplex quæstio, de qua varie sentiunt, discutienda hic loci est : prior, veteresne Convenæ occuparent eumdem locum ac civitas, quæ tempore* S. Bertrandi *ædificata est ; posterior, ædificaveritne* S. Bertrandus *ecclesiam, quæ nunc istic visitur, seu sitne hæc eo antiquior aut recentior. Reliquus hic* § *in his fere disquirendis erit, admixtis pro re nata rebus levioribus.*

Quæritur an in loco,

E

53 *Cum de Convenarum exordiis permulta jam congesserint varii scriptores, brevioribus nobis esse licebit. Docte pro more suo agit de comitatu Convenensi Petrus de Marca* (*i*); *quam laudem Dadino Alteserræ* (*k*) *libenter quoque tribuimus. Oihenartus etiam latissimum sagacemque commentarium Notitiæ utriusque Vasconiæ* (*l*) *inseruit : quem ducem imprimis secutus est Adrianus Valesius in Notitia Galliarum ; ex Valesio vero fere deprompta sunt, quæ Dionysius Sammarthanus* (*m*) *habet. At sanctus Hieronymus in tractatu* II *adversus Vigilantium, locuples testis, corruptis tamen ejus verbis, apud plerosque producitur. Hæc vero in editione Parisiensi* 1624 (*n*) *reperio :* Nimirum respondet (*Vigilantius*) generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine : quos Cn. Pompejus, edomita Hispania, et ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit : unde et Convenarum urbs nomen accepit. Hucusque latrocinetur contra Ecclesiam Dei, *etc.*

quem veteres Convenæ occupabant,

F

54 *Cum autem hæc civitas in monte sita esset, a pluribus* Lugdunum Convenarum *dictum est ; hos inter citantur : Ptolomæus, Æthicus et Strabo. De dictis Æthici consule Diarium Trivultianum* (*o*); *De la Porte du Theil in docta sua Strabonis versione* (*p*) *pluribus commentatur locum, ubi de Convenis agitur. At nolo latius digredi de correctione quam intrudere vellet, et multi sane ægerrime susciperent. Quod vero alterum hoc nomen* Lugdunum *a*

et cujus plures meminerunt,

(*a*) T. XIII, col. 75. — (*b*) Ibid., instr. col. 19. — (*c*) Ibid., col. 76. — (*d*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 586 et seq. — (*e*) Labbe Concil., t. XI, part. I, col. 169. Cfr Altaserram in Ascetico, l. I, c. XVIII, p. 44. Edit. 1777.— (*f*) Cap. Religionum, § Confirmatos, de relig. domibus, in sexto, et Cap. Cum ex eo, de excessibus prælator. eod. lib. VI. Cfr Benedictum XIV de Synod. diœces. lib. IX, cap. I, n. 9. Schmier, Jurisprud. Canon. civil. lib. III. tract. I, part. II, cap. II, sect. I, § III; et Ferraris Biblioth. Canon. V. Conventus. n. 13. — (*g*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 294 et 384.— (*h*) T. I, instr. p. 160. — (*i*) Hist. du Béarn, p. 8 et 34. — (*k*) Rer. Aquitanic., p. 69 et seqq. — (*l*) P. 517 et seqq. — (*m*) Gall. Christ., t. I, col. 1089 et seqq. — (*n*) Oper. S. Hieron., t. I, p. 407. — (*o*) Journ. de Trévoux 1730, Juillet, p. 1313. — (*p*) Strabo, lib. II, cap. II, t. II, p. 40.

loco,

A *loco, cui imposita est, mutuata est civitas Convenæ, ex sequentibus Valesii verbis eruere licet. Ad vocem videlicet* Lugdunum Clavatum Remorum *(Laon):* Dunum autem, *ait,* veteres Galli montem vocaverunt, *et ad* Lugdunum Segusianorum *(Lyon) latius eamdem prosequitur mentem his verbis:* Vetus itinerarium Lugdunum Montem Desideratum interpretatur.... Auctor libri de fluminibus Lugodunum gallica lingua Corvi Montem significare ait.... Lugo corvum, duno montem designante. *Pergit dein confutans Erricum monachum, qui* Lucdunum *scribens illud a* lucido monte *deducit : in quem tamen errorem postea prolapsus est Dionysius Sammarthanus* (*a*). *Charrier* (*b*) *init sententiam, omnium forte probatissimam, deducitque* Lugdunum *aut* Lucdunum *a* luc, *populum notante, et* dun, *referente montem. At quidquid tamen de priore vocis parte esse queat, illud certum est* duno *montem aut potius collem designari : collem dico, quoniam in linguis septemtrionalibus eadem vox idem significat, et omnes fere urbes, quarum latinum nomen in* dunum *desinit, in collibus aut clivis ædificatæ sunt : quarum sane numerum ingentem esse neminem latere*

B *potest. Ex quibus generatim constat Convenas in monte positas fuisse ; verum accuratius ejus determinandus est situs, et primum quidem audiendi sunt scriptores aliquot præcipui.*

oppidulum a S. Bertrando *conditum sit :*

55 *Celeberimus itaque geographus Balbi in suo Geographiæ Compendio oppidum* S. Bertrandi, *seu præsentes Convenas, juxta pristinum Lugdunum Convenarum collocat, sic fere de eo gallice disserens :* Oppidum S. Bertrandi *(Saint-Bertrand de Comminges)* exigua civitas est, et multum in deterius conversa ; verumtamen magni adhuc momenti est ob marmoreas suas officinas... Effossiones subterraneæ in S. Bertrandi ejusque vicinia factæ multis funebribus inscriptionibus aheneisque monumentis detegendis fuerunt utiles. Pertinebat hæc autem cum theatri ruinis ad Lugdunum Convenarum, quæ antiqua urbs in ejus vicinia erat sita. *Similiter sensit Vasco quidam, auctor dissertationis, quam superius in Diario Trivultiano esse monui. De la Martinière in Dictionario Geographico* (*c*) *non prorsus dissimilem profitetur sententiam :* Antiquum Lugdunum Convenarum, *inquit,* positum erat ad radices montis, in quo nunc S. Bertrandi Fanum exstat, atque illud amplius

C fuisse quam Tolosam ex mœnium vestigiis quisque colligere potest.

plures negarunt, plures affirmarunt;

56 *Aliter et, mea sententia, recte quidem sensit Baudrand in suo Lexico geographico, item geographus Mentelle* (*d*), *non secus ac Lastrade* S. Bertrandi *encomiastes, et demum, ut alios mittam, Hadrianus Valesius, quem audire lubet :* Scaliger, *ait ad vocabulum* Convenas, et Massonus scribunt, ex Lugduni Convenarum ruinis... oppidum S. Bertrandi in valle Capraria esse constructum ; at contra Arnaldus Oihenartus, cui utpote Vasconi de Vasconia libentius crediderim, civitatem S. Bertrandi in eo nunc esse colle scribit, in quo olim Lugdunum Convenarum. *Quam sententiam gravissimis argumentis confirmat Notitiæ utriusque Vasconiæ* (*e*) *auctor hoc modo :* Nec opinione fallitur vir doctus (*Sirmundus in notis ad Sidonium Apollinarem*) dum Lugduni situm in eo colle fuisse sibi persuadet, in quo nunc constituta est civitas S. Bertrandi, illud enim verum esse arguunt pleraque rudera, et murorum antiquæ structuræ fundamenta, quæ in subjectis colli campis hodie visuntur, et multo majoris, quam quæ nunc angustum summi collis spatium occupat, civitatis vestigia ostendunt : veteres item lapidum inscriptiones ibi passim obviæ, e quibus hic pauculas exhibere libet, *etc. Hæc Oihenartus : quod testimonium conjunctum cum argumento, ex nomine* Lugduno *petito, licet sententiam, quæ nobis præplacet, fere evincat, pauca tamen explicanda supersunt et aliunde confirmanda.* D

sed ex descriptione S. Gregorii Turonensis, partem non munitam et imprimis

57 *Opinionum diversitas circa pristinum Convenarum situm mihi orta videtur ex eo, quod qualis a S. Gregorio Turonensi* (*f*) *describitur, major censenda est, quam ut in colle, ubi præsens* S. Bertrandi *Fanum conspicitur, exstitisse queat. Verum e duabus partibus constabat civitas : altera, quæ in colle sita et validissime munita erat ; altera, quæ in subjectis vallibus assurgebat. Latus erat hujus ambitus ; et ipsa pars munita multo vastior fuit, quam præsens civitas. Nihil ex penu nostra proferamus : primo ergo probandum est alteram urbis partem munitam, alteramque intutam et apertam fuisse. Turonensis itaque apud Ruinartium* (*g*) *producit Gundovaldum alloquentem Convenenses his verbis :* Sed quoniam frater meus Gunthramnus rex immensum adversus me movet exercitum, oportet vos alimenta atque cunctam supellectilem infra murorum munitionem concludere, ut scilicet, dum nobis illa pietas divina auget solatium, non pereatis inopia. Hæc illis credentibus, quæcumque habere potuerunt conlocantes in urbe præparabant se ad resistendum.... Igitur commorante eo apud urbem Convenas, locutus est incolis, dicens: Ecce jam exercitus adpropinquat, egredimini ad resistendum. Quibus egredientibus, hi occupantes portas atque claudentes, excluso foris populo, cum episcopo loci (*Rufino*), cuncta quæ in urbe invenire potuerant, suis ditionibus subdiderunt. Tantaque ibi multitudo annonæ atque vini reperta est, ut si viriliter stetissent, per multorum annorum spatia victus alimentis non egerent. *Quid, quæso, hæc Gundovaldi insidiæ valuissent, nisi ex duplici parte constitisset civitas? Quomodo quippe infra murorum munitionem suppellectilem atque alimenta concludere potuissent Convenenses, nisi pars civitatis munita, altera non munita fuisset?*

partem munitam seu montem delineantis, collata cum his quæ F

58 *Montem vero munitum fuisse secundo ostendendum est loco : en ut eum describit S. Gregorius apud Ruinartium* (*h*): Gundovaldus... Garonnam cum... ducibus... transivit, Convenas petentes. Est enim urbs in cacumine montis sita, nullique monti contigua. Fons magnus, ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima : ad quem per cuniculum descendentes ex urbe latenter latices hauriunt. *Mitto quæ eadem de re monachus Floriacensis Aimoinus in Gestis Francorum et Chronicon S. Dionysii hac de re conferunt, quandoquidem evidenter S. Gregorii scriptis usi sunt. Lastrade, cujus testimonio confidendum est, cum de his quæ manibus tractaverat, et oculis viderat, sermonem instituit, de præsentibus Convenis ait* (*i*) : Est mons cui nullus alius mons contiguus est ; vocari posset potius monticulus, si comparetur cum Pyrenæis, ad quorum radices situs est. *Erumpentem vero fontem cernere est in imagine, quam cum aliis documentis nobis submisit R. P. Carolus Tinseau societatis nostræ, quamque utut imperfectam hic imitandam curavimus. Teste insuper eodem S. Gregorio, a parte orientis vallis profunda erat : narrans enim tentamina, die decima sexta obsidionis facta, hæc habet* (*k*): Mane autem facto, exercitus iterum ad bella consurgit, ac ex virgis fasces

(*a*) Gall. Christ., t. I, col. 1090. — (*b*) Hist. du Dauphiné, lib. II, p. 96. — (*c*) T. V, p. 222. — (*d*) Dictionnaire de Géographie ancienne v. Comminges. — (*e*) P. 517. — (*f*) Col. 359. Edit. Ruinart ; et D. Bouquet, t. II, p. 306. — (*g*) Col. 360. — (*h*) Col. 359. — (*i*) Relation de la translation, etc., p. 116. — (*k*) Col. 364.

faciunt





Imp Brév.te Georges Hurtrel, 11. Place St André des Arts. Paris.

Paris V. Palau

A faciunt, quasi ad complendam vallem, quæ a parte orientis sita erat. *Cum ecclesiarum absides olim ad orientem fere semper verterentur, dubium mihi fere non est, quin hæc vallis præcipitium sit, de quo Vitalis num.* 8 *sermocinatur, et juxta quod deinceps* S. Bertrandus *ædificavit suum claustrum, quod absidem circumdabat, ut in memorata imagine conspicere licet. Monet præterea S. Gregorius* (*a*) *totam urbem, id est, partem munitam, valle profundiori esse circumdatam; idemque testatur Lastrade* (*b*). *Sed præcipitia non ubique æque propinqua fuisse annotat Turonensis, scribens :* Cumque A PORTA SE ELONGASSENT (*Gundovaldus scilicet et qui eum proditurі erant*), sicut est circa urbem vallis tota in præcipitium, impulsus ab Ollone cecidit ; *in allata vero imagine idem obtinere nemo non viderit.*

de præsentibus Convenis traduntur, sententia affirmans stabilitur.

59 *Lancelot socius Academiæ inscriptionum et bonarum litterarum Parisiensis, anno* 1719 *investigavit Veterum Convenarum antiquitates : sententiam similem sententiæ Oihenarti emisit. Veteribus scilicet Convenis includendam censet vallem Caprariam* (Valcabrère), *qui vicus Garumnam versus colli seu*

B *oppido* S. Bertrandi *subjacet. Etiam propinquior est ecclesia S. Justi, tota e ruderibus sculptisque lapidibus constructa* (*c*). *Teste eodem Lancelot, præsens* S. Bertrandi *templum in cacumine montis* (sur la croupe de la montagne) *ædificata est. In imagine oppidi hic adjecta juxta ecclesiam consurgit altior mons; unde Lancelotii dicta intelligenda videntur non secus ac si ille mons plura haberet satis dissita juga, quorum unum superædificatum gestaret templum. Cum hoc oppidum invisit Lancelotius, cathedrali templo, capitulo et duodecim circiter rusticanis domibus illud constabat : accrevit exinde nonnihil, cum La Martinière anno* 1768 *sexcentos, et recentiores geographi plures quam septingentos incolas ei assignent. Verumtamen multum abest, quin Bailletus verum professus sit, cum dixerit in Vita* S. Bertrandi, tot civibus montem Convenensem auctum fuisse, ut jam ejus tempore civitas esset inter amplissimas et pulcherrimas Vasconiæ.

Ecclesia Convenensis, tempore Guntramni cum reliqua civitate destructa,

C 60 *Non est quod vestigia relegam, et bellum exponam, quod anno* 584 *inter Gundoaldum et Guntramnum exarsit, et Convenarum excidii causa fuit. Gregorius Turonensis libro* VII *historiæ Francorum late de eo egit : præter quem Fredegarius Scholasticus in suo Chronico et in Historiæ Francorum epitome, Aimoinus monachus Floriacensis in gestis Francorum, Chronicon S. Dionysii, et recentiores historici, plerumque Gregorii dicta contrahentes, consuli possunt. Ad alteram itaque quæstionem digredior, quæ in eo versatur, sitne constructa Convenensis ecclesia a* S. Bertrando. *Hic iterum inter scriptores variæ sunt sententiæ ; verumtamen apud omnes in confesso esse debet tempore dicti belli omnia Convenis sus deque versa fuisse. S. Gregorius enim ita hac super re disserit* (*d*) : Nocte vero sequenti *(proditionem et necem Gundoaldi)*, ii, qui primi *(alibi* missi *legitur)* erant, omnes thesauros quos in urbe reperire potuerunt, cum ministeriis ecclesiæ clam abstulerunt. Mane vero reseratis portarum valvis, immisso exercitu, omne vulgus inclusum in ore gladii tradiderunt, sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa ecclesiarum altaria trucidantes. Postquam autem cunctos interfecerunt, ut non remaneret mingens ad parietem, omnem urbem cum ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes. *Jam antea* Bladastes... metuens ne Leudegisilus *(dux scilicet exercitus Guntramni obsidentis)* obtenta victoria eos morti traderet, imposito igne in ecclesiæ domo *(domo episcopi et clericorum)*, concurrentibus ad incendium mitigandum inclusis, ille fuga dilapsus abscessit. *En paucis quo pacto ecclesiæ et episcopales ædes absumptæ fuerint.* D

61 *Licet minime obscurum sit hoc S. Gregorii testimonium, reclamat tamen Lastrade, qui, ut loquitur, se non injuriam gloriæ Clodovæi I illaturum esse arbitratur, cum præsentem ecclesiam ad Romanorum, idolis inservientium, tempora referet; et reapse descriptio, quam de ea edidit, unumquemque impelleret ad eam ordini Corinthio assignandam, licet ordinis Gothici sit, ut passim loquimur : adeo fallax est ejus descriptio, et indicata antiquitas prorsus erronea. Cum autem Adrianus Valesius* (*e*), *Beaunier* (*f*), *Dionysius Sammarthanus* (*g*), *Richard et Giraud* (*h*), *asserunt* Convenas jacuisse annos amplius DXX, sic ut episcopi Ecclesiæ Convenicæ aliam sedem habere cogerentur, *clare innuunt ecclesiam non exstitisse in monte usque ad tempora* S. Bertrandi. *Atque hæc quidem amplectenda videtur sententia; ait Vitalis, ut vidimus :* E Dedit igitur vehementius operam ut ecclesia in altum consurgeret et decoravit cum illa ornamentorum venustate, quam exigit sibi in usus ecclesiæ, quia diligebat decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus. *Quæ verba :* Ut ecclesia in altum consurgeret, *indicare videntur, ab eo in altum eductum fuisse templum jam pridem dirutum, cujus inferiores parietes forsitan superarant. Cæterum, ut scripsit ad nos laudatus P. Tinseau*, communior opinio nunc est, sæculo XII hanc ecclesiam fuisse ædificatam, et secundum artis peritos structuræ genus ad hoc quidem spectare tempus; ab aliis vero contendi eam multo antiquiorem esse; videri vero utrique sententiæ aliquid non absoni a veritate inesse : æris campani turrim ecclesia vetustiorem videri; architectonicam artem in utroque non esse eamdem, quandoquidem fenestræ turris formam a circulo *(en plein ceintre)*, ecclesiæ vero fenestræ et cameræ formam suam a decussatis arcubus *(ogive)* mutuentur. *Unde diceres præsentem turrim, quæ ejusdem structuræ est ac claustrum, cujus imaginem exhibemus et quod certo a* S. Bertrando *secundum Vitalis testimonium num.* 8 *ædificatum est, ad tempora hujus Sancti pertinere; reliquam vero ædem sacram non perfectam fuisse ab eodem præsule; quod cæterum aliunde constat. Dum autem huic labori instaret* S. Bertrandus, *videtur sacra sua munia obiisse in templo S. Justi, quod monti etiamnum omnino adjacet. Nam, licet plerique scriptores, Adriani Valesii dicta sibi applicantes, confiteantur se nescire, ubi locorum Convenenses episcopi ante exiens sæculum* XI *sederint, ex Vitali tamen satis manifestum est hanc sedem fuisse in ambitu veterum Convenarum. Ait enim biographus ille :* Convenarum cathedralis ecclesia suo viduata pastore sollicite quærebat rectorem... Ducunt electum ad civitatem Convenarum... more solemni in cathedrali ecclesia intronizantes... Cum vir sanctus *(Ausciis, ubi consecratus fuerat,)* ad suæ civitatis ecclesiam rediisset, divinum ibidem celebraturus mysterium, factus est de more venientium ingens concursus... Hanc nimirum ecclesiam clementissimus rex Francorum... ejecta prophanæ gentis spurcitia, insignibus decoravit regalibus cum monte et suburbio, et.... illud.... adjecit, ut qui F

a S. Bertrando *reædificari cœpta videtur,*

(*a*) Col. 366. — (*b*) Relation de la translation, etc.. p. 116. — (*c*) Hist. de l'Académie des inscript. et belles-lettres, t. III, p. 437 et seqq.; et t. IV, p. 393 et seq. — (*d*) Col. 366. Edit. Ruinart. — (*e*) Notit. Gall., p. 158, col. 2. — (*f*) Rec. des archevêchés, etc., t. I, p. 90. — (*g*) Gall. Christ., t. I, col. 1089. — (*h*) Biblioth. sacrée, t. XXVIII, p. 255. Edit. 1828.

præ-

A prædictam regeret ecclesiam... comes existeret... *Cum autem ecclesia S. Justi partem veterum Convenarum occuparet, et cum præterea apud Vitalem num.* 12 *legimus* : Quadam igitur Dominica die ingressus est vir Dei prædictam ecclesiam *(S. Justi)* celebraturus ibidem Missarum solemnia; *satis apte statui posse videtur, illic episcopos Convenenses suam habuisse cathedram, atque ibi munia sacra sua adimplesse nostrum Sanctum, dum reædificandæ in monte ecclesiæ vacaret. (Confer præterea Vitalem num.* 22.*) Verum abest multum, ut ultimam ei manum admoverit.*

sed deinde sæculo XIV *perfecta.*

62 *Etenim eam sæculo* XIV *ineunte perfectam aut consummatam fuisse, lapis sepulcralis testis est. Hugo videlicet de Castellione, qui anno* 1335 *episcopatum adeptus est, et* V *nonas Octobris anni* 1352 *obiit, in ecclesia Convenensi splendidum e candido marmore mausolæum habet, cum hoc epitaphio parieti vicini inhærente* (*a*) : Anno Domini 1352 die IV mensis Octobris, obiit reverendus pater dominus Hugo de Castellione Dei gratia episcopus Convenarum, qui hanc capellam construxit et præsentem cathedralem ecclesiam consummavit.

B Cujus anima requiescat in pace. *Præterea de ecclesiæ structura notandum superest tum ex annotatis R. D. Féral, secretarii illustrissimi archiepiscopi Tolosani, tum ex libello Lastrade mirabilem esse hanc ecclesiam ob prodigiosam camerarum seu fornicum altitudinem, quas nullæ columnæ sustentant; quin etiam cum ex geographicis libris innotescat marmor in Convenensi tractu commune esse, facilius fidem sibi demeretur Lastrade, cum narrat totam hanc sacram ædem e marmore albo constructam esse; et demum e dictis Tolosanis annotatis et e Beaunier* (*b*) *intelligimus, sedilia chori, a Joanne de Malo-Leone, qui ab anno* 1523 *usque ad annum* 1551 *Convenarum sedem occupavit, quam perfectissime sculpenda curata* (*c*), *advenis admirationi esse; ea quoque partim delineata reperimus in collectione quadam imaginum præcipuorum monumentorum Galliæ. Quæ vero pia monumenta* S. Bertrando *sacra sunt, inferius enarrabuntur. Sed propius ad Sancti nostri gesta redeamus.*

In sua ecclesia instituit S. Bertrandus *canonicos regulares*

63 *In primis, teste Vitali,* circa ecclesiam claustrum construxit, quantum permisit loci illius angustia, impediente præcipitio rupium. *Hujus claustri dispositionem ex oppidi delineatione conjicere licet; peristylium vero, quale superest, ex apposita hoc loco orthographia cognoscitur. Absque dubio hoc claustrum pertinebat ad ædes, destinatas canonicis regularibus, quos in ecclesiam suam introduxit, ut Vitalis num.* 8 *iterum testis est* : Ibidemque religionis amator, canonicos instituit, qui sub regula S. Augustini ecclesiasticis manciparentur obsequiis. *Poterat autem eo facilius S. Augustini regulam clericos suos edocere, quo ipse fidelius eam adimplesset in ecclesia S. Stephani Tolosani : leges enim, quæ num.* 49 *ex Isarni privilegio relatæ fuere, mere pertinent ad S. Augustini regulam, et in tribus S. Augustino attributis regulis facile reperiri possunt* (*d*). *Excipias tamen oportet, quod de communi dormitorio præscribit Isarnus, et de quo nihil mihi obviat in dictis regulis ; at noti sunt hac super re plures medii ævi ecclesiastici canones; similiter innotescit communis dormitorii præceptum sæculo* XI *exeunte inductum fuisse in omnia canonicorum cœnobia, ubi id temporis regularis disciplina reviviscere cœpit : vide hac super re regulam canonicorum de Monteforti* (*e*)*; statutum Alexandri II in synodo Romana anni* 1063 *promulgatum* (*f*)*; Vitam B. Berardi, Marsicani episcopi* (*g*)*; opus Lelarge de Ordine canonicorum Regularium* (*h*)*; et obvias fere horum temporum leges : cæterum ipse S. Chrodogangus integrum caput de ea re jam pridem pro clericis scripserat* (*i*).

D 64 *De tempore vero, quo* S. Bertrandus *clericos suos ad ordinem canonicum transtulit, nihil certi mihi reperire licuit : Lelarge* (*k*) *refert hanc reformationem ad annum circiter* 1104. *Sed aleam jacere videtur, nullam rationem hujusmodi chronologiæ proferens. Equidem libenter decem annos adderem computo Lelarge; Vitalis enim num.* 10 *de Gulielmo, Auxitano præsule, scribit eum in prima ætate nutritum fuisse apud* S. Bertrandum, *qui* eumdem fecit applicari studio litterarum, et canonicavit eum in ecclesia S. Stephani : *jam vero neminem asserturum esse confido,* S. Bertrandum *magis consuluisse S. Stephani canonicis, quam suis, aut nepotes suos crediturum fuisse alienæ ecclesiæ canonicis, cum ipse non ita pridem in suâ ecclesia constituisset collegium canonicorum : unde verisimile fit canonicos Convenenses institutos fuisse, postquam Gulielmus ille, prima ætate apud* S. Bertrandum *transacta, et bonarum litterarum absoluto curriculo, canonicis Tolosanis jam esset annumeratus, id est, cum annum vigesimum circiter ætatis attigisset. Porro Vitalis tradit eum conceptum fuisse ante mortem Gulielmi I, qui secundum necrologium S. Severi in capite Vasconiæ* XV *kalendas Maii anni* 1096 *depositus fuit* (*l*). *Ait scilicet Gulielmum III a Gulielmo I* nomen accepisse, nondum tamen in præsentem lucem effusum, sed clausum in utero matris. *Fieri tamen nequit, ut multo ocius quam anno* 1096 *natus sit, quandoquidem ex Gallia Christiana* (*m*) *innotescit Gulielmum III anno* 1170 *tantum obiisse, atque hoc etiam tempore seu potius paulo ante parem fuisse itineribus negotiisque suscipiendis : quocirca ætas* 74 *annorum non multum augenda est. Præterea, nisi id caveretur, senem eum fere faceremus, cum anno circiter* 1145 *ad episcopale munus accessit : quare statuendum videtur canonicum ordinem circa annum* 1114 *in ecclesiam Convenensem introductum fuisse.* *circa annum forte* 1114;

E 65 *Apud hos canonicos paulatim refrixisse fervorem ex sequentibus Lastrade verbis* (*n*)*, latine a me factis, colligere est :* Benedictus XII anno 1340 canonicis Convenensibus sua præscripsit statuta; quæ cum severiora et difficiliora servatu invenirentur, ad Clementem VI, Benedicti successorem, recursum est, ut ea reformaret. Quam ob causam misit ille Bertrandum, episcopum Lombariensem qui cum a mandatis adimplendis impediretur, quod cum eodem D. Papa Avenione negotiis detinebatur, sibi substituit præpositum Lombariensem et decanum ecclesiæ collegiatæ Insulæ-Jordanis, qui Convenense capitulum visitarent, et expositæ rei veritatem inquirerent. Porro secundum eorum relationem statutorum facta est mitigatio; quam quidam laxiorem æstimaverunt, quam reapse est. *Hanc mitigationem, quoniam Bertrandus anno* 1348 *Lombariensis episcopus factus est* (*o*)*, et Clemens VI anno* 1352 *obiit* (*p*)*, inter annum* 1348 *et* 1352 *concludere oportet. Capitulum illud, quod sat dives fuisse videtur, jam pridem ante superioris sæculi impios tumultus sæcularizatum fuisse scribit ad nos laudatus R. D. Féral ;* *hujus collegii canonicorum fata.*

F

(*a*) Cfr Gall. Christ., t. I, col. 1101 et seq.— (*b*) Recueil des archevêchés, t. I, p. 91. — (*c*) Gall. Christ., t. I, col. 1105.— (*d*) Holstenius, Codex regular., t. II, p. 120 et seqq. Edit. alter. — (*e*) Ibid., t. II, p. 134. — (*f*) Labbe Conc. t. IX, col. 1176. — (*g*) Ughelli Ital. Sacra, t. I, p. 966. — (*h*) P. 350.— (*i*) Holstenius Cod. Regul., t. II, p. 98. — (*k*) De Ordine Canonic. Regular., p. 368. — (*l*) Gall. Christ., t. I, col. 981 et seq. — (*m*) Ibid., col. 986 et seq. — (*n*) Relation de la translation d'une relique, etc., p. 172. — (*o*) Gall. Christ., t. XIII, col. 323. — (*p*) Baluze Vit. PP. Avenionens., t. I, in plurib. Vit. Clementis VI.

et

A *et quidem vi concordatus anni* 1801 *suppressus est ipse Convenensis episcopatus; adeo ut Antonius Eustachius d'Osmond, anno* 1785 *die* 1 *Maii sacratus, seriem hujus sedis pontificum clauserit, anno* 1801 *pontificia bulla ad suæ sedis nuntium remittendum invitatus* (*a*). *Miror multum non tantum quod Elssius in suo Encomiastico Augustiniano et Herrera in suo Alphabeto* S. Bertrandi *non meminit, sed etiam quod Penottius in sua Canonicorum Regularium Historia ne verbum quidem de Convenensi capitulo fecerit.*

§ V. Diplomata quibus subscripsit S. Bertrandus; concilia, quibus interfuit; consecratio cœmeterii Ausciensis et ecclesiæ parthenonis S. Orientii. Mors S. Bertrandi.

B

Interfuit S. Bertrandus *concilio Burdigalensi anno* 1093;

Alibi jam aliquot signavimus instrumenta, quibus subscripsit S. Bertrandus : *superest, ut ordine fere temporis alia nonnulla recenseamus, quibus nomen suum apposuit, eique recensioni inseramus aliquot concilia, quæ præsentia sua honestavit. Imprimis anno* 1093 *interfuit concilio Burdigalensi, in quo S. Caprasii cœnobium monachis Floriacensibus fuit restitutum : cæterum id unum notabile est leges inter subscribendum satis bene servatas fuisse* (*b*), *Archiepiscopi videlicet Burdigalensis et Ausciensis primi sua signa apponunt; veniunt dein Agennensis, Petragoricensis et Engolismensis ad provinciam Burdigalensem pertinentes; sequuntur vero Bigorrensis, Convenensis, Adurensis, Vasatensis et Aquensis metropolitano Ausciensi subjecti; unde cum episcopus Bigorrensis aut Tarbensis, Odo nomine, anno* 1080 *episcopatum nactus sit, ex his subscriptionibus denuo deduci potest* S. Bertrandum *post Bigorrensem præsulem sacratum fuisse : debilius tamen fit hoc argumentum ex eo quod Vasatensis episcopus in ecgraphis suo loco non est* (*c*). *Signum vero* S. Bertrandi *inter* testes et visores privilegii

C *his conceptum est verbis :* ¡Signum Bertrandi Convenensis episcopi.

et anno 1100 *interfuit concilio Pictavensi,*

67 *Alii conventui multo celebriori, concilio nempe Pictavensi anni* 1100, *interfuit* S. Bertrandus. *Id videlicet novimus ex Cartulario Ms. Ausciensi, ex quo plura edidit D. de Brugelles in Chronicis ecclesiasticis Ausciensibus, et D. Brial Collectioni historicorum Galliæ* (*d*) *nonnulla inseruit. Agitata scilicet ibi fuerunt plura negotia, quæ omnia fere in Collectione conciliorum Labbei* (*e*) *ex scriptoribus plerisque coævis declarantur; ex eis duo tantum nos seligimus : quoniam de priore, quod ad cœmeterium Ausciense spectat, in memorata Collectione siletur, et eidem postmodum denuo implicitus fuit* S. Bertrandus ; *et quoniam posterius nonnullam ansam dedit eidem Sancto pro Christo ejusque lege patiendi. Porro integrum fere sæculum inter canonicos Auscienses et monachos Auscienses S. Orientii de cœmeterio quodam lis agitata est, in qua demum jacuere Sant-Orientiani. Porro cum de hac re jam dictum fuisset Tolosæ anno* 1096 *coram D. Papa Urbano II, ibidem versante, et tribus fere annis post in concilio Romano, nondum disceptationi finis impositus erat.*

D

in quo laudavit sententiam legatorum apostolicæ sedis de Ausciensi cœmeterio,

68 *Quamobrem* in concilio Pictavensi, cum de eadem re habita esset querela ad aures Johannis et Benedicti Cardinalium, qui tunc apostolica vice et legatione eidem concilio præerant, hoc judicium ab eis ita promulgatum est : « Quod judi- » catum est a domino nostro beatæ memoriæ U. » (Urbano) Papa de cimiterio Burdegalensi, idem » et nos de universis matricibus ecclesiis judica- » mus, quia non invenimus in aliquibus decre- » tis, vel in quibusdam canonibus, ut matrices » ecclesiæ careant sepultura, unde procedunt » ordines et baptisma et cætera talia. Ecclesia » vero quæ recipit vivos, recipiat et mortuos. » Itemque adjectum : « Privilegia facta contra ju- » stitiam et contra universale judicium domini » nostri U. Papæ, falsa esse judicamus; judi- » cium universali domini nostri Papæ de matri- » cibus ecclesiis, nominatim de Ausciensi sede, » confirmamus et corroboramus. » Laudatis omnes ? Universi in concilio residentes dixerunt : Laudamus. Facta confirmatio ista Ausciensis cimiterii in concilio Pictavensi a Johanne et Be- E nedicto cardinalibus, legatis Romanæ et Apostolicæ sedis, feria VI, quinto die concilii (XXIII *Novembris anni* 1100) assensu et affirmatione totius conventus, in præsentia domni R. *(Raimundi)* Ausciensis archiepiscopi, et *(Radulfi)* Turonensis archiepiscopi, *(Philippi)* Tricassini episcopi, *(Lamberti)* Atrebatensis episcopi, *(Morvanni)* Venetensis episcopi, *(Petri)* Lactorensis episcopi, *(Bernardi)* Laburdensis episcopi *(Bertrandi)* Convenarum episcopi, Engelrandi Laudunensis episcopi, Marbaudi Redonensis episcopi, Ivonis Carnotensis episcopi, et aliorum multorum tam Wasconum quam Galliæ abbatum et episcoporum. *Qui vero reliqui hi abbates atque episcopi sint, non omnino innotescit : quin etiam de numero varia sententia est, quandoquidem Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi* (*f*) *in ecclesia Sancti Petri Pictavensi die octavarum Sancti Martini* LXXX *tantum episcopos et abbates et* XXXV *canonicos congregatos fuisse scribit, et Gaufridus Grossus, scriptor Vitæ S. Bernardi, abbatis Tyronensis* (*g*), *centum quadraginta patres huic concilio interfuisse testatur : quæ varietas orta videtur ex eo, quod Hugo concilii initium, Gaufridus ejusdem finem intendit.*

F

eisque constanter adhæsit, cum, neglectis minis comitis Pictavensis, excommunicarunt adulterum regem Galliæ

69 *Sed præcipuus concilii scopus erat adulterum Philippum I, regem Galliæ, inducere ad non retinendam Bertradam. Secundum appendicem itaque Vitæ S. Hilarii* (*h*) reliquis ecclesiasticis causis rite peractis, ad ultimum pro prædicto capitulo anathematis sententiam in regem pervulgare intendebant *cardinales legati. Tum Gulielmus, comes Pictavorum, quem rex nunciis suis convenerat, supervenit in templum et congregatis patribus severas intentavit minas.* Omnibus itaque aliis, *pergit dicta appendix,* ob dictum comitis *(Gulielmi)* exterritis, cum episcopis et abbatibus de proprietate regis de consessu concilii præ timore egressis, domnus Joannes legatus solus mansit interritus ; immo constantior et animosior factus, exclamavit et dixit : « Audite me, fratres :.... Paveant.... et » fugiant ad adventum lupi mercenarii, maneant » hic nobiscum qui sunt pastores boni et veri.... » *Collum dein comiti percutiendum extendit :* qua viri constantia comes experta, concilium ocius exit, ne regem audiret excommunicari. Quo egresso

(*a*) Biblioth. Sacrée, t. XXVIII, p. 258. Edit. anni 1827. — (*b*) Cfr Cantelium S. J., Hist. urb. metropol., t. I, p. 128. — (*c*) Cfr de hoc concilio Mansi suppl. Concil. Labbe t. II col. 125 ; et Mabillonium Annal. Ord. S. Bened., t. V, p. 236 et 296 et instrum., p. 617. Edit. Luc. — (*d*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 321. — (*e*) T. X, col. 720 et seqq. — (*f*) Ibid., t. XIII. p. 624. — (*g*) Ibid., t. XIV, p. 169; et in Opere nostro ad XIV April., p. 233.— (*h*) Rec. des hist. de France, t. XIV. p. 108 et seq.

duce

A duce, Joannes sermonem continuavit, *visionem S. Hilarii, se et reliquos ad fortudinem exhortantis, commemorans.* Ad hæc verba omnes qui aderant exhilarati, et, timore sublato, de promissione B. Hilarii securiores sunt effecti.... *Tum Joannes cardinalis,* allatis luminaribus et omnibus in regem erectis, donec satisfaceret, anathematis sententiam promulgavit, *calculum suum afferentibus patribus qui remanserant, ut luculente e Gaufrido Grosso* (*a*) *et Hugone Flaviniacensi* (*b*) *habemus. Atque hic nihil est quod in* S. Bertrandi *dedecus vertatur ; effugerunt scilicet ii tantum, qui de proprietate regis erant, seu immediate ei subjecti ; quos inter numerari nequit Sanctus noster, utpote Convenensis : atque adeo iis accensendus est, qui manentes cum legatis bonos et veros se probarunt pastores.*

et furentis populi comitisque manus vix effugerunt.

70 *Verum quam primum populus intellexit excommunicatum fuisse regem, vehementi ira commotus est, ingentemque tumultum excitavit ; adeo ut, cum jam* laus Christi, *ut loquitur Hugo Flaviniacensis* (*c*), in ore eorum qui astabant pro dimissione concilii, ut moris est, resonaret,... quidam e populo, in superioribus existens ecclesiæ, lapidem jecerit, cardinales ferire volens ; cujus ictu B clericus quidam capite illiso prosternitur. *Hinc nova apud præsules conturbatio, et novus apud populum furor.* Sanguine manant pavimenta, clamore confuso domus impletur, furore et insania intus et extra ministri satanæ debacchantur. Manent columnæ Christi immobiles, mortem, si Dominus jubeat, intrepidi opperientes ; et ad saxa volantia mitris ablatis, capita nuda retegentes ; nec aliquando a laude Dei et prædicatione veritatis reticentes : quod voce prosecuti erant, sanguine confirmare, si sit necesse, gestientes. Quorum constantia devota et devotione constantissima furentium facta est repressio et ad pœnitentiam cordium inclinatio. *Hæc Hugo Flaviniacensis, testis oculatus, qui ipse negotium habebat in hoc concilio discutiendum. Verum dum Flaviniacensis chronographus episcopos a sua constantia laudat, ob ignaviam suam eos vituperat Gaufridus Grossus, adeo ut scribat* (*d*) *solos Bernardum Tironiensem et Robertum Arbressellensem,* aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles constantesque perstitisse, ut nec ab incœpto excommunicationis desisterent, sed pro Christo mortem vel contumeliam pati C gloriosissimum ducerent. *Sed Gaufridi testimonium parvi faciendum est in hujus concilii historia, quoniam gestorum in ea seriem valde male edoctus fuisse videtur, adeo ut in omnibus fere adjunctis, tum magnis tum parvis, a reliquis historicis dissentiat. Neque est quod quis objiciat cardinales tantum ab Hugone Flaviniacensi tamquam* Christi columnas *exhiberi ; nam clare e contextu patet eo nomine venire omnes episcopos, qui remanserant et cum legatis Philippum excommunicationis vinculo innodarant. Sedata populi commotione, vitæ quidem, sed non omne libertatis discrimen evanuit. Comes enim Gulielmus, comperta regis excommunicatione,* vehementer excitus, *ut laudata appendix testimonio est,* portas urbis claudi, et exitus viarum, ne clam exirent, fecit excubari. Et rumor ubique, omnes qui interfuerant excommunicationi, captos deprædatum iri. Qui pavidi ad legatum confluunt, et quid agerent inquirunt. At vero domnus Joannes confortabat omnes, dicens ne timerent, sed rei exitum secure expectarent. Dum hæc invicem colloquuntur, venit nuncius qui portas urbis apertas et liberum omnibus exitum nunciaret. Quin et ipse comes compunctus corde venit, et prostratus in terram coram cardinalibus, culpam confitebatur et veniam postulabat ; et de cætero se talia non commissurum cum juramento pollicetur. Porro domini legati.... impletis B. Hilarii promissis (*horum quoque meminit Chronicum Malleacense* (*e*) *optimæ notæ*) lætantes comiti pœnitentiam indicunt, et offensam illam dimittunt, et personas concilii cum gaudio ad propria remittunt : *atque ita* S. Bertrandus, *multa constantia gravissimis functus periculis, gregi suo redditus est. Cæterum si quis plura de universo hoc negotio cognoscere velit, ad commentarium de repudiata a rege Philippo Berta et superducta Bertrada Andegavensi, quem D. Brial Collectioni historicorum Galliæ inseruit* (*f*). D

S. Bertrandus *non videtur subscripsisse anno* 1105 *diplomati Lezatensi.*

71 *Neque hæc unica fuit occasio, in qua* S. Bertrando *episcopali opus fuit constantia ; sed priusquam ad illam alteram calamitatem deveniamus, duo examinanda sunt instrumenta, quibus conficiendis adfuisse volunt Sanctum nostrum. Dionysius videlicet Sammarthanus in articulo de eo* (*g*) *meminit* S. Bertrandum *præsentem legi, quando anno* 1105, *mense Octobri, Garmundus dedit Lezatensi abbati Seguino ejusque monachis ecclesias S. Vincentii et S. Beati cum vinea. Verum hæc certo erronea sunt : imprimis anno* 1105 *Seguinus Lezatensis abbas non erat, sed ante annum* 1102 *vel vita functus erat, vel abbatiam reliquerat, quandoquidem hoc anno Geraldus II abbatiæ regimen obtinebat* (*h*), *idque tenuit, ut videtur, usque ad annum* 1105, *quo Odo II ei successit* (*i*). *Præterea non ita facile capitur quomodo Garmundus Lezatensi abbati dare potuerit has ecclesias, quæ jam pridem penes ejus monasterium erant. In diplomate enim anni* 1003 *hæc reperimus* (*k*) : Ego Sulmus... cedo vel dono ipsam ecclesiam Sancti Beati *(hinc prioratum Benedictinum et oppidulum factum* (*l*)), quæ est fundata supra ripam Garumnæ, cum omni oblatione et suis appendiciis, in termino Bavartense, in comitatu Communicensi et ecclesiam Sancti Vincentii quæ est super aliam ripam Gerumnæ, cum oblatione et suis appendiciis, totum ac integrum dono Domino Deo et Sancto Petro de Lezat,... Hugoni abbati, *etc. Postea quidem laici iniquas manus immiserunt in has Lezatensium possessiones, adeo* F *ut Garmundus ille, qui secundum Sammarthanum dedisset anno* 1105 *Lezatensi cœnobio ecclesias SS. Beati et Vincentii, conscripserit anno* 1132 *chartam restitutionis, cujus is tenor est* (*m*) : Ego Garmundus de Sancto Beato et filii mei facimus guirpitionem et solutionem de loco Sancti Beati, et cunctis rebus jure ecclesiastico ad ipsum pertinentibus, Deo et Sanctæ Mariæ, et Sancto Stephano et Sancto Beato. Facta est et firmata hæc solutio in manu Rogerii, Convenarum episcopi, die quo translata sunt corpora SS. Beati ac Privati et dedicatum est ab eodem episcopo altare Sancti Stephani. Anno MCXXXII, epacta I, concurrente V, luna XIX, die Dominica, VI kal. Julii. *Neque hæc facile componi posse cum Sammarthani dictis nemo non dispiciet. Demum memoratum anni* 1105 *instrumentum incognitum fuit prosecutoribus Galliæ Christianæ, ut liquet ex catalogo abbatum monasterii Lezatensis* (*n*), *non secus ac historiographis Occitaniæ, Mabillonio in Annalibus sui Ordi-*

(*a*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 169. — (*b*) Labbe Conc. t. X, col. 722. — (*c*) Ibid., l. c. — (*d*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 169. — (*e*) Labbe Concil., t. X, col. 723. — (*f*) Rec. des hist. de France, t. XVI ; vide imprimis a p. LXXIX ad p. LXXXVI. — (*g*) Gall. Christ., t. I, col. 1095. — (*h*) Ibid., t. XIII, col. 208. — (*i*) Ibid., loc. cit. — (*k*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 161. — (*l*) Ibid., t. II, p. 131. — (*m*) Ibid., t. II, probat. col. 470. — (*n*) Gall. Christ., t. XIII, col. 208 et seq.

nis

A

nis, et Brequigny in recensione diplomatum Galliæ. Contra nihil habeo quod opponam his aliis Dionysii Sammarthani verbis (a) : Garsias, episcopus Lactoratensis, cum Bertrando, Convenarum pio antistite, memoratur in vetustissimo instrumento ecclesiæ Tolosanæ, tempore Arnaldi Raimundi, præpositi ecclesiæ S. Stephani. Annus non annotatum ; Arnaldus vero Raimundi præposituram capituli seu S. Stephani gessit ab anno 1093 ad annum 1118.

Post multifarias Pontificum Romanorum sententias

72 *Verum lis de cœmeterio Ausciensi, quam in concilio Pictavensi agitatam jam vidimus, denuo nos ad se vocat. Pictavis anno* 1100 *statutum fuerat, ut secundum jus commune ecclesia cathedralis Ausciensis cœmeterium haberet, et privilegium contrarium Papæ Urbani II, quod obtendebant monachi S. Orientii, rejectum fuerat tamquam supposititicium ; et quidem anno* 1090 *post concilium Romanum canonici Ausciense coram a Papa Urbano II in perpetuum Ecclesiæ suæ obtinuerant sepulturam (b). Verum, interveniente S. Hugone Cluniacensi, cui Sant-Orientiani subditi erant, confirmavit Paschalis II anno* 1105 *privilegium concessum a Leone IX*

B

et Urbano II, statuitque (c) ut antiqua ipsius cœmeterii constitutio nulla æmulorum quorumlibet infestatione turbetur... Proinde nec extra urbem nec intra Auxiensi archiepiscopo et ejus canonicis liceat novum cœmeterium instituere ; sed tam archiepiscopi quam regulares aut irregulares, clerici sive laici, de quibus consuetudo hactenus fuit, sepulturæ locum apud Sant-Orientianos futuris temporibus sortiantur. *At nondum hinc nata est quies : anno enim* 1118 *litteras dedit Gelasius Papa II (d), ad Bernardum archiepiscopum Auscisensem, vetans ne de cætero monachos S. Orientii super cœmeterii negotio inquietaret. Verumtamen anno sequenti Calixtus II, jus commune tenendum esse jubens, dedit Anicii (e) privilegium derogatorium, quo Bernardi Ausciensis archiepiscopi* petitioni annuendum censuit, ut Ausciensi B. Mariæ matrici ecclesiæ... liberam concesserit in posterum sepulturam, et... decreti auctoritate statuit, ut mortuorum corpora libere deinceps apud eamdem B. Mariæ matricem sepelirentur ecclesiam.

anno 1119 *consecratur cœmeterium Ausciense ; in qua solemnitate* S. Bertrandus *male habetur ;*

73 Privilegio accepto (*f*), præsul Auscitanus Bernardus consecrationem cimiterii indixit, et ad eam convocavit fratres et coepiscopos suos G. *(Gulielmum)* Bigorritanum, B. *(Bertrandum)* Convenarum, J. *(Jordanem)* Coseraneum, W. *(Willelmum)* tunc Lactorensem. Cumque peragerent consecrationis solemnia, ecce monachi S. Orientii, deposito habitu monachili, sumpto autem militari, non parva militum ac peditum manu collecta, derepente irruerunt, et ex improviso civitatem invadunt ; domos ecclesiæ vicinas non satis pacifice ingredientes, tam vilia quam pretiosa violenter diripiunt, quidquid mobile reperiri potest voraciter tollunt. Demum ad ipsam venerabilem ecclesiam unanimiter confluunt et corruunt, invadere, violare ac incendere, potius quam venerari cupientes, sed et, ut ipsius rei exitus evidenter edocuit, sanguinem consecrantium ardentissime sitientes, et avidissime cohibere * gestientes. *Et reapse ecclesiæ incendium tum tentatum fuisse, episcopum Bigorritanum sacris operantem sagittis fuisse petitum, et armigerum quemdam miraculo tantum a nece servatum fuisse narratur :* sed nec ista nec alia quam plurima a monachis

* cohibere ?

nimis crudeliter illata gravamina impedire potuerunt, quin debito consummationis fine clauderetur consecratio cimiterii et altaris B. Joannis-Baptistæ et B. Joannis euangelistæ.

D

74 *Privilegium suum dederat Calixtus medio circiter mense Aprili, cum id temporis Anicii (g) esset. Exeunte vero mense Junio obtinuerit oportet relata cœmeterii consecratio : sic enim pergit anonymus Ausciensis (h)* : Post aliquot autem dierum curricula, generale concilium convocavit et celebravit apud Tolosam dominus Papa Calixtus. *Quod concilium die octava mensis Julii inchoatum et die sexta decima absolutum fuisse probat D. Vaissette (i). Huic concilio, in quo Aniciense privilegium confirmatum fuit,* S. Bertrandum *interfuisse verisimillimum est ; Bertrandus Guidonis videlicet, citatus a Catello (k) et a Pagio (l), non secus ac præfatio conditorum canonum (m), testantur huic concilio adfuisse D. Papam Calixtum, cardinales, archiepiscopos, episcopos et abbates Provinciæ, Gothiæ, Gasconiæ, Hispaniæ et Citerioris Britanniæ : inter quos tractus locum invenit Convenensis diœcesis. Vide præterea de hoc concilio historiographos Occitaniæ (n). At tum nondum disceptationi Ausciensium*

E

finis imponi potuit ; neque S. Bertrandus *in ea componenda amplius apparet. Medio tantum sæculo* XII *finita fuit hæc controversia, adhibito compromisso, quod cum reliquis videre est apud D. Brugelles (o) et in Collectione historicorum Galliæ (p).*

et verisimiliter interest concilio, quod VIII *Julii Tolosæ inchoatum fuit ;*

75 *Ultimum negotium, cui implicatus fuit Sanctus* Bertrandus, *quodque certo tempori alligant scriptores, consecratio est ecclesiæ S. Orientii. Verum investigandum est, quæ sit hæc ecclesia. Olim scilicet exstiterunt in Occitania et Gasconia plura monasteria, quibus S. Orientius, die* I *Maii cultus, patronus aut titularis erat. Paulo superius jam egimus de monasterio S. Orientii, quod ad portas Ausciarum erat ; aliud exstabat in diœcesi Tarbensi seu Bigorrensi, et a priore distinguebatur nomine* S. Orientius de Regula : *plura de eo Gallia Christiana (q) et Petrus de Marca in Historia Benearnensi (r) lectorem docebunt ; atque hoc utrumque penes monachos erat. Tertium vero capiebat sanctimoniales et post annum* 1098 *exstructum fuit, ut liquet ex eo, quod hoc anno* Emeriæ de Albias,.... bonæ fœminæ,.... quæ crucem in spatula *(scapula)* dextra levaverat ad pergendum Jerosolymam, *donata fuerit* ecclesia S. Orientii, quæ diu destructa inter

F

vepres deserta remanserat, *et consilium datum, ut* domum in honore Dei ut ibi pauperes Christi reciperentur ædificaret ; *cujus rei gratia, ecclesiæ alia munera adjecta sunt (s). Hæc secundum Isarni consilia acta videntur : anno saltem* 1140 *exstabat monacharum cœnobium cum S. Orientii titulo ; quod unitum tum est cum parthenone, Veteri-Muro dicto, diœcesis Albiensis, Ordinis S. Benedicti (t). Sed et situs illius cœnobii inquirendus est. Porro anno* 1157, *mense Julio, in placito Morlanensi, Raymundus episcopus Tolosanus concessit circa capellanum aliquod privilegium ; unde liquet hoc cœnobium in diœcesi Tolosana fuisse ; et Bernardus, Convenensis comes, dedit aliquot solidos* Deo et S. Mariæ et S. Orientii monacharum, et Cæciliæ Vetuli-Muri abbatissæ et Alazais monacharum priorissæ... in manu Raymundi Tolosani episcopi, et Rogerii Conveniensis episcopi (*u*). *Unde Vaissette* (*v*) *deducit parthenonem in finibus agri Convenensis fuisse. Quocirca, cum dubium moveri nequeat, quin*

anno circiter 1122 *cum episcopo Tolosano dedicat ecclesiam parthenonis S. Orientii,*

(*a*) Gall. Christ., t. I, col. 1075. — (*b*) Ex Cartular. Auscisensi. Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 321. — (*c*) Ibid., p. 322. — (*d*) Ibid., l. c. — (*e*) Ibid., l. c. — (*f*) Ibid., p. 323. — (*g*) Martene, Amplissima collect., t. I, col. 651. — (*h*) Rec. des hist. de Fr., t. XIV, p. 323. — (*i*) Hist. du Languedoc, t. II, not. XLIX, p. 634 et seq. — (*k*) Comtes de Tolose, lib. II, cap. III. — (*l*) Critic. Baron. ad annum 1119, § VII. — (*m*) Labbe Concil., t. X, col. 856 et seqq. — (*n*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 383. — (*o*) Chroniq. d'Ausch. prob., part. I, p. 35. — (*p*) Rec. des hist. de Fr., t. XIV, p. 323 et seq. — (*q*) T. I, col. 1256. — (*r*) Hist. du Bearn, passim. — (*s*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 349. — (*t*) Gall. Christ., t. I, col. 82. — (*u*) Hist. du Languedoc, t. II. probat. col. 565. — (*v*) Ibid., t. II, p. 292.

A *jam pridem ecclesiæ S. Orientii de Regula et S. Orientii Ausciensis consecratæ essent, et earum consecrationi interfuisset vel Tarbensis vel Ausciensis præsul, de ecclesia tertii cœnobii Sancti Orientii intelligenda certe sunt hæc Galliæ Christianæ de Amelio, episcopo Tolosano, verba* (*a*) : Circa id tempus, *scilicet annum* 1122, cum Bertrando episcopo Convenensi dedicavit ecclesiam S. Orientii : *cujus dedicationis instrumentum nuspiam editum invenio; verisimiliter quoniam hanc notitiam ex fragmentis historicis Mss. Claudii Estiennot excerpserunt Benedictini sodales* (*b*).

et moritur ante annum 1132, quo Rogerius ejus successor interfuit translationi SS. Beati et Privati.

76 *Atque hic annus* 1122 *prior terminus est spatii, in quo* S. Bertrandi *obitus claudendus est. Alter vero terminus repetendus est ex episcopatu Rogerii de Noerio, successoris* S. Bertrandi. *At varii vario anno hujus episcopatus initium affigunt : fratres Sammarthani in secunda Gallia Christiana, non secus ac Oihenartus ferunt Rogerium anno* 1130 *jam sedisse ; Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana tertia* (*c*) *testatur sibi non prælusisse instrumenta, quibus ejus episcopatus initium affigunt : quibus ejus episcopatus infra annum* 1136 *deprimatur ; ejus sodales autem* (*d*) *includunt tempus, quo sedit, inter annos* 1136 *et* 1152. *At certum est Rogerium jam episcopum fuisse* die, *ut vidimus*, quo translata sunt corpora SS. Beati ac Privati, et dedicatum est ab eodem episcopo altare Sancti Stephani *(in loco Sancti Beati)*, anno MCXXXII, epacta I, concurrente V, luna XIX, VI kalendas Julii (*e*). *Cum frustra in strictiora documenta inquisierim, neque ullam veterem traditionem apud Convenenses circa* S. Bertrandi *mortem exstitisse viderim, apud me vagari debet ejus annus emortualis intra dictum decennium. Ob grandævam tamen* S. Bertrandi *ætatem, et quoniam Vitalis, qui anno* 1167 *(vide num.* 5 *hujus Commentarii) jam maturus ætate erat, cognovit in sua pueritia miraculum, per merita demortui Sancti* Bertrandi *factum (vide Vitalem num.* 29), *impellor ad referendum nostri Sancti obitum ad priorem dicti decennii partem; et propterea pede sufficienter firmo stare sentio, quæ num.* 10 *et sequentibus hujus Commentarii prævii secundum communem sententia statuta sunt.*

B

Recensentur variæ de ejus anno emortuali sententiæ.

77 *Cæterum si cui nosse placuerit quæ scriptorum hac de re sententiæ sint, paucis jam explicantur. Catellus in Historia comitum Tolosanorum* (*f*) S. Bertrandi *funera ad Alexandri III pontificatum deprimit ; magis etiam a vero abludit Claudius Robertus, primæ Galliæ Christianæ scriptor, toto fere sæculo aberrans* (*g*) ; *Oihenartus* (*h*) *et fratres Sammarthani in secunda Gallia Christiana* (*i*) *ejus obitus tempus inter annum* 1120 *et* 1130 *vagum relinquunt ; Gallia autem Christiana nova* (*k*) *et secundum eam Butler* (*l*) *malunt annum circiter* 1123 *signare ; Bailletus in Vitis Sanctorum* (*m*) *et ejus asseclæ Moreri in suo Dictionario ad vocem* Bertrand, *Lastrade in Vita* S. Bertrandi (*n*) *aliique indicant annum circiter* 1126. *Vaissette vero in Historia Occitaniæ* (*o*) *sub judice litem relinquere videtur. Quod et ipsi aliquo usque fecimus, cum ad frontem hujus Commentarii prævii annum circiter* 1125 *tamquam emortuale tempus* S. Bertrandi *signavimus.*

C

(*a*) T. XIII, col. 15. — (*b*) Cfr eosdem, t. XIII, col. 91. — (*c*) Ibid., t. I, col. 1095. — (*d*) Ibid., t. XIII, col. 260. — (*e*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 470; et cfr supra num. 71. — (*f*) Comtes de Tolose, p. 108. — (*g*) P. 315. — (*h*) Notit. Vascon., p. 527. — (*i*) T. II, p. 548. — (*k*) T. I, col. 1095. — (*l*) T. XIII, p. 292. Edit. Insulensis. — (*m*) T. VIII, p. 244. — (*n*) Relation de la translation, etc., p. 43.

D

§ VI. Sepultura, canonizatio, Reliquiarum elevatio S. Bertrandi.

S. Bertrandus *sepultus in oratorio juxta chorum B. Mariæ in templo Convenensi,*

De *loco, in quo* S. Bertrandus *sepultus fuit, nihil tradit Vitalis. Num.* 9 *innuit* S. Bertrandum in oratorio ante altare Beatæ Virginis Mariæ, in cujus honore fundata est cathedralis ecclesia *exspirasse; unde Bailletus deduxit* eum in sua ecclesia ante altare Divæ Virginis sepultum fuisse : *quod Dionysius Sammarthanus* (*p*) *absque dubio a Bailleto mutuatus est. Vaissette* (*q*) *et Butler* (*r*) *ab utroque idem didicerunt. Equidem, cum canonicum Convenensem, alias perpetuum Bailleti sequacem, hoc loco a Bailleto discedentem videam, id non absque congrua notitia ab eo admissum fuisse, facile mihi persuadeo : quamobrem negligenda non est narratio Lastrade, asserentis* (*s*) *beatum virum* in oratorio suæ ecclesiæ, quod juxta oratorium Beatæ Virginis est, primitus fuisse sepultum. *Et quidem talis locus omnino favebat suspendendis ad tumulum* S. Bertrandi *catenis, quibus captivos plures per intercessionem hujus Sancti liberatos fuisse locuples testis est Vitalis. Quamdiu autem illic jacuerit non prorsus est certum ; verumtamen prudenter asseri potest ejus corpus ex terra levatum non fuisse ante annum* 1309, *ut inferius declarabitur.*

E

fuitne canonizatus tempore Alexandri III, an tempore Clementis V?

79 *Jam si quæritur quandonam Sanctis aut Beatis adscriptus fuerit, in intricatissimam quæstionem inciditur. Bailletus id a Clemente V factum fuisse asserit ; Gallia Christiana* (*t*) *id ad tempora Gulielmi III Ausciensis præsulis refert. Bailleto præiverat Proprium Sanctorum S. Genovefæ Parisiense anni* 1665 ; *et Propria ejusdem ecclesiæ anni* 1758 *et anni* 1765, *in aliis multis mutata, hanc sententiam servarunt. Contra Vaissette* (*u*) *et Butler Dionysio Sammarthana adstipulantur. Lastrade ex una parte, gravissimo argumento pressus ; ex altera, auctoritatem Bailleti, quem ut Ecclesiæ doctorem pene habet, nimium reverens, mediam init sententiam, et sex argumentis statuere tentat* S. Bertrandum *ab Alexandro III in concilio Montispessulani beatificatum fuisse et a Clemente V canonizatum ; at lector non desiderabit hæc argumenta, cum noverit primum esse auctoritatem martyrologi Saussayi ; et ultimum, translationem Reliquiarum, a summo Pontifice factam, canonizationem dicendam esse* (*v*). *Meliora argumenta inquiramus, totius rei gestæ ordinem, quantum fieri potest, exponentes.*

F

Canonizatus fuit non quidem ante annum 1167,

80 *Ex titulo, præfixo* S. Bertrandi *Vitæ in editione Martenii et ecgrapho P. Gisseji, novimus ejus auctorem* Apostolicæ sedis notarium *fuisse : quo munere licet a Gulielmo III, Ausciensi præsule et apostolicæ sedis legato, vestiri potuerit, ut censet Hieronymus Faber* (*x*), *constat tamen eum hoc officio honestatum fuisse ab ipso summo Pontifice, quandoquidem in curia Romana officium suum exercuit* (*y*). *Porro vel pro hac sua dignitate, vel quoniam a suo archiepiscopo deputatus fuerat*, sanctitatem et miracula S. Bertrandi tempore schismaticorum, quibus sacrosancta Romana ecclesia multarum turbine procellarum fluctuabat, significavit Alexandro summo Pontifici viro catholico in palatio Lateranensi, in præsentia venerabilium cardina-

(*o*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391. — (*p*) Gall. Christ., t. I, col. 1095. — (*q*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391. — (*r*) Vies des Saints. Edit. Insulens. ad XV octobris. — (*s*) Relation de la translation d'une relique, etc., p. 43. — (*t*) T. I, col. 1095. — (*u*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391. (*v*) Cfr Lastrade, p. 52 et seqq. — (*x*) De Protonotariis, cap. I, n. 12. — (*y*) Vide Ibid., cap. XIII, n. 12.

lium

A lium (*a*) : *quod præsenti tempore advocati consistorialis officium esse video apud Benedictum XIV in opere de canonizatione Sanctorum* (*b*). *Hæc autem sanctitatis et miraculorum significatio non facta fuit ante diem* VII *Septembris anni* 1159, *qua Alexander III Pontifex electus est, neque post annum* 1170, *quo Gulielmus Ausciensis III obiit, ut jam sæpe diximus ; sed ab hoc spatio resecandi sunt primo tredecim dies, quos Romæ in medio tumultu non coronatus degit Alexander III; dein tempus, quod usque ad secundum sui pontificatus annum extra Romam vixit ; quam in urbem reversus anno* 1161, diutius ibidem propter schismaticorum seditionem quiete non potuit remanere ; *neque tum ad eum sane venit Vitalis, quoniam præter paucas civitates*, patrimonium B. Petri per Teutonicos et schismaticos *tam* violenter occupatum fuerat et detentum, *ut ipse Alexander anni finem versus* ad partes Galliæ cum fratribus suis per mare transitum faceret (*c*). *Exinde Romæ versatus non est Alexander ante diem* XXIII *Novembris anni* 1165 (*d*) ; *anno vero* 1167 *mense Augusto illinc denuo aufugit* (*e*), *ante annum* 1171 *non reversurus* (*f*).

B *Ex quibus liquet*, S. Bertrandi *vitam et miracula Romæ explicari potuisse tantum inter* XXIII *Novembris anni* 1165 *et mensem Augustum anni* 1167 : *et quidem intra hoc spatium, ante diem* XXVII *mensis Aprilis anni* 1167 *concilium in palatio Lateranensi celebratum fuisse, adversus Baronium et Labbeum ostendit Pagius* (*g*). *Excommunicatus fuit in hoc concilio Fredericus imperator : quæ alia negotia in eo agitata fuerint, ob actorum deperditionem ignoratur ; ast a nemine in dubium vocatum iri autumo, quin ad illud referenda sint citata Vitalis dicta.*

sed tamen sub pontificatu Alexandri III.

81 *Verum si ex recitatis verbis manifesto habemus*, S. Bertrandi *sanctitatem et miracula anno* 1167 *in concilio Lateranensi declarata fuisse, non tamen inde certo deducere possumus eum tunc temporis cœlitibus fuisse adscriptum ; sed itidem fatendum est nullum præjudicium adversus sententiam contrariam creari ex absentia documentorum, quæ ad id negotium pertineant ; cum nemo sit, qui non noverit plurima in conciliis oretenus tantum agitata et statuta fuisse : in quarum rerum numerum ipsas Sanctorum canonizationes sæpius retulerunt nostri decessores et Benedictus XIV. Præterea deperdita sunt hujus concilii acta. Utut id est, certum est* S.

C Bertrandum *Sanctorum albo illatum fuisse ante annum emortualem Gulielmi III Ausciensis, seu ante* 1170, *quemadmodum luculente liquet ex vetusto Necrologio monasterii Casæ-Dei, comitatus Pardiniacensis, edito ab Oihenarto* (*h*) *in hæc verba :* Guillelmus Dandozile archiepiscopus Auxitanus et sedis apostolicæ legatus, nepos S. Bertrandi, qui eum fecit canonizari, multa bona fecit nobis et multos adversarios pacificavit. *Unde pronum esset concludere canonizationem* S. Bertrandi *in concilio Lateranensi anni* 1167 *peractam et tum ab Alexandro III promulgatam fuisse ; verumtamen fieri posset, ut Pontifex tum solummodo statuerit penitius examinandum esse id negotium, idque munus crediderit Hyacintho cardinali, qui* S. Bertrandi *meritorum declarationem ita cordi habuit, ut ejus Vitam a Vitali curavit conscribendam, et qui aliquando certe honestatus est similibus officiis ; ut e dicendis liquebit.*

82 *Cum enim cardinalis ille inter annum* 1172 *et* 1174 *in Hispania legati munere fungeretur, constat tum ab eo ut Sanctum promulgatum aut beatificatum fuisse Rudesindum : et quidem cum in instrumento seu declaratione beatificationis statuatur Sancti Reliquias kalendis Septembris transferendas esse, et a pluribus ut certum admittatur, diebus Dominicis tantum aut festis Reliquiarum translationes olim factas esse, in annum* 1174 *hæc beatificationis solemnitas, a plerisque anno* 1170 *certo male annexa, referenda videtur. Synopsim rei gestæ edidit Antonius de Yepez in suo chronico Benedictino, similiter Tamayus Salazarius in Martyrologio Hispanico ad diem* I *Septembris ; et ex his decessores nostri ad* I *Martii* (*i*). *At Ambrosius de Morales manibus suis tractavit dictum instrumentum, et multa fide, ut ipse loquitur, nonnulla ex eo hispanica fecit. Pauca excerpemus :* Y tambien por ruegos de muchos nobles varones, por el autoridad del Papa nuestro Señor, la qual (aunque indignos) tenemos en las provincias de España, habiendo tenido sobre ello con mucha gravedad nuestro consejo, quisimos que el cuerpo del sobredicho opispo y Confessor dignissimo fuese elevado y colocado en lugar digno y eminente, y que sea E venerado en la tierra como Sancto por todos los fieles Christianos. *Quod latine in instrumento authentico, in monasterio Cella-nova asservato, sic fere sonare debet :* Et similiter ad petitionem multorum nobilium virorum, ex auctoritate domini nostri Papæ, qua licet indigni gaudemus in provinciis Hispaniæ, matura hac super re deliberatione habita, voluimus ut corpus supradicti episcopi et Confessoris dignissime elevaretur et collocaretur in loco digno et eminenti, et ut omnes fideles Christiani hunc virum tamquam Sanctum venerentur in terra (*k*).

D *Legatus Hyacinthus, qui tempore Alexandri III S. Rudesindum beatificavit,*

et Pontifex factus hæc sua gesta confirmavit ;

83 *Morales* (*l*) *asserit in dicto monasterio Cella-nova asservari bullam, qua Hyacinthus, factus summus Pontifex sub nomine Cœlestino III, confirmat quidquid olim circa S. Rudesindum egerat. Cum Morales hæc omnia suis viderit oculis, non est quare hic in dubium vocetur Tamayi de Salazar fides* (*m*), *cum partem hujus bullæ refert, de qua ante eum, non Morales, sed alii plures jam dixerant. Ex Tamayo itaque* (*n*) *describo sequentia Cœlestini III verba :* Igitur quia illa, quæ dum in minori gradu constituti persolvimus, in perpetuum illibata permaneant, ex supra nominatorum consilio, et ejus pre- F cibus instantibus, matura et prudenti deliberatione, nunc in montis, Deo operante, cacumine collocati, omnia per Nos tunc circa hoc facta, apostolica auctoritate firmamus, et præsentis confirmationis firmitate munimus. Nulli ergo omnino hominum, *etc. Data fuit hæc Bulla* VII *idus Octobris anni* 1195. *Verum licet ea confirmatio sit rei jam pridem gestæ, censet tamen Morales loco citato (mitto Benedictum XIV* (*o*), *aliosque qui ex Opere nostro synopsim tantum actorum Hyacinthi legati novisse videntur,) S. Rudesindum beatificatum fuisse ab Hyacintho cardinali, et ab eodem, Pontifice facto, esse canonizatum : quæ sententia admittenda est, quoniam secus probatissima de canonizatione Sanctorum doctrina, passim in omnium laudatissimo suo opere explicata a Benedicto XIV, rejicienda esset.*

forte idem egit erga S. Bertrandum.

84 *Egregius enim hic scriptor, discutiens quæstionem an legatus canonizare aut beatificare valeat,*

(*a*) Cfr Vitam, n. 29. — (*b*) Lib. I, cap. XXI, n. 9. — (*c*) Ex Vit. Alexandri III ap. Baronium in Annal. ad annum 1191, § V. — (*d*) Novaes, Elementa Hist. Pontific., t. III, p. 99. — (*e*) Ibid., p. 100. — (*f*) Ibid., p. 102. — (*g*) Critic. Baron. ad annum 1168, § LIII. — (*h*) Notit. utriusq. Vasconiæ, p. 453. — (*i*) T. I, Martii, p. 118. — (*k*) Morales, Coron. gener., lib. XVI, cap. XXXVII, n. 7, t. VIII, p. 288. — (*l*) Ibid., loc. cit. — (*m*) Benedict. XIV, de Canonizat. SS., lib. I, cap. IX, n. 7. — (*n*) Martyrol. Hispan., t. II, p. 40 et seq. — (*o*) De Canoniz. SS., lib. I, cap. XX, n. 19.

aperte

A *aperte negat* (*a*), *Barbosæ, Lezanæ, Castellino, Centelorio et Maltæ suffragans*, legatum de latere suæ legationis auctoritate ad actum beneficationis aut canonizationis devenire posse; *neque hic videntur probati scriptores dissentire. Cum vero quæritur an possit in forma commissaria : eum hac forma beatificare posse statuit laudatissimus scriptor; at refragari videtur sententiæ eorum, qui autumant eum etiam canonizare posse; et alibi* (*b*) *quidem vehementer impugnat eos, qui, conjectis exemplis, sentiunt aliquando definitionem canonizationis a Romanis Pontificibus aliis delegatam fuisse. Verum cum ex his exemplis certo eruatur promulgationem saltem beatificationis, aut ipsam beatificationem delegatis nonnumquam concreditam fuisse, quid mirum si similis potestas Cardinali Hyacintho, viro ob suam prudentiam notissimo, data fuisset erga S. Rudesindum? Neque aliquid obstare videtur, quin Hyacinthus similiter egerit erga* S. Bertrandum, *cum toties in Galliam venerit, legati munere fungens, dummodo id inter annum* 1167, *quo celebratum est Lateranense concilium et annum* 1170, *quo obiit Gulielmus III Ausciensis præsul, adimpleverit. Quamobrem sub*

B *judice relinquimus, sitne* S. Bertrandus *a cardinali Hyacintho in forma commissaria beatificatus, priusquam ab Alexandro III canonizatus fuerit.*

S. Bertrandi *corpus tum e terra elatum non fuit; sed nomen jam tum civitati Convenis datum est;*

85 *His itaque in ambiguo relictis, affirmare posse videmur corpus ejus ex terra tum elatum non fuisse : quod nemini mirum accidere debet, cum corporis elevatio sæculis* XI *et* XII *non semper canonizationem comitata sit. Unum specimen attulisse satis erit : in Commentario de S. Henrico II, imperatore et rege Germaniæ, ostenderunt decessores nostri* (*c*) *bullam canonizationis anno* 1145 *ab Eugenio III datam fuisse; sed elevationem ejus corporis duobus tantum annis post obtigisse, iidem inferius probant* (*d*). *Quocirca, cum in* S. Bertrando *facile quoque obtinere potuerit, ut ejus elevatio aliquamdiu dilata fuerit, atque interea, anno scilicet* 1170 *Ausciensis archiepiscopus, totius negotii strenuus promotor, diem supremum obierit, facile intelligitur quo pacto* S. Bertrandi *corpus plures quam centum septuaginta annos humatum manserit. Intra hoc vero temporis intervallum duo nobis occurrunt testimonia, quibus constat jam tum novas Convenas* Urbem Sancti Bertrandi *dictas fuisse, et canonici Convenenses nuncupatos esse* canonicos Sancti Bertrandi; *quod*

C *idem sonat ac canonicos oppidi, non vero ecclesiæ* S. Bertrandi, *cum ecclesia B. Mariam patronam titularem habeat. In miraculo enim, de quo Vitalis num.* 41; *quodque post annum* 1170 *accidisse num.* 4 *hujus Commentarii prævii ostendimus, dicuntur* vir et mater sua... ad urbem S. Bertrandi *devenisse; in instrumento vero de exsecutione testamenti Arnaldi Rogerii, episcopi Convenensis, quod circa annum* 1180 *scriptum fuit, dicuntur* CANONICI S. BERTRANDI habuisse valorem tria millia solidorum Morlanensium (*e*). *Quæ testimonia quoque probant* S. Bertrandum *jam ante suam elevationem cultum fuisse.*

elevatum vero fuit corpus a Clemente V anno 1309;

86 *Porro hæc elevatio facta est* XVII *kalendas Februarii anno quarto pontificatus Clementis V. Bernardus Guidonis in Vita Clementis V sic de hac solemnitate loquitur* (*f*): Eodemque anno (1308) circa finem præcedentis mensis Augusti, Clemens Papa cum curia sua recesserat de Pictavis; transivitque per Burdegalam, et Agenesium et Tolosam; fuitque Tolosæ in festo Natalis Domini usque ad Epiphaniam. Recedensque de Tolosa, declinavit ad sedem Sancti Bertrandi Confessoris D diœcesis, quæ dicitur Convenarum; ubi in festo Beati Marcelli Papæ, scilicet XVII kalendas Februarii, corpus sacrum Sancti Bertrandi episcopi et Confessoris, cujus ipse fuit consors in nomine et succcssor in sede, de loco, in quo prius erat, in capsam transtulit preciosam, quam ad hoc idem Papa fecerat suis sumptibus fabricari. Magnam quoque concessit indulgentiam visitantibus ibidem sacras Confessoris Reliquias annuatim. *Non dissimilia refert Amalricus Augerii de Bitterris in hujus Pontificis Vita, a Baluzio quoque edita :* Item, *inquit*, quod postea anno Domini millesimo trecentesimo octavo idem Clemens apud... Tolosam venit. Et ibi in festo Nativitatis Domini remansit usque ad Epiphaniam. In quo festo ipse in civitate Convenarum supervenit, in cujus ecclesia cathedrali corpus Sancti Bertrandi Confessoris transtulit, et in quadam capsa auri et argenti, et cum lapidibus pretiosis miro modo de novo facta, per eum ipsum sanctum corpus cum summa devotione et solemnitate reposuit ad Dei gloriam et honorem.

dedítque Pontifex litteras, 87 *Exstant præterea litteræ apostolicæ Clementis V, hujus elevationis aut translationis fidem facientes : has invenit Raynaldus in libro* VI *epistolarum hujus Pontificis, quemadmodum ipse in Ecclesiæ Annalibus* (*g*) *profitetur; earumque autographum aut saltem apographum servabatur olim quoque in archivio Convenensi, ut ex his verbis, a Lastrade* (*h*) *recitatis, colligo :* Hanc igitur civitatem Beatus Bertrandus gloriosus Christi Confessor olim episcopus Convenarum se pennis virtutum erigens post præsentium cursum dierum lætus ingredi meruit; *quæ verba ex ipsis Clementis litteris se hausisse testatur Lastrade, ea certe non describens ex Raynaldo, qui pro more suo partem tantum litterarum edidit, omittens* S. Bertrandi *laudes, apostolicis litteris insertas; quod ipse nos docet, cum ait Bernardi Guidonis narrationem* confirmari literis apostolicis, quibus sancti præsulis encomia celebrantur; religiosam vero pompam, qua sacra lipsana transtulit, describi a Pontifice *his verbis :* E

quarum fragmentum recitatur; 88 Clemens, *etc....* Cupientes eumdem Sanctum, quem dominantium Dominus honoris prærogativa sublimavit in cœlis, debita in terris honorificentia venerari, sacratissimum corpus ejus de infimo ad locum celebrem et solemnem in ecF clesia vestra paratum, venerab. fratre Nicolao episcopo Ostiensi, et dilectis filiis nostris Berengario tit. SS. Nerei et Achillei presbytero, Landulfo S. Angeli, Raimundo S. Mariæ novæ, et Arnaldo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus, necnon venerabilibus fratribus nostris Rothomagensi (*Bernardo*) et Auxitano (*Amanevo II*) archiepiscopis, ac Tolosano (*Graillardo*), Albiensi (*Bertrando II*), Magolonensi (*Petro III*), Aderensi (*Martino II vel Bernardo*), Tarivensi (*sane Tarbensis episcopus intelligitur; erat is Geraldus*), et Convenarum (*Bossone*) episcopis nobis adstantibus, ac præsentibus dilectis filiis... (*Augerio de Monte-alto*) de Cimorra... (*Arnaldo II Novelli*) de Fonte-frigido... (*Augerio II vel Rogerio I*) de Scala-Dei... (*Ar. Raimundi, vel Gulielmo VII*) de Bono-fonte, et... (*Arnaldo II*) de Benedictione-Dei monachorum abbatibus S. Benedicti et Cisterciensis Ordinum, Auxitanæ, Narbonensis, Tarivensis, et Convenarum diœcesum ac aliorum fidelium multitudine copiosa, XVII kal. Februarii

(*a*) De Canoniz. SS., lib. I, cap. XI, n. 4. — (*b*) Lib. I, cap. XLIV, numm. 7, 10 et seqq. — (*c*) T. III Julii, p. 715. — (*d*) Ibid., p. 716. — (*e*) Gall. Christ., t. I, instrum. p. 177. — (*f*) Vit. Papar. Avenion. Baluzii, t. I, col. 69. — (*g*) Ad annum 1309, § n. — (*h*) Relation de la translation. etc., p. 63.

cum

A cum debita reverentia et honore propriis manibus duximus transferendum, *etc.* Datum Convenis XVII prædictarum kal. Februarii anno quarto. *Nomina abbatum in his litteris sane expressa erant; non item nomina episcoporum; abbatum etiam nomina omisit Raynaldus, addito tamen omissionis signo : ea supplevi ex tomis I, VI et XIII Galliæ Christianæ.*

sed minime S. Bertrandum canonizavit.

89 *Quis porro crediderit ex recitatis tabulis deductum fuisse* S. Bertrandum *a Clemente V die* XVI *Januarii anni* 1309 *esse canonizatum ? Verba Bernardi Guidonis et Augerii de Biterris id sane non innuunt; hi scilicet cum de canonizatione S. Petri Cœlestini seu Petri de Murrone, a Clemente V inter Sanctos relati, sermonem instituunt, prorsus alio modo loquuntur; et verba Augerii* (*a*) : Item quod postea anno a nativitate Domini MCCCXIII quinta die Maji apud Avenionem frater Petrus de Morono, quondam Cœlestinus Papa V, per dictum Clementem Papam solemniter exstitit coronatus atque canonizatus, et sub Sancti Petri nomine catalogo aliorum Sanctorum Confessorum fuit aggregatus, *etc. Verba Bernardi Guidonis* (*b*),

B *æque clara atque manifesta sunt. Præterea ex sex Clementis biographis, quorum opuscula Baluzius edidit, unus anonymus Venetus, rebus politicis enarrandis fere occupatus, Sancti Petri Cœlestini canonizationis non meminit; at quatuor ex hoc senario mentionem non fecere de honore* S. Bertrando *collato : cujus silentii causa absque dubio in eo latet, quod minime canonizatio, sed mera translatio erat. Similia fere mihi dicenda sunt de litteris Clementis V : bene scilicet nota est forma bullarum canonizationum, quæ circa hoc tempus a summis Pontificibus editæ sunt; quin etiam sæpius fuit impressa bulla canonizationis S. Petri Cœlestini* (*c*), *quæ sola canonizatio Clementi V adscribitur; ast hæc bulla toto cœlo diversa est a supra recitatis litteris apostolicis. Et quidem frustra quis opponeret non integras nobis adesse has litteras; responsum quippe in promptu est; modum, quo Lastrade* (*d*), *de his litteris sermonem instituit, satis superque indicare, in eis de sola translatione agi; quod si Lastrade non sufficientem fidem faciat, præsto est Ordoricus Raynaldus* (*e*), *qui in ea merum testimonium de translatis Reliquiis vidit.*

C

§ VII. Inquiritur in indulgentias Clementi V summo Pontifici attributas, potissimum in indulgentiam ad instar jubilæi; de tribus festivitatibus S. Bertrandi.

Indulgentia, quæ Convenis singulo fere sexennio lucranda est,

Jam pridem Convenis indulgentia in forma jubilæi lucranda proponitur in S. Bertrandi *honorem, quotiescumque festum Inventionis Sanctæ Crucis in feriam sextam incidit; ad quam solemnitatem tantus fuit atque etiamnum est concursus, ut Bruzen de la Martinière in Dictionario suo geographico-historico ex authenticis instrumentis narret præ turba homines illic suffocatos fuisse, et semel confessarium præ pœnitentium multitudine a summo saxo in præcipitium fuisse propulsum; quod ex dicendis fidem sibi acquiret. Præterea Lastrade* (*f*),

D *qui capite* IX *Vitæ* S. Bertrandi *de hac indulgentia tractat, ejus institutionem Clementi V, Sancti* Bertrandi *Reliquias transferenti, adscribit; atque idem ab aliis fieri video; quin etiam hæc indulgentia* in forma jubilæi *apud La Martinière, Lastrade aliosque cum mero* jubilæi *nomine mihi occurrit, licet* indulgentia ad instar jubilæi, vel in forma jubilæi nihil aliud importat quam plenariam pœnarum remissionem, non vero specialia jubilæi ordinarii vel extraordinarii privilegia, nisi hæc diserte exprimantur in diplomate (*g*). *Præsentem vero indulgentiam in illo casu versari ex eo colligitur, quod in ordinationibus illustrissimi archiepiscopi Tolosani pro indulgentia, anno* 1833 *et anno* 1839 *lucranda, jejunia, eleemosynæ, etc., non præscribuntur; quæ tamen jubilæum comitari solere scribit theologus Gallus Colletus* (*h*). *Præterea sacerdotibus non fit in hac celebritate Convenensi potestas solvendi a votis aut eadem commutandi. Interdum tamen brevitatis causa indulgentiam ad jubilæi instar jubilæum nuncupabimus.*

non concessa fuit in forma jubilæi a Clemente V;

91 *Jam vero nisi quis malit Benedictum XIV, doctissimum sacræ antiquitatis indagatorem, erroris arguere, (quod absit), statuendum est* indulgentiam plenariam in forma jubilæi vel ad instar jubilæi a Clemente V concessam non fuisse *Convenensibus aliisve. In Synodo enim diœcesana sic loquitur* (*i*) : Clemens VI, qui Pontifex creatus est anno 1342, primus fuit, qui Annum Sanctum a centenario ad quinquagenarium annorum curriculum contrahens, in ipsa indulgentiæ concessione usurpavit hoc verbum JUBILÆUM. Itaque, si aliqua proferatur indulgentiæ concessio inscriptam habens hanc JUBILÆI denominationem, eaque enuntiatum tempus antevertat, poterit utique prudens episcopus dubiam illam suspectamque merito habere. *Neque quidquam officit adversus hæc Benedicti XIV dicta, quod S. Bernardus jam pridem ante Clementis VI tempora in epistola ad cruce signatos* (*k*) *applicuerit indulgentiæ plenariæ vocabulum* jubilæus, *cum id tantum tropologice seu per allusionem fecerit, ut liquet ex ipsis ejus verbis :* Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino et vere jubilæus. *Quæ S. Bernardi allusio ita quidem placere potuit, ut apud concionatores in communem abierit usum, et demum speciei cuidam indulgentiarum adhæserit; ast dici propterea nequit has ipsas indulgentias* jubilæum *dictas fuisse ante medium sæculum* XIV. *Quocirca, cum terminus comparationis ante ipsam comparationem necessario exsistere atque cognosci debeat, recte concludit Cl. V. Binterim* (*l*) *ante Clementem VI exsistere non posse indulgentias plenarias* in forma jubilæi *vel* ad instar jubilæi.

E

F

unde ad eum non pertinet forma quædam absolutionis, ejus nomen præferens.

92 *Quamobrem ad tempora Clementis V revocari non potest absolutionis quædam forma, quam huic pontifici tribuit P. Possinus in annotatis ad Vitam* S. Bertrandi; *operæ pretium est eam cognovisse :* Absolutio anni JUBILEI ecclesiæ civitatis Convenarum a domino domino Papa Clemente V edicta. Dominus noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ passionis te absolvat et ego auctoritate ipsius et auctoritate domini nostri Clementis Papæ quinti, vicem gerens, necnon et Apostolorum Petri et Pauli, mihi in hac parte commissa et tibi concessa, absolvo te ab omni sen-

(*a*) Baluze Vitæ PP. Avenion., t. I, col. 109. — Ibid., col. 78. — (*c*) Vide Codic. Canonizat., p. 117. Edit. Rom. ann. 1729. — (*d*) Relation de la translation, p. 52 et seqq. — (*e*) Annal. Eccles. ad annum 1309, § II. — (*f*) P. 153. — (*g*) Cfr Collet de indulg., cap. I, n. 10, juxta Suarez, disp. 50, sect. IV, n. 8, et Theodor. a Spiritu Sancto, Tract. Histor. de Jubil., cap. I, § III, n. 10. — (*h*) De Jubil., cap. I, n. 3, juxta Suarez, Navarrum, Vivam. Cfr. Benedictum XIV, de Synodo diœcesana, lib. XIII, cap. XVIII, n. 9. — — (*i*) Lib. XIII, cap. XVIII, n. 9. — (*k*) Epist. CCCLXIII. Edit. Mabill., t. I, col. 329, n. 4. — Denkwürdigk. der katol. Kirche, t. V, part. III, p. 500.

tentia

A tentia excommunicationis majoris et minoris et ab omni irregularitate, suspensione et interdicto, restituendo te in unitate sanctæ matris Ecclesiæ, et singulis peccatis tuis, sedi apostolicæ specialiter et generaliter reservatis, juxta tenorem literarum anni JUBILEI, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt : in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Argumenta, quibus probant indulgentiam tamen plenariam a Clemente V Convenensibus concessam ;

93 *At si Clemens V Convenensibus non concessit indulgentiam plenariam* in forma *vel* ad instar jubilæi, *seu* juxta tenorem litterarum anni jubilæi, *fatendum est inde non sequi nullas plenarias indulgentias ab eo concessas fuisse ; quam alteram quæstionem ita examinare placet, ut ex una parte argumenta faventia proponamus, ex altera vero argumenta adversa, et cæterum ipsi lectori omne relinquamus judicium. Habemus itaque primo testimonium Bernardi Guidonis affirmantis a Clemente V, transferente* S. Bertrandi *Reliquias*, magnam quoque concessam *fuisse* indulgentiam visitantibus ibidem sacras Confessoris Reliquias annuatim. *Confer num.* 86 *hujus Commentarii prævii. Præsto est secundo episcopi Convenensis mandatum, in annum* B 1591 *ad diœcesanos suos datum ; quod cum nullum antiquius exstare asserat P. Possinus, hic ex ejus ecgrapho excudendum curamus :* Urbanus Sangelasius, Dei ac sanctæ sedis apostolicæ gratia Convenarum episcopus, et capitulum ecclesiæ cathedralis Convenarum universis et singulis præsentes litteras inspecturis salutem in Domine sempiternam. Notum facimus tenoreque præsentium attestamur, quod in ecclesia prædicta Convenarum proximo ac sequenti mense Maji, secunda videlicet ac tertia ejusdem mensis diebus, a primis Vesperis secundæ diei, qua die festum celebrabitur Beati Bertrandi, ipsius ecclesiæ patroni usque ad secundas Vesperas inclusive tertiæ diei, qua die, quæ erit Veneris, festum Inventionis Sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi solemniter agitur, ob memoriam et honorem Passionis ejusdem, qui in ara Crucis die Veneris passus est, erit indultum generale, quod a sanctissimo domino Clemente Papa quinto, Bertrandus antea vocato, cum in illa ecclesia tunc personaliter interesset, et cujus ecclesiæ, cum in minoribus agebat, episcopus, atque deinde archiepiscopus Burdegalensis fuerat, quoties Sanctæ Crucis Inventio C die Veneris occurrerit, cum plenaria omnium peccatorum remissione concessum extitit, atque per sanctissimos dominos nostros dominos Papas hactenus confirmatum, quibus diebus, vel eorum altero, omnes et singuli dictam ecclesiam visitantes, vere confessi et contriti, plenariam omnium suorum peccatorum remissionem et absolutionem cum pluribus aliis indulgentiis reportabunt et consequentur, prout huc usque quoties festum Inventionis Crucis Dominicæ in die Veneris occurrit factum et usitatum in dicta ecclesia Sancti Bertrandi Convenarum extitit. Datum Convenis die prima mensis Martii, anno Domini MDXCI. *Hæc latine ; gallice dein paucis indicabatur initium et finis ejusdem celebritatis.*

similes indulgentiæ Compostellæ, Anicii, in Monte Majore, et Lugduni obtinendæ.

94 *Tertio, forma Convenensium indulgentiarum, quæ a festorum in certos dies incidentia pendent, quibusdam forte non ita extraordinaria videbitur, cum Compostellæ toto illo anno, quo S. Jacobi festum in diem Dominicam incidit, jubilæus* (*a*), *seu ut alii volunt* (*b*), *indulgentia, quam quidam ad Callixti II tempora referunt* (*c*), *ad jubilæi instar celebretur, et similis indulgentia, Anicii* (le Puy) *obtineat, quotiescumque festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis cum feria* VI *hebdomadis sanctæ concurrit ; quam quidem P. Gissejus* (*d*) *testetur circa annum* 1418 *dictam fuisse ante hominum memoriam exstitisse. Præterea de indulgentia Sancti Petri Montis Majoris, quam Du Port* (*e*) *anno* 1690 *scribens jubilæum appellat, certum documentum nobis exhibet Vita prima Innocentii Papæ VI* (*f*) : Eodem tempore *(anno* 1353), *inquit auctor anonymus*, fuit magnus concursus populorum peregre venientium ad monasterium Sancti Petri Montis Majoris diœcesis Arelatensis, ubi esse dicebatur indulgentia magna, immo secundum aliquos plenaria. Est autem talis indulgentia anno illo, quo festum Inventionis sanctæ Crucis occurrit feria sexta, quemadmodum fuit anno prædicto. *Insuper Convenensis canonicus Lastrade in sæpe citato opusculo de* S. Bertrando, *ut speciatim Clementis Papæ V liberalitatem probet, adducit in testimonium indulgentiam jubilarem Lugdunensem, quam Clemens V in coronationis suæ memoriam concessisset lucrandam in templo S. Joannis Lugdunensi, quotiescumque festum Corporis Christi concurreret cum festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ : quam liberalitatem quoque probatam volunt ex indulgentiis, quas ecclesiæ Burdigalensi, in qua aliquando clericus et archiepiscopus fuerat, dignatus est elargiri. Alia argumenta faventia nuspiam potui reperire. Quocirca locus jam est, ut rationes, quæ contrarium suadent proponantur.* D E F

Argumenta contraria : parcimonia PP. in concedendis indulgentiis,

95 *Prima est gravissimorum scriptorum auctoritas : Benedictus scilicet XIV, laudans plurimum et contrahens Commentarium Beati Ludovici Thomasii Cardinalis de concessione indulgentiarum, in hæc loquitur verba* (*g*) : Denique Venerabilis Cardinalis Thomasius in præcitato Commentario, postquam innuit, omnium primam indulgentiam plenariam, uti superius relatum est, eam esse, quam Urbanus II euntibus ad recuperationem Terræ Sanctæ largitus est, quamque illius exemplo confirmarunt et innovarunt Callixtus II, Eugenius III, Clemens III et Innocentius III, dum eadem urgebat ratio Terræ Sanctæ ex hostium manibus redimendæ ; addit, se nullum aliud exinde reperisse exemplum indulgentiæ plenariæ ante eam, quam primo Anno Sancto induxit Bonifacius VIII; silentio transmittens indulgentiam Portiunculæ ex eo fortasse, quod ipsa quasi immediate a Christo Domino concessa fuerit. *Unde, cum Annus Sanctus, a Bonifacio VIII indictus anno* 1300 *cucurrerit, et Clemens V anno* 1309 S. Bertrandi *Reliquias transtulerit, nemo non mirabitur indulgentiarum plenarum usum brevi tempore ita communem factum esse, ut Pontifex novennio post concesserit singulis fere sex annis lucrandam indulgentiam, vix dissimilem ab indulgentia centenaria Anni Sancti a Bonifacio VIII indicti.*

etiam in canonizationibus Sanctorum ;

96 *Secundo, non dubito quin multi pristinæ Convenensium opinioni, stipati a Benedicto XIV, Beato Ludovico Thomasio et Papebrochio nostro, harum rerum primo fere indagatore, opposituri sint,* quanta moderatione, *ut loquitur Benedictus XIV* (*h*), usi sint Romani Pontifices in indulgentiis concedendis, quas scilicet paucorum plerumque annorum concedere solebant. *Et quidem Papebrochius* (*i*) *colligens indulgentias, non in translatione Reliquiarum, sed in ipsa canonizatione Sanctorum concessas, reperit Honorium III anno* 1225 *viginti dies concessisse in honorem S. Laurentii Dublinen-*

(*a*) Ferraris Biblioth. canon, ad v. Jubilæum, n. 5. — (*b*) Theod. a Spiritu S. qui jubilæum ordinar. et extraord. tantum admittit. De Jubilæo, p. 6. — (*c*) Cfr Papebrochium in Propylæo Maji, paralipom., p. 69. — (*d*) Hist. de N. D. de Puy, p. 536. — (*e*) Hist. de l'Eglise d'Arles, p. 395. — (*f*) Baluze, Vit. PP. Avenion., t. I, col. 322 et seq. — (*g*) De Synodo diœcesana, lib. XIII, cap. XVIII, n. 8. p. 166. Edit. Venet. — (*h*) Ibid., loc. cit. — (*i*) Propyl. Maji, dis. XX n. 9.

sis ;

A *sis ; Gregorium IX anno* 1233 *annum unum in honorem S. Antonii de Padua, anno* 1234 *item annum unum in honorem S. Dominici, et anno* 1235 *annum unum et* 40 *dies in honorem S. Elisabeth ; Innocentium IV anno* 1253 *dies* 40 *in honorem S. Petri Martyris ; Clementem IV dies* 100 *in honorem S. Hedwigis Callixtum III in litteris de S. Vincentii Ferrerii canonizatione, a Pio II expeditis anno* 1458 *septem annos et totidem quadragenas ; quibus Sixtus IV in canonizatione S. Bonaventuræ anno* 1472 *adjecit* Dominicis singulis per annum dies centum. *Hic sisto, quoniam Benedictus XIV, hæc eadem probans* (*a*), *ostendit, præter annuam indulgentiam* 40 *annorum totidemque quadragenarum, in ipsa canonizatione Sancti Francisci de Paula indulgentiam plenariam concessam fuisse. Ad Vitam Sixti IV* (*b*) *denuo comprobat Papebrochius parcimoniam Romanorum Pontificum in concedendis indulgentiis atque ex hoc capite aliquas Parisienses inter fabulas ablegat.*

ipsum testimonium Bernardi Guidonis collatum cum indulgentiis a Clemente V Burdigalensibus concessis ;

97 *Tertio, testimonium Bernardi Guidonis, num.* 86 *et* 93, *recitatum nedum favet, nocet plurimum Convenensium sententiæ : nam primo, loquitur Bernardus de indulgentia annua, dum indulgentia jubilaris Convenensis singulo circiter sexennio occurrit ; secundo, indulgentia, quam novit Bernardus, die anniversaria translationis Reliquiarum lucranda erat, (in hujus quippe celebritatis memoriam illam concessam fuisse clare liquet,) indulgentia autem in forma jubilæi alio omnino tempore et in adjunctis, quæ ad hanc translationem non pertinent, celebratur : et quidem si duplicem indulgentiam concessisset Papa Clemens V, proclivius erat, ut Bernardus hujus extraordinariæ potius quam illius usitatioris meminisset. Demum, si* annua *et* magna *indulgentia, a Clemente Convenensibus concessa, similis esset indulgentiæ Burdigalensi, valde benigne cum illis actum videretur. Legimus scilicet in Annalibus Ecclesiasticis, continuatis a Raynaldo* (*c*), *Clementem V die* XII (*d*) *aut* XIII (*e*) *kal. Februarii anno* 1308 *varia privilegia Burdigalensi S. Andreæ ecclesiæ elargitum esse :* atque imprimis, *ait*, translationis Reliquiarum ejusdem Apostoli festum diem celebraturis nono Maji, ac diebus proxime secuturis lustrantibus eam basilicam nonnulla indulgentiarum præmia contulit, cum pretiosissimis Sanctorum lipsanis exornata esset : « Considerantes,

C » inquit, quod eadem Burdigalensis ecclesia in » honore Beati Andreæ Apostoli gloriosi con- » structa, metropolitana insignis existit, et alias » multæ coruscat privilegio dignitatis ; quodque » in ea de ipsius Apostoli sacratissimo corpore » et aliorum plurimorum Apostolorum, Marty- » rum, Confessorum et Virginum venerabiles » Reliquiæ, quæ multa sunt veneratione colendæ » a cunctis fidelibus, requiescunt, » etc. *Alteram partem hujus bullæ, unde devotus Clementis animus erga hanc ecclesiam imprimis patet, edidit Baluzius* (*f*) *in hæc verba :* Hæc est enim ecclesia, quæ a juventutis nostræ primordiis suis deliciis nos educavit ut filium more matris. Hujusmodi quidem dulcedinis ubera suximus. Ipsa nos fovit in virum ; et tandem nos in suum pastorem assumens, gradum se nostris subjecit ascensibus, per quem ascendimus solium apostolicæ dignitatis. *Quæ vero indulgentia per hanc bullam concessa fuerit, neque Raynaldus, neque Baluzius indicant, excerpta tantum harum litterarum recitantes ; quamobrem ex alia bulla, kal. Julii ejusdem anni Pictavis data, et Galliæ Christianæ inserta* (*g*), *id colligimus :* Nuper, *ait Clemens V*, siquidem accedentibus ad eamdem ecclesiam *(cathedralem Burdigalensem)* in die translationis B. Andreæ Apostoli, in cujus honore eadem ecclesia est constructa, quatuordecim annos et quatuordecim quadragenas, et qui per viginti dies ante, et viginti dies translationem eamdem sequentes immediate, venerabiliter visitaverint, diebus singulis, quibus infra hujusmodi tempus causa devotionis accederent ad eamdem, septem annos et septem quadragenas indulgentiæ duximus concedendos, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem speremus, quod ratione hujusmodi indulgentiæ confluat ad eamdem ecclesiam de diversis mundi partibus fidelium multitudo : nos fidelibus ipsis in his, quæ spectant ad animarum salutem, salubriter consulere cupientes, ut eis magis existat hujusmodi indulgentia fructuosa, apostolica auctoritate statuimus, quod temporibus dictæ indulgentiæ sex pœnitentiarii, si tot archiepiscopo Burdigalensi, qui nunc est et pro tempore fuerit, necessarii videbuntur, ad hoc idonei assumendi de eadem ecclesia vel etiam aliunde per ipsum archiepiscopum, perpetuis futuris temporibus in ecclesia prædicta existant, *etc. Atque hanc tantum*, annuam *et* magnam *pro tempore, (ut liquet ex his, quæ num.* 96 *indicavimus,) non tamen plenariam, concessit Clemens V indulgentiam in gratiam ecclesiæ, pretiosissimis exornatæ Reliquiis, quam filiali ut matrem diligebat amore, cujus archiepiscopus fuerat et quam privilegiis* (*h*) *maxime insignibus condecorare studebat. Quamobrem fateor me non audere damnare eos, qui de simili indulgentia Bernardi Guidonis testimonium interpretarentur, seu non crederent a Clemente V ecclesiæ Convenensi, ubi episcopus sederat, plura collata fuisse in translatione Reliquiarum cognominis sui decessoris* Bertrandi, *quam dilectissimæ Burdigalensi ecclesiæ in memoriam translationis S. Andreæ, Christi Jesu Apostoli.*

D

E

ipsa bulla Clementis V de translatione S. Bertrandi, *et recentior tior Convenensium traditio ;*

98 *Et quidem quarto, ex Commentariis, Tolosa ad nos transmissis, habemus*, præter indulgentiam plenariam, in ecclesia Convenensi alias indulgentias partiales lucrandas esse tribus præcipuis festivitatibus S. Bertrandi, ex concessione Clementis V per bullam, datam Convenis die XVI Januarii anni 1309, et ex confirmatione Joannis XXII per bullam datam Avenione die XVI Januarii anni 1316 et Leonis X per bullam datam Florentiæ die V Februarii anni 1515 : *ubi animadvertendum est bullam Clementis V, hic laudatam, eamdem esse ac litteras apostolicas de translatione, quas supra num.* 88 *partim tantum recitare potuimus ex Raynaldo ; quæ identitas ex temporis adscriptione liquet, cum* XVII *kal. Februarii et dies* XVI *Januarii duplex nota unius diei sit. Quinto, non valde antiqua videtur Convenensium traditio, quandoquidem nullum documentum, anno* 1591 *antiquius, profertur, ut num.* 93 *vidimus.*

F

observatio in similes indulgentias, potissimum Lugdunensem :

99 *Sexto, indulgentiæ Compostellana, Aniciensis, Montis Majoris et Lugdunensis, similes Convenensi, conferrent quidem plurimum ad fidem conciliandam hujus antiquitati, si certo de sua ipsarum constaret origine. Nam, ut imiter decessores nostros, qui nihil de vetustate jubilæi Compostellani in Commentario de S. Jacobo ad diem* XXV *Julii dixerunt, (maxime varia enim est in hoc argumento scriptorum sententia) ; liquet testimonium, allatum a P. Gissejo de jubilæo Aniciensi, quo is ante hominum memoriam exstitisse anno* 1418 *dicebatur, non multum strin-*

(*a*) De Canoniz. SS., lib. I, cap. XXXVI, § V, n. 9. — (*b*) Propyl. Maji, p. 136*. — (*c*) Ad annum 1308, § XXXIX. — (*d*) Ibid., loc. cit. — (*e*) Baluz. Vit. PP. Avenion., t. I, col. 222. — (*f*) Ibid., loc. cit. — (*g*) T. II. Instrum., col. 266 et seq. — (*h*) Vide ea in Gall. Christ., t. II, col. 837 et seq.; et Instrum. col. 262 et seqq.

gere,

A *gere, cum sæpius hæc locutio sensu valde vago et incerto usurpetur. Quod vero ad jubilæum Lugdunensem spectat, ex quo potissimum Joannes Lastrade indulgentiam Convenensem propugnat, plura notanda videntur. Imprimis, si Clemens V eum concessisset ob suam coronationem, ut vult Lastrade; ecclesiæ S. Justi, in qua hæc celebritas contigit, non vero ecclesiæ S. Joannis hoc privilegium dedisset; dein in dissertatione P. de Montauzan de hoc jubilæo, inserta Commentariis Trivultianis (a), ne mentio quidem fit de Clemente V; sed totus in eo laborat dissertator, ut hujus jubilæi originem repetat vel a Martino V vel a Nicolao V; et quidem nihil antiquius de eo cognoscitur, quam quod anno* 1451 *celebratus fuit. Verum cum hoc anno jubilæus quoque in Polonia, Austria, Saxonia, Thuringia, Westphalia, tractu Ruremundensi in Belgio, Lithuania, Sicilia, Castella et Legione, per extensionem Anni Sancti* 1450 *(b), lucrandus propositus fuerit, subibit in plurimorum mentem, diem* XXIV *Junii, quo festum S. Joannis patroni et Corporis Christi celeberrime apud Lugdunenses agendum erat, decreto apostolico electum fuisse, ut tum populus indulgentiam Anni Sancti lucra-*

B *retur; et cum homines istiusmodi adjunctis (qualis est concurrentia festorum patroni et Corporis Christi) facile inhæreant, hujus rei memoriam servatam fuisse, oblivioni vero fuisse datam extensionem Anni Sancti, genuinam hujus jubilæi occasionem. Certe anno* 1546, *ubi denuo hæc concurrentia obtigit, Romam itum aut supplicatio missa fuisse videtur, quandoquidem insignia pontificia litteris pastoralibus cardinalis Ferrarii, tunc temporis archiepiscopi Lugdunensis, impressa sunt (c). Tandem tertio, quam a vero absona sunt Joannis Lastrade dicta, inde insuper liquet quod, ex quo tempore Urbanus IV festum Corporis Christi instituit, hæc celebritas et festivitas S. Joannis Baptistæ primum concurrerunt anno* 1451, *dein anno* 1546, 1666, *et* 1734, *ut notat P. De Montauzan (d); quid ergo Clemens V ineunte sæculo* XIV *id privilegium concessisset? Demum quod spectat ad jubilæum Montis Majoris, fatendum est id omnium maxime favere, cum certum de ejus antiquitate proferatur testimonium. Verumtamen, (qui ejusmodi antiquiorum indulgentiarum communis defectus est,) cum nuspiam proferatur authentica bulla Pontificis, quæ ad sæculum* XIV *pertingat, et cum Gallia Christiana (e) in catalogo abbatum Montis-*

C *Majoris de concessione hujus jubilæi omnino taceat, periculum aliquod forte est, ne huic indulgentiæ intervenerint quæstores, qui, ut ait ipse Clemens V (f),* non sine deceptione multiplici animarum indulgentias populo motu suo proprio de facto concedunt, animas tres vel plures... de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahunt,... remissionem plenariam peccatorum indulgent, *etc.*

tuta tamen est præsens indulgentia in forma jubilæi,

100 *Atque hæc, ut initio professus sum, lectoris judicio libenter submitto. Verum quæcumque ineatur de antiquitate indulgentiæ Convenensis sententia, nihil propterea præsens ipsa indulgentia inde patitur; quandoquidem postmodum confirmata fuit imprimis a Pio VII gloriosæ felicisque memoriæ, ut ex litteris pastoralibus illustrissimi archiepiscopi Tolosani Pauli d'Astros, die* V *Aprilis anni* 1833 *datis, colligere est. Toto enim animo admittenda sunt hæc Benedicti XIV dicta (g)* : Temeritatem saperet hujusmodi indulgentiam nunc uti dubiam traducere : ejus quippe legitimum fundamentum statuendum est in comprobatione Romanorum Pontificum. *Hæc doctissimus Pontifex. Atque ille idem inferius* D *laudat nostrum Papebrochium, qui in Propylæo (h) de indulgentiis quibusdam, S. Silvestro Papæ afflictis, sermonem instituens, scripsit,* quamvis nequeat efficere Pontifex, ut a Silvestro datæ sint indulgentiæ, quæ datæ non fuerunt, fieri tamen ab eo posse, ut eæ revera isthic nunc obtineantur, æque ac si ab ipso Silvestro promanassent.

Hujus indulgentiæ celebritas

101 *Ut ex mandato episcopali anni* 1591, *num.* 93 *recitato, manifestum est, temporis spatium, quo olim indulgentiam Convenensem lucrari liceret, intra viginti quatuor horas concludebatur; deinde duplicatum est id tempus; quæ lex jam vigebat temporibus Joannis Lastrade, præteréa in suo opusculo monentis, feria quarta, seu die prima Maii, ad primas Vesperas solemnitati initium fuisse factum, instituta supplicatione generali; et similiter ei finem impositum die tertio Maii, seu post secundas Vesperas festi de Inventione S. Crucis; atque inter claudendam celebritatem venerabile* S. Bertrandi *corpus feretro circumlatum fuisse : nunc etiam, ut ex litteris pastoralibus archiepiscopi Tolosani colligimus, bis viginti quatuor horas durat solemnitas, et in utraque sup-*

E *plicatione pium defertur onus. Incredibile fere est quantus olim fieret ad hanc religionem populi concursus : affirmat enim Lastrade homines, sexaginta et octoginta leucis dissitos, ad eam affluxisse, et vix alicui in plateis spatium fuisse ad se movendum; quem concursum adhuc perseverare, Tolosa nobis rescriptum est. Et quidem in Diario, cui nomen* Ami de la Religion, *in annuntiatione quadam de futuro jubilæo anni* 1843 *(i), dicitur multitudo magna ad eum concurrere solita ex Arragonia, Catalaunia, Navarra et diœcesibus Galliæ : quamobrem, ne ex tanta turba oriantur incommoda, ipsi regio gubernio curam esse, ne vis publica desit, quæ malevolorum, si qui fuerint, præpediat conatus (k). Multo minus partes suas desiderari patitur clerus : archiepiscopus Tolosanus, cui Convenensis tractus, præsenti S. Gaudentii archidiaconatu fere conclusus, in spiritualibus nunc subjacet, litteras pastorales ad hujus archidiaconatus incolas destinat, ipsique celebritati interesse satagit (l). Ut autem pœnitentibus fieri possit satis, permulti ex vicinia adsunt presbyteri, quibus Tolosanus præsul potestatem quidem concedit absolvendi a peccatis reservatis, non autem commutandi vota, ut liquet ex litteris pastoralibus annorum* 1833 *et* 1839, *ad nos transmissis. Anno* 1833 *quinquaginta circiter aderant sacerdotes, plerique confessarii; et unus alterve missionarius, qui quinque concionibus populum adhortaretur : quibus se addiderant, ut solemnitatem adaugerent, seminarii Polinianensis alumni (m). Anno* 1839 *non minor videtur affuisse confessariorum numerus; tunc vero vetitum est, ne ut anno* 1833, *pœnitentes in privatis ædibus et claustro* S. Bertrandi *exciperentur, et contra concessum, ut confessarii sacrum tribunal occuparent in templis Vallis Caprariæ* (Valcabrère), Labroquère, Barbazan, *Montisregii* (Montrejeau) *et Polinìani* (Polignan). *Atque hæc satis indicant, quantopere etiamnum illa religio vigeat.*

F

et occasio; aliæ in aliis festis indulgentiæ; confraternitas S. Bertrandi.

102 *Initio hujus* § *dictum fuit, jubilarem hanc indulgentiam lucrandum esse, quotiescumque festum Inventionis S. Crucis in feriam sextam incideret. Verum res mira satis est hanc indulgentiam, quam in* S. Bertrandi *honorem concessam volunt, a festo Inventionis S. Crucis pendere, non aliter ac indulgentiam monasterii Montis Majoris (confer num.*

(a) An. 1733, p. 1187-1223. — (b) Cfr. Theod. a Spiritu Sancto, Tract. hist. theol. de jubil., cap. II, § III, n. 17 et seq. — (c) Vide Journal des Savants, Sept. 1734, p. 13, ubi instructio in jubil. an. 1734 explicatur. — (d) Mém. de Trévoux an. 1733, p. 1193. — (e) T. I, col. 603 et seqq. — (f) Clementin., lib. V, tit. IX, cap. II. — (g) De Syn. diœc. lib. XIII, cap. XXXVIII, n. 5. — (h) Dissert. VIII, n. 4. — (i) Ad diem XVI April., p. 108. — (k) Ami de la Religion, ad XXI Maji, an. 1833. — (l) Ibid. locis cit. — (m) Ibid., loc. cit.

94), *quam asserunt a Romanis Pontificibus elargitam in honorem S. Crucis, cujus sacellum ibidem multa in veneratione erat* (*a*). *Attamen festum aliquod* S. Bertrandi *pridie Inventionis S. Crucis Convenis celebratur sub nomine* Revelationis *seu* Apparitionis S. Bertrandi, *quia in eo recolitur memoria apparitionis hujus Sancti, quæ ultimo numero ejus Vitæ a Vitali narratur, et quæ prima signa sanctitatis, post mortem ostensa, habentur; adeo ut olim* (*vide num.* 93) *post celebratam* S. Bertrandi *festivitatem inciperet indulgentia : unde magis magisque dubiis implicatur universa hæc quæstio. Vix est quod moneam præter id festum duo alia celebrari; quod enim die* XVI *Januarii in commemorationem translationis Reliquiarum obtinet, ex dictis satis innotescit; neque minus latet alterum, quod in die obitus,* XVI *Octobris, omnium celeberrimum est. His tribus festivitatibus et quatuor diebus festis B. M. Virginis, patronæ titularis ecclesiæ Convenensis, indulgentias quasdam, denuo, ut vult Lastrade* (*b*), *a Clemente V concessas, et a Benedicto XIV confirmatas, lucrari olim poterant sodales confraternitatis* S. Bertrandi : *nam sub hujus Sancti nomine confraternitatem jam temporibus Clementis V illic exstitisse plane asserit sæpe dictus Convenensis canonicus* (*c*)*; et sane hanc assertionem convellere non licet ex rei novitate, cum ille ritus, ut boni scriptores ostendere conati sunt, jam vigeret sæculo* VIII (*d*), *aut sæculo* IX (*e*), *aut etiam multo ocius* (*f*). *Utut sit, medio sæculo* XVI *certo antiquior est hæc confraternitas, cum anno* 1531 *a Joanne de Malo-Leone, Convenensi episcopo, pastoralibus litteris renovata sit; quod duobus fere sæculis post, anno videlicet* 1716, *a Gabriele du Bouchet iterum præstitum est, ut docet Lastrade* (*g*).

§ VII. De capsis reliquiariis et mausoleo S. Bertrandi Convenis, deque Reliquiis alibi servatis.

Lipsanothecæ et mausoleum S. Bertrandi

Num. 86 *Bernardum Guidonis et Augerium de Biterris laudantes audivimus capsam, sumptibus Clementis V paratam excipiendis* S. Bertrandi *Reliquiis; verum alia hujusmodi plura explicanda supersunt. Lastrade* (*h*), *postquam laudasset chori sedilia aliaque Convenensis templi cimelia, pluribus disserit de lipsanothecis* S. Bertrandi, *quales suo erant tempore; eum audiisse non pigebit lectorem, en ejus verba latine facta :* Monumentum omnium pretiosissimum, quod isthic exstat, magnificum mausoleum est, in quo S. Bertrandi exuviæ conduntur, ex quo tempore Pontifex eas exhumandas curavit, ut in loco decentiori collocarentur; post altare majus industrie exstructum est hoc mausoleum e lapide secto; duo in eo loculamenta sunt, quorum alterum, clathris ferreis clausum, capit capsam, jussu Clementis V in tumuli formam fabrefactam laminis cupreis deauratis coopertam, et ornatam vetustis aliquot figuris: solo jubilæi tempore, supplicationis faciendæ ergo, hæc capsa effertur, aut apparet; ex altera parte exstat alterum loculamentum, viridi bombycino panno latisque argenteis limbis interius decoratum, continensque capsam argenteam, cui inclusum est sancti patroni caput, parte dentium etiamnum instructum. Ostenditur per totum diem hæc capsa majoribus festivitatibus, diebusque Deiparæ colendæ dicatis; quod ut fiat, aperiuntur duæ valvæ e ferro deaurato, quibus loculamentum clauditur;... exterius totum mausoleum splendet picturis, auraturis, imaginibusque, quibus S. Bertrandi vita partim effertur. Ante mausoleum, altare marmoreum exstat, in quo quotidie celebratur Missæ sacrificium in honorem sancti præsulis. *Hæc Lastrade* (*i*). *Hæc altare et mausoleum, qualia ante recentiorem restaurationem erant, secundum imaginem lithographicam æri insculpta hic exhibemus.*

104 *Ejusdem restaurati mausolei accuratam delineationem ad nos conscripsit, hodiernus R. D. parochus Déqué :* Mausoleum illud, *inquit,* cui altare appositum est, quadrangulam formam habet, sex metra longum totidemque altum, et duo latum; tecto utrinque declivi cooperitur In medio culmine exsurgit S. Bertrandi lapidea deaurata statua, duos pedes alta, et ex utroque latere duæ similes orantium figuræ. Imagines vero, quæ in antica parte apparent, in linea tela pictæ fuerunt anno 1823 secundum vetustiores, et aliquot gesta S. Bertrandi *(non apprime ubique accurate, ut ex annotatis ad* S. Bertrandi *Vitam manifestum fiet,)* exhibent : in infima ad dexteram, e quatuordecim hominum figuris constante, repræsentatur corporis exhumatio, a Clemente V facta; in infima ad sinistram, quæ septemdecim figuras habet, Clemens V coram cardinalibus S. Bertrandum canonizat *(confer tamen num.* 79 *et sequentes)*; in media ad dextram, ubi quindecim figuræ apparent, concionante Sancto, mulæ cauda secatur; et in media ad sinistram reparatur hæc injuria, oblatis muneribus; *(inferius de his dicendum erit :)* in suprema ad dextram, ubi octo cernuntur homines, restituit Convenensibus comes Bigorritanus prædam a se abactam et captivos liberat; in suprema ad sinistram, ubi quinque figuræ pictæ sunt, apparet S. Bertrandus comiti Bigorritano, quem captivum duxerant Sarraceni, eumque ex carcere liberat; imago intermedia exhibet S. Bertrandum supplicantem Deiparæ. Ab utroque mausolei latere quatuor vetustiores meliorisque penicilli tabulæ sunt : in infima ad dextram, quatuor homines efferente, effinguntur obstinati peccatores, perculsi fulmine; in secunda, ubi quinque figuræ pictæ sunt, a clericis suis portatur S. Bertrandus agonizans coram altare Deiparæ; in tertia, quæ totidem figurarum est, consternati peccatores imponendam sibi pœnitentiam apprecantur; et in suprema fastigii apparet S. Bertrandus, cœlestem coronam accipiens. Ad latus sinistrum infima imago, septem figuras habens, exhibet captivos, qui S. Bertrando libertatem suam gratulatum ad tumulum ejus veniunt; secunda imago refert adulteram, quam Sanctus coegit ad uteri sui fructum recognoscendum; in tertia, ex quatuor humanis formis constante, effingitur mulier adultera, quæ sacrilegi jurisjurandi pœnas luit; ultima demum, in cuneum ad fastigium desinens, S. Bertrandum orationi instantem exprimit. Clathra vero, quæ in antica parte cernuntur, includunt hermam S. Bertrandi cum reliquiaria capsa, quæ diebus ejus festis et jubilæi tempore populo deosculanda porrigitur. Describenda superest postica pars; quæ in tria loculamenta distributa est, clathris ferreis, olim deauratis, clausa. In medio loculamento repositæ manent lipsanotheca corpus capiens, et altera data, ut volunt, a Clemente V; in duobus reliquis

scribitur :

(*a*) Du Port, Hist. de l'Egl. d'Arles p. 295.— (*b*) Relat. de la transl. d'une reliq., p. 157.— (*c*) Ibid., p. 156.— (*d*) Biblioth. sacr. verb. Confrérie. — (*e*) Thomassin, de discipl. vet. et nov. Eccl., part. I, lib. II, cap. XXV. Edit. 1725.— (*f*) Savaron, Traité des Confréries, passim. — (*g*) P. 157. — (*h*) P. 140.— (*i*) P. 141 et seq.

A quis loculamentis pyxides, minores Reliquias plurimorum Sanctorum continentes, asservantur.

una lipsanotheca recens est; neque vetustior a Clemente V videtur data.

105 *Curavit suis expensis R. D. parochus Déqué delineationem utriusque* S. Bertrandi *lipsanothecæ fieri a Cl. V. Ludovico d'Ayos. Verum cum ea, in qua nunc jacet corpus, recentioris operis sit, nihilque insigne, quod ad artem pertinet, habeat : (est enim tumba, in cujus fastigio episcopi imago est, in antica vero parte, insignia episcopalia, in modum trium tropæorum conjuncta ;) visa non fuit ejus imago æri insculpenda. Altera vero capsa, quæ ex ligno confecta et cupro tenui cooperta est, cum archæologorum laudes sæpius adepta fuerit, exprimenda hic videtur :* Longa est, *inquit R. D. Déqué,* quadraginta duas centesimas metri partes, et viginti quatuor alta. Figuræ, quæ typo impressæ non vero celatæ sunt, et monstri venationem, sæpius iisdem formis repetitam, proponunt, nihil mystici indicare videntur. Continet nunc hæc capsa mitram tantum S. Bertrandi, annulum, chirothecas et calceos, inter sacra obeunda munera usitatos, nullas vero e corpore Reliquias. *Ex hac autem descriptione, potissimum quod capsa*

B *cuprea est, liquet satis suspectam esse traditionem Convenensem, qua adstruitur eamdem illam esse, quam dono dedit Clemens V ; hæc enim, ut num.* 86 *vidimus, secundum Bernardum Guidonis* pretiosa *erat, et secundum Amalricum Augerii de Biterris confecta erat* ex auro et argento cum lapidibus pretiosis miro modo de novo : *et quidem P. Possinus in annotatis Mss. ad* S. Bertrandi *Vitam nuncupat eam gallice* un coffre d'argent, artistement élaboré et enrichi de pierreries enchassées, *probe eam distinguens ab herma argenteo, de quo jam diximus, et quem a Clemente V quoque concessum tradit. Cum autem J. Lastrade (vide supra num.* 103) *hujus cupreæ, minime autem argenteæ capsæ mentionem inducat, planum credere est hanc inter annum* 1649, *quo scribebat P. Possinus, et annum* 1742, *quo excusus est Lastradii libellus, nescio de qua causa destructam esse. Similiter quoniam idem Convenensis canonicus hermæ tantum et capsæ cupreæ meminit, nihil vero habet de lipsanotheca, cui nunc corpus includitur, certum videtur hanc post ejus tempora constructam fuisse.*

Recentiora fata Reliquiarum S. Bertrandi *Convenensium.*

106 *Atque ex his satis manifestum esse confido, qui status tum sæculo elapso, tum his temporibus fuerit mausolei et lipsanothecarum* S. Bertrandi. *Sciscitantibus vero, quæ sors inter turbatam rempublicam gallicam sacris his lipsanis acciderit, Tolosa responsum nobis est, viros omni fide dignissimos testes esse religiose ea fuisse servata ; nesciri vero a Convenensibus ætate provectis viris ea ab hoc procelloso tempore episcopali diplomate recognita fuisse ; additque R. D. Féral, secretarius archiepiscopi, frustra se perscrutatum esse archivii Tolosani instrumenta, abhinc quinquaginta annis confecta ; adeo ut nullum inter ea sibi obviaverit, quod ad has Reliquias pertineret. Verumtamen, ut scripsit ad nos præsens R. D. parochus, testes oculati ei affirmarunt Illustrissimum D. d'Astros, archiepiscopum Tolosanum, anno* 1830 *aperuisse capsam, et contulisse ossa cum veteribus elenchis et instrumentis, et omnia ab eo in debita reperta fuisse conditione ; quocirca eum curasse, ut sigillum suum capsæ, cui cum corpore vetera instrumenta inclusa sunt, imprimeretur :* Quæ res, *inquit R. D. parochus,* certum testimonium est (ea enim accuratione utitur laudabilissimus noster præsul), omnia ab eo reperta fuisse in eo statu, in quo ante superioris sæculi turbas erant. *Hoc tamen tempore deperditam censemus pluvialem* S. Bertrandi *vestem, de* D *qua meminit Lastrade* (*a*), *nullam vero mentionem facit R. D. Déqué ; plurimum contra laudans vestem pluvialem, quam dono dedit Clemens V, et cui acus universam Christi Domini vitam particulatim intexuit. Contra asservatur etiamnum Convenis ut ex commentariis et imagine lithographica, Tolosa transmissis, edocemur, crocodilus siccatus, quem vulgus a* S. Bertrando *occisum prædicat ; verum qui illum tempore sacrorum bellorum ex Oriente allatum dixerit, propius forte ad veritatem accedet.*

Reliquiæ S. Bertrandi *servatæ Barcinone, Parisiis*

107 *Alibi quam Convenis asservatæ quoque fuere* S. Bertrandi *Reliquiæ. Discimus e Lastrade* (*b*) *a capitulo Barcinonensi aliquot hujus Sancti lipsana petita fuisse ; et licet non aperte affirmetur a canonico Convenensi ea fuisse concessa, et nullam de eis apud Barcinonenses, quos habemus, scriptores mentionem de iis reperio, reor tamen postulatis satisfactum fuisse, cum* S. Bertrandi *cultus in regione illa multum viguerit et hucusque vigeat, ut ex num.* 101 *jam constat, et inferius etiam liquebit. Inter annos* 1675 *et* 1742 *canonici regulares S. Genovefæ Parisienses aliquot quoque sacras particulas adepti sunt ; de eis enim gloriantur in præfatione Proprii* E *sui anni* 1742 ; *eas vero non recensent inter sua lipsana in Proprio anni* 1675 ; *et quidem cum Lastrade earum non meminerit, proclive credere est eas a Convenensibus datas fuisse ipso anno* 1742, *quo Lastradii opusculum in lucem emissum est. Ubi autem terrarum eæ nunc lateant, (nisi in communi sacrorum strage destructæ sint,) omnino inexploratum nobis est.*

et in Insula Jordanis; quo multa solemnitate translatæ sunt

108 *Quæ vero de Reliquiis in Insula Jordanis, sancti* Bertrandi *patria, asservatis, ex Lastrade, per viginti paginas earum translationem explicante, cognovimus, plurimum brevianda videntur. Joannes Papa XXII bulla, data die* XX *Februarii anni* 1381, *templum, in quod deferenda erant pia pignora et adjectum ei prioratum erexerat in ecclesiam collegiatam* (*c*) ; *ipse vero locus, Insula Jordanis, quem num.* 16 *hujus Commentarii olim castrum Ictium aut Setium fuisse diximus, sæculo* XVIII *in oppidum jam excreverat ; quin etiam omnium hujus tractus maximum et simul moribus solutissimum illud pronuntiat Lastrade. Cui malo ut remedium afferretur, et simul ut pietas erga Sanctum indigenam instauraretur, jam pridem actum fuerat de efflagitandis* S. Bertrandi *Reliquiis. Idcirco tandem canonici,* F *senescallus oppidique primores conveniunt, et duos canonicos Insulenses ad capitulum Convenense ablegant. Votis eorum annuerunt canonici Convenenses, die* VI *Junii anni* 1733 *capitulariter congregati. Habitam deliberationem probavit Convenensis episcopus, Antonius de Lastic, translationis solemnitatem in diem* VI *Septembris differens. Absente Joanne Ludovico de Crillon. Tolosano archiepiscopo, assenserunt vicarii generales exceptioni Reliquiarum, et statuerunt primum diem, quo sacræ exuviæ Insulæ Jordanis quiescerent, festive celebrandum esse, et Officium de translatione Reliquiarum recitandum ; locum decentem suscipiendis Reliquiis paratum iri, et triduum SS. Sacramentum populi adorationi expositum fore ; simulque per eos licuit parari ex eleemosynis pecuniam, unde expensæ solverentur. Tempore statuto selecti sunt RR. DD. de Sancta-Maria, Faget, Barreli et Sudria, canonici ; Broca, Valent, Becanes, Bernadon, Cembres, præbendarii ; Roubineau et Robert, primores laici, qui cum supplicantium turma sacrum thesaurum quærerent. Mitto de festivo eorum adventu aliisque hujusmodi rebus dicere. Ad populi religionem excitandam, indulgen-*

(*a*) P. 141. — (*b*) P. 51. — (*c*) Hist. du Languedoc, t. IV, p. 173 ; et Gall. Christ., t. XIII, col. 38.

tias

A *tias proposuerat Convenensis antistes, et a casibus reservatis pœnitentes solvendi facultatem concesserat. Præsente episcopo Tarbensi, (archiepiscopus Narbonensis præter sua vota alibi detinebatur,) obtulit ipse Convenensis præsul Missæ sacrificium, et thecæ, quam Insulenses asportaverant, inclusit duo ossa, quæ medici Cousier et Burgalat* costam legitimam et os vertebrale thoracis *nuncuparunt. Duplex instrumentum confecit D. Martin, secretarius clericus. Hæc die quinta Septembris acta fuere.*

anno 1733, 109 *Postridie coram immenso populo officia divina peracta sunt; et Insulensibus deinde creditum sacrum onus. Totum iter, ex* 16 *aut* 18 *leucis constans, supplicantium ritu confectum est : præibat cruciger, sequebantur sex octove canonici aut præbendarii, vicissim, ne interruptio fieret, sacra cantica concinentes. Rure atque in locis desertis currui imponebatur lipsanotheca, alibi humeris ferebatur; immensa multitudo undique accurrebat et assidua in comitando erat; e vicis et oppidis clerus, cœnobitæ, confraternitates, populus, in supplicantium ordines distributi, obviam procedebant. Noctu quiescebat sacrum onus in vicorum oppidorumve templis,*

B *in quibus vespere fiebant verba ad populum, SS. Sacramentum adorandum exponebatur, et duo clerici cum quatuor militibus juxta lipsanothecam pernoctabant. Quæ speciatim in unoquoque loco acta sunt, videat lector in ipso opusculo Lastrade. Die* IX *Septembris Insulam Jordanis ventum est. Reliquiæ exceptæ fuerunt a D. Betou, vicario generali Tolosano. Die* X *ejusdem mensis verificatio Reliquiarum et quintuplex recognitionis instrumentum facta fuerunt; die undecima et duodecima protractæ sunt solemnitates. Et quidem, cum populi concursus maximus adhuc esset, tres alios dies festos agi et SS. Sacramentum exponi concessit dictus vicarius generalis. Interea miraculi cujusdam fama ferebatur inter populum; ægrotum videlicet sanatum fuisse : de qua tamen re nihil statuit Joannes Lastrade. Hæc satis, ut noverit lector quanta hæc celebritas fuerit.*

et ubi, anno 1838 *recognitæ,* 110 *Quid porro sacris his pignoribus acciderit, postquam Insula Jordanis vi concordatus anni* 1801 *distracta fuit a diœcesi Tolosana, et Ausciensi subjecta, colligimus ex scripto, quod a R. D. parocho Insulensi nobis impetravit sæpe laudatus P. Tinseau. Cum gallico conscriptum sit idiomate, illud latine a nobis factum lectori exhibemus :* Venerati

C sunt Insulæ Jordanis cives has Reliquias usque ad procellosum annum 1792. Quo tempore, cum gubernium jussisset ecclesiæ supellectilem venumdari, piæ manus subripuerunt hunc sacrum thesaurum. Cultu divino restituto, ad templum relatæ sunt, et denuo a populo honoratæ. Verum cum nullum scriptum testimonium earum authenticitatem certam faceret, mense Junio anni 1838 inquisitionem circa eas institui jussit archiepiscopus Ausciencis, cardinalis d'Izoard. Commissum fuit hoc negotium infrascripto parocho; et collecta instrumenta ad dictum archiepiscopum transmissa; quibus visis, sequens decretum prodiit :

Joachimus-Joannes-Xaverius d'Izoard, *etc.*

Omnibus has præsentes visuris salutem et benedictionem in D. N. J. C. Visa relatione, facta a D. Taste, parocho Insulæ Jordanis, circa Reliquias S. Bertrandi, quas invenit in lipsanothecis; visa declaratione DD. Saureur et Fontan, sub fide jurisjurandi attestantium Reliquias esse easdem ac illas, quæ ante conversam rempublicam ut Reliquiæ S. Bertrandi in parœcia honorabantur; considerantes ob probitatem horum testium eorumque erga religionem observantiam nullum dubium enasci posse adversus veritatem eorum D testimonii; declaramus prædictas Reliquias, S. Bertrandi nomen præferentes, esse authenticas, et permittimus eas exhiberi fidelium venerationi. Quocirca mandamus D. parocho, ut curet has Reliquias collocandas in lipsanothecis, panno serico ornatis, et nomen S Bertrandi, cujus ossa capiunt præferentibus; et ut earum authenticitas servetur, accurate sigillabit lipsanothecam, suum sigillum apponens, et itidem apponens epigraphen, in qua Sancti nomen notatur. Et præsens nostrum decretum deponetur, et accurate servabitur in archiviis ecclesiæ Insulæ Jordanis. Datum Ausciis sub chirographo nostri vicarii generalis, sub sigillo nostro, et subscriptione secretarii nostri, tertia Julii anni 1838. Fenasse, vicarius generalis. De mandato, Mendousse, secretarius, canonicus honorarius. Pro transsumpto fideli, Insulæ Jordanis, die XII Octobris anni 1841, Taste, parochus.

111 Ut huic mandato fieret satis, hæ S. Ber- *speciali honore,*
trandi Reliquiæ in nova capsa reliquiaria collocatæ et obsignatæ sunt, reique gestæ instrumentum confectum, sub data diei III Decembris anni E
1839. Hæc porro capsa servatur in sacrario, S. Bertrando dicato, et omnibus diebus Dominicis, si Adventus, quadragesimale tempus et dies, quibus benedictio cum SS. Sacramento impertitur, excipiuntur, procedit clerus post decantatas vesperas supplicantium ordine atque ritu ad locum, his reliquiis honestatum, ut illic sequentem antiphonam, musicis notis in veteri charta inscriptam et distinctam concinat. ANTIPHONA Sancti Bertrandi, Convenarum episcopi, Insulæ Jordanis nati, necnon atavis editi præfatæ Insulæ comitibus supremis :

Sanctus Bertrandus clemens dulcisque benignus,
Prudens et justus, fortis, mitisque modestus,
Solvat vincla reis, et reddat lumina cæcis,
Infirmos sanet, cunctisque petita ministret.
Prudens et justus, fortis, mitisque modestus.
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.
Prudens et justus, fortis, mitisque modestus.

℣. Ora pro nobis, Sancte Bertrande, ℟. Ut digni efficiamur, *etc.* OREMUS : Deus, qui solus es bonus, et sine quo nullus est bonus vel sanctus, meritis et intercessione Sancti Bertrandi Confes- F
soris tui atque pontificis, jube nos tales fieri, qui non debeamus tua bonitate privari. Per, *etc.*

112 *Mutuati hæc sunt Insulenses a Convenensi-* *qui Convenis etiam usitatus est, coluntur,*
bus, quandoquidem in opusculo Lastrade (*a*) *reperimus beneficiarios, qui horis matutinis intererant, quotidie hæc modulatos esse coram altari* S. Bertrandi. *Quæ religionis praxis sane etiamnum, partim saltem, obtinet. Lastrade præterea exhibet ad idem pietatis genus spectantem* ANTIPHONAM AD VESPERAS :

O pie, nos serva
Cui psallit juncta caterva;
Hostes enerva,
Nos protege, nosque guberna.

℣. Ora pro nobis, *etc.* ℟. Ut digni, *etc.*, OREMUS : Deus, qui solus es bonus, *etc.*
ANTIPHONAM AD BENEDICTUS :

Israel est dictus
Deus, et Dominus benedictus,
Qui primo nos fecit,
Post nos redimendo refecit,
Bertrandi meritis
Det nobis dona salutis.

(*a*) P. 174.

℣. Ora

A ℣. Ora pro nobis, *etc.* ℟. Ut digni, *etc.* Oremus : Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Bertrandum, Confessorem tuum atque pontificem devotum tribuisti pastorem in terris : concede propitius, ut ipse pro nobis apud te sit pius intercessor in cœlis, Per Dominum nostrum, *etc. Porro plurium sæculorum vetustatem hujusmodi antiphonarum formæ inesse nemo non viderit. Sed paulatim delabimur ad cultum ecclesiasticum proprie dictum. Priusquam tamen hunc in sequenti* § *dilucidemus, alius priscus usus exponendus est; qui, quantum dispicere queo, ab exeunte superiore sæculo obsoletus est.*

Gratus animus Auzunensium erga S. Bertrandum,

113 *Lastrade in suo opusculo de* S. Bertrando (*a*) *meminit veteris cujusdam traditionis, de qua nihil nos monet Vitalis, sed quæ in* S. Bertrandi *mausoleo appingitur (confer num.* 104) *et enarrandæ consuetudinis origo fuisse traditur. Peragrabat scilicet* S. Bertrandus *diœcesim Tarbensem, veneratque tandem in vallem* Auzun. *Verbum Dei prædicabat sanctus præsul loci incolis, qui cum suos mores a sancto viro carpi fere non possent, ludibrio eum habuerunt, et ejus muli caudam dissecare non aversati*

B *sunt. Malevolos puniit Deus, quinquennalem siccitatem immitens ; unde agri et pecora tabescebant. Implorarunt tandem sancti viri orationes; quas ex animo ad Deum dirigens cœlestem placavit iram. Hæc Lastrade* (*b*) ; *qui certe non audiendus est, cum* S. Bertrandum nuntium apostolicum *facit, et hunc terræ tractum ab eo a sacris interdictum fuisse asserit. Jam vero sequens usus inde enatus erat : quotannis legabant Convenenses canonici aliquot viros, qui in his oris exciperent omne butyrum, quod intra hebdomadam post festum Dominicæ Ascensionis illic conficiebatur. Atque hujus vallis incolæ vel ex voto vel ex grato animo tam arcte se adstrictos credebant ad illud tributum pendendum, ut si Convenenses canonici omisissent quæstores suos legare ipsi curassent ut vetus mos servaretur. Temporibus P. Possini, ut ex ejus annotatis intelligimus, hoc butyrum, quod incorruptibile dicebatur, tam salubre æstimabant homines, ut ipsi Protestantes id quæsitum venirent, morbidas corporis partes eo inuncturi.*

et veneratio Barcinonensium.

114 *Superius num.* 107 *attingenda fuit pietas Barcinonensis erga* S. Bertrandum : *ejus origo repetitur similiter ex prodigio, quod Lastrade* (*c*) *pluribus exponit; paucis illud ego excipiam : Sancius Parra miles in Pyrenæi vallibus prædatorem agebat; monitus vero a* S. Bertrando, *justitiæ viam fuerat ingressus. Verum non ita multo post in bello hispanico a Sarracenis capitur, et compedibus vincitur. Meminit tum* S. Bertrandi *jam demortui, opem ejus implorat, et exaudiri meretur. Postridie itaque mane vidit se Sancius vinculis liberum, et tuto Barcinone versantem :* Hinc orta est, *ait Lastrade,* devotio populi Barcinonensis erga S. Bertrandum, et propter hoc miraculum ædificatum est in Monte Jovis vel Judaico *Monjouy*, aliis *Monjuitch*, etc.), juxta civitatem et mare consurgente, eremitorium quoddam in S. Bertrandi honorem, in quo celebratur Missæ sacrificium. *Ex hoc prodigio, quod neque nego, neque confirmo, hujus pietatis originem ducendam esse, difficulter mihi persuasum erit, quoniam Vitalis numero ultimo Vitæ* S. Bertrandi *affirmat Sancium non e carcere Barcinonem, sed ad castrum suum Oltiam translatum fuisse; porro Oltia, ut in annotatis dicetur, sat procul a Barcinone dissita est. Reliqua vero cultus adjuncta libens admitto. Jam si quæritur ad quæ tempora revocandum sit initium hujus sacelli et Barcinonensis* S. Bertrandi *cultus, fateor* D *me mihil reperisse neque in tomo XXIX Hispaniæ Sacræ, ubi res Barcinonenses enucleantur, neque in opere P. Aimerich de Nominibus et Actis Episcoporum Barcinonensium, neque in aliis plurimis, in quibus Catalaunia, Barcino seu ipse Mons Jovis illustratur. Intelleximus autem ex cive Barcinonensi saltem usque ad recentiores in Monte Jovis pugnas sacrarium illud exstitisse.*

§ IX. Cultus ecclesiasticus S. Bertrando exhibitus.

Actum jam fuit num. 102 *de tribus festivitatibus,* S. Bertrandus, *qui Convenis non quatuor sed tribus festivitatibus colitur,* *quæ quotannis Convenis celebrari solent in honorem* S. Bertrandi. *Quartam adjecit Saussayus, illamque affixit diei* XIX *Novembris ; nomen vero indidit* festum translationis Reliquiarum, *non omittens pluribus de hac solemnitate dicere. Saussayum descripsit Ferrarius in suo generali Catalogo* E *Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non notantur, addiditque se illud hausisse ex tabulis Ecclesiæ Convenensis; at incautis tantum fucum faciet : Bailletus tamen Saussayo suffragatus est. Verum num.* 86 *et seqq. sat multa producta sunt testimonia, ex quibus constat* S. Bertrandum *die* XVI *Januarii a Clemente V translatum fuisse : unde convellitur hæc festivitas, cujus Lastrade aliive merito non meminerunt. Non vero est cur de tribus veris festis, de quibus jam plurima diximus, denuo instituatur sermo. Inferius tamen nonnulla excerpemus ex Officiis, quæ his diebus apud Convenenses usurpari assolent. Jam de ecclesiastico* S. Bertrandi *cultu, aliis in locis exsistente.*

116 *Lastrade* (*d*) *probare volens* S. Bertrandum *in diœcesi Ausciensi,* *ab Alexandro III beatificatum fuisse, vetustatem cultus* S. Bertrandi *pro argumento exhibet; stabilitque hanc vetustatem, antiquum Legendarium Convenense litteris gothicis, ut loquitur, scriptum, et in quo* S. Bertrandi *festum cum octava celebrandum proponitur, tamquam assertionis suæ testimonium adducens ; verum sequentia propius ad propositam quæstionem pertinent, addit scilicet :* Postquam Alexander III Sancti Bertrandi gloriam procla- F masset, plures Ecclesiæ ejus festum celebrarunt; tales sunt Tolosana, Ausciensis, Aniciensis vel Podiensis, Narbonensis, Rivensis, Tarbensis et Lectorensis. *Ast hæc verba non ita intelligi possunt, quasi continuo hæ Ecclesiæ* S. Bertrandi *ecclesiasticum cultum suscepissent : nam, ut nihil dicam de diœcesi Rivensi, quæ anno* 1317 *tantum creata fuit, penes me sunt Officia propria, quæ Justus episcopus Aniciensis anno* 1624 *rediqi jussit in gratiam cleri Aniciensis, atque illic frustra quæro* S. Bertrandi *festum; quod proinde apud Anicienses post hunc annum institutum fuisse videtur ; et quidem post annum* 1733, *quo scripsit Lastrade, denuo sublatum fuit, quandoquidem ex Kalendario liturgico anni* 1832 *die* XVI *Octobris Officium de feria ab Aniciensibus recitari accipio. Quoniam vero Gulielmus III Ausciensis* fecit S. Bertrandum canonizari, *ut dictum fuit, libenter admitto assertionem Lastrade circa Ausciensem archidiœcesim ; et siquidem Tarbæ et Lectoræ Ausciensem præsulem ut metropolitanum suspiciebant, ad has excludendas diœceses non multum movemur, licet in Proprio Sanctorum, edito ab Ill. D. Ludovico Larochefoucauld,*

(*a*) P. 34 et 49. — (*b*) P. 47. — (*c*) P. 50 et seqq. — (*d*) P. 55.

qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *qui ab anno* 1649 *ad annum* 1654 *Lectoræ sedit, Officio* S. Bertrandi *præmittatur hæc formula, quæ aliquantum novitatem sapit* : Ex historia Vitæ S. Bertrandi, quæ legitur in Ecclesia Convenarum. *Prorsus ignoro quare Narbonenses jam a sæculo* XII S. Bertrandum *coluissent. Quoad Tolosanos spectat, verisimillimum nobis est* S. Bertrandum *apud eos cultum fuisse saltem ante annum* 1317. *Cujus sententiæ rationes evolvere operæ pretium videtur.*

et Tolosana ab ineunte saltem sæculo XIV *verisimiliter colitur; item nunc in aliis quoque diœcesibus*

117 *Primo,* S. Bertrandus, *utpote ex diœcesi Tolosana ortus, et plures annos inter canonicos Tolosanos cum canonici et archidiaconi munere versatus, quam proxime ad eos pertinebat; secundo, Graillardus Tolosanus episcopus anno* 1309 *interfuerat Convenensi solemnitati translationis Reliquiarum; tertio, videtur celebrari* S. Bertrandi *festum in omnibus locis, quibus constabat diœcesis Tolosana, priusquam anno* 1317 *a Joanne PP. XXII in plures diœceses distracta est, ipsa ad metropolitanam dignitatem evecta. Saltem in Kalendario Carcassonensi, in annum* 1826 *excuso, mihi occurrit hunc Sanctum coli Carcassi, Mirapicii, apud Sam-Papulenses, et Electæ. In Kalendario vero anni* 1828

B *ad usum diœcesis Ausciensis, qua non tantum Lectora sed et Lumbariæ nunc capiuntur, prodit quoque* S. Bertrandi *festum. Porro diœceses, anno* 1317 *Tolosano metropolitano subjectæ, hæ septem numero sunt: Lumbariensis, Appamiensis, Montalbanensis, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis et Sam-Papulensis. Jam vero cum Mons-Albanus ante annum* 1317 *ad diœcesim Cadurcensem pertineret, et Appamiæ, olim quidem ad episcopatum Tolosanum spectantes, jam ab anno* 1295 *a Bonifacio Papa VIII in episcopatum erectæ fuissent, non est quod nos moretur in præsenti quæstione desiderium Kalendariorum utriusque hujus diœcesis. Quod pertinet ad pristinam diœcesim Vaurensem, fatendum mihi est* S. Bertrandi *nomen non obviare in Kalendario Albiensi anni* 1827, *licet Vaurum, quod huic diœcesi nunc includitur, ante annum* 1317 *diœcesi Tolosanæ subjaceret. Sed fieri potest et quidem verisimile est a Vaurensibus etiamnum Kalendarium particulare usurpari, quemadmodum in plerisque suppressis diœcesibus obtinet. Si itaque ex reliquis unam diœcesim Vaurensem discere licet, habemus* S. Bertrandi *cultum viguisse omnibus in diœcesibus,*

C *quæ ineunte sæculo* XIV *a diœcesi Tolosano distractæ fuerunt; unde pronum est admittere hunc cultum ante ipsam distractionem exstitisse. Cæterum si hæc conjectura, utut nobis probabilissima, alicui minus placeat, admittat tamen oportet,* S. Bertrandum *ineunte sæculo* XVI *Tolosæ, cultum jam fuisse; nam legimus in Missali Tolosano hujus temporis Missam propriam de hoc Sancto. Neque videtur ille cultus umquam interruptus fuisse, quandoquidem in libello Officiorum propriorum, anno* 1647 *jussu Ill. archiepiscopi Carolo de Montchal impresso, lectiones propriæ de* S. Bertrando *exstant; Lastrade* (*a*) *anno* 1733 *ejusdem festi in diœcesi Tolosana conservationem adstruit, et Kalendarium liturgicum anni* 1824 *ritu simiduplici eumdem Sanctum coli demonstrat.*

Galliæ,

118 *In aliis quoque diœcesibus colitur aut olim cultus fuit* S. Bertrandus. *In Kalendario quippe ecclesiastico, anno* 1781 *in usum diœcesis Agathensis edito, commemoratio præscribitur Convenensis præsulis; in Kalendarium Uceticense ejusdem Sancti festum illatum videtur inter annos* 1781 *et* 1786; *nam hoc anno ejus festivitas indicitur celebranda in ecclesia cathedrali, non item anno* 1781. *Antiquiores Bajonenses laterculi mihi desunt; sed qui in annum* 1830 *excusi fuerunt, festum* S. Bertrandi *sub ritu semiduplici annuntiant. Cadurcenses quoque, ut ex eorum Ordine divini Officii, anno* 1831 *excuso, colligimus, et Sam-Pontiani Thomeriarum, ut fidem facit Kalendarium anni* 1829, *celebrant* S. Bertrandi *festum diem; recentior tamen est Sam-Pontianus cultus, quandoquidem* S. Bertrandi *nomen exulet ex Kalendariis annorum* 1664 *et* 1681. *Sunt forsan aliæ quoque in Gallia diœceses, ubi olim seu etiam nunc* S. Bertrandus *ecclesiastico honoratur cultu; sed si quæ sunt, earum penes nos non sunt Kalendaria, aut Breviaria.*

D

Pristinus ejus cultus apud Canonicos Sancti-Genovefenses, Brivatenses et Voravienses.

119 *Cum canonici regulares S. Augustini a S. Pio PP. V die* XVIII *Decembris obtinuerint indultum, pluribus præfixum Breviariis, quo non tantum Sanctos illis designatos publice colere, sed* omnium quoque aliorum dictæ Congregationis et Ordinis Sanctorum festa etiam sub duplici Officio celebrare; atque iis omnibus et singulis proprias eorum authenticas lectiones et orationes, servata prædicta Breviarii forma, accommodare valeant, *etc.; et cum ex altera parte indubium videatur (ut num.* 38 *et seqq. discussum fuit)* S. Bertrandum *canonicum regularem fuisse, et extra controversiam*

E *teneatur canonicos regulares Convenis ab eo institutos esse, nemo mirabitur* S. Bertrandi *cultum in aliquot ecclesiis canonicorum invaluisse. Et primo invenimus Officium hujus Sancti cum tribus lectionibus propriis in Breviario canonicorum S. Juliani Brivatensium, anno* 1654 *reformato et typis credito. Quod vero pertinet ad Congregationem Gallicanam canonicorum regularium, quibus a S. Genovefa vulgo nomen est,* S. Bertrandi *festum nondum apud eos agebatur anno* 1648, *ut ex Proprio Sanctorum hoc anno impresso nobis constat; sed anno* 1665 *festum duplex cum tribus lectionibus et oratione propriis jam celebrabatur, ut similiter ex Proprio colligimus. Sed divinare nequeo quapropter anno sequenti exclusum fuerit ex Proprio, anno* 1666 *primum ex Capituli generali jussu edito. Postliminii tamen jure* S. Bertrandi *nomen restitutum video in Proprio anni* 1758, *ejusque Officio insertas novam orationem et recognitas lectiones ad* II *nocturnum, et alias lectiones ad* III *nocturnum, ex epistola* 135 *S. Bernardi desumptas. Anno vero* 1765 *ex nescio qua auctoritate prodiit Breviarium, toto cælo distans a norma Breviarii Romani, cujus rubricas septem an-*

F *nis ante sibi adhuc servandas esse merito sibi persuasum habebant San-Genovefenses, siquidem indulto S. Pii PP. V id præcipiebatur : sic scilicet* Patrum suorum traditioni inhærebant, *ut tamen præfantur! In hoc itaque Proprio venit* S. Bertrandus *cum una oratione et una lectione propria. Licet penes nos sint plurima Breviaria Congregationum Lateranensis, Windesemiensis, etc., quæ privilegiis a S. Pio concessis gaudebant, nusquam tamen in eis reperio* S. Bertrandi *nomen. Illud tamen non in Gallia compressum mansit; in Kalendario nempe collegiatæ ecclesiæ Voraviensis* (Voraw *in Styria Inferiori) canonicorum regularium Lateranensium, sub regula S. Augustini militantium, impresso Græcii* (Grätz) *in annum* 1750 *video ab eis agi sub ritu duplici* S. Bertrandi *festum.*

Omittuntur lectiones de S. Bertrando

120 *Mitto describere integra Officia Missasve de* S. Bertrando. *Ne lectiones quidem, quæ in Proprio Lectorensi, ante annum* 1654 *excuso, leguntur et altam antiquitatem sapiunt, utpote ex prisco Convenensi legendario desumptæ, hic referre lubet. Licet enim ante mortem Hugonis de Bar, qui ab anno* 1671 *usque ad annum* 1691 *episcopatum Lectorensem tenuit, eæ reformatæ fuerint (quod colligo ex epistola piissimi hujus præsulis, ad nostrum Papebrochium data,) et veteres proinde interitioni obno-*

(*a*) P. 82.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *xiæ sint, cum tamen vix quidpiam capiant, quod a Vitali latius non enucleetur, non est cur eas hic recitemus. Abunde me satisfacturum spero rerum liturgicarum curiosis inquisitoribus, claudendo hunc Commentarium prosa, et præfatione Missæ, necnon divini Officii hymnis, quibus Convenenses in* S. Bertrandi *honorem utuntur. Hæc denuo in acceptis referenda sunt D. Feral, secretario archiepiscopi Tolosani.*

et recitatur prosa

121 PROSA :

Tolle super astra piam
Superba frontem civitas ;
Urbem triumphi consciam
Sancta decet hilaritas.
Hic vitii contagio
Sedebat ægris mentibus ;
Sacrilegis religio
Mœrebat exul cordibus.
Bertrandus ecce montium
Prætervolat obstacula,
Calcat pruinas, nivium
Frangit ovans repagula.
B Hinc, scelerum proluvies
Urbe procul detrudere ;
Procul, atra barbaries,
In tenebras devolvere.
Hic Deus adest, plaudite,
Pia virorum agmina ;
Profani, contremiscite,
Suspensa tonant fulmina.
Sepulta propriis gemit
Impietas ruderibus ;
Infrendet, sibilat, fremit
Fractis hydra cervicibus.
Victor ubi tartaream
Pestem domuit, fortior
Ponit ad aras lauream,
Vel sit laurea dignior.
Ut munus apostolicum
Curis implet fidelibus !
Ut semen euangelicum
Piis rigat laboribus !
Diu monitis durior
Obstrepuit ferocitas :
Tandem sequitur mollior
Deum ; triumphat veritas.
C Sic humum coli ferream,
Lenire sinum docuit,
Et sitientem vineam
Rore salutis imbuit.
Vixit omnibus, moritur,
Suis quam sibi tristior ;
Sed totus haud extinguitur,
Pars vivit ejus melior.
Qui nunc comes cœlituum
Oves aspicis miseras ;
Ah ! ne gregem quondam tuum,
Beate pastor, deseras. Amen.

et præfatio Missæ,

122 PRÆFATIO : Vere, *etc.* Per Christum Dominum nostrum. Qui pro salute ovium, quas acquisivit Christus sanguine suo, Beatum Bertrandum suscitasti, et populo tuo regendo caritatis tuæ ministrum præfecisti ; ut fidelis et prudens dispensator, juxta cor tuum faceret et doceret : ipse est enim quem nobis in lucem dedisti, qui nos verbo vitæ pasceret, virtutum exemplis accenderet et dono miraculorum in fide corroboraret. Unde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, et supplices deprecamur, ut spiritualia Christiani populi desideria solemniter impleantur ; et misericordia a te petita per Sancti tui Bertrandi suffragia celeriter impetretur : ut cum tuæ majestatis super nos apparuerit gloria meritorum nostrorum, tribuas indulgentiam per Christum Dominum nostrum ; cui merito omnes Angeli, *etc.* D

necnon varii hymni,

123 HYMNUS IN PRIMIS VESPERIS :

Quantus est ! cujus veniens ad aras
Dexterum sentit sibi quisque numen,
Et domum semper redit, impetrato
Munere lætus.
Omnis huc sexus, volat omnis ætas ;
Sacra pastoris veneratur ossa,
Turba languentum, properate : præstat
Ille salutem.
Hæc tuas dicent sine fine laudes,
Quæ tuas, præsul, cineres recondunt,
Templa ; quos servat cinis hic sepultos
Suscitet ignes.
Hic genuflexos quot habes clientes !
Quot tibi dulces recinuntur hymni !
Hic tuum nomen sonat ; omniumque
Vivit in ore.
De tuis, si te mala nostra tangunt,
Sedibus terras humiles tuere ; E
Nec tuam nostræ bene tutor urbis
Despice gentem.
Luminis splendor Patris, una proles
Christe, te pronus veneretur orbis,
Qui sacerdotes per amoris almi
Flamen inungis. Amen.

quibus S. Bertrandi *gesta*

124 HYMNUS AD OFFICIUM NOCTURNUM *vel* MATUTINUM :

Injectum capiti, cur onus excutis ?
Tandem cede Deo ; te sibi flagitat
Plebs omnis, precibus et lacrymis ciens ;
Frustra tu latebras petis.
Audimur : rediit : flectit amor patrem :
Pastorale tremens jam recipit pedum ;
Velat sacra comas infula : fit novi
Bertrandus caput agminis.
Hoc pastore, tener grex ovium, truces
Fraudes aut rabiem nil metuas lupi :
Te circum vigili providus excubat
Custos sollicitudine.
Illi cura subest unica mentibus
Infusa tenebras luce repellere ;
Et queis ipse flagrat, subdere languidis
Vivas pectoribus faces. F
Illi deliciæ cum lacrymis preces,
Illi divitiæ pauperiem pati,
Illum perpetuis jam docilis juvat
Artus frangere præliis.
Somno per gelidam carpit humum, levat
Atro pane famem, sedat aqua sitim :
Et larga miseris distribuit manu
Quæ parcens sibi subtrahit.
Sit laus summa Patri, summaque Filio,
Sit par, Sancte tibi gloria Spiritus,
Qui sacris habiles muneribus tuo
Ungis chrismate præsules. Amen.

celebrantur.

125 HYMNUS AD SECUNDAS VESPERAS :

Cœlo receptum plaudite, cœlites,
Qui vestra nascens gaudia fecerat,
Bertrandus infert se triumphis
Nunc socium comitemque vestris.
Dum mens adepto perfruitur Deo,
Tellus verendas exuvias habet ;
Non totus excedis : superstes
Ossibus est cinerique virtus.
Procul malorum jussa fugit cohors,
Utcumque votis te populi colunt,

Arcere

A

Arcere morbos efficacem,
Atque truci dare jura letho.
Te civis ambit : seu calamo seges
Arente languet, seu madido natat;
Et imbris et solis potentem
Supplicibus veneratur ulnis.
Heu! quot procellis cingimur, o Deus!
Diri quot hostes insidias parant!
Da corpus invictum periclis,
Da niveam sine labe mentem.
Bertrande, per te gloria sit Patri,
Sit æqua Nato, par quoque Flamini,
Quo dante, fulges mille signis,
Dulce decus, columenque nostrum.

VITA S. BERTRANDI

EPISCOPI CONVENENSIS,

AUCTORE VITALI SACROSANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ PROTONOTARIO.

B

E Ms. P. Possini collato cum editione Martenii et apographo P. Gisseji *a*.

a

CAPUT I. *S. Bertrandi nobilis ortus, educatio, militia, vita canonica Tolosæ, episcopatus Convenensis, mors et virtutes.*

S. Bertrandus, *ex illustrissimo genere ortus,*

Sanctorum vita cæteris norma vivendi est; ideoque digestam plenius * accepimus seriem * Scripturarum : ut dum Abraham, Isaac et Jacob cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quemdam nobis innocentiæ tramitem eorum virtute reseratum enitentibus vestigiis prosequamur : Ambrosiana hæc ratio *b* nos in hanc potissimum sententiam duxit, ut scribere debeamus Vitam B. Bertrandi episcopi et Confessoris Jesu Christi. Sanctus igitur * Bertrandus, clarus genere, sed nobilior fide, virtutibus refulsit. Cujus pater * Ato Raymundus, vir generosus; mater quoque de claro titulo ducens * originem, * filia fuit Vileumi * comitis Tholosæ, qui cognomine vocabatur Scindens-ferrum *c* : cujus fama celebris, claris operibus insignita, longe positas provincias illustravit. Fuit autem oriundus e * castello Ictio * *d*; quod incolæ commutantes, construxerunt exinde castrum, quod Insula *e* nuncupatur. Placuit autem utrique parentum, ut juxta Apostorum ab infantia sacras cognosceret literas, quæ eum possent instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Qui dum esset in ætate tenera, in operibus suis tanquam matutina stella refulgens, evidenter indicabat in flore, quam copiosam fructuum segetem, et virtutum uberem germinem produceret in ætate sequenti.

arma induit,

2 Cum vero Beatus Bertrandus attigisset juvenilis * robur ætatis, militaribus armis est decoratus; et cum nonnullos temporalis militia erigat in pestem jactantiæ, inflet et impellat in furorem superbiæ, ad rapinæ trahat iniquitatem; denique in omne turpe * involvat flagitium; qui in suis gloriantur lapsibus, putantes ea esse laudis, quæ sunt criminis; non tamen hunc potuit a studio bonitatis avertere * inanis * militiæ gloria; sedula nimirum intentione B. Martini sequebatur vestigia; unde, tanquam civis supernæ patriæ, moribus insudans honestis, miseriam inopum et gemitum pauperum suis bonis relevare studebat: tanta enim liberalitate florebat, ut nobiles, ignobiles, divites, pauperes ipsum haberent charissimum : dabat * hic operam ne * faceret proximo suo malum, et opprobrium non acciperet adversus proximos suos; pius, modestus, placabilis ad iracundiæ motum, neminem provocans, nullum contemnens, velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram juxta Jacobum Apostolum, inveniebat in singulis gratiam dilectionis : necesse enim erat ut quem divina perfuderat gratia, ab omnibus quoque amareter.

AUCTORE VITALI.

mundi tamen spernens gloriam,

3 Non in divitiarum incerto et mundiali potentia spem suam vir beatissimus collocavit; sed in virtutum præsidio, quod stabile prorsus ac immobile permanet, totam mentem firmiter constituit; juxta Petri Apostoli sententiam, humilians se sub potenti manu Dei; quæ sursum sunt quærens, non quæ super terram * ; sequens * Apostolum *, propriæ contemptor gloriæ, gloriabatur in Domino, sine quo gloria carnis pulvis erit. Illam ergo solam altitudinem gloriæ ardenti requirebat desiderio, quæ in suæ pulchritudinis speculo et decoris veritate indeficienter consistit, quam nullus commutationis turbo prosternit, nullus rerum casus pervertit, nullave * species alterationis * infringit; hanc amabat, totus huic inhærebat, hæc illum fovebat, hujus amor a latere suæ mentis nullatenus recedebat; non gloriabatur in pulchritudine corporis, aut * robore virium, cum et ipse formosus esset, atque robustus; sciens quod * formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut extinguitur vetustate. Formæ namque nitor rapidus * et velox et * omni vernalium florum mutabilitate fugacior, vires quoque corporis decrescunt quotidie, et minuuntur, lapsum potiuntur atque succumbunt.

* quærens *addit M.*
* *omittit M.*
* *omittit M.*

E

* que *M.*
* altercationis *M.*
* in *addit M.*
* quia *M.*
* est *addit M.*

Deoque adhærens;

4 Non ergo in his vir beatissimus suam statuebat gloriam, nec * in fugacibus * levibusque * bonis, quæ festinant ad præcipitem cursum, ad lapsum properant, ad fugam accelerant, quæ tanta levitate feruntur, tanta velocitate moventur, ut quietem nesciant, tranquillitatem ignorent, sequaces suos turpiter confundant, et multa doloris strage et amaritudine repleant; quorum amatores valentia deserit, pungit molestia, vilitas abjicit, recondit obscuritas; non igitur in his, sed in Domino jactans curam et glorians, sequebatur Apostolum, qui raptus usque ad tertium cœlum, tanquam vehemens tuba, intonans de * Spiritu Sancto, terram relinquens, loquitur secundum altitudinem cœli, docens evidenter, in quo amicus Dei debeat gloriari : Qui gloriatur, inquit *, in Domino glorietur; ecce igitur habebat secundum Deum prudentiam, quæ regebat ejus militiam, et malitiæ coercebat audaciam; cum multa nempe cautela et prudenti solertia congruis virtutum radiabat * ornamentis * ; [* recte vivendi studio insudans attente,] qui non se in operibus suis sed Deum cupiebat prædicari, peregrinabatur in terris, sed ejus conversatio erat in cœlo; quem * ad opus bonum spes futuræ remunerationis adduxit, et ipsum solum volebat sui operis testem, a quo se recepturum credebat tota fidei firmitate mercedem.

* non *M.*
* fugitivis *M.*
* labilibusque *M.*

F

* de *omittit M.*

* *omittit M.*

* militabat *M. et G. A.*
* gradibus *M. et G. A.*
* *uncinis inclusa desunt in Ms. Possini, hic suppleta e Ms. G.*
* quod *M.*

colit justitiam,

5 Iste vir, cum non esset de parentibus infimis, et sub habitu militari posset viribus et potentia sua nonnullos opprimere, aliena diripere et multam exercere malitiam noluit exequi temporalis * militiæ potestatem ad bonorum perniciem. Hic est qui potuit transgredi et non est transgressus, et facere malum et non fecit, ideo

* tempore *M.*

* evertere *M.*
* mala *M.*

* temporalem *M.*

stabilita

AUCTORE VITALI.

stabilita sunt bona ipsius in Domino; qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris; unde fecit mirabilia in vita sua. Sub armis ergo sæcularibus, cœlesti serviebat militiæ, et egregiis moribus virtutum exempla posteritati relinquens, supernæ militiæ gloriosum assumpsit certamen. Cæterum ut causa brevitatis præteream multa silentio divinæ gratiæ munera *, in quibus vir Dei summopere nitebat, illam undique * dignam laude prosequi cupio virtutum ejus prærogativam, quæ in paucis admodum reperitur, maxime in fervore juventutis, quæ noscitur pronior ad peccandum. Erat igitur utilis in verbo, discretus in silentio, non reserans inconsulte ostia linguæ, iniquis detractionum morsibus neminem lacerans, conviciorum * amaritudine * non exasperans *, sale nigra non respergens, non afficiens contumeliis, illud adimplens oraculum: Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundia * illius non transivit, et qui non attraxit jugum ejus *, et in vinculis ejus non est ligatus; jugum enim illius ferreum est, et vinculum illius vinculum æreum est. Quoniam enim mors et vita in manibus linguæ, turpia vitabat eloquia, quæ mores corrumpunt. Unde illud sibi congruebat quod scriptum est: Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam; et: Ori tuo facito ostia et seras auribus tuis; quia secundum Isaiam justitiæ cultus silentium.

* munia *M.*

* utique *M.*

* convictorum *M.*
* amaritudinem *M.*
* aspernans *M.*
* iracundiam *M.*
* illius *M.*

B

6 Illud etiam * multo opere declinabat, superbiam dico, quæ multos et potius sæculi milites, quos gloria vexat inanis, conturbat et * ad infima dejicit. Sicut enim nonnulli, qui seipsos non * agnoscunt *, non amant lucem, in tenebris ambulant, nescientes quid sint, ignorantes unde veniant et quo vadant; unde religione contempta humilitatis, quærunt se supra se; et longius evolantes, metam virtutis nusquam attingunt, nec * seipsos invenient * : excæcavit enim illos superbia sua; et unde venantur sublimitatis materiam, reperiunt dejectionis culpabilem causam, juxta prophetam dicentem: Dejecisti eos, dum allevarentur. Lilio quoque castitatis virum Dei jugiter floruisse nulli eorum exstitit dubium, qui vitæ suæ mundtiam et puritatem noverunt plenius; cujus virtutis eminentia, cum in omni ætate præclara sit atque laudabilis gratior tamen fructus ejus apparet, cum germinat et firmat radicem in id * ætatis *, quæ laqueis et lapsibus Veneris solet facilius cedere.

humilitatem et castitatem.
* et *M.*
* *omittit M.*
* cognoscunt et *M.*

* ne *M.*
* inveniant *M.*

C

* *omittit M.*
* viriditatis *M.*

7 Cum vir beatissimus exhiberet curam pervigilem in administratione dignitatis sibi commissæ, fama suæ bonitatis longius discurrente, quia civitas supra montem posita non potest abscondi, Convenarum *f* cathedralis ecclesia suo viduata pastore sollicite quærebat rectorem *, qui eam posset regere prudenter, et suis * necessitatibus invigilaret propensius. Factum est ergo * divinæ dispositionis * clementia, ut illi, quibus erat eligendi concessa potestas, invocata de more Spiritus Sancti gratia, supranominatum virum Tolosanæ sedis archidiaconum eligerent in episcopum, cujus virtutem potius acta quam dicta narrabant. Venerunt ad claustrum Beati Stephani, ejusdem loci episcopo et conventui electionem indicantes. Seniores simul et juniores gaudent de promotione justi viri; dolor * permixtus * quod eorum ecclesia filium suum mitteret longius. Quid plura? Ducunt electum ad civitatem Convenarum, virum in singulis optimis optime notum, qui neminem prece * preciove tentaverat, ut altioris dignitatis cultum attingeret; duxerunt virum, inquam, lilio castitatis præclarum, humilitatis placidum speculo, misericordiæ plenum operibus, more solemni in cathedrali ecclesia intronizantes; concio clericorum laudibus plena resultat, in multo gaudio populorum multitudo lætatur. Procedente * tempore consecratus est a Vileumo * Bernardo *, beatæ recordationis venerabili archiepiscopo in Ecclesia Auxitana, quæ juxta majorum statuta decem civitatum noscitur * esse metropolis *g*.

Fit episcopus

f

* pastorem *M.*
* ipsius *M.*
* igitur *M.*
* dispensationis *M.*

* dolentes *M. et G. A.*
* penitus *M. et G. A.*

* *omittit M. et G. A.*

D

8 Post cujus consecrationis solemnitatem, cum vir sanctus ad suæ civitatis ecclesiam rediisset, divinum ibidem celebraturus mysterium, factus est de more venientium * ingens concursus, gaudium in clero et erat * lætitia magna in populo. Hanc nimirum ecclesiam clementissimus rex Francorum *h*, postquam eripuit civitatem prænominatam a tyrannica rabie gentilium, post adeptam victoriam sibi datam divinitus, ejecta profanæ gentis spurcitia, insignibus decoravit * regalibus *i* cum monte et suburbio; et ad majorem honoris sublimitatem, illud majestati regali adjecit, ut qui prædictam regeret ecclesiam auctoritate pontificali, de regio jure comes Convenarum existeret, et tam ignobilibus quam etiam nobilibus jure dominandi cunctis præesset *k*. Tantæ nobilitatis ecclesiam, etsi minus locupletem, regendam commisit Sancto Bertrando divina clementia. Dedit igitur vehementius operam ut ecclesia [* in altum consurgeret et decoravit cum illa ornamentorum venustate, quam exigit sibi in usus ecclesiæ, quia diligebat] * decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus *l*. Circa ecclesiam claustrum *m* construxit, quantum permisit loci illius angustia *n*, impediente præcipitio rupium; ibidemque religionis amator canonicos instituit, qui sub regula Sancti Augustini ecclesiasticis manciparentur obsequiis. In monte quippe domus non erant *; et ecce temporibus hujus Sancti meritis exigentibus suis, homines accesserunt, et in monte civitatem habitationis reædificaverunt: et juxta prophetam seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis; et locus, qui multis temporibus desertus fuerat, habitatores recepit.

* Præcedente *M.*
* *omittit M.* Guilliermo *G. A.*
* Bertrando *M.*
* dicitur *M. et C. A.*

g

nobilissimæ sedis, Convenarum, ubi templum restaurat et canonicos regulares instituit.

* viventium *M.*
* *omittit M.*

h

* ac *addit M.*

i

E

k

* *uncinis inclusa omittit M. et G. A.*
* reciperet *addit M.*

l

m

n

* erat *M. et G. A.*

9 Sanctus itaque Bertrandus, signipotens fulgore virtutum, plebem sibi commissam lingua, mente, vita prudenter regebat, et virtute miraculorum hominum infirmitates curabat. Dumque parochiales ecclesias visitaret, dies vocationis advenit. Morbum incurrens febrilem, viribus corporis cœpit repente destitui; et intelligens dissolutionem corporis sui, fecit se deferri ad cathedralem ecclesiam. O virum in omnibus laudabilem! qui tota devotione erigebatur ad cœlum, et cum gravius urgeret infirmitas, faciebat se portari manibus * fratrum * in oratorium ante altare Beatæ Virginis Mariæ, in cujus honore fundata est cathedralis ecclesia *o*; ubi in contemplatione suspensus, vacabat orationi propensius, et Domino Jesu Christo et misericordissimæ matri ejus se recommendans attentius, ad vitæ præsentis exitum cum plena exultatione, tanquam certus de præmio, devotius * properabat. Denique vir sanctus, post consolationem discipulorum et doctrinam et episcopalem benedictionem eisdem exhibitam, laudabili fine diem clausit extremum XVII kalendas Novembris; quem utique lingua, mens et vita, opera, virtutes et signa fideliter narrant ad Christum migrasse; et ante thronum Altissimi, inter sanctos et sublimes Confessores Jesu Christi, gloria fruens immarcessibili, regnat feliciter *: ubi cum Sanctis regnat in æternum. Magna nimirum et valde mirabilis

sanctissime mortuus,

F

* *omittit M.*
* a fratribus *M.*

o

* devotionis *M.*

* felicitate *M.*

clementia

A

clementia Christi, qui post transitum sancti viri uberius * etiam * contulit eidem gratiam faciendi virtutes et signa : nam manifeste datur intelligi et oculata * fide constat esse perspicuum, quod Sanctus * Bertrandus, Convenarum episcopus, fidelis Christi servus et prudens, cujus vita innumeris refulsit miraculis, postquam migravit * a sæculo, majora noscitur beneficia præstitisse. More enim solito et multo frequentius postmodum mirabili virtute coruscavit * signorum ; statim namque omni mora postposita, Domino disponente, virtutes renovantur sancti pontificis, declarantur et signa copiosius *p*.

* *omittit M.*
* *omittit M.*
* occultata *M.*
* Beatus *M.*
* migraverat *M.*
* coruscant *M.*

p

laudatur de castitate, humilitate et liberalitate. Dicta sua hausit scriptor e narrationibus

10 Inter cætera vero virtutum insignia, quibus eum divina perfuderat gratia, tria *, quæ sanctum efficiunt, noscitur habuisse, integræ castitatis puritatem, veræ humilitatis devotionem, hospitalitatem ad omnes, maxime tamen ad domesticos fidei. Erat utique * castus, non solum corpore sed etiam * mente, ut nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum *, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis. Quia * domus bona in ipso vestibulo debet agnosci, humilitatis virtutem usque adeo fideliter conservabat, ut in nullo usquequaque declinaret ad ejus contrarium, nec * more * quorumdam vanam hypocrisin inaniter curabat, sicut plerique faciunt, qui sub fallaci * specie humilitatem ad fucum præferunt, ad veritatem abjurant. Sunt enim, qui nequiter se humiliant et interiora eorum plena sunt doli ; non sic iste, non sic ; sed sine fuco, sine fraude, vere humilitatis custos indubitanter extitit. Liberalitatis virtus tanta in eo cognoscitur fuisse, ut hospitibus et peregrinis, pupillis et orphanis, viduis et * leprosis, et quibus est pudor aliena subsidia appetere, nulla ratione beneficientiæ gratiam abnegaret. Propter castitatem decoratus, propter humilitatem exaltatus, ob beneficentiam valde gratus, Deo et hominibus placere meruit. Ecclesia ergo Convenarum tanti patris sollicitudine in sancta conversatione profecit *, opinione claruit, rebus necessariis crevit. Noverit * autem vestra dilectio, fratres charissimi, quoniam * quæ præmissimus, ex * magna didiscimus parte relatione domni Vileumi * *q*, venerabilis archiepiscopi Auxitanæ sedis nepotis ejus, quem in * ætate tenera * apud se nutrivit, et eundem fecit applicari studio literarum, et canonicavit eum in ecclesia Sancti Stephani, unde ipse fuerat canonicus, et exinde ad dignitatem episcopalem assumptus. Archiepiscopi * pater * linea * germanitatis Sancto Bertrando noscitur fuisse conjunctus. Mater vero prædicti metropolitani erat germana beatæ et recolendæ memoriæ Vileumi * Bernardi * archiepiscopi Auxitani, a quo iste nomen accepit, nondum tamen in præsentem lucem effusus, sed clausus in utero matris ; quod, eodem veraciter docente, dum in Auxitana sed de * suæ narrationis auctoritate multa virtutum exempla colligerem et præsentis scripti propositum, eo mandante, addiscerem, sic accepi ex ordine.

B

* Adeo quod *M.*
* non *M.*
* vero *M.*
* fallaciæ *M.*
* *omittit M.*
* perfecta *M.*
* Novit *M.*
* *Omittit M.*
* et *M.*
* Wilelmi *M.*

q

* prima *addit M.*
* *omittit M.*
* *omittit M.*
* *omittit M.*
* per lineam *M.*
* Vileumi *omittit M.*
* B. Bertrandi *M.*
* de *omittit M.*

Gulielmi III, archiepiscopi Auscienſis, cujus nativitas explicatur.

11 Mater ejus genuerat filios ; sed morte interveniente, facile eosdem perdebat : quadam ergo die, cum loqueretur cum fratre suo archiepiscopo de morte liberorum, questa diutius, ab eo tale responsum accepit : Soror mea, fructum tui ventris * consecra Domino ; si fuerit puella, sanctificabis * eam sub voto et religione sanctimonialium ; si vero masculus fuerit, nomen meum impones * ei *, facies eum literas doceri et offeres eum Domino : quod sic rerum eventus, Deo disponente, clarius indicavit. Fatemur utique, quoniam non spe quæstus ad gloriam commoti ad scribendum venimus, sed hujus * viri gratia, qui patrueli gloria Sancto Bertrando conjunctus fuisse dinoscitur. Et sicut hujus * Sancti virtutem, ita quoque et illius religionem, cujus causa præsenti instamus proposito, multis et * veris studeremus efferre præconiis ; sed non præsumimus, cum sit scriptum : Lauda homines post mortem, magnifica post consummationem *r*.

* quem utero deportas *M.*
* sacrificabis *M.*
* imponas *M.*
* et *M.*

AUCTORE VITALI.

* hujusmodi *M.*
* ut *M.*

ANNOTATA.

a *Confer quæ num.* 3 *Commentarii prævii monu imus de tribus his ecgraphis.*

b *Hoc proœmium initium est libri de Josepho patriarcha* (*a*).

c *Vulgare id cognomen* Taliafer *dicebatur, ut liquet ex hujus Vileumi, seu potius Gulielmi III sepulcro, cujus imaginem ediderunt Occitaniæ historiographi* (*h*). *Illis temporibus pluribus magnatibus commune fuit id cognomen, quod a corporis robore eis indebatur. In Historia Pontificum et Comitum* E *Engolismensium* (*c*) *de quodam comiti Gulielmo, Sectore-ferri, legitur :* Guillelmus iste mediocris staturæ et egregiæ statitudinis, ita quod hujusmodi in corpore quantitatis major virtus, ut arbitror, non exstitit. Nonnullos enim equites ictu lanceæ per clypeum et loricam transfigendo interfecit, et a vulgo dicitur, quod ab equo suo persecutione militare numquam præcipitatus dedit. *Ex quibus liquet in attribuendo eo cognomine magis valuisse vires corporis quam animi fortitudinem, licet contrarium velint historiographi Occitaniæ* (*d*) *in laudando Gulielmo nostro, comite Tolosano. Certe propriis dotibus debebat is id suum cognomen ; quandoquidem id in genere suo hæreditarium non erat, quemadmodum* Tailleran, Taillerien, *etc., aliquandiu a patre in filios defluxi apud comites Provinciæ. Quod pertinet ad Gulielmi III laudes, multum laborant historiographi Occitaniæ* (*e*), *ut aliquot saltem clara opera, ab eo facta, reperiant.*

d *De nomine hujus castri pluribus disseruimus in Commentario prævio num.* 16.

e *Id factum est ante annum* 1062, *ut in Commentario prævio num.* 16 *docuimus.*

f *Oppidum id, cujus originem, situm atque destructionem* § III *Commentarii prævii exposuimus, nunc dicitur* St-Bertrand de Comminges. *Valde* F *mire de ejus nominis etymologia disserit Valesius :* Convenis, *inquit* (*f*), nunc vocari *Commingeois*, quasi commanentes, et pagum Convenicum, *le Comminge*, quasi commanentiam dici, olim persuasum habui : nec etiamnum mea mihi conjectura displicet. *Addit dein, in Notitia quadam Galliarum Convenarum nomen a* Communia *deduci, quod cives variis ex locis in unum corpus aut communiam coaluerint. Ast, ut alia multa taceamus, utraque conjectura repugnat dictis S. Hieronymi, quæ num.* 53 *Commentarii prævii recitavimus. Quod vero ad nomen gallicum pertinet, id corrupte a nomine latino derivari satis liquet ; cæterum aliquantisper investigari potest, quas mutationes passum sit hoc nomen, ut ad præsens gallicum deveniretur. Fredegarius in suo Chronico num.* 2 (*g*), *Vasconum loquendi modum sequens*, Conbanem, *non autem Convenas scripsit ; postea, ut ex diplomatibus colligere est, scriptum fuit* Cominhium, Cominicum, Comejum, Comenium, *etc.* (*h*). *Et quidem anno* 1125 Comenge *jam prodit in diplomate, quod recitant historiographi Occitaniæ* (*i*) ; *unde liquet id no-*

(*a*) Oper. S. Ambrosii, t. I, p. 429. Edit. 1781. — (*b*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 173. — (*c*) Labbe, Biblioth. nov. MSS., t. II, p. 258. — (*d*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 176. (*e*) Ibid., l. c. — (*f*) Notit. Gall., p. 158. — (*g*) D. Bouquet, t. II, p. 417. — (*h*) Hist. du Languedoc. t. II, vide Indicem. — (*i*) Ibid., probat. col. 434 et seqq.

A *men huic regioni adhæsisse, cum vix aliquot annos una alterave* Communia *in his plagis exstaret* (*a*), *neque proin nomen* Comenge, *seu* Comminge *a* Communia *deduci posse.*

g *Plura de his jam disputarunt decessores nostri in Vita S. Exuperii ad diem* XXVIII *Septembris* (*b*), *et Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum* (*c*). *Non enim semper Ausciensi sedi metropolis jura attributa fuerunt ; quinimmo diu ipsa subjecta fuit sedi metropolitanæ Elusatium ; donec hæc civitas destructa fuit et sedes archiepiscopalis semota : hinc sæculo nono jura metropolis accessere Ausciis in Aquensem, Lactoratensem, Convenensem, Conseranensem, Lascuriensem, Adurensem, Vasatensem, Tarbensem, Olorensem et Bajonensem Ecclesias ; ad quas alludit Vitalis hic loci.*

h *Si quæritur, quis sit* clementissimus *ille* rex Francorum, qui *Convenas* eripuit a tyrannica rabie gentilium *et* post adeptam sibi victoriam datam divinitus, ejecta profanæ gentis spurcitia, *cathedram Convenensem tantopere nobilitavit, fateor me vix scire cui conjecturæ (nam plures fieri possunt) adhæream. Cæteris tamen præplacet sententia P. Possini, qui in observationibus ecgrapho suo præmissis, æstimat* clementissimum *hunc* regem
B *Clodovæum I esse ;* tyrannicam rabiem gentilium *dominationem Visigothorum, qui, jam pridem tota hac regione potiti, Tolosæ regni sui sedem collocarant ;* victoriam datam divinitus *Vocladensem triumphum esse, relatum de Alarico, et a veteribus permultis scriptoribus speciali divinæ opi adscriptum et demum* ejectam profanæ gentis spurcitiam *hæresim Arianam esse, quam Visigothi profitebantur. Si vero quis hæc ad tempora Caroli Martelli, Pippini, Caroli Magni et Ludovici Pii referre velit, qui cum Sarracenis aliisque non multo melioris notæ catervis in hoc terræ tractu præliati fuerunt, ipsi nequaquam obstabo.*

i *Regalia, ut in Glossario Cangii videre est, varii sunt generis : hic autem certe sunt vel* jura regia, quæ ab imperatoribus vel regibus interdum ecclesiasticis aliisque personis conceduntur, *qualia teloneum, moneta, pedaticum, etc., vel* prædia, quæ ad ecclesias pertinent, iis a regibus olim concessa.

k *Textus editus a Martene plane hic consentit cum Ms. P. Possini ; sed plurimum discors est Ms. P. Gisseji, in quo hæc leguntur :* Et ad majorem honoris sublimitatem illud majestate regali adjecit, ut, qui prædictam regeret Ecclesiam authoritate pontificali, de regio vicecomes Conve-
C narum existeret et ignobilibus jure dominandi cunctis præesset. *Ex qua lectionum varietate habemus episcopos Convenenses secundum Martenii et Possini ecgraphum dictos fuisse* comites *et* tam ignobilibus quam etiam nobilibus jure dominandi cunctis præfuisse ; *et secundum tertium P. Gisseji apographum* vicecomitum *tantum titulum eis datum fuisse, eosque* præfuisse ignobilibus, *non autem nobilibus. Quas varietates si in examen vocemus liquet imprimis in utroque scribendi modo aliquid hiulci esse ; nam non bene in priori lectione fluit :* Et tam ignobilibus quam etiam nobilibus... præesset, *ubi potius dicendum foret :* Tam nobilibus quam ignobilibus ; *et altera lectio :* De regio vicecomes *desiderare videtur vocabulum* jure. *Præterea textus, editus a Martene, et jam ante Oihenarto cognitus, tam inextricabiles difficultates parit, ut Oihenartus, historiographi Occitaniæ, P. Possinus in laudibus Convenarum, quas ecgrapho Vitæ* S. Bertrandi *late apposuit, et encomiastes Lastrade omnino omiserint sermonem facere de comitis titulo, quo olim fruiti fuissent episcopi Convenenses. Et quidem jam dudum ante* S. Bertrandi *tempora reperitur comitatus Convenensis penes domum Carcassonensem, neque uspiam mentio fit de Convenensi episcopo, qui comitis titulo gavisus fuisset, sed plures occurrunt in Histo-*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 515. — (*b*) Act. SS., t. VII Sept., p. 628. — (*c*) T. I, p. 242, ad an. 508, § VIII.

ria Occitaniæ laici, qui comites Convenenses appellantur ; unde multo credibilior fit lectio apographi P. Gisseji, quod Convenenses episcopos vicecomites tantum et cunctis ignobilibus superiores facit. D

l *Textus apographi P. Gisseji et editionis Martene differunt hic satis a textu P. Possini, ut num.* 61 *Commentarii prævii monuimus.*

m *Vide de hoc claustro et de canonicorum regularium Convenensium institutione Commentarium prævium* § IV.

n *Reapse hæc loci angustia tanta est, ut Bruzen de La Martinière in Dictionario Geographico Historico ex authenticis instrumentis narret die quadam sacerdotem confessarium præ pœnitentium turba a rupibus præcipitem datum fuisse : cui narratui fidem præbet ingens concursus hominum, ad* S. Bertrandi *jubilæum convenientium. Confer num.* 90 *Commentarii prævii.*

o *Errant scriptores plurimi, qui arbitrantur hanc ecclesiam posuisse primitivæ patronæ suæ vocabulum ut* S. Bertrandi, *titulum assumeret : videlicet altare tantum cum* S. Bertrandi *nomine in ea conditum est ; B. V. Maria vero permansit patrona.*

p *Hic desinit ecgraphum P. Gisseji, ut num.* 6 *Commentarii prævii monuimus.*

q *De Gulielmo III seu Vileumo, de Gulielmo I seu Vileumo Bernardi, paulo inferius memorato, deque varietate lectionum, quæ hic in Mss. exstat, plura docuimus* § II *Commentarii prævii.* E

r *Liquet hæc scripta fuisse vivente Gulielmo III, Ausciensi archiepiscopo, qui sedit usque ad annum* 1170.

CAPUT II. *Miracula S. Bertrandi, dum viveret in terris.*

S. Bertrandus *energumenam liberat.*

Exigit* autem congruus ordo doctrinæ, ut aliquam Sancti Bertrandi miraculorum partem seorsum ac separatim officio stili mandemus* ; quoniam in narrandis S. Bertrandi* singula* non esset data facultas et liber excresceret in opus immensum. Decens enim ut et sancti viri virtutes et signa non jaceant sepulta silentio ; sed per scripturæ memoriam jugiter vivant in sæculo. Partim igitur accepimus in ecclesia sua ab his*, qui eum viderant, et ejusdem gesta noverant plenius, miracula quæ* scripsimus ; partim* illa scribenda duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de Ordine Cisterciensi, dum apud eas sederem* et de schola virtutum eorum assumerem* exempla verborum *a*. Tempore igitur quo vir Dei, sublimatus cathedra pontificali, Convenarum regebat Ecclesiam, erat quædam femina, titulo nobilitatis insignis, sub cujus dominatione multa* constituta castella in eadem diœcesi, obsessa* a dæmone. Vexebat eam dæmonium ; loquebatur tacenda atque dicenda ; crinibus effusis per terram volvebatur supina ; membrorum motus inæqualis, enormis et inordinatus ; oculorum revolutio horrenda quam plurimum ; rictus oris terribilis ; facies olim formosa, tota deformis : dolebant parentes dolore nimio, pro eo quod esset opprobrium et confusio omnium ; duxerunt eam ad basilicam Sancti Justi* *b*, ubi* quantum poterat jejuniis et orationibus instabat*. Quadam igitur Dominica die ingressus est vir Dei prædictam ecclesiam, celebraturus ibidem missarum solemnia. Parentes et amici prænominatæ mulieris rogant illum, ut accedat ad illam, et liberet obsessam. Denique vir Dei, confisus de misericordia Christi, altius orationi incumbit ; et officio pietatis convictus*, lacrymas et preces attendens rogantium,

F

* surgit *M.*
* demandaremus *M.*
* *omittit M.*
* singulis *M.*
* iis *M.*
* quæ *omittit M.*
* et *addit M.*
* sederet *M.*
* assumeret *M.*

a

* erant *addit M.*
* stabat *addit M.*
* viri *addit M.*

b

* ubi *omittit M.*
* insistebat *M.*
* conjunctus *M.*

A gantium, in nomine Christi Jesu adversus dæmonem fortis athleta surgit in prælium : dæmon cœpit acrius fremere et * obsessam crudelius vexare; sed ecce sanctus episcopus aquam benedictam super eam respersit * cum oratione devota, et invocata gratia Sancti Spiritus, imperat dæmoni confidenter, ut exeat; et confestim liberata est mulier a dæmonio per virtutem Spiritus Sancti et orationem apostolici viri, statimque ad majoris * certitudinis argumentum * et revelationem Christi Jesu, in ipsa * liberatione multum evomuit sanguinis, quæ fuerat a dæmone vexata. Et omnes, qui viderunt, dederunt laudem Deo, qui tam sanctum elegit pastorem in Convenarum Ecclesia, qui et * ecclesiam sapienter regeret et dæmonia ab obsessis ejiceret. In hujus nimirum consideratione miraculi omnes, qui aderant, erant repleti stupore nimio, et lætabantur in gaudio magno ; sed illi potissimum mirabantur * exultantes, ad quorum opprobrium infirmitas dominæ videbatur spectare. Ibant igitur omnes gaudentes, et divulgabant ubique tanti virtutem miraculi ; mulier vero * infinito repletur gaudio, et ait : Deo gratias et sancto episcopo, per cujus orationem liberaverat eam Dominus a vinculo dæmonis. Quæ, pristina libertate percepta, cœpit e vestigio in formam sanitatis reduci, vividior * color redditur vultui, lingua modestiam *, oculi * venustatem *, stabilitatem * cervix *, et omnis denique motus membrorum cum summa compositione servabat solita * incolumitatis vestigia. Mulier hæc generosa multis temporibus de tanto miraculo perhibuit testimonium cum iis qui viderant et crediderant, non solum dum * sanctus episcopus in * terris viveret, sed etiam * postquam feliciter ad Sanctorum consortium in cœlum migrasse cognoscitur.

3 In quadam villa erat mulier formosa facie, quæ fallaci laqueo Veneris unum diaconum tanto libidinis ardore succenderat, ut præter eam nihil optaret videre *, præter eam nihil videretur amare : amor illicitus, amor perditionis et noxius, amor religionis voto * contrarius et a clericorum conditione, schola virtutum persuadente, sejunctus, mentem prædicti clerici inebriaverat, et corpus ejus commaculaverat; et erat ligatus in vinculis ejus ; et sic illius jugo colla * submiserat, ut a misera captivitate nulla ratione posset evadere. Requirebat consilium, quomodo posset ab amoris noxia peste recedere, et neminem inveniebat, qui posset eum ab ejus retiaculo liberare. Gravis nimirum ista dementia : non amicorum dehortatio, non pœna verberum *, non denique virtus medicamenti plerumque sufficiunt hanc pestem auferre, hunc dolorem præcidere, hunc furorem extinguere. Sic iste captus erat, et vincula ejus nemo solvebat, sine spe libertatis tenebatur astrictus, et a castitatis lilio recesserat impudicus. Sed ecce factum est divina gratia, ut sanctus episcopus ingrederetur hanc villam, ubi hæc fiebat ; et tanquam sollicitus pastor, cupiens ovem suam reducere ab ovile Domini, corrigebat diaconum, dicens : Quid est, quod audio de te ? Debuisti vas tuum possidere in sanctificatione et puritate vitæ, ut dignus esses ad ministerium Dei. Congruum tibi erat et * voto tenebaris astrictus, cum ad sanctos Ordines accessisti, castitatem servare, fugere * fornicationem, quæ animam ligat, corpus commaculat. Ministrum altaris vitæ munditiam decet habere, nec usquequaque corpus suum libidinis inquinamento fœdare, nec cor suum inclinare ad Veneris æstum *. Post correptionem sancti episcopi respondit diaconus dicens : Pater, gratias tibi ago, quod rependitur meritis * congrua vicissitudo. Paterno verbere castigas, quos diligis. Ego utique me * graviter deliquisse cognosco et contra officii mei legem egisse confiteor; cæterum invitus trahor, rapior nolens ad perditionis amorem, et libertatis gratiam nusquam reperio : ago, quod nolo, et quod * odio, facio.

14 Tunc vir Dei, intelligens altius vulneratum cor ejus, convertit se ad mulierem, dicens : Sed * quid blandimentis tuis meum filium persequeris ? Quare oblectationum tuarum amaritudine amarissima meum ministrum excrucias * ? Numquid, misera mulier, non times summi Judicis iram incurrere, qui tam nefanda scelera non consuevit impunita relinquere ? An ignoras *, lasciva *, tua sine pœna tanti delicti atrocitatem committere ? Desine amplius, mulier impudica, desine amplius, ab incepta desiste nequitia, et tui furoris amorem averte. Tunc mulier scelerata * contemnens monita sancti episcopi, iniquitatis verba profudit, et dum loqueretur vana * quædam, venit super eam virga terribilis, missa * divinitus *, et mox in conspectu circumstantium vexata graviter a dæmonio, expiravit illico, simul vitam amittens et animam. Quo facto, timore magno et vehementi admiratione repleti sunt, qui aderant.

15 Quædam mulier, non habens unde filium suum nutriret, requirebat a patre præsidium ; qui, ut adimeret omnem occasionem petendi beneficium, dicebat se numquam filium habuisse ab illa. Venit ergo mulier ad virum Dei, et ante præsentiam ejus constituta, super hoc proposuit querimoniam, dicens : Ad gemitum cordis mei inclina, pie pater, aurem tuam, quia inops et pauper sum ego. Infelix ego mulier, omni exposita miseriæ, fornicatorio concubinatus amplexu hunc, quem vides puerum præsentem, vulgo natum concepi et peperi, et non possum ipsum nutrire, angustia rei familiaris [urgente ; et doloris *] acerbitas vehementius conturbat viscera mea, et acrius excruciat animam meam, quia pater ejus patrem se negat, et exutus pietate paterna filium non recognoscit quem genuit, et omne beneficium negat filio suo. Video ergo misera filium meum mori, * eo quod non habeo unde sustentem vitam ejus ; unde vita mea in mœrore * et in gemitibus, quoniam * fame perit filius meus ; excusat matrem immoderata paupertas, et ejusdem innocentiam evidentius judicat ingens penuria ; accusat patrem veritatis conscientia testis, quæ docet eum filium habere, quoniam * negat occasione retrahendi beneficium : præterea arguendus est criminis, qui, cum * habeat filium, negat nutrimentum, præsertim cum non desint * sibi facultates. Dic ergo ei, domine, ut me adjuvet, quia * reliquit me solam ministrare. Tunc sanctus episcopus, considerato gemitu mulieris, jussit hominem ante præsentiam suam constitui, monuit, * inquisivit et increpavit eum, pro eo quod negaverat debitam nutrituram filio suo. Qui more solito negationis protulit verbum, et se puerum istum non genuisse testatur, dicens : Audisti, optime pater, astutæ mulieris querelam, quam manifesta falsitate respergere non erubuit; tanquam calumniatrix iniqua *, in me innocentem tam * falsum intendere crimen præsumpsit. Ego breviter respondeo et me ab hac muliere filium habere nulla ratione cognosco. Ex rationibus intendentis et impellentis etsi non discurrebat eadem verborum series, eadem * nihilominus colligebatur sententia. Tunc sanctus episcopus ad experientiam fidei accedens, confisus utique de

miseri-

AUCTORE VITALI.

* majorem *M.* * augmentum *M.* * repentina *M.* — * monitis *M.* * *omittit M.* — * quæ *M.* — *et mulierem scelestam plectit.* * ut *M.* — * cruciaris *M.* — * ignorat *M.* * lascivia *M.* — * scelerosa *M.* — * nova *M.* — * *omittit M.* * *omittit M.* — * *omittit M.* * *omittit M.* * dominus *addit M.* * *omittit M.* * et *M.* — *Detegit per aquam frigidam patrem pueri,* — * *omittit M.* — * pro *addit M.* * timore *M.* * in *addit M.* — * quem *M.* — * tametsi *M.* * desunt *M.* — * qui *M.* — * et *addit M.* — * nequam *M.* * *omittit M.* — * tamen *addit M.*

* *omittit M.* * aspergit *M.* * *omittit M.* * gaudentes et *addit M.* * etiam *M.* * vividus *M.* * modestia *M.* * oculis *M.* * venustas *M.* * stabilitas *M.* * cervici *M.* * *omittit M.* * nam *M.* * fugare *M.* * istud *M.* — *impudicum increpat,* * habere *M.* * amor *addit M.* * colla jugo *M.* * verborum *M.*

AUCTORE VITALI.

misericordia Christi, ante se jussit afferri vas plenum aqua frigida *d*; appositus est lapsis intrinsecus, benedixit aquam, et dixit homini : In nomine Christi Jesu extrahe lapidem de aqua frigida; et si confidis de innocentia, appareant innocentiæ signa ; si vero non, contrarium. Tunc homo cum temeritate et summa audacia manum mersit* in aquam, lapidem extraxit, et statim virtute divina manus tanta combustione exarsit, ut* cocta videretur in ferventissima aqua ; et recepit in filium quem prius negaverat, et nutrivit eum. Sensit testis dolosus in aqua frigida ignis incendium, qui contempserat episcopale mandatum, et apprehendit omnes timor et admiratio, et magnificabant Dominum*, qui mirabilis est in Sanctis suis.

* misit *M.*

* quod *M.*

* Deum *M.*

venatoribus prædam impetrat, e

16 In Villa Nova *e* suum ingressus hospitium, vocavit servos patris-familias, dicens eis : Habetis aliquid de venatione vestra ? Qui dixerunt ei : Jamdudum, pater, de venatione nihil accepimus, et licet habeamus instrumenta venandi nonnulla, adempta* tamen nobis est diu venationis gratia. Mox vir Dei præsentari sibi laqueos jussit, et benedixit eos, et præcepit* pueris, ut ad venandum exirent ; confestim executioni mandatur præceptum, et post modicum temporis spatium magnum capreolum afferunt venatores : et cognoverunt episcopi benedictionem non cecidisse* irritam et benedicebant Dominum, qui voluntatem episcopi virtute* tam repente compleverat. Multis quoque temporibus, quamdiu prædicti laquei superfuerunt, in eadem domo gratia venationis remansit.

* erepta *M.*

* jussit *M.*

B

* in *addit M.*

* *omittit M.*

socium suum, a malevolo interceptum, divinitus immissa caligine, vindicat,

17 Die quadam parabat* ducatum cuidam homini ; et ecce * miles quidam, habens hominem * illum exosum, occurrit in via, et manu profana rapuit eum, equitantem post episcopum, ut esset securior. Rogavit vir Dei tyrannum, ut quem manu sacrilega violenter * abstulerat, redderet sibi hominem ; sed miles preces ejus contempsit. Quod videns episcopus ingemuit, et canonicæ ultionis non distulit exercere gladium ; et mox miles plagam sensit in oculis cœlitus missam, et sicut Cain impressum est signum in palpebris oculorum, habentium motum continuum : unde invitus reddidit hominem [et incolumen reliquit*.]

* præstabat *M.*

* in via *addit M.*

* *omittit M.*

* sibi *addit M.*

* *omittit* [] *M.*

C

a muliere sterilitatem avertit

18 Quidam habebat uxorem * sed * utique * negata erat gratia generandi prolem. Ingressus est vir Dei villam ubi isti permanebant. Venerunt ante præsentiam sancti pontificis, exponunt cum gemitu cordis ei suam sterilitatem, quam non intulerat senectus, sed vitium naturæ. Ab utroque diligenter inquisivit sanctus episcopus, utrum post contractum matrimonium thorum * legitimum contagione adulterii, experientia recipiendæ prolis, maculasset ; uterque sub fidei attestatione stipulatur se non transtulisse ad alienum thorum. Tunc sanctus episcopus jussit sibi afferri* panem et vinum, benedixit et dedit eis, monuitque ut sobrie et juste viverent et fideliter expectarent in Christo se prolem habituros. Factum est ergo ut vir ille suam uxorem cognosceret, quæ concepit, et desideratam sobolem peperit viro suo ; cui per orationem Sancti Bertrandi recessit* ingrata sterilitas, et * advenit jucunda fœcunditas.

* suam *addit M.*

* *omittit M.*

* cui *M.*

* coitum *M.*

* offerri *M.*

* *omittit M.*

* ei *M.*

piscatoribus certum capiendorum piscium numerum præsignat,

19 In quadam villa in hospitio suo juxta fluvium, quem Nestam *f* incolæ nominant, præcepit cuidam piscatori, ut juxta numerum, quem, [sibi præsignavit, pisces in flumine caperet : juxta numerum, quem*] audierat, sine mora pisces piscator de aquis extraxit et licet labori diutius incubuisset, ut plures et alios caperet, non tamen* nisi sicut sanctus episcopus dixerat, in captura piscium voluit aquiescere fluvius piscatori. Hoc etiam vir Dei miraculum fecit semel, iterum et tertio in eadem domo, et juxta propositum numerum nec minus nec amplius sequebatur captura piscium ; sed vice ultima præcepit piscatori vir liberalitatis magnificus, ut multitudinem caperet piscium copiosam. Ad fluvium velociter currit piscator, jam fidem securam accipiens ex * consuetudine *, utpote qui ex mandato episcopi in captura piscium sæpius ipse miraculorum inspexerat gratiam. De latebris gurgitum currunt celeriter pisces ad hamum, et festinantius * multitudine piscium onustus piscator redit ad domum, ubi erat vir Dei plenus eleemosinis et bonis operibus ; et qui hoc viderunt, admirati sunt valde.

f

* *omittit* [] *M.*

* *omittit M.*

D

* et *M.*

* certitudinem *M.*

* festinanti *M.*

20 In villa quadam invitavit quidam homo sanctum episcopum, ut manducaret cum illo ; et paratis dapibus, fecit illum discumbere sub arbore, quam nucem nuncupant. Postquam exempta est fames epulis*, mensæque remotæ, qui paraverat convivium, dixit : Rogo te, pater, ut, post* benedictionem nostram *, benedicas et* arborem istam sub qua discubuisti. Mox arborem benedixit episcopus, eamque virtutis gratiam in se recepit, postmodum ut nulla sterilitatis species sibi auferat annuatim* fructus* sui ubertatem jucundam. Accidit plerumque, ut arbores sui generis*, circumquaque positæ, ex* intemperie aeris, quos pariunt fructus amittant ; sed hæc sola nuces conservans*, et nulla epidemia aeris repentinave immutatione perdens pulchritudinem gloriæ suæ, lætatur præ cæteris mater fœcunda tempore debito, sterilitatis ignara.

arborem sterilem fœcundam reddit,

* epulæ *M.*

* per *M.*

* vestram *omittit M.*

* *omittit M.*

E

* annuam *M.*

* *omittit M.*

* germinis *M.*

* et *M.*

* conservabat *M.*

21 Sicut est consuetudo, mulieres purgabant agros resecantes falcibus noxias herbas, ut seges liberius cresceret* et creditor * seminum copiosius messem colligeret. Dum huic labori mulieres instarent, pertranseuntem vident episcopum de more benedicentem eis, et dicunt ei : Audi, domine, voces ancillarum tuarum, herba pessima, quæ dicitur lolium, his * in locis consuevit excrescere*, et multitudine sua suffocat segetes, non permittit agros fructificare, nec semina credita reddere ; unde sanctitas tua benedicat agros istos, ut maledictione puniat hanc noxiam herbam, ut ab agris recedat sterilitas, et tuis meritis de cætero segetum non ingrata sequatur ubertas. Supranominatam herbam confestim maledixit episcopus ; et ulterius nullo tempore in illorum agrorum cultura illius herbæ noxia pestis apparuit. Magna nimirum et mirabilis fides episcopi, cujus virtutem sentiunt aquæ, arbores, agri : aquæ siquidem virtutem ejus noverunt, cum licet frigidæ essent, per orationem tamen episcopi in manu trahentis lapidem temere manifestæ adustionis reliquerunt vestigia. Alibi etiam* flumina * intellexerunt virtutem ejus, cum tot sibi pisces miserunt, quot ipse jusserat* ; saltus et nemora virtutem ejus senserunt, cum vix extensis* laqueis ad ipsum venationem sine mora miserunt ; ejus virtutem arbor agnovit, cum post benedictionem episcopi congruo tempore extitit sterilitatis ignara ; pulchritudo quoque agrorum virtutem episcopi prædicat *, cujus gratia ab eisdem recessit herbarum malitia et provenit ubertas jucunda.

lolia exterminat,

* excresceret *M.*

* creditorum *M.*

* hactenus *M.*

* crescere *M.*

F

* et *M.*

* fluvia *M.*

* petierat *M.*

* extentis *M.*

* in *addit M.*

22 Sicut consuetudo ejus erat, in quo virtus largitatis florebat summopere, multi* comitabantur eum ; et die quadam, cum esset multa inopia vini, dixit cellario * suo : Ad visitandas nostras volo exire parochias ; et si potes esculentum et poculentum nobis ministra. Cui respondit cellarius : Domine, vinum non habemus. Et ait episcopus : Si habes vinum, et* contra conscientiam

frustra de vini copia celatur,

* multi summopere *M.*

* cellerario *ubique M.*

* *omittit M.*

A tiam tuam loqueris, judicet Dominus, et ostendat. De monte igitur descendit episcopus, et discubuit inferius in domibus constitutis, juxta ecclesiam
g Sancti Justi *g*. Interea vero factum est ultione divina, ut vinum, quod negarat cellarius, ad pavimentum ecclesiæ repente prorumperet; et fusum est vinum, tanquam cupiens sequi vocem
* *omittit M.* episcopi, et * obstupuerunt omnes, qui viderunt, et admirati sunt plurimum, et magnus timor apprehendit cellarium, qui fuerat locutus mendacium. In quo facto sane intelligentes recte possunt colligere, quod scriptum est ab amatoribus Christianæ philosophiæ : Quoniam res temporales, usibus humanis commode * cum dantur, nitescunt; cum retinentur, vilescunt.
* commodæ *M.*

vas vacuum oratione complet, * cum *M.* 23 Tempore quodam, quo * vinum vix poterat inveniri in partibus illis, in una de vallibus suis ingressus hospitium, consideravit viri et uxoris ejus sollicitudinem, quam habebant circa frequens ministerium, et ait illis : Sollicitos vos esse conspicio. Qui dicunt ei : Inter angustias et pressuras coarctantur viscera nostra, quia vinum non habemus, nisi valde modicum, quod adjacet
B fœci in fundo dolii; et jam exinde non potest extrahi, quod sine turbine possit assumi. Tunc sanctus episcopus dedit se orationi, et aquam benedictam super * dolium aspersit *, et benedixit
* aspergens *addit M.* * respersit *M.* vas fere vacuum; dextera Domini fecit virtutem, qui fecit in nuptiis in Cana Galileæ vinum ex
* de *addit M.* aqua, et implevit hydrias * vino, implevit et dolium vino per orationem sancti viri : nam utique in eadem hora cœpit vinum excrescere, et cum tanta inundantia ad summum copia venit, ut non
* et *M.* solum exinde vas repleretur, sed etiam * inundaret exterius unda vini uberrima; et omnes videntes hoc intellexerunt mirabilem virtutem Dei esse in Confessore Christi, et lætati sunt convivæ, magnificantes Dominum. Hoc quippe miraculum aliquid similitudinis habet cum illo, quod scribit beatus Papa Gregorius, cum loquitur de Sancto Benedicto, patre monachorum et duce, et denuntiat
h *h* per ejus merita oleum crevisse in dolio et replevisse ad summum. Vir Dei Benedictus operibus misericordiæ totus exuberabat, et ideo per
* inundabat *M.* merita fidei suæ oleum manabat * de dolio. Sanctus quoque Bertrandus, largitatis discipulus et omnium operum misericordiæ ardentissimus amator, illud per merita fidei et orationis obtinuit a
C Domino, ut vinum redundaret in dolio, cujus mater vitis terrena non fuerat, quod * nesciebat
quam *M.* * vineam *M.* et vinea *, quod * torcular nullum expresserat; * quam *M.* sed per fidem sancti episcopi dolio vinum intrudit cœlestis gratiæ virtus, miraculis omnium bo-
* operum *addit M.* * factis *M.* norum * fons * indeficiens qui de se ipso in euangelio dicit : Ego sum vitis vera. De vite vera vinum descendit in dolium; quod aperte indicavit sanctum sacerdotem potentem virtute signorum. Qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum sub duce patriarcha Moyse
* is *addit M.* filiorum Israel *, voluit nimirum et istum decorare episcopum virtute miraculorum, et per ejus orationem vinum excrevit novum, non tempore
* collatum *M.* vindemiarum collectum *, sed virtute creatum Al-
* loquitur *M.* tissimi. Adhuc loquimur * in similitudine : sicut olim Helias, ille propheta signipotens, præbuit mulieri farinæ incrementum, et augmentum olei; ita quoque data est a Domino virtus episcopo, ut vinum, quod erat in modica quantitate in fundo
* *omittit M.* residuum *, per fidem ejus cresceret in immen-
* *omittit M.* sum, et lætati sunt convivæ, et bibentes de vino* exultaverunt pro eo, quod Dominus mirificave-
* mirificavit *M.* rat * Sanctum suum.

24 Sacerdos quidem a sancto multotiens correptus episcopo, quod infamia fœdaretur incontinentiæ, tanquam incorrigibilis et contumax nolebat a culpa recedere; sed deterius studebat contra mandatum episcopi in libidinis furorem prorumpere; denique post multas dehortationes cum vidisset sanctus episcopus rogando et orando * se nihil proficere; die quadam cum pertransiret * ante domum sacerdotis, maledixit domui, tanquam prostibulo; et ecce virtus divina, missa repente de cœlo, domum percussit ab omni angulo, et licet multo et lapideo esset firmata robore, tamen cum ingenti præcipitatione corruit tota domus. Sic igitur per virtutem sancti viri percussit Dominus domum sacerdotis, ut saltem tali injecta formidine addisceret * veri * mandatum episcopi et votum * castitatis * amare. Huic nempe miraculo illud occurrit consimile, quod beatus Papa Gregorius scribit in Vita Sancti Benedicti, spiritu omnium justorum pleni *i*, ubi denuntiat * malitiam sacerdotis cujusdam, qui amator libidinis et bonis gravatus alterius, tanquam invidus et inimicus Dei, mulieres compellebat saltare *s* eo in loco unde possent Beati * Benedicti conturbare religionem : sed Sanctus * Benedictus ab eo loco transivit ad alterum, et domus sacerdotis corruit usque ad fundamentum : temporibus Beati * Benedicti invidia * domus destruitur, temporibus Sancti Bertrandi incontinentia domus sacerdotis percutitur.

AUCTORE VITALI. *impudici domum maledictione sua destruit,*
* hortando *M.*
* pertransisset *M.*
* adjiceret *M.*
* revereri ?
* notum M.
* castis *M.*
i
* denuntians *M.*
* psallere *M.*
* *omittit M.*
* *omittit M.*
E
* sancti *M.*
* invidiæ *M.*

25 Homo quidam, alienæ possessionis avidus, firmabat columnam, cupiens ædificare domum in cimiterio Sancti Gaudentii *k*; nuntiatum est episcopo, quoniam * homo ille locum sanctum, ecclesiastica auctoritate officio sepulturæ constitutum in suum præsumebat transferre dominium. Amator igitur libertatis, sanctus episcopus venit ad hominem et increpavit eum dicens : Ut quid occupasti * terram, quam tui juris non esse cognoscis? Locus iste sanctus est, in quo domum ædificare desideras, et debitus sepulturæ. Morientium non viventium debent hic domus ædificari, et tu locum terribilem * et liberum contra humana et divina jura ad perniciem bonorum tuorum et detrimentum animæ tuæ tuis usibus vindicare præsumis : iniquitatis hæc opera sunt, nec jure hereditario possidenda; fuge hinc et inceptam relinque malitiam. Sed temerarius homo consilium episcopi salubre contempsit, et ejusdem præceptis obtemperare renuit, et magis ac magis operi illicito insistere cœpit. Tunc zelo rectitudinis ductus episcopus non distulit exercere gladium canonicæ ultionis et hominem ferire censura canonica. Quid plura? filius iniquitatis et diffidentiæ, innodatus vinculo excommunicationis, traditus est Satanæ in interitum carnis; et statim per merita sancti episcopi invitus mutavit propositum, cadens in languorem perpetuum infelix, quoniam * episcopo credere noluit, lecto accubuit et nunquam ultra convaluit; et timor apprehendit omnes, qui hoc viderunt, et glorificabant Deum, qui talem dederat illis episcopum.

Deumque sibi faventem habet, cum ne in cœmeterio ædificetur prohibet, *k*
* quod *M.*
* occupas *M.*
* tribulationum *M.*
F
* qui *M.*

26 Vir quidam *l* in præsentia sancti pontificis accusabat uxorem suam de crimine adulterii; uxor ejus profana, præceps et temeraria, dolosis labiis culpam celare cupiens accessit ad genua sacerdotis, extendens manum et dicens : Juro me per hunc Sanctum non perpetrasse adulterium. Et ecce in eadem hora manus extensa facta est arida, et numquam ulterius liberata; et * percussa manus commissum narravit adulterium, quod fraudulenter occultaverat linguæ officium. Mulier hæc celavit delictum et sensit flagitium; quæ, si confessa fuisset culpam, meruisset veniam : sicut

et cum per eum jurat mulier, ut se adulterii crimine liberet. *l*
* est *M.*

mulier

AUCTORE VITALI.

mulier illa * euangelica * non erubuit coram convivantibus venire ad pedes Jesu, quantis gemitibus uberrimo lacrymarum fonte perfundi, osculari pedes Domini, lacrymisque rigare et tergere capillis, donec a fonte misericordiæ verbum bonum audiret discurrere : Quia dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. Hæc non imitatrix illius, noluit verum fateri, et non erubuit esse dolosa testis mendacii, quam conscientia deturpabat, actio accusabat ; unde propter mendacium incurrit * flagellum, debita sceleri * noxia pœna. Vitandum mendacium, sicut legitur in propheta : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, et juramentum mendax ne diligatis. Multas et alias virtutes et signa in præsenti vita fecit dictus episcopus, quæ non sunt scripta in libro hoc ; sed hæc scripsimus, transcurrendo sub brevitate, recipientes rectitudinem * facti * ad decus Ecclesiæ, et sancti episcopi religionem, et gloriam Domini revelandam, qui est mirabilis in Sanctis suis.

* *omittit M.*
* *addit* quæ *M.*
* occurrit *M.*
* occultari *M.*
* certitudinem *M.*
* Sancti *M.*

ANNOTATA.

B

a *Hunc textum retinendum esse ostendimus in Commentario prævio num.* 10 *et sequentibus.*

b *Sunt quidem in Occitania plures ecclesiæ, quæ S. Justo patrono gaudent ; dubium tamen non est, quin hæc S. Justi basilica eadem sit, quam in tabulis topographicis Cassini omnino juxta Convenas seu oppidum* S. Bertrandi *ex parte Vallis Capraríæ signatam video. Cæterum vide num.* 61 *Commentarii prævii.*

c *Videtur id prodigium exhiberi in una ex tabulis pictis, quæ* S. Bertrandi *mausoleum condecorant ; (confer num.* 104 *Commentarii prævii) ; sed male illic tribuitur matri filii sui negatio : pater pingendus erat.*

d *Martenius ad hunc locum remittit lectorem ad librum* VII *cap.* VII *operis sui de Antiquis Ecclesiæ Ritibus ; at nihil ibi, quod ritibus hic a Vitali recensitis simile sit, reperire est : explicantur quidem illic ritus usitati in judiciis per aquam frigidam et per aquam calidam ; verum utraque alio fiebant modo, quam quem hic legimus. In judicio enim per aquam frigidam demittebatur totus homo, funibus*

C *ligatus, in lacum magnum satis ; quod si mergeretur, seu, ut loquebantur, aqua eum reciperet, causam vincebat suam ; sin autem supernataret, damnabatur. Cum autem quis judicium aquæ calidæ subiret, manu in aheneum fervens demissa, extrahebat lapidem, vel annulum, vel plumbi laminam, etc. ; dein palma involucro circumdabatur, et appositum judicis sigillum tertio die frangebatur : quod si tum intacta reperiretur manus, absolvebatur reus ; secus criminis convictus habebatur. Hic vero alius omnino servatus fuit ritus : accusatus scilicet ex aqua frigida lapidem extraxit, et continuo sensit dirissimam combustionem : quod experimenti genus non tantum, ut dixi, apud Martenium non reperi, verum etiam neque apud Cangium in Glossario, neque apud Muratori, qui doctissimum quoque de judiciis Dei Commentarium texuit* (*a*). *Unde, cum verisimile non sit modum specialem fuisse Ecclesiæ Convenensi in adimplendo judicio Dei, verisimile est hic nullos publicos, sed privatos, tantum ritus et pro tempore fors excogitatos, a* S. Bertrando *adhibitos fuisse. Satis notum est judicia Dei vetita esse, utpote Dei tentationem* (*b*) ; *sed cum hæc bona fide fierent, sæpius dignatus est Deus miraculose per hanc viam indicare veritatem.*

e *Videtur esse Villa Nova de Lecussan, quatuor fere leucis septemtrionem versus a Convenis distans.* (Dép. Haute-Garonne, arrond. St-Gaudens.) D

f *Duo sunt hujus nominis rivi,* Neste d'Aure *et* Neste de Louron *vulgo dicti, qui prope* Arreau *confluunt et sesquileuca fere ad septemtrionem Convenarum undas suas Garumnæ immittunt.*

g *Vide annotatum* b *ad hoc caput.*

h *Confer Vitam S. Benedicti in Actis Sanctorum ad diem* XXI *Martii* (*c*).

i *Vide eamdem ibidem Vitam* (*d*).

k *Oppidum S. Gaudentii duabus leucis a Convenis distat : patria est S. Raimundi, fundatoris Militiæ de Calatrava in Hispania.*

l *In tabula picta, mausoleo* S. Bertrandi *appensa, exhibetur hoc miraculum. Confer supra num.* 104 *Commentarii prævii.*

CAPUT III. *Miracula S. Bertrandi post mortem.*

Post transitum * sancti viri, de quibus dicendum est secundum moderationem, quæ est prope omnium rerum pulcherrima, quæ ne * ipsos * quidem quos damnat offendit, et quos damnavit dignos solet facere solutione ; unde, etsi non pauca, quæ ad cohortationem * beate * vivendi proficiant, scripta sunt * superius *, tamen, cum adjici possint quam plura, ne velut semesas * verborum nostrorum epulas reliquisse videamur, inceptum prosequamur convivium. Quædam igitur miracula ex multis, quæ operatus est post * cursum vitæ præsentis, curavimus posteritati relinquere ; nam singula nulla ratione possemus. Hæc ergo * quæ accepimus ex vera quorumdam relatione, quorum non est præsumptio aliquo levi favore vera falsis miscere, voluimus * in scriptum * redigere. Accidit itaque temporibus illis, quibus Sanctus Bertrandus ad Christum migraverat, ut quidam vir, notus et familiaris ejus, nomine Bertrandus, caperetur a quodam ; et clausus est in fundo turris et astrictus in miseris vinculis catenarum ; erat in tenebroso carcere, quod grave nimium expertis * est tædium ; arcebatur catenis, quod est valde molestum ; denique fame et siti cruciatus, pediculorum factus est pabulum, quorum multitudo incessanter scaturiens, omnia membra tenebat ; undique longa circumdatus erat catena, prædictæ miseriæ urgentibus continuo stimulis, expediri mundarive non poterat ; dies sine quiete, in nocte palpebræ ejus non inveniebant dormitationem, et si quis esset somnus, laboriosus erat ; clamabat infelix lugebat, dolebat ; quid faciat, quo se vertat, ignorat ; jam de vita desperat, et mortem desiderat. Denique ineffabilis clementia Christi mentem miseri hominis illustrat, excitat captivus animum, vocat in auxilium Sanctum Bertrandum ; nolebat utique divina gratia, ut virtus sancti episcopi consenesceret non * tantum *, sed ejusdem amplius fama claresceret. Factum est igitur, ut toto corde invocaret in adjutorium Sanctum Bertrandum, dicens : Pie pater, credo te ad Christum migrasse feliciter ; adjuva me, et ab hac pediculorum funesta rabie me propitius libera. Auditæ sunt preces ejus ; et statim tamquam sensisset * jubentis imperium, tota illa prænominata miseria in terram cecidit. Mundatus est miser a tota contagione per virtutem Sancti Bertrandi, et jam de tanto patrono securus instat ferventius ora-

S. Bertrandus *post mortem captivorum calamitatem levat,*

E

* vero *addit M.*
* nos *M.*
* reprobos *M.*
* coarctationem *M.*
* bene *M.*
* sint *M.*
* serius *M.*
* semessas *M.*
* per *M.*
* igitur *M.*
* volumus *M.*
* scriptis *M.*
* captis *M.*

F

* *omittit M.*
* *omittit M.*
* stetisset *M.*

(*a*) Antiquit. Ital. med. ævi, t. III col. 612 et seqq. — (*b*) C. III de purg. vulg. v. 35. — (*c*) Acta SS. T. III Martii, p. 285. — (*d*) Ibid., p. 280.

tioni

A tioni, rogat plorat, supplicat, ut a vinculis ipsum eripiat, cum lacrymis, singultibus, crebrisque suspiriis iterat preces uberius ; et cum hæc fierent, divina miserante clementia, venit sanctus Episcopus, quem in luce * præsente dilexerat, visitat amicum in carcere, vincula rumpit, liberat captivum, extrahit de turre illius loci, qui dicitur Castellum Forte *a;* quid postea * ? Qui captivus fuerat tulit secum * catenam *b*, quam suspendit ante gloriosum sepulcrum Sancti Confessoris ad laudem et gloriam Jesu Christi.

* loco *M.*

a

* præterea *M.*

* *omittit M.*

b

vincula rumvit,

28 Fama sancti episcopi longe lateque volante, miles quidam, nomine Petrus, cepit manu violenta hominem, quem multis nexibus et firmissimis cum omni sollicitudine ligavit ad lignum, et velut insultando in verbum veritatis, cœpit erumpere dicens : Nunc exerceat vires, quas potest, Sanctus Bertrandus, qui consuevit nonnullos a pœna captivitatis exsolvere ; et si potest, tibi condoleat, et * vincula, quibus adstrictus teneris, dissolvat, et tibi libertatem restituat. Dolet ligatus, gemit, suspirat, ante virtutem sancti pontificis vocem prosternit interni doloris : mira res!

* *omittit M.*

B mox beneficium sensit captivus, quo sanctus episcopus perplexos admodum nodos vinculorum repente confregit, captivum fecit illæsum abire, quem tyrannica manu præsumpserat * nimia crudelitate vincire; venit igitur ante sepulcrum sancti episcopi, et post gratiarum actionem, miraculum, quod evenerat, circumstantibus indicabat, et dicebat populis * : Mirabilis Sanctus iste, qui et militem insultantem confudit, et vinculis innodatum potenter absolvit.

* sumpserat *M.*

* *omittit M.*

et similis bene ficii testem se dicit Vitalis, qui promovit illius Sancti canonizationem.

29 Dum * igitur opera sancta clarescerent, quidam nomine Arnaldus tenebatur in vinculis, in castro, quod Campanum *c* nuncupatur; cœpit tacita mente revolvere, quomodo exinde posset exire; plura excogitat, meditatur attentius, et opportunitatem fugæ * non reperit; profundit * lacrymas, trahit suspiria, clamat de profundis, orat cum lacrymis, vocat in auxilium Sanctum Bertrandum et ecce pius Confessor Christi dolenti compatitur, accedit ad miserum, vincula rumpit, solvit compeditum, et qui captivus extiterat, venit ad sepulcrum sancti episcopi agens gratias et suspendens catenas. Ego quoque indignus servus Christi et Auxitanæ Ecclesiæ clericus, qui hoc opus scribendi * accepi ex mandato * domini Vileumi *d*, archiepiscopi prælibatæ sedis, et sanctitatem et miracula Beati * Bertrandi, tempore schismaticorum, quibus sacrosancta Romana Ecclesia multarum turbine procellarum fluctuabat, significavi Alexandro, summo Pontifici, viro catholico, in palatio Lateranensi in præsentia venerabilium Cardinalium, memoriter teneo, me vidisse in pueritia * mea juvenem quemdam cum vinculis ferreis, referentem * se captum fuisse, et in illis vinculis positum et liberatum per merita * Sancti Bertrandi; juvenem prædictum vidi ego, dum * commorarer in pascuis cum quibusdam, quorum cura erat armenta regere, quibus mater mea commiserat, ut cum eis pergerem sub voto peregrinationis ad sepulcrum Sancti * Bertrandi, cujus patrocinio prædicta genitrix mea me commendarat attentius ; solebat et ipsa hunc locum frequentare diligentius, et ut ego essem suæ devotionis imitator, ardentius commovere * ; veni ergo cum prædictis ad venerandum tumulum sancti pontificis, venit in comitatu nostro prædictus captivus: et ingressus ecclesiam, post gratiarum actionem suspendit vincula ferrea, inter cætera, quæ habebantur ibidem, ad laudem Domini nostri Jesu Christi et gloriam, qui est mirabilis in Sanctis suis.

C

* scribendum *M.*

* et mandatum *M.*

d

* Sancti *M.*

* provincia *M.*

* confitentem *M.*

* meritum *M.*

* cum *M.*

* Beati *M.*

* commonebat *M.*

AUCTORE VITALI.

S. Bertrandus *mulierem contractam sanat, et ei baculum dat,*

30 Mulier quædam, nomine Maria, destituta membrorum officio, affixis postremæ parti calcaneis, gravi et longo detinebatur oppressa languore; sed cum jam diutius lecto accubuisset, parentum et amicorum suorum cura cessavit. Vertebatur in tædium; non erat qui benefaceret, qui vultu pietatis ad eam respiceret : nam longa infirmitas vix fidelem amicum inveniet. Quid ergo? misera mulier mortificatis membris vivit in corpore, jam semimortua vivit; et mortem desiderat, optat mortem, nec mori potest ; protrahit * longas impia vita moras, gemit in die, torquetur in nocte; et ut liceat mihi assumere verba Ambrosiana *e* : Sicut aqua stativa vermes generans, omnino contemnitur misera mulier. Denique unum superest * solatium, miserum tamen sed necessarium, ut ejiciatur a domo tamquam cadaver mortuum, excludatur exterius, non habeat solatium, patiatur exilium : sic accidit, expellitur a domo, velut corpus exanime; collocatur in quodam vehiculo, in angusta domo constituta; plura loca perlustrat; relevatur utcumque sua calamitas largitione eleemosinarum, quas porrigit sibi fidelium pia devotio; non ipsa, sed domus ejus currit velociter * trahentium manibus; diversas circuit villas ; diversa requirit hospitia; quo potest modo, vitam ducit miseram, afficitur tædio, cruciatur supplicio. Inter hæc audit celeberrimam famam miraculorum Sancti Bertrandi; currit ad montem, fideliter * implorat divinum auxilium, tota cordis contritione rogat Christi clementiam, ut per merita Beati Bertrandi sanitatem sibi restituat; sed misericors et miserator Dominus, respiciens in orationem humilium, et non spernens preces eorum, lacrymas mulieris posuit in conspectu suo. Venit ergo sanctus episcopus ad mulierem, membra contracta ad directam revocat compositionem, vires infundit, erigit contractam, sustentationis baculum porrigit, viam ostendit. Mulier repente, tanto * attonita gaudio, de carcere progreditur, prosilit ad terram, ad sepulcrum sancti viri festinanter accelerat, virtutem Sancti denunciat, osculatur sepulcrum, visitat frequentius, currit ad gentes, divulgat miracula ; populus exultat *, miratur plurimum de tanta virtute, et cum baculum sibi oblatum prædicta mulier perderet, mox destituebatur viribus corporis * et efficiebatur contracta. Mira res ! baculum reddebat sibi sanctus episcopus; quo accepto, fiebat incolumis, surgebat e vestigio et exercebat officia sua.

* pertrahit *M.*

e

* semper est *M.*

E

* velocius *M.*

* feliciter *M.*

* *omittit M.*

* exaltat *M.*

F

* *omittit M.*

cujus virtus explicatur;

31 Quidam vero furatus est sibi baculum ; et ingressus Hispaniam, virtutem prædicabat tanti miraculi, populis indicabat baculum ; cui pro respectu sancti episcopi multam exhibebant reverentiam ; et exinde ille maleficus * multas oblationes recepit : ille præ * lucro gaudebat, sed mulier lugebat, et ante sepulcrum contracta jacebat. Denique post multas lacrymas atque suspiria patronus ejus sibi baculum reddit, multis astantibus in ecclesia, qui sub voto peregrinationis advenerant; solito mulier surrexit velocius *, circumstantes mirantur, et reddunt laudem Deo commendantes virtutem sancti episcopi. Recuperavit mulier baculum, et incessum habuit liberum ; non tamen virtus in baculo, sed in sancto episcopo. Mulier hæc multis temporibus tanta * divulgavit miracula in locis plerisque; et diem claudens extremum, jacet sepulta juxta basilicam Genitricis Dei, in qua quiescit corpus sancti pontificis.

* baculus *M.*

* pro *M.*

* velociter *M.*

* ista *M.*

AUCTORE VITALI.

tificis. Parcat mihi auditor, si prolixa sibi videatur præsens narratio, quod * judicio nostro tam præclara virtus miraculi non in discursu debet paginæ commendari.

* quia *M.*

obsessam a dæmone liberat.

32 Mulier quædam, indigena de valle *, quæ vocatur Aram *f*, erat obsessa a dæmone; vexabatur ab immundo spiritu, incutiebat terrorem videntibus *, erat vicinis * et notis abominatio, confusio et abjectio hominum; parentes et amici exhorrebant quam plurimum, et consortium suum vitare cupientes, negligebant eam, quoniam facta erat * vas contumeliæ et habitatio tenebrarum. Mulier igitur, considerans in tantum se adductam contemptum, et opprobrio tanto expositam, de domo simul et valle egreditur; venit ad cathedralem ecclesiam Convenarum; ubi, quantum poterat, vigiliis et orationibus diligenter instabat, et ante venerabile sepulcrum Sancti Bertrandi jacebat, suspirabat, patrocinio sancti episcopi * sese commendans attentius. Factum est ergo die quadam in præsentia multorum, ut obsessam dæmonium vexaret acrius; et, sentiens adesse virtutem sancti episcopi, fugeret ab obsessa: liberata est ergo mulier a dæmonio, et ab eo tempore illius furoris in ea non apparuerunt vestigia, et egit gratias Deo et Sancto Bertrando, et omnes qui viderunt simul cum ea.

* et de villa *M.*

f

* dentibus *M.*

* intimis *M.*

* esset *M.*

* patrocinium, sancto episcopo *M.*

B

mutæ loquelam restituit,

33 Quædam mulier, exigente morbi natura, perdidit linguæ officium; torquebatur secum tacita mente quid ageret, et * quod cogitationum turbine volvebat, verbis expedire non poterat, quia muta erat. Grande quippe solatium est, cum quis suas *, quas patitur, sollicitudines amicis suis indicat sermonum officio; et per contrarium maxima est tristitia, loqui saltem non posse necessaria et non habere virtutem sermonis, qui summopere consistit laudabilis et necessarius, si recta intelligentia et definita moderatione animi gubernetur. Mulier igitur ista, non inveniens consilium reserandi claustrum oris, cogitavit in mente, ut a sancto pontifice postularet præsidium: venit ante sepulcrum ejus; lingua tacet, corde clamat, et post multas vigilias et longa, quæ ab imis trahebat, suspiria, exauditæ sunt preces ejus, et loquebatur, benedicens Dominum et sanctum pontificem, per cujus meritum recuperaverat loquendi * officium.

* omittit *M.*

* linguæ *M.*

C

cæco et surdo visum et auditum,

34 Crebrescente fama sancti pontificis, quidam homo cæcus et surdus cum quodam * filio suo et filia, sibi ministrantibus, inter cæteras populorum catervas, ivit ad sepulcrum piissimi patris, imploraturus auxilium. In multas lacrymas et alta volvebatur * suspiria miser iste, quoniam * et auditum amiserat et in tenebris permanebat. Hic igitur instat ferventius orationi, fundit fletus, querelas emittit, quas ipse proferens non audiebat, sed * in cordis visceribus singula, quæ loquebatur, cum sollicitudine vehementi versabat. Denique cum, inde * fatigata mentis constantia, labor * postulandi luminis * et auditus non fit in vacuum * cordis * excrescit * compunctio, devotio integritatis augetur, incrementum suscipit fides, de cœlesti sede properat medicus, confert opem laboranti sanctus episcopus, citius dicto ab auribus removetur obstaculum, velamen aufertur * ab oculis; quid multa? Et surdus audivit * et illuminatus est cæcus.

* omittit *M.*

* revolvebatur *M.*

* qui *M.*

* omittit *M.*

* omittit *M.*

* labore *M.*

* lucis *M.*

* et cordis compunctio *M.*

* omittit *M.*

* aufert *M.*

* audit *M.*

tribus pueris captivis libertatem,

35 Miles quidam cepit tres pueros et trusit * eos in turri; qui vexati diutius clamaverunt ad Dominum, et exaudivit eos, et invocabant creberrime Sanctum Bertrandum in præsidio; et Dominus ac Salvator noster, qui est juxta omnes, qui tribulato sunt corde et salvat humiles spiritu, preces puerorum audivit; et qui illos * tres pueros de fornace liberavit, qui erant in Babilonia, eripuit hos tres pueros de carcere, misitque eis Sanctum Bertrandum, qui in virtute Christi Jesu liberavit eos de carcere, et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

*misit *M.*

D

* *omittit M.*

hydropico valetudinem,

36 Miles erat diœcesanus, et longa detentus ægritudine tantum passus est in ventre tumorem, ut asquiten *g* vel timpaniten incurrisse crederetur; et erat vita sua tam sibi [quam amicis multo oneri;] * denique cœpit clamare ardentissimo desiderio ad Dominum, ut sanaret illum per merita Sancti Bertrandi; et ecce quadam nocte cum omnes amici sui desperarent de vita ejus, ipse in thalamo, ubi jacebat *, præ * nimia angustia de lecto prorepsit * ad humum et super faciem terræ tamquam mortuus jacuit; sed lingua mentis, qua * poterat, clamabat ad Dominum, et Sanctum Bertrandum. Et inter mortis * angustias venit medicina de cœlo; et liquor, qui ventrem extenderat, et in modum timpani lucidum fecerat, liberos meatus invenit et admixtus urinæ per virgam, sicut erat immoderatus *, immoderate prorupit, et velut gurgitem aquarum multarum in terra reliquit, et curatus est omnino. Sequenti die, qui viderunt, mirati sunt valde; et ipse tempore congruo, resumptis viribus, repræsentavit se ante sepulcrum Sancti Bertrandi, pro salute recepta grates exsolvens uberius in gratia Jesu Christi Domini nostri *.

* multo onusta *M.*

* quiescebat *M.*

* pro *M.*

* perrexit *M.*

* quantum *M.*

* mentis *M.*

* *omittit M.*

E

* *omittit M.*

sacerdoti cæco visum,

37 Cum igitur tantorum fama miraculorum longe positas etiam * illustraret provincias, quidam sacerdos de terra Bearnensium ad illius infirmitatis pervenit incommodum, ut oculi ejus obducerentur caligine, et lumen amitteret: contabescit anima ejus in amaritudine amarissima, quia sibi negatur facultas solita exercendi negotia. Accepit itaque multorum relatione, quoniam Sanctus Bertrandus multis infirmis præstaret * solatia; urget infirmitas, movet * necessitas, ut quærat remedium: imploratur auxilium, venit ergo ad desideratum sepulcrum sancti episcopi *, instat cum omni diligentia vigiliis, hymnis, et orationibus: dulcem quoque et divinam psalmorum harmoniam mente pervigili * et meditatione laudabili psallere studebat propensius, hortabatur clericos ecclesiæ cum multa supplicatione, ut ipsum juvarent orationibus, et obtinerent * orando, ut perditum * lumen per merita sancti pontificis recuperaret *. Tunc obtulit sacrum textum Euangeliorum super altare Virginis Mariæ, quem fecerat scribi de sumptibus propriis; factum est igitur ut visum reciperet, et egit gratias Deo, et cum magno gaudio regressus est ad nobilem Bearnensium patriam; qui, accepto miraculo tanto, dederunt laudem Deo.

* *omittit M.*

* sacerdoti cæco visum, * *omittit M.*

* procurat *M.*

* monet *M.*

* Bertrandi *M.*

* vigili *M.*

F

* obtinuerunt *M.*

* præditum *M.*

* et *addit M.*

stulto sanam mentem,

38 Illud præterea insigne miraculum neglectæ vetustatis non debet caligine obduci, quod totius excedit * fines provinciæ, Burgundiam, Lotharingiam penetrat, Theuthonicas nationes ingreditur. Accidit igitur, ut quidam Theuthonicus ad limina Sancti Jacobi *h* pergens, in via incurreret desipientiæ morbum; pervenit itaque cum sociis suis ad venerandum episcopi tumulum; orat, plorat, suspirat; mox ejus preces exaudit * episcopus, sensum reformat, renovat rationem, intellectum * restituit, desipientiam tollit, furorem extinguit. Qui fuerat desipiens, permittit se tractari, non lacerat vestem, non stridet dentibus, non perstrepit * vaniloquia, moderatur incessum, sensate loquitur, revocatur ad sensum, ad se revertitur,

* incedit *M.*

h

* sanctus *addit M.*

* mentem *M.*

* perstrepunt *M.*

A titur, salutem plene recuperat, et benedixit Dominum, qui est benedictus in æternum.

muto loquelam, 39 Quidam, gravi detentus infirmitate, lecto accubuit : et cum diu ægrotasset, cœpit aliquantulum convalescere ; sed linguæ manusque destitutus officio, se repræsentavit ante gloriosum sepulcrum sancti episcopi, ubi se resolvit in gemitum cordis et lacrymas * compunctionis ; quo facto, et manus, quæ ad os duci non poterat, plenam sanitatem recepit, et soluta sunt vincula linguæ ejus.

* lacrymis *M.*

captiva libertatem, 40 Quidam captus tenebatur in vinculis, et qui eum per crudelitatem tyrannicam ceperat, nimis * inhumane illum tractabat ; cumque vidisset captivus multiplici se expositum calamitati, toto corde invocavit Dominum, ut per merita Sancti Bertrandi eum liberaret a captivitatis miseria. Prope nimirum est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate ; factum est ergo ut visitaret Dominus miserum, et confestim misit ad illum sanctum episcopum, qui virtute miranda confregit vincula, liberavit captivum, et securum adduxit ante sepulchrum suum, cum gloria et honore Regis altissimi, qui est mirabilis in Sanctis suis.

* minis *M.*

B

contracta incolumitatem 41 Alio quoque tempore accidit in Francia sabbatho Penthecostes, facto jam vespere, quod quidam vir in tundendo * pannum * contractus et membrorum valetudine destitutus est ita mirabiliter, ut cum genu stomachus calcaneusque cum clune *, et cum brachio pollex conglutinati sint *. Cui, mox portato a sua matre ad Cantuariam in Anglia, Sanctus Thomas *i*, solidata ejus base tibiaque reformata, præcepit apparens : Vade hinc, et statim recede, quia non possum tibi plus satisfacere ; est enim gloriosissimus Christi Confessor Sanctus * Bertrandus in Vasconia prope Alpes Hispaniæ ; ad quem si abieris, totus sanaberis, et pristinam recuperabis incolumitatem. Hoc audito, vir et mater sua, illico discedentes, per stratam publicam, venerunt ad Sanctam Mariam de Rupe Amatoris *k*, deinde Tholosam, de Tholosa recto tramite usque ad urbem Sancti Bertrandi ; ubi de nocte vigilando cum candelis suis ante sepulchrum ejus et suffragia implorando, vir cœpit calescere, paulatimque resumpto naturali vigore ac calore, sanus et incolumis penitus est effectus.

* comedendo *M*
* *panem M.*
* crure *M.*
* sunt *M.*
i
* *omittit M.*
k

C

et libertatem Sancio Parra, capto a Sarracenis. 42 Quadam vice factum est, quod Sancius Parra *l* de Oltia *m* cum exercitu suo totam terram circa urbem Convenarum deprædavit : in qua præda boves fuerunt Sancti Bertrandi ; quos ut scivit captos sanctus episcopus, illuc pergens, a Sancio Parra petiit boves, qui statim negavit se nullo modo redditurum boves vel quicquam de prædatione, nisi sibi redimeretur. Cui rursus sanctus episcopus dixit : Redde mihi, quia * priusquam moriaris, retribuam tibi. Audito responso isto, Sancius Parra statim reddidit * Sancto Bertrando boves, et sic pacifice ambo discesserunt *n*. Postea vero Sancto Bertrando jam ad Christum evocato, idem Sancius Parra, in Hispania bello captus a Sarracenis, in obscuro carcere miserabiliter jacebat, catenis onustus, debens in proximo abduci * ultra mare cum multis aliis Christianis captivis ; ad quem de nocte veniens Sanctus Bertrandus, lucidus et præclarus et totum carcerem illustrans, dixit : Surge, Sanci, et sta in pedibus. Qui respondens, ait : Quis es, Domine ? Ego sum, inquit, Bertrandus episcopus, cui boves reddidisti, paratus sum retributionem tibi reddere modo *, quam spopondi. Ad cujus vocem, solutis nexibus ferreis, quibus adstrictus et ligatus erat, surrexit protinus. Et sic ambo inde recedentes, fuerunt miraculose ad * rupem de Squito *o* in Aspa *p* juxta Oltiam *q* lucescente aurora ; ubi Sanctus Bertrandus rogans eum, quatenus ecclesiam, in qua corpus suum jacebat sepultum, honoraret et visitaret annuatim *r*, vale dicto *, disparuit ; atque Sancius Parra, postquam fuit cognitus, tota congregata vicinia, narravit, quomodo extractus * erat de * captivitate, et omnis populus dedit laudem Deo ac Sancto Bertrando.

* quod *M.*
* reddit *M.*
n
* adduci *M.*
* *omittit M.*

AUCTORE VITALI.
* apud *M.*
o p q
r
* valedicendo *M.*
* abstractus *M.*
* a *M.*

ANNOTATA.

a *Convenit id nomen pluribus locis ; e quibus ille seligendus videtur, qui Convenis propius adjacet. Æstimo itaque hic intelligi locum* Castel-fort *nuncupatum, situmque in agro Bigorritano, Convenis vicino. Vide de illo Occitaniæ historiographos* (*a*).

b *Inter tabulas pictas, quibus* S. Bertrandi *mausoleum ornatur, una exhibet has captivorum grati animi significationes. Confer num.* 104 *Commentarii prævii.*

c *Campanum, gallice* Campan, *vicus est, ad fluvium Aturrum, marmoribus suis celeber, nomenque suum valli Campanæ communicans.* (Dépt Hautes-Pyrénées, arr. de Bagnères.)

d *De universo hoc loco vide Commentarii prævii num.* 5 *et sequentes, et num.* 80.

e *Cap.* XII *num.* 52 *libri de Nabuthe habet S. Ambrosius hæc verba* (*b*) : Aqua autem stativa cito vermes facit.

f *Vallis Aran, in superiori agro Convenensi sita, comiti Convenensi subjacuit usque ad annum* 1192 ; *quo tempore per matrimonium dominium regum Hispanorum factum est. Vide Dictionaria d'Expilly, Baudrand et La Martinière ad verbum* Aran.

g Asquites, *Græcis* ἀσκίτης ὑδρωψ *ille dicitur, cujus abdomen ad instar* ἀσκοῦ *seu utris aqua pleni, inflatum est ; tympanites vero,* τυμπανίτης ὕδρωψ, *ille cujus venter tamquam* τύμπανον *distenditur.*

h *De peregrinationibus Compostellanis seu ad limina S. Jacobi, remotis jam temporibus a Theutonicis, imprimis Frisionibus et Hollandis aliisque susceptis, egerunt decessores nostri ad diem* XXV *Julii, quo colitur S. Jacobus* (*c*).

i *Notus est satis ille Sanctus, qui anno* 1170 *martyrium obiit, et triennio post ab Alexandro III canonizatus fuit. Ejus cultus brevi in Galliam, ubi aliquamdiu profugus degerat, manavit : cujus rei specimen est sanitas, eo intercedente, anno* 1179 *Philippo, Ludovici regis Francorum filio, a Deo efflagitata. Supra num.* 4 *Commentarii prævii ex hoc loco collegimus partem miraculorum post annum* 1170 *conscriptam fuisse.*

k *S. Maria de Rupe Amatoris, gallice* Rocamadour (dépt du Lot), *celeberrima abbatia et locus peregrinationis erat ; cujus nomen alii ducebant a rupe S. Amatoris, alii a Rocogamoro, veteri hujus regionis loco. Plura de eo Dictionarium universale Franciæ, d'Expilly, La Martinière, Vaissette, Valesius, decessores nostri in Vita S. Amatoris ad* XX *Augusti. etc.*

l *Ut liquet ex explicatione tabularum pictarum, quibus* S. Bertrandi, *mausoleum ornatur, volunt nunc Convenenses hunc Sancium, comitem Bigorritanum fuisse.* (*Vide num.* 104 *Commentarii prævii.*) *Verum neque hic nobis licet Convenensium suffragari traditioni ; cum inter comites Bigorritanos, quorum stemma accurate cognoscitur* (*d*), *nullus ad hæc tempora veniat Sancius, nedum Sancius Parra. Hic tamen, ut ex Vitali liquet, nobilissimi generis erat, et quidem vix dubium mihi est, quin ille San-*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. IV, 363. — (*b*) Oper. S. Ambrosii, t. II, p. 51. Edit. 1781. — (*c*) T. VI Julii, p. 32 et seqq. — (*d*) Art de vér. les dates, t II, p. 268 et seqq.

A *cius Parra pertineat ad domum Boni Par, qui circa medium, ut videtur, sæculum* XI *pollicitus est Sancio, Madiranensis monasterii conditori, se, relicta uxore et monachali veste assumpta, hujus cœnobii gubernium assumpturum esse ; sed, mortuo Sancio, uxorem retinuit et monasterium ; cui moriens filium suum Gulielmum Par, licet laicum, præfecit. Atque hic abbatiæ regimen, tamquam semipater, usque ad annum circiter* 1115 *tenuit, cum a Pontio, Bigorritano seu Tarbensi episcopo, et Centullo, comite Bigorritano, ob scelera sua expulsus fuit. Cæterum Bonus Par consanguineus erat Sancii, Madiranensis fundatoris ; atque hic ante initam monasticam vitam totius Gasconiæ consul erat, et fama, longe lateque discurrente, fruebatur. Neque plura de gente Par seu Parra cognovimus, quam hæc pauca, quæ desumpsimus ex Initiis Madiranensis monasterii in diœcesi Tarbensi, scriptis ab anonymo coætaneo, integrisque a Martene* (*a*), *partim vero a prosecutoribus collectionis D. Bouquet editis* (*b*).

m *Situs castri de Olcia seu Oltia accurate inferius determinatur.*

n *Hæc in tabula, affixa mausoleo* S. Bertrandi, *picta sunt. Vide num.* 104 *Commentarii prævii.*

B o *Lastrade, ut vidimus supra num.* 114, *male statuit Sancium Barcinone repertum fuisse. Nomen vero gallicum hujus rupis est* Pene d'Esquit, *estque finis montis, duas leucas longi, eminentibusque rupibus horridi. Ejus situs ex dicendis manifestior fiet.*

p *Vallem Aspam commode nobis describunt Benearnensis historicus, Petrus de Marca* (*c*), *et auctores Dictionarii universalis Franciæ. Secundum de Marca incipit hæc vallis ad locum Urdoz, cui vicina est rupes De Squito, de qua superius diximus ; secundum hos vero duabus leucis longior est, adeoque inchoatur in finibus Galliæ a radicibus Montis Aspæ, seu a fontibus Gavi, vel Gabari Aspensis, qui eam totam perfluit :* (Gavi *autem seu* Gabari *nomine indigitant Pyrenæorum accolæ rivos, fluviolos aut torrentes ;*) *quorum scriptorum sententiæ omnino suffragatur Cassini, loca graphice depingens. Per totam hanc vallem, juxta Gavum Aspensem, strata est via, qua Oleronenses recta Hispaniam petunt, prius transeuntes juxta rupem De Scoto* (Peñe d'Escot), *ubi secundum de Marca vallis Aspensis desinit, dein juxta rupem et pontem De Squito ; atque hic medium fere iter inter Oleronem et fines Hispaniæ institutum est.* D

q *Olcia, seu Oltia, videtur idem esse ac præsens vicus* Osse, *semileuca circiter septemtrionem versus distans a rupe De Squito ; quæ tamen ad dexteram Gavi Aspensis est, dum* Osse *ad sinistram jacet. Alius nullus vicinus locus scribitur modo, qui magis ad* Oltia *accedat. Cæterum totus hic tractus nunc capitur partitione, Inferioribus Pyrenæis nuncupatis.* (Dép^{t} Basses-Pyrénées, arr. d'Oleron, canton d'Accous).

r *Diximus num.* 102 *Commentarii prævii, inde a Lastrade deduci festum Apparitionis* S. Bertrandi. *Hæc jam prelo premebantur, cum adepti sumus Proprium Congregationis Lateranensis, Viennæ anno* 1741 *excusum et novis auctum Officiis ; quæ inter venit cum erroneis satis lectionibus Officium* S. Bertrandi ; *unde cœnobiis Canonicorum Lateranensium totius saltem Germaniæ applicanda sunt, quæ num.* 119 *de Voraviensi monasterio diximus.* E

(*a*) Thesaur. Anecdot., t. III, col. 1203 et seqq. — (*b*) Rec. des histor. de France, t. XI, p. 115 et seqq. — (*c*) Hist. du Béarn, lib. IV, cap. I.

DE S. BERNERIO EREMITA

EBULI, IN DIŒCESI SALERNITANA, IN REGNO NEAPOLITANO.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS. F

Quo die S. Bernerius colatur ; ejus biographi ; quid gesserit ; an templum Ebulitanum construxerit ; an cum alio confundendus sit ; quo sæculo obierit ; ejus cultus.

EXEUNTE SÆCULO XII.

Rationes hac die S. Bernerio *dicendi*

S Bernerii *vitam, quantum cognita documenta sinunt, explicaturis, primum reddenda nobis est ratio, ob quam huic diei non alteri . ejus adscribimus memoriam : quæ res nonnullis implicatur difficultatibus. Etenim in fronte Officii hujus Sancti ad usum terræ Ebuli Salernitanæ diœcesis in regno Neapolitano, anno* 1604 *Neapoli excuso, hæc leguntur :* Celebratur XX Novembris ; *atque hæc ex ordinatione S. R. Congregationis, ut liquet ex his, quæ ad calcem reperiuntur, verbis :* Festum S. Bernerii Confessoris in terra Ebuli Salernitanæ diœcesis fuit stabilitum a Congregatione sacrorum Rituum sub die supradicta XVIII Maji 1602, dum prosecretarius Congregationis se gerebat D. Alexander Gratianus, subscriptum vero et sigillo munitum ab illustrissimo D. cardinali Florentino tamquam præfecto Congregationis sub die XXVII Septembris ejusdem anni 1602. — Ita est, Jo : Paulus Mucantius pro secret. Congregationis. — Originalis copia revisa, et subscripta ab illustrissimo Baronio est apud me secretarium prædictum. *Verum, si quibusdam idoneis scriptoribus fidam, vel hoc decretum abolitum, seu mutatum sit oportet, vel non ab omnibus eodem die celebratur Sancti nostri festum. In Chronico scilicet generali Minimorum et in eorumdem Diario Franciscus Lanovius, eo potius credendus quod Ebulense cœnobium ad Ordinem suum pertinebat, aperte* S. Bernerii *festum ad diem* XVI *Octobris refert. Insuper Ferrarius in suo Catalogo generali Sanctorum, ad eumdem diem Octobris, sic celebrat* S. Bernerium : Eboli in Picentibus, S. Bernerii solitarii ; *cui memoriæ in annotatis subdit :* Ex tabulis et monumentis ecclesiæ Ebolitanæ, quæ illum loco patroni habet, ac præcipue hac die colit. Cujus Acta Romæ vidimus Ms. una cum Officio proprio, quo ante Breviarii correctionem Ebolenses utebantur. *Suo itaque pondere*

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *non caret ejus testimonium. Idem hagiophilus in Catalogo Sanctorum Italiæ, anno* 1613 *excuso, postquam brevibus* S. Bernerii *vitam ad præsentem diem recensuisset* ex lectionibus in ejus officio recitari solitis, *subdit :* Hac autem die non natalis, sed inventio celebratur per octo dies. *In Officio autem,* xx *Novembris instituendo, quod quidem ritu duplici fit, nulla occurrit mentio Octavæ. Cum vero ipse dies natalis, ut inferius videbitur, nonnihil disputationi subjaceat, statuet facile lector, an potius præsenti die, qua Ferrarius celebrius ejus festum fieri tradit, quam die* xx *Novembris, quæ conjecturis forte tantum nititur, de* S. Bernerio *agendum nobis esset.*

proponuntur; 2 *Altera ratio, ob quam hæc dies magis placet hæc est : cum Tamayus Salazarius in Martyrologio Hispanico ad diem* xi *Aprilis celebrasset hanc memoriam :* S. Bienerus, anachoreta apud Uxamæburgum in Hispania, et austeritatis, et pœnitentiæ continuatione mirabilis, animam Deo reddidit, relinquens posteris suæ sanctitatis et virtutum specimen ; *atque in adjectis notis lectori comprobare aggressus esset hunc Sanctum eumdem esse*

B *ac Ebulitanum, de quo Ferrarius ; decessores nostri, ad prædictam diem* xi *Aprilis Prætermissos et in alios dies rejectos recensentes, distulerunt totius quæstionis examen* ad diem, quando ista commodius discutientur, et plenius tractabuntur, xvi Octobris. *Ne itaque nimii in Sanctis ab una ad aliam diem remittendis simus, Ferrarii calcabimus vestigia, quæ a sacro Hagiologii Italici scriptore relecta quoque fuerunt. Nihilominus lectorem monitum velim martyrologum universalem Castellanum a Ferrario discessisse, Sanctumque* Bernerium *die* xx *Novembris nuntiasse ; verum ille ipse, aemerorum catalogum contexens,* S. Bernerium *Ebulitanum ex eo non excludit, ita gallice disserens :* S. Bernerius, mortuus in diœcesi Salernitana, notatur a quibusdam die, S. Bernualdo Hildesiensi sacro, xx *Novembris* (*a*), donec inveniatur ejus dies emortualis. *Unde tantum specie tenus Castellanus adversari dicendus est.*

ex una e tribus S. Bernerii *Vitis* 3 *Quoniam quæcumque de* S. Bernerii *gestis cognoscuntur, ex ejus biographiis haurienda sunt, placet paucis de eis præfari. Sunt eæ scilicet tres numero : prima quæ antiquissima est, atque nondum, in quantum novi, vidit lucem, in Bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi, a decessoribus nostris descripta, exstat ad num.* 8950, *atque in margine præfert signum, quo perhibetur apographum esse Ms. codicis Patrum Oratorii ; quod Romanum esse autumo. Non scripta fuit hæc Vita ab auctore æquali, ut e num.* 12 *facile videre est ; sed centum forte annis post* S. Bernerii *mortem. Neque ii sumus, qui obviis ulnis quæcumque in ea asseruntur amplectamur ; atque adeo in annotatis signabimus ea, quæ interpolata videntur, et a S. R. Congregatione aut expuncta aut saltem non admissa fuerunt. Porro in codice Ms., unde desumpta fuit, dividebatur Vita in* xii *lectiones, quarum unaquæque apud nos numerum constituet. Secunda, quæ nobis innotescit, Vita* ex Ebolitanis lectionibus in S. Bernerii Officio recitari solitis *a Ferrario fuit concinnata, et suo Catalogo Sanctorum Italiæ inserta. Hæ vero, quæ præluxerunt, lectiones diversæ sint oportet a prælaudata Vita, tum quoniam constructionem ecclesiæ S. Petri Ebulitanæ* S. Bernerio *tribuit, tum quoniam Reliquiarum inventionem et secutum miraculum memorat. Qui Hagiologium Italicum consarcinavit, Ferrarii opere usus est, illudque ad verbum descripsit, si Reliquiarum tamen inventio ab eo, nescio quare, omissa dematur. Tamayus autem ita*

C *Ferrarii scriptionem edidit, ut pauca tantum ei adjecerit ex Pseudo-Juliano. Tertia Vita, seu Officium, cujus jam meminimus, fere e locis communibus contexta est.*

D 4 *Quoniam vero Ferrarii opusculum brevibus complectitur quidquid de* S. Bernerio *cognitum aut adstructum fuisse videtur, juvat illud hic loci exhibere ; uncinis includemus, quæ ei Tamayus* (*b*) *ex spurcatis fontibus immiscuit.* [Bienerius, sive] Bernerius Hispanus [ex urbe Uxameburg quæ nunc Burgum Osmæ in Hispania dicitur] claro genere ortus, ab ineunte ætate, a sæculi voluptatibus abhorrens, relicta patria, ecclesiarum præcipuarum peregrinationem suscepit. In qua cum magnam vitæ partem consumpsisset, tandem in Italiam veniens, apud Ebolum, oppidum in Picentibus, substitit. Ubi, cellula exstructa, victum quæritans, modico pane et vino ob valetudinem stomachi contentus, cætera pauperibus erogabat. Cum is panem cuidam inopi, lignis et igne carenti, divinitus coxisset, eo miraculo sanctitas ipsius pervulgari cœpit ; quam plura subsecuta comprobarunt. Cum enim comes Ebolensis pontem super Silaro amne ædificare aggressus es-

E set, et quod una die exstruebatur altera corrueret ; Bernerius collecta mendicando pecunia, et ex ea lapidibus et cæmento emptis, fabricam pontis suis manibus aggreditur ; ita ut quod uno die factum esset, sequenti duplicatum inveniretur. Ponte igitur absoluto, ecclesiam S. Petro Apostolo prope construxit ; cui diu ille inserviit, donec a Deo vocatus, migravit in cœlum, campanis sponte sonantibus, et suavissimo odore ex ejus corpore exhalante. Corpus in ea ecclesia, quam ipse ædificaverat, conditum fuit ; ubi oleum quod congelatum erat, diu et incessanter redundavit. Cum autem multos annos delituisset, anno salutis 1554 die xvii kalendas Novembris inventum, ac miraculo pluviæ petitæ et impetratæ confirmatum, honorifice reconditum fuit ; et ad ejus tumulum etiam nunc dæmoniaci liberantur. Quapropter ab Ebolitanis præcipuo honore colitur hoc die. *Hoc Ferrarius, et secundum eum fere Tamayus.*

breviter ejus gesta rectantur.

Quæritur idemne sit ac quidam putatius S. Bienerus,

F 5 *Quæcumque porro de* S. Bernerio *commentanda sunt, annectuntur quæstioni cuidam, motæ a Tamayo de Salazar, qui Sanctum nostrum confudit cum quodam S. Biendrio vel Bienero, qui numquam in rerum natura fuisse videtur. Audiatur autem Tamayus* (*c*) : Duos hujus nominis (Bernerii *vel Bieneri*) solitarios apud diversos agnosco ; alium et alterum Hispanum ; forte in essentia et identitate unum deprehendes. Muneris enim mei hæc antiqua mens est, ut quidquid ad nostram attinet provinciam, palam faciam. Ergo auctoritates in medium proferam, pius lector securiorem protinus sententiam amplectetur. Julianus noster in Chronico, anno mvi num. 523, in hæc verba prorumpit : « Uxameburg quod nunc oppidum Burgum Osmæ dicitur, S. Bienerus solitarius colitur xi Aprilis. » Pene in nominis æqualis, in statu vero similis, et in origine indubius a Philippo Ferrario.... die xvi Octobris.... consignatur, *etc. Verum Tamayus, priusquam sciscitaretur atque investigaret num S. Bienerus Oxomensis idem esset ac* S. Bernerius *Ebulitanus, inquirere debuisset, an S. Bienerus umquam Oxomæ cultus fuerit, quin etiam an aliquando exstiterit. At testatur Julianus noster : sed noverit studiosus lector hunc Julianum eumdem esse ac Julianum Petri : quod nomen non secus ac nomen Flavii Lucii Dextri et tot aliorum, qui apud Hispanos mendaciorum fabri*

(*a*) Martyrol. Rom. indicat xxvi Oct. ; reliqua xx Nov. — (*b*) Ad diem xi April., p. 571. — (*c*) Ibid. loc. cit.

exsti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *exstiterunt, mera larva est, qua se quis ineunte sæculo* XVII *contexit, ut in Bibliotheca Hispana veteri* (*a*) *Nicolai Antonii late videre est. Jam vero, teste ipso Tamayo, qui medio* XVII *sæculo scribebat, suis temporibus nota non erant Oxomæ S. Bieneri Acta : unde nequidem veri similitudini inniteretur is, qui Pseudo-Juliano S. Bieneri Vitam prælusisse conjiceret. En Tamayi testimonium :* Si iste (S. Bernerius *Ebulitanus*) idem ac ille (*S. Bienerus*), de quo Julianus noster, et Ebolitanus *(civis quiscumque)* diem transitus et anni computum *(quæ reapse ignorantur)* ut suis inserat actis, inveniet ; et Uxamensis Ecclesia Hispaniæ TANTI DIVI ACTA COGNOSCET, ut tam ista *(Ecclesia Oxomensis)*, quam illa *(Ecclesia Ebulitana)* anniversariis jubilationibus festum celebrent singulare. *At ex postremis verbis, quibus innuitur ne annuum quidem festum Oxomæ celebrari in S. Bieneri honorem, adversus Pseudo-Julianum exsurgit argumentum, quod nonnihil aliunde confirmatur : penes me nempe est Kalendarium Oxomense anni* 1718 ; *atqui in hoc neque ad* XI *Aprilis, neque ad* XVI *Octobris, neque ad* XX *Novembris ulla S. Bieneri, aut* Bernerii *mentio fit ; similiter in Hispania Sacra Florezii, ubi* (*b*) *de Sanctis diœcesis Oxomensis agitur, nusquam S. Bieneri memoria occurrit ; neque ullam de eodem Sancto mentionem facit Uxamensis historiographus Loperraez Corvalan* (*a*).

B

a Pseudo-Juliano excogitatus et a Tamayo propugnatus :

6 *Ex præcedentibus satis jam liquet S. Bienerum Oxomensem, a Pseudo-Juliano adstructum, merito in dubium vocari. Verum etiamsi demus eum exstitisse, non video quare confundendus esset cum* S. Bernerio *Ebulitano : nam ex superstitibus monumentis (si tamen Pseudo-Juliani fœtus monumentum sit) non dicendi sunt eodem tempore vixisse. Superius auditus fuit Julianus asserens, S. Bienerum jam anno* 1006 *die* XI *Aprilis Uxameburgi cultum fuisse ; verum tum secundum Vitam editam ab ipso Tamayo, Ferrario et Hagiologo Italico, tum secundum Vitam Ms. a nobis edendam anno saltem* 1160 *nondum obierat* S. Bernerius *Ebulitanus.*

stabilitur negans sententia ex ætate Ebulitani templi.

7 *In opusculo scilicet Ferrarii dicitur noster Sanctus operam contulisse ædificando Ebulitano S. Petri templo, et in Vita Ms., quæ nobis multo potior est, hæc solum num.* 10 *prostant :* Dedicavit itaque hic Sanctus se servitio ecclesiæ, in ea juxta virtutem infirmi corporis deservire. Ecclesia autem, ubi maxime consueverat frequentare, C basilica est B. Apostoli Petri atque sanctorum habitatio monachorum, ubi et Ebolensis populus ejus limina venerantur. *Ex quibus evidens cum sit,* S. Bernerii *ætatem minime referendam esse ante hujus ecclesiæ constructionem, sine negotio demonstrari potest hunc Sanctum nondum e vivis excessisse, cum putatius S. Bienerus aut Biendrius jam coli dicitur. Audiatur itaque Ughellus* (*d*) : Hoc etiam tempore (*circa annum* 1156) ex autoritate Romualdi *(II, Salernitani archiepiscopi,)* Joannes abbas (*Ebulitanus*) ecclesiam S. Petri de Ebulo condidit ; opus aliqui male referunt ejusdem archiepiscopi ; sic enim testatur inscriptio in ipsa ecclesia :

Guillelmi regis, Antistitis et Romualdi
Temporibus domus hæc ædificata fuit.
Abbas istud opus venerabilis ille Joannes
Fecit, laus cujus est probitate minor.
(*Desunt duæ voces*) muros studiosi Bartholomæi
Fecit materiam ; sed superavit opus.
Anno D. MCLX.

(*a*) T. II, p. 36 et seqq. — (*b*) España Sagrada, t. VII, p. 299. — (*c*) Descripçion histor. del obispado de Osma. — (*d*) Ital. Sacr., t. VII, col. 401. — (*e*) p. 592, ad margin. — (*f*) *Lanovius, in Chronico generali Minimorum ad annum* 1577 *num.* 3 *referens, quo pacto ad Ordinem suum transierit hoc monasterium, seccundum communem sententiam aut famam illigat hujus cœnobii fundationem ævo Gulielmi Normanni II, cognomento Boni, quem cœnobii fundatorem statuit.* D

Indidem conjici potest de tempore quo vixerit S. Bernerius.

8 *His positis, extricet se jam quisquis Tamayi asserta propugnare aveat. Ei quippe in primis necesse est, ut inficias eat* S. Bernerium *obiisse post annum* 1160, *quo multo antiquior æstimandus est ille S. Bienerus, quem Pseudo-Julianus anno* 1006 *Uxameburgi cultum fuisse tradidit. Ex dictis quoque liquet, hallucinari meritissimum Castellanum, cum in Martyrologio suo Universali* (*e*), *juxta* S. Bernerii *memoriam, tempus emortuale annum circiter* 980 *statuit. Qui error tribuendus est Tamayo, hæc scribenti :* Quatenus ad annum, in quo ab hac sanctus anachoreta peregrinatione discesserit, scriptores conticescunt. Tantum Julianus ad annum 1006 Christi ejus cultum apud Uxamam consignat. Ex quo facile credi potest, illum antiquiorem accepisse venerationem. *Inter annum mortis et annum* 1006 *putatitii cultus inseruerit Castellanus annos circiter* 25 ; *qui calculus eum ad annum* 980 *reduxit. Ex præmissis vero libenter* S. Bernerii *mortem exeunti sæculo* XII *illigabo, donec rationes, huc usque mihi ignotæ, aliud suadeant. Diem emortualem in dubium quoque vocari num.* 2 *ex Castellano notavi : quam tamen ad mediam circiter hyemem referrem ob miraculum, factum in ejus morte,* quo oleum, quod tunc ibi *(in ecclesia S. Petri)* COAGULABATUR, incessabiliter redundabat ; *nisi, cum nihil apprime certi occurrit, veneranda mihi esset auctoritas S. R. Congregationis, quæ anno* 1602 *approbavit Officium, in quo* S. Bernerius duodecimo kal. Decembris migrasse in cœlum miraculis clarus *affirmatur.* E

Fata Ebulitanæ abbatiæ, ubi hic Sanctus quiescit.

9 *Locus, in quo* S. Bernerius *colitur, atque alia quædam ad impertitos ei honores pertinentia paucis illustranda supersunt.* Ebolum *scilicet, ut loquitur Lanovius in Minimorum Chronico ad annum* 1577 *num.* 3, haud procul amne Silaro, supra Salernum, in Orientem XVIII millibus passuum, quo spatio amœna et florens planities tenditur, oppidum est opulentum, frequens et clarum, quod ejusdem nominis fluvius alluit, Campania, episcopali urbe, non longius quatuor passuum millibus. *Non tamen jacet in Campanensi, sed in Salernitana diœcesi, ut docet tum Augustinus Lubinus in Brevi Notitia Abbatiarum Italiæ* (*f*) *tum quidam Codex Ms. Taxarum Cameræ Apostolicæ, sæculo* XIV *ineunte exaratus, atque nunc inter nostra litteraria cimelia servatus. In hoc oppido, quod vulgo* Evoli *dicitur,* jam olim, condita fuerat abbatia Ordinis Benedictini, S. Petro Apostolo sacra, fundatore (ut fama est) Guillelmo Normanno II, utriusque Siciliæ rege, cui ob pietatem, prudentiam et illibatæ auctoritatis conservationem Boni cognomen factum est. *Quam tamen fundationem, circa annum* 1156 *cœptam, ut superius monendum jam fuit, Romualdus, id temporis Salernitanus archiepiscopus, ne verbo quidem attigit in latissimo suo Salernitano Chronico, quod initio tomi* VII *Rerum Italicarum Muratorius edidit. Ipse tamen Romualdus nonnihil contulit hujus fundationis stabilitati, cum anno* 1160, *die* XV *Januarii, indictione* IX, *archipræsulatus sui* VII *confirmavit Joanni, Ebulitano abbati, ejusque successoribus omnia bona juraque abbatiæ. Hæc Ughellus* (*g*) *et Lubinus* (*h*) ; *qui insuper docet jam pridem hanc abbatiam consi-* F

P. 121. — (*g*) Ital. sac., t. VII, col. 401. Edit. Venet. — (*h*) Notit. abbat. Ital., p. 121.

storialem

A storialem *fuisse* et in commendam dari solitam; *quin addit Lanovius eam ante annum* 1577 longum jam tempus *exstitisse* desertam; *et subjungit :* Ill. autem et Rev. D. Antonius Carafa, eo sacerdotio ac supremo galeri honore a Pio V exornatus, *eamque abbatiam commendatam tenens,* nihil habuit antiquius, quam ut exemplaris et austeræ vitæ professores in illud monasterium induceret. Habito igitur delectu, Minimos ad eam rem sublegit, et anno 1577 in possessionem misit, attributis in annum perpetuis censibus et redditibus ex bonis ipsius monasterii, quod Gregorius XIII Pontif. Opt. Max. probavit et laudavit. Cœnobium altari, ut vocant, privilegiato gaudet, et antiquum S. Petri titulum retinet.

et qui huic tribuuntur honores aliquantum illustrantur.

10 Asservant etiam *hujus loci cœnobitæ* sacrum corpus B. Bernerii solitarii, cujus virtus in expellendis dæmonibus præsertim elucet. Agunt illi diem festum Ebolenses ut patrono suo XVII kalendas Novembris. *Huc usque Lanovius, Officium, quod num.* 1 *anno* 1602 *concessum diximus, de communi Confessoris non Pontificis est, præter lectiones quartam et quintam secundi Nocturni; idque alio quoque die quam* XX *Novembris recitandum esse liquet ex his approbationis verbis :...* Sanctissimus Dominus noster *(Clemens Papa VIII)...* annuit, ut, etiamsi in Kalendarium Romanum relatum non sit, imprimi, et in terra prædicta IN DIEBUS PRÆSCRIPTIS una cum illius Missa publice recitari libere et licite possit et valeat, *etc. De his vero diebus conjicere licet ex his, quæ num.* 1 *allata sunt. In sæpius hoc memorato Officio binæ etiam exstant* S. Bernerii *imagines, quæ mere imaginaria commenta sunt. In utráque pingitur in campis, et juxta eum consurgit templum aut monasterium Ebulitanum; in utraque exstat barbatus, in priore crinitus, in altera capuccio tectus; utrobique tenet baculum, utpote senex; in priori præterea gestat librum, vestemque talarem habet, in altera monachali induitur; in hac splendet Minimorum scutum, radians gloria, cum inscripto verbo :* Charitas; *in illa gerit rosarium, longius quam ut confundi possit cum hac brevi globulorum serie, qua in Occidenti, non tantum sæculo* XII, *ut inventio corporis S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ patefecit (vide ejus Vitam in Opere nostro ad diem* IV *Septembris), sed jam sæculo* VII *homines usos fuisse prodidit tumulus S. Gertrudis Nivellensis in Brabantia* (a); *adeoque ita longum, ut Dominicanum rosarium dicendum sit : atque proin videatur anachronismus.*

B

C

VITA

S. BERNERII EREMITÆ.

Ex codice Ms. Oratorii, verisimiliter Romani.

S. Bernerius *a*

Olim, fratres carissimi *a*, cœnobitarum numero novimus Christi Ecclesiam militare, chorosque cœli civium restaurari : hoc manifeste in Genesi scribitur : Crescite et multiplicamini et replete terram. Cum enim Christi pauperes de sæculo migrant, cœnobiorum monilibus adornati; terram promissionis adimplent, lactis et mellis dulcedine distillantem ; hæc enim illa terra est, de qua in Cantico Canticorum scribitur : Flores apparuerunt in terra nostra. His autem Sanctorum collegiis Beatissimum Bernerium ingenti virtutum congerie novimus sociatum ; hoc enim et vitæ gesta probant insignia, hocque corruscantia crebra miracula protestantur. AUCTORE ANONYMO.

2 Fuit, inquam, hic natione Hispanus, ex illustri prosapia oriundus, et quia mundi deliciæ carnis excitant appetitum, carnis jam oblectatione despecta, Deo servire cupiens, decrevit corpus tradere egestatis et laborum asperitatibus macerandum. Hac igitur Sancti Spiritus exspiratione * quam pluries per cordis angulos revoluta, diversorum Sanctorum corpora duxit propriis pedibus visitanda ; quod et ita factum est. *Hispanus, austerus anochoreta,* * inspiratione

3 In hac igitur peregrinatione diuturna temporis prolixitate vacans, intemeratam conscientiæ aulam Deo studuit reservare ; non enim decebat tanto regi veste sordida suum dapiferum ministrare, Domino per prophetam dicente : Ambulans in viam immaculatam hic mihi ministrabat ; et iterum : Innocentes ut recti adhæserunt mihi. Fuit enim licet juvenis corpore, senile tamen cor gerens, in opere sanctimoniæ sibi non quasi nomen usurpans, sed sortitus bonam animam, rem nominis qualitati conformans. Lumen circum adstantibus publicavit : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *visitat Sanctorum corpora,* E

4 His, inquam, visitationibus jam peractis, viribus jam corporis vetustate privatus, quietem corpori quærens, duxit apud Italiam declinare, ubi posset Beatorum Apostolorum videre corpora plurimarumque Sanctarum Virginum, necnon et vitæ præsentis cursum sub divinæ venerationis obsequio terminare ; dicebat enim : Hic alias errorum gentilium vigebant vitia detestanda : vadam et in Christianæ religionis veritate prædicans confirmabo, ne majorum errorum ramusculi valeant pululare, dicente Philosopho : Parvus error in primo, magnus est fine. *venit in Italiam,*

5 Videte, fratres carissimi ; non nos conturbent cogitatus qui in Sancti cor ascenderunt ; licet enim humanæ scientiæ nudatus exstiterit, nec propter hoc obstabat ipsum posse divini verbi præconium euangelizando monstrare ; hinc Dominus ait : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et iterum Apostolus : Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Venit igitur Sanctus in Italiam ; sed apud Ebolum *b* citius quam alibi declinavit *c*, tum quia humani generis hostes, eum invadere cupientes, quam plures prosequi consueverant, tum quia etiam hominum malitia * in ipso quam in cæteris abundabat. Ex quo autem Sanctus terræ fores intravit, dæmoniorum cessavit invasio, et plurimi a nequitiis, sedulæ prædicationis latratibus, destiterunt. *concionatur apud Ebulum,* F *b* *c* * tam *forte deest,*

6 Ebolum igitur veniens, viarum *d* studebat lubricitates infringere, ne inopum nudos * læderent. Divini amoris ignibus inflammatus, inopum etiam supplebat inopiam, cum substantiam mendicaminis erogabat. Panis bolum ad corporis sustentationem sumebat, aquæ bibens forsulum *e*, nisi quandoque vini tantum saporem propter sanitatem. Viros ac mulieres, ad quos pro petenda eleemosyna declinabat, ad mentis puritatem atque de commissis pœnitentiam hortabatur. Inter pauperes in rebus præ cæteris abundabat, sanctitatis se præbens cæteris in exemplum. De receptis autem, arctam vitæ necessitatem retinens, præbebat aliis quod restabat. *ubi et multa bona opera præstat.* *d* * pedes *deest* *e*

7 In vigiliis *f* quidem sancti diei septimi opera servilia denegabat, imitatus vestigia Conditoris ; in Genesi enim scribitur : Requievit Deus die septimo *Sabbatum observat, panes sine igne coquit,* *f*

(a) Ryckel., Vit. S. Gertrudis, p. 791 et seqq.

AUCTORE ANONYMO.

septimo ab omni opere quod patrarat; et ipsemet dicit: Qui sequitur me, habebit lumen vitæ. Hanc vitam, a Domino sua passione tributam, Beatus Bernerius cupiens, resurgentem Dominum, omni mundana occupatione postposita, spiritum contemplationi dedicans, exspectabat. Post nonam * igitur semel accidit, quod quædam inops panes fecerat, nec ligna ad coquendum habebat; Sanctus igitur Bernerius, misericordia motus, appositos panes absque igne coctos reddidit. Fama autem ejus ut virtuosior publicabatur.

* *intellige* horam.

miseros javat,

8 Fratres, itaque hic Sanctus erga afflictos pia gestans viscera, eos de bonis propriis, quæ in labore mendicaminis acquisierat, refovebat; despectos visitabat; infirmos cunctos lucro sudoris proprii redimebat; diligebat bonos; malorum tamen naturam, licet opera, non odibat; proximorum nimis corporis, et animæ maxime, procurare salutem frequentissime nitebatur: [inde *g* est quod comes *h* quidam, qui super Ebolum dominio fungebatur, duxit pontem magni ædificii in flumine Sileris construendum, erga Christi fideles eminentia pericula cupiens evitare. Cum ergo ædificare cœpisset pilam, quæ in medio est fundata, constructa die uno, die altero corruebat.

g
h

B

pontem extruit,

9 Beatus autem Bernerius, zelo salutis fidelium Christi motus, in labore mendicaminis in quantitate bona pecuniam acquisivit. Emptis ante lapidibus et cœmento, suis propriis manibus pilam fundavit, magnamque construxit, cœlesti adminiculo mediante. Quod enim die uno in fabrica construebat, die altero duplicatum; et licet suo pretio alios pro operum servitio teneret, non divertit ab oneribus dorsum ejus, sed propriæ manus ejus in cophino serviebant.] Sancti quidem fama vigebat, sanctitate vitæ et actis mirabilibus declarata. Erat itaque viribus corporis destitutus, cum esset grandævus tempore, attritusque in membris corporis præ labore.

ecclesiis inservit et moritur;

10 Dedicavit itaque hic Sanctus se servitio ecclesiæ, in ea juxta virtutem infirmi corporis deservire. Ecclesia autem, ubi maxime consueverat frequentare, basilica est B. Apostoli Petri, atque sanctorum habitatio monachorum, ubi et Ebolensis populus ejus limina venerantur *i*. Hinc per Prophetam dicitur: Cum sancto sanctus eris. Cum ergo die quadam apud oleariam quamdam pro petenda eleemosyna declinaret, a Domino vocatus occubuit *k*. Hujus anima sancta cœlum penetrat triumphalis, a Rege gloriæ serto regio coronatur, quod et gesta probant insignia.

i

C

k

post mortem

11 Odor autem, qui de ejus corpore emanabat aromatum omnium et universi generis unguentorum redolentiam superabat. Campanæ autem castri prædicti, velut sancti præconium in laudibus prædicantes, omni humano adminiculo denegato incessabiliter pulsabantur. Populus autem unanimiter irruentes sanctis inventis Reliquiis *l* in S. Petri basilica locaverunt. Oleum autem, quod tunc ibi coagulabatur, incessabiliter redundabat; quod et adhuc beneficium ob Sancti reverentiam reservatur.

l

multa et magna patrat.

12 In Sancti autem hujus morte, atque post mortem multa miracula *m* ad ejus laudem et gloriam Deus ostendit, spiritualem sibi gratiam Deus contulit, ut nec immundorum spirituum valeant quæque contagia resistere. Vidimus quidem tempore nostro, necnon et didicimus *n* a præcedentibus, et sequentibus nos plurimas * ejus meritis fore salvatas, quas nec quidem Apostoli salvaverunt. Ajo hoc, non quasi B. Bernerium ipsos majoris meriti reputemus, sed Sancti merita coruscantia crebra miracula protestentur, ut probare videtur Gregorius in Dialogo *o*. Si gloriosa quidem miracula, quæ post mortem ejus meritis Deus ostendit, longum esset enarrare; scire tamen vos cupio, quod, si qui ab immundus vexati spiritibus, devote ad ejus limina accedentes, percepto beneficio sanitatis *.

m

n

* animas *deest.*

D

o

* *supple* recedunt.

ANNOTATA.

a *Num.* 3 *Commentarii prævii dictum jam fuit de hujus Vitæ antiquitate. Forma ejus, panegyrica potius quam biographica, significare videtur, eam primitus concionem fuisse. Unde colligere est, eam non ab initio in duodecim lectiones fuisse divisam: quæ animadversio ad annotatum g usu veniet.*

b *De Ebuli situ nonnulla jam memini num.* 10 *Commentarii prævii sequentia præterea de hoc oppido tradit Baudrand in Lexico Geographico:* Ebolum aliis est Eburi, Evoli, oppidum alias Picentinorum, nunc regni Neapolitani, in provincia Principatus Citerioris, ducatus titulo clarum, sex milliaribus distat ab ora littorali sinus Salernitani in ortum, et quindecim a Salerno etiam in ortum. *De ejus antiquitate, origine fabulosa, monumentis, historia, quædam attingit Henricus Baccus in descriptione regni Neapolitani* (*a*).

E

c *Hæc Vitæ verba:* Sed apud Ebolum citius quam alibi declinavit, *et hujus numeri reliqua tam obscura sunt, ut in dubium vocandum sit, num* S. Bernerius *reapse Romam iverit et Sanctorum Apostolorum corpora visitaverit, quemadmodum, antequam Hispania egrederetur, mente conceperat. Eum tamen hæc sacra pignora veneratum fuisse affirmant tum Ferrarii scriptum, tum Officium Ebulitanum anni* 1602.

d *Etiamsi alia deessent monumenta, quales concessiones indulgentiarum, etc., hinc liqueret, medio ævo tamquam opus caritatis usitatum fuisse, ut quis vias æquaret, et itinerantibus pararet commodiores.*

e *Quid* Forsulum *sibi velit, apprime non video: estne nomen vasis, aut calicis? An haustus? Nonne potius male scriptum est ab amanuensi? Ex ipso enim nostro apographo, ubi delet et substituit, atque evidenter nonnumquam male describit, constat eum non certo atque securo oculo Ms. codicem legisse; in quo forte exstabat* Sorbellum, Sorbinum *aut* Sorbium, *quæ voces medio ævo usurpatas fuisse innotescit. Si vero quis vocabulo* Forsulum *adhærere velit, scribat saltem* Forsulam, *quod idem est ac* Fossulam, *quoniam, teste Cangio ad similes voces,* r *ante* s *nonnumquam in* s *mutatur; atque tum* Forsula *calicem, imitatum parvam fossam, significabit.*

F

f S. Bernerium *in colendo sabbato, si tamen ita interpretandus sit hic locus, erroneam secutum esse doctrinam obvii theologi docebunt. Cavebis tamen ne* S. Bernerium *Sabatatum facias, aut Waldensium præcursorem: recte quippe docet Cangius ad hanc vocem non ex observantia sabbati Waldenses* Sabatatos *nuncupatos fuisse. Verum ille idem ad vocabulum* Sabbatizare *exempla affert, quibus patet* S. Bernerium, *aut ejus saltem encomiasten non solum in hoc errore fuisse versatum: quamobrem Hayto Basileensis episcopus, cap.* VIII *de die Dominico, præscribit:* Sabbatum vero operandum a mane usque ad vesperam, ne in Judaismo capiantur. *Sæculo* XVI *viguit iterum sabbatizantium error apud*

(*a*) Græv. Thesaur. Antiquit. et Hist. Ital., vol. IX, t. I, col. 38 et seq.

neo-

neotericos, de quibus Beyerlinck in Magno Theatro (*a*) : Sabbatarii sunt hujusce tempestatis hæretici, secta Anabaptistæ, qui nimirum authore Staphilo de Lutheranorum inter se concordia, sabbatum more Judæorum colunt. De quibus Lutherus libro contra Sabbatarios.

g *Totum hunc locum, uncis inclusum, interpolatum fuisse, manifestum mihi est. Id factum sane fuerit cum* S. Bernerii *encomium* (*vide annotatum* a) *in duodecim Lectiones distributum est. Interpolationem autem adesse lector admittet facile, si animadverterit contextum intricatum esse, si locus ille non rejiciatur ; et contra facile fluere, si dematur. Cæterum e duplici capite narratum illic miraculum credibile non est. Etenim illud admissum non fuit a sacra Congregatione Rituum, in Officio anni* 1602 ; *licet, ut præfigitur, ei notæ essent* S. Bernerii *res gestæ ; dein non cohæret istud miraculum cum adjunctis præcedentibus, atque hiulca non nulla includit. Eccum specimen ex initio num.* 4 : His, inquam, visitationibus jam peractis, viribus jam corporis vetustate privatus, quietem corpori quærens, duxit apud Italiam declinare : *ubi quidem facile concedemus, hanc virium corporis minutionem non verum languorem fuisse, cum num.* 6 *narretur* lubricitates viarum infregisse *(quod senis opella esse potest) ; ast non æque imbecilli seni adscribi queunt, quæ num.* 9 *prostant, mendicasse videlicet pecuniam, quæ solvendo operi esset, propriis manibus pilam pontis fundasse, dorso tulisse onera, parasse ipsemet cophinum aut cæmentum. Præterea qui hæc scripsit, multo ineptior est, quam reliquæ Vitæ auctor : hic sane secum non ita discors est, ut initio narret comitem Ebulitanum mente concepisse pontem de suo construendum, atque id ab eo fuisse tentatum ; et dein* S. Bernerium *ad pecuniam emendicandam emittat.*

h *Quis ille comes sit, nullo modo assequi possum. Hoc tamen circiter ævo comites Ebulitani exsistebant ; nam in Chronico Cavensi* (*b*) *sub anno* 1121 *reperimus :* Obiit Robbertus, Evulanus comes ; *decessor sane illius, qui hic loci in* S. Bernerii *Vita indigitatur.*

i *De hac ecclesia et abbatia dictum est in Commentario prævio num.* 7 *et* 9. Populus ejus (*Petri*) limina veneratur, *allusio est ad usum, quo Romam pergunt Christi fideles, sanctorum Apostolorum, imprimis Petri, limina veneraturi.*

k *De tempore mortis videsis Commentarium prævium num.* 8.

l *Hæc Reliquiarum inventio manifeste nihil aliud est* (*ut ex contextu patet*) *quam inventio cadaveris* S. Bernerii, *in via modo demortui, cum pergeret ad mulierem, quæ oleum venditabat. Vide num.* 4 *veram Reliquiarum inventionem anno* 1554 *factam.*

m *Horum miraculorum memoria in Officio anni* 1602 *servata est.*

n *Amanuensis iterum culpandus hic videtur : propositioni quippe deest sensus logicus ; sic restitui oportere arbitror :* Didicimus e præcedentibus et sequentibus nos plurimas animas, *etc., seu :* Didicimus a præcedentibus, ex sequentibus nos, *etc.*

o *Allusio est ad caput* VI *libri* IV *Dialogorum S. Gregorii Magni. Illic scilicet tradit S. Gregorius e miraculis cognosci posse Sanctorum animas cœlesti gloria frui.*

(*a*) T. VII, p. 3. — (*b*) Pertz, Monum. German. Script., t. III, p. 191.

ADDENDA AD HUNC TOMUM.

I Ad Prætermissos XV Octobris. Bedani, *aliunde nobis ignoti, memoriam facit Lobinavius in Catalogo Sanctorum quorum cultus quidem in Britannia ei innotescebat, Vita vero nequaquam* (*a*). *De S. Bedano sic ille gallice disserit :* S. Bedanus nomen est parœciæ cujusdam in diœcesi Sam-Briocensi, cui vocabulum quoque est S. Brendanus. Vulgus sæpe designant hanc parœciam nomine S. Medani, qui in Hibernia sæculo VI episcopali dignitate et vitæ sanctitate conspicuus, die festa XIV Aprilis deinceps coli meruit. Hic forsan patronus primitivus templi S. Bedani fuit. *Hæc Lobinavius, indicans dein festivitatem patroni (quiscumque ille tandem sit) in parœcia* S. Bedani *agi die* XV *Octobris. Cum nihil sit cur novas conjecturas adjiciamus opinationibus Lobinavii, id tantum monebimus in Opere nostro actum fuisse de S. Brendano, celeberrimo abbate Hibernico, ad diem* XVI *Maii, qua ejus memoriam recolit Martyrologium Romanum, et ad diem* XIV *Aprilis prætermissum fuisse S. Medanum, quia non aliunde quam ex Dempstero cognosceretur. Forsan plura de eo disquiri poterunt, quando prodibit sanctus Medanus, episcopus in Scotia, ad diem scilicet* XIV *Novembris.*

II Ad pag. 7 circa medium. *Quæ gerunt Martyres in pictura Capuana, insignia interpretari placuit mappas : simile quid occurrit apud Joannem Ciampinium* (*b*) *tab.* XLIII, *quod hic dicit esse volumen antiquæ formæ ; sed quominus eamdem interpretationem demus Capuanæ imagini, impedit quod etiam binis fœminis concedendum esset volumen, Apostolis, qua Doctoribus, a Ciampinio tributum.*

III Ad Commentarium de S. Mummolino, pag. 972, col. 1, lin. 7. *Decennio circiter ante* S. Mummolinus *multo præstantius beneficium contulerat S. Berchario, siquidem, teste Adsone, operam suam impendit, ut locus quidam, in saltu Dervensi situs, Lutosæ nomine, huic Sancto donaretur : Childericum II, inquit Adso,* eximius pater Bercharius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris, Dei amore ferventibus, Leodegario et Mummoleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam S. Martini in honore consecravit ; prædictus rex circumquaque ab ecclesia silvæ leuga una benigne donavit. *Plura de his in præsenti volumine legere est in Commentario prævio de S. Berchario num.* 40 *et in ejus Vita num.* 22. *Ex his quoque colligere est* S. Mummolinum *æque gratum fuisse Childerico II ac olim Clothario II, et in illius quoque palatio nonnumquam fuisse versatum.*

(*a*) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. XLII. — (*b*) Vet. Monum., t. II, p. 142.

INDICES

IN TOMUM SEPTIMUM OCTOBRIS

Numerus paginam indicat; a b c d e f *sectiones paginarum;*
† *Sanctum designat.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX

HISTORICUS.

A

Abbo *episcopus subscribit testamento S. Lonegesili monachi* 938 e
† Acharius *episcopus Noviomensis et Tornacensis* 963 e f. *Reliquiæ ejus recognitæ anno Domini* MDCCXCV 975 b, 976 a *et* seqq.
† Adalbaldus *cephalophorus* 819 c
Adalbaldus *abbas Uzerchiensis* 823 d
Adalbero *episcopus Virdunensis* 919 e
Adda. (*Vide* Etho.)
Adrianus *Ordinis FF. Minorum Capuccinorum scriptor Vitæ S. Eliphii* 801 e f
Adroaldus *fundator Sithivensis monasterii* 959 e, 961 a, 962 a b *et* 982 d e; *citantur ipsa donationis verba* 985 d e
Adso *abbas Dervensis, auctor Vitæ S. Bercharii* 987 f, 988, 989 b c d, 1022 b f *et* 1023 a. *Non agit de reliquiis S. Eliphii* 807 c
† Agapiti *Martyris Reliquiæ in monte S. Michaelis in Normannia* 1127 a
† Agericus *episcopus Virdunensis* 925 b *et* 926 d
Agericus *archidiaconus Pictavensis, post episcopus ejusdem urbis, in catalogo episcoporum non reperitur* 939 b-e *et* 944 b
† Agilus *abbas Resbacensis* 869 a-d
Agnoaldus *offert S. Columbano S. Agilum filium suum* 869 a-d
Agrippinus *diaconus S. Ambrosii Cadurcensis episcopi* 1047 d
Aigle (*de l'*) *vicarius capitularis Tullensis jubet recognosci Reliquias S. Eliphii* 805 f
Aiglo *abbas S. Petri Senonensis* 1007 e
Alanus *episcopus Autisiodorensis* 855 d
Alardus *abbas Dervensis* 1021 e
Alaricus II *Visigothorum rex, Catholicorum persecutor* 848 c *et* 850 b
† Albanus *cephalophorus* 819 c
Albanus *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 801 b
Albericus *abbas Dervensis* 1022 c
† Albeus *episcopus Hibernus* 852 d e f *et* 853 d
† Albini, *Andegavensis episcopi, Reliquiæ Noviomi* 975 b, 976 a c *et* 977 d
† Albuinus *seu* Wittanus, *episcopus suffraganeus S. Lulli* 1068 b, 1080 f *et* seq.; 1090 a *et* seq.
† Adelmus. (*Vide* † Aldhelmus.)
Aldegerius. (*Vide* Hildegarius).
Aldfridus *rex Northumbriæ* 1076 f *et* 1077 a b
† Aldhelmus *episcopus Shireburnensis scriptor insignis* 1055 d *et* 1056 f.
Albuinus *seu* Hilduinus *episcopus Lemovicensis monachos in Agentense monasterium introducit, ac dein expellit* 822 f *et* 823 a b. *Subscribit chartæ fundationis Agedunensis* 823 d
Alemanni *a Juliano et Constantio imperatoribus sæpius lacessiti* 818 e. *Iidem sub Francorum regibus* 870 a-f *et* 871 a-e
† Alexander *Martyr inter Prætermissos* 794 e
Alexander II *Papa mittit Cluniacenses monachos in Hispaniam* 1151 e *et* 1132 f
Alexander III *Papa confirmat donationem monasterii S. Mariani* 855 d, *confirmat reformationem canonicorum S. Stephani Tolosæ* 1153 a. *An canonizaverit S. Bertrandum Convenarum episcopum* 1160 f *et* seqq., 1181 c
Alhredus *rex Northumbriæ* 1077 d
Allogiosus *male scriptum pro Ambrosio* 1033 a
Almodus *abbas Cerasii in diœcesi Bajocensi* 1127 b
Alphonsus VI, *dictus* Magnus, *rex Legionis atque Castellæ* 1131 e f *et* 1132 c-f
† Alpinus *episcopus Catalaunensis, cujus Reliquiæ in Montefalconis* 922 d
Amalricus *optimas Franciæ S. Bercharii martyris fautor* 995 b, 1016 f *et* 1017 c
† Amandus *episcopus Trajectensis condit testamentum suum* 971 a b
† Amandus *Genuliacensis confessor* 836 a *et* seq.
Amanevus II *archiepiscopus Ausciensis* 1162 f
† Amati *archiepiscopi Senonensis, variæ translationes* 1104 a *et* 1105 a e
† Ambrosius *mediolanensis episcopum auctor est libri de Mysteriis* 1037 e f
† Ambrosius *discipulus Didymi colitur die* XVII *Martii* 792 a b
Ambrosius (*a Corbaria*) *in insula Corsica, inter Prætermissos* 793 d
Ambrulfus *presbyter Andegavensis, propter invidiam divinitus punitus* 937 c *et* 941 f
Amelius *episcopus Tolosanus* 1152 c *et* 1160 a
† Anastasius *Martyr Persa Venetiis quiescit* 1125 b
Anchieta (*Joseph*) *S. J. prodigiis clarus* 1120 a
Andreas, *de quo S. Augustinus, abbas monasterii Tabraceni in Africa* 829 c d
Angilramnus *episcopus Metensis* 1069 e
Anna (*Maria a Jesu*) *virgo sæcularis in America Meridionali* 1120 a

† Anno *Coloniensis archiepiscopus increpatur a S. Eliphio ut incuriosus sui cultus, unde duplicem turrim addit sanctuario S. Martini Majoris Coloniæ* 810 e f *et* 811 a b
† Anscharius *archiepiscopus Hamburgensis, biographus S. Willehadi* 1079 d
† Anselmus *Beccensis scribit ad Robertum de Tumbalenia* 1129 a b c
Anselmus *senior, dominus Acquiscinctii* 1103 b c
Anselmus *junior seu* Ansellus *fundator monasterii Ribodimontis* 1103 b c d
† Antiochus *episcopus Lugdunensis colitur* XV *Octobris* 792 e
† Antoninus *Martyr Appamiis* 1138 d *et* 1140 d e
† Apollonia *non est confundenda cum S. Bolonia virgine et martyre* 817 c-e
† Ardagnus *abbas Trenorchiensis* 1095 f
† Aredius *abbas* 837 b c
Arnaldus *diaconus cardinalis ecclesiæ S. Mariæ in Porticu* 1162 f
Arnaldus II *abbas de Benedictione Dei* 1162 f
Arnaldus II *(Novelli) abbas Fontis frigidi* 1162 f
† Arnulfus *episcopus Metensis colitur die* XVIII *Julii* 792 b c
† Arnulfi *corpus olim Trenorchii* 1095 f
Arnustus *archiepiscopus Narbonensis* 1113 f
Arx (*Ildephonsus von*) *edit antiquiorem Vitam S. Galli et scribit historiam pagi Sangallensis* 856 c
Assuerus *abbas Prumiensis* 1070 d
Atelanus *episcopus Laudunensis S. Bercharii martyris fautor* 995 e, 999 a, 1017 c *et* 1018 f
Ato *(Raimundus) comes Insulanus, pater S. Bertrandi* 1144 c f, 1145 a e *et* 1173 b
† Attala *abbas Bobiensis, natione Gallus* 869 f
Attila *rex non videtur pater S. Amandi Commodoliacensis* 838 c d
Attuarii *a Juliano apostata debellati* 802 b
Audo *episcopus Aurelianensis* 966 a
† Audoenus *episcopus Rotomagensis* 965 b c f.
† Audomarus *episcopus Taruanensis* 956 a *et* seqq.
Augerius (*de Monte Alto*) *abbas Simorræ* 1162 f
† Augustinus *Ecclesiæ Doctor institutum monasticum in Africam invexit* 829 e *et* 830 a b c
† Aunarius *episcopus Autisiodorensis ecclesiæ instituit circulum precum per varias parochias suæ diœcesis* 853 f *et* 854 a e
† Aureliæ *virginis Reliquias reponit S. Columbanus abbas* 872 c, 873 a b c d *et* 886 c
Aymatus *perperam inter episcopos Cadurcenses successor S. Ambrosii ponitur* 1042 f *et* 1043 a b

Æ

Ærdulfus *episcopus Roffensis* 1077 d
† Ægidius *confessor inter Prætermissos, colitur* I *Septembris* 792 c
† Ængussius *martyrologus* 950 b
Æthilbertus *rex in Anglia* 1078 a

B

Baccius *pater, ut fertur, S. Eliphii* 805 b
Baillet (*Adrianus*) *sæpius in Vitis Sanctorum errat* 801 d e, 864 e f, 865 a *et* 935
Baldetrudis *ope S. Magnobodi visum recipit* 943 d e
Balduinus *archiepiscopus Cantuariensis inter Prætermissos* 794 b c
Balduinus I *comes Flandriæ* 1104 e
Balduinus (*de Bocla*) *fundator abbatiæ Baudeloensis in Flandria, inter Prætermissos* 794 a
† Bardo *archiepiscopus Moguntinus* 1068 b
Barnoinus *archiepiscopus Viennensis* 1006 f
Barro (*Cardinalis de*) *elevat Reliquias S. Baloniæ* 817 b *et* 819 f; *varias regit ecclesias* 820 a b
Barro (*Robertus dux de*) *pater Cardinalis* 820 b
† Basilii *corpus olim Trenorchii* 1095 e f
† Basolus *abbas* 1022 d *et* 1023 f
† Bassianus *episcopus Laudensis, distinguendus ab ejus homonymo Martyre* 796 b
† Bathildis *regina Francorum tutelam Childerici II gerit* 857 b
Bavo *dat S. Nivardo possessionem suam* 1015 d
† Beda *non fuit magister S. Lulli* 1055 b-e
† Bedanus *inter Prætermissos* 1189 b c
Bellegarde (*Octavius*) *archiepiscopus Senonensis ecclesiæ* 987 e
† Benedicti *regula quo sensu incognita esset sæculo* X *in Gallia* 1021 e f *et* 1023 d e
† Benedicti (*de Quinciaco*) *corpus olim Trenorchii repositum* 1095 f, 1099 b *et* 1100 f
Benedictus XII *Papa* 1156 e f
Benedictus *abbas Wiremuthensis* 1077 a
Benzo *abbas Dervensis* 1021 e *et* 1022 a b
† Berarius *episcopus Cenomanensis inter Prætermissos* 795 a
Berathgit *filia B. Chunehildis et cognata S. Lulli ex Anglia in Germaniam vocata* 1053 a e
† Bercharius *colebatur simul cum S. Bolonia in diœcesi Lingonensi* 816 f
† Berengarius *monachus* 1135 f
Berengarius *presbyter cardinalis tituli SS. Nerei et Achillei* 1162 f
† Bernardus *Ecclesiæ Doctor ubi ante canonizationem sepultus* 795 f
† Bernardus (*Calvonius*) *Ordinis Cisterciensis episcopus Vicensis in Catalaunia, inter Prætermissos relatus* 795 b c
† Bernardus *abbas Tyronensis* 1157 e
Bernardus *archiepiscopus Ausciensis consecrat cœmeterium Ausciense* 1159 b-d
Bernardus *archiepiscopus Rotomagensis* 1162 f
Bernardus *episcopus Laburdensis* 1157 e
† Bertana. (*Vide* † Eremberta.)
† Bertha *abbatissa et Martyr colitur* I *Maii* 792 b
† Bertharius *abbas Cassinensis, Martyr* 986 e
Berthefridus *episcopus Ambianensis concedit privilegium Corbeiensibus* 966 d *et* 971 e
Bertier (*Antonius Franciscus*) *episcopus Rivensis recognoscit Reliquias S. Anastasii* 1136 a
† Bertinus *abbas Sithivensis* 955 f, 957 c *et* seqq., 970 b *et* seqq.; *successit S. Mummolino in regimine Sithivensi* 961 e f *et* 962 a-e
Bertoaldus *episcopus Trecensis* 965 b f
† Bertoendus *episcopus Catalaunensis dat Dervensibus monachis privilegium, quod nobis interpolatum videtur* 1002 f, 1003 *et* seqq.
Bertrandus II *episcopus Albiensis* 1162 f
Bertrandus *episcopus Lombariensis* 1156 f
Bertrandus (*ab Insula*) *episcopus Tolosanus* 1145 a
† Bertrannus, *alias* Ebertramnus, *socius S. Mummolini episcopi* 955 f *et* 957 c-e. *Fit abbas S. Quintini* 970 a-d *et* 984 e
† Bibianus *seu* Vivianus *episcopus Santonensis ecclesiæ* 1035 a
Binterim (*Antonius Joseph*) *doctor sacræ Theologiæ de Musæo nostro optime meritus* 801 b

† Boetanus *frater S. Corbmaci* 853 a
† Boetius *cephalophorus* 819 c
† Bonaventura *Ecclesiæ doctor propagavit pietatem dictam* Angelus 1109 e f *et* 1110 a b
Bonaventura (*ab Agrigento*) *Siculus inter Prætermissos* 793 d
† Bonifacius *Martyr, archiepiscopus Moguntinus* 1033 f, *et* 1053 a f, 1069 b, 1071 d *et* seq., 1083 d-f, *et* seqq. ; *varia concilia celebrat* 1057 d-f *et* 1058 a b ; *custos magis quam administrator ecclesiæ Ultrajectinæ* 1060 f *et* 1061 a b
Boso *episcopus Constantiensis S. Galli sepulcrum instaurat* 823 c-f, 883 d *et* 896 f
Boso *episcopus Convenensis* 1162 f
Boso *comes Marchiæ fundat monasterium Agedunense* 822 f *et* 823 c d
Boso *comes, ut videtur, Richardi Burgundiæ ducis filius* 927 b *et* 928 b
Botwinus *abbas in Anglia* 1077 e
† Bova *abbatissa S. Petri Remis* 909 f *et* seqq. ; *ejus Vita male culpata* 910 b-e
† Brendani *Vita multis fabulis conpersa* 951 b
† Bruno *archiepiscopus Coloniensis transfert Coloniam corpus S. Eliphii* 807 a. *Condit testamentum, quo legat varia monasterio S. Martini Majoris Coloniæ* 807 d e
Bruno *abbas Dervensis* 989 f, 990 a *et* 1004 e
† Burchardus *episcopus Herbipolensis S. Lulli socius* 1056 a b, 1058 f *et* 1059 b

C

Cæcilia *abbatissa Veteris Muri* 1159 f
Calixtus II *Papa S. Hugonem Cluniacensem abbatem canonizat* 1125 f, *et* 1126 a
Calixtus III *Papa renovat pietatem dictam* Angelus 1111 a
Camuzat (*Nicolaus*) *scriptor antiquitatum Tricassinarum* 988 a
† Candidi *Thebæi Martyris corpus olim Trenorchii* 1095 e f
Cardulfus *episcopus Andegavensis* 936 d e
Carolomannus, *abdicato principatu, apud Cassinenses fit monachus* 900 a, *et* 903 a
Carolus (*Martellus*) 1019 b *et* 1020 f, *Sarracenos debellat* 1084 a *et* 1085 b
Carolus (*cognomento* Simplex) *filius Ludovici II rex Franciæ* 1007 b, 1020 a *et* 1021 d
Castellione (*Hugo de*) *episcopus Convenensis ecclesiæ cathedralis ædificationem absolvit* 1156 a
Cathala-Coture *causidicus citatur* 1034 f ; *errans castigatur* 1036 e f *et* 1037 a-c
† Celinia *vidua, mater S. Remigii, inter Prætermissos* 795 b
Centullus II *comes Bigorritanus* 1143 c f
† Ceraunus *cephalophorus* 819 c
Champion *parochus Boloniæ, varia submisit de S. Bolonia* 817 c *et* seqq.
Childebertus *Sigiberti filius, a patruo suo Guntramno associatus in regnum* 867 b c *et* 886 f
Childericus I, II *et* III *vario tempore in Francia regnant* 857 b c d
Childericus II *rex Franciæ privilegium dat Dervensi monasterio* 995 b, 996 *et* seqq. ; 1014 f
Chlodosuinda *filia Sigiberti I* 912 f
† Chraudingus. (*Vide* † Roduicus).
Chrodobertus *episcopus Parisiensis* 965 b f
† Chysolius *cephalophorus* 819 c d
† Chunehildis *matertera S. Lulli Moguntini archiepiscopi* 1053 a e, 1083 e *et* 1085 b
Cineheardus *episcopus Wintoniensis ecclesiæ in Anglia* 1076 b c *et* 1077 e
† Clarus *cephalophorus* 819 d
Claudii (*Gothici*) *Imperatoris tempore passus est S. Bassianus* 796 e
† Clemens *episcopus Metensis* 817 f *et* 818 a
Clemens VI *Papa* 1156 f
† Clini *Martyris corpus olim Trenorchii* 1095 e f
Clotarius II *primum Neustriæ, dein totius Galliæ rex* 885 e, 887 c *et* 930 e f ; *anno* DLXXXIV *regnare cœpit* 936 c d. *In aula ejus versatur S. Mummolinus* 958
Clotarius III *rex Francorum* 954 c-f *et* 964 e f ; *anno* DCLVI *regnare cœpit* 966 e
Cœlestinus III *Papa, ante Cardinalis Hyacinthus* 1141 b *et* 1142 b c ; *Quid egerit Cardinalis circa canonizationem S. Rudesindi in Gallecia episcopi* 1161 c-f *et* 1162 a
Cœna *archiepiscopus Eboracensis ecclesiæ in Anglia* 903 b, 1075 a-c *et* 1077 c
Cointius (*Carolus*) *refutatur* 988 b-f *et* 989 a
† Columbanus *abbas Bobiensis magister S. Galli* 861 f, 862 a-d, 864 b *et* 865 a-d. *Quo anno in Gallias appulerit et Luxovium fundarit* 866 *et* seqq. *In Alemanniam tendit* 870 ; *ibidem prædicat* 872, 873 *et* 874 a b ; *non videtur fundator Augiæ Albæ* 873 e-f *et* 874 a. *Moriens mittit ad S. Gallum cambuttam suam seu baculum* 893 b ; *prædicit ruinam stirpis Theodorici II* 913 b
† Columbanus *Hiensis* 863 a
† Comogellus, *seu* Comgallus *fundator et abbas Benchorensis in Hibernia* 862 d-f *et* 863 b, *magister fuit S. Columbani* 865 a d e
Constantia *filia Gulielmi ducis Aquitaniæ, uxor Alphonsi VI* 1134 b
Constantia *filia Gulielmi Scientis-ferrum comitis Tolosani, uxor Roberti regis Franciæ* 1144 f
† Corbmacus *circa annum* D *floruit* 853 a
† Corcodemus *diaconus* 854 c *et* 856 a
Costaz (*Benedictus*) *episcopus Nanceensis designatus concedit parocho S. Eliphii ritu solemnissimo coli hunc Sanctum, suum patronum* 806 d
Croix (*Gulielmus de la*) *scriptor historiæ Cadurcinæ* 1032 e
† Cunibertus *archiepiscopus Coloniensis* 1005 a
Cuthbertus *episcopus in Anglia* 865 c
† Cyprianus *confessor Genuliaci* 836 e f *et* 837 a b
Cyprianus *episcopus Arelatensis* 891 b *et* 892 b c

D

Dado *episcopus Virdunensis* 919 b-f, 925 c *et* 926 c
Dagbertus *archiepiscopus Bituricensis* 1032 d e
Dagobertus I *rex Galliæ* 931 d
Daguinus *monachus occidit S. Bercharium Dervensem abbatem* 1002 b, 1017 e f *et* 1018 a
† Decentius *episcopus Martyr inter Prætermissos relatus* 794 a
† Decumanus *cephalophorus* 819 d
† Deicolus *Lutrensis,* XVIII *Januarii cultus frater S. Galli* 863 e f *et* 864 a
Deodatus *episcopus Matisconensis consecrat episcopos SS. Eligium et Audoenum* 964 a
† Deogratias *episcopus Carthaginensis* 826 f *et* 827 a
† Desiderius *episcopus Lingonensis* 889 a *et* 891 f ; *cephalophorus* 819 c-e

Dessoles *nobilis fœmina dono accipit particulam Reliquiarum S. Eliphii* 806 a
Didacus *dux, Gundafiaræ in Castella, inter Prætermissos* 793 d
Dido *episcopus Pictavensis* 939 c d e
Digot (*Augustus*) *multum contulit ad illustrandam historiam S. Eliphii* 804 c, 805 b *et* 809 b
† Dionysius *cephalophorus* 819 b c d
† Doda *abbatissa S. Petri Remis* 910 c *et* seqq.
† Domninus *cephalophorus* 819 d
† Domnolenus *confessor* 838 a-d
Domnolus *a S. Magnobodo sanatus* 943 e
Donatistæ *Arianos ad rebaptizationis scelus adducunt* 830 e f *et* 831 a b
† Drausius *episcopus Suessionensis concedit privilegium monasterio S. Mariæ* 966 d e
Dudo *primicerius Virdunensis et abbas Montisfalconis* 919 f, 920 a *et* 926 f
† Dulcidius *seu* Dulcissimus *episcopus Agennensis inter Prætermissos* 795 a

E

Eaba *abbas probabiliter Malmesburiensis* 1054 a f
† Ebertramnus. (*Vide* † Bertrannus.)
Ebo *beneficus in monasterium Sangallense* 857 a
Egilolfus *seu* Agilulfus *aliquando etiam* Agon *rex Longobardorum* 885 e *et* 887 d
Eigil *abbas Fuldensis, iniquior in S. Lullum* 1051 a, *biographus S. Sturmii* 1060 *et* seqq.
Eldeburgis *uxor Gaufridi vicecomitis Bituricensis* 1032 b c
† Eleutherius *socius S. Dionysii Martyris, colitur* IX *Octobris* 792 e
† Eligius *episcopus Noviomensis* 955 a b *et* 956 b. *Tempus mortis* 963 c-f, 964 *et* seqq. *Corporis translatio a S. Mummolino facta* 969 c-f. *Ejusdem recognitio* 975 b, 976 a *et* seqq.
† Eliphius *cephalophorus* 819 d
† Elisæus *Propheta colitur die* XIV *Junii* 792 b
Emmo *episcopus Senonensis privilegium dat monachis S. Petri Vivi, a pluribus aliis episcopis subscriptum* 964 e, 965 b-f *et* 966 a-e
Engelrandus *episcopus Laudunensis* 1157 e
Eracleus *abbas, in S. Magnobodum episcopum invidus, punitur* 945 c *et* 947 b
Erchonaldus *pessimus dux sepulcrum S. Galli violare non veretur* 882 b-e, 884 a-c *et* 896 d-f
Eremberta *abbatissa in Morinis, inter Prætermissos relata* 794 b
Esne (*Michael d'*) *episcopus Tornacensis consecrat templum Societatis Jesu Insulis* 792 f
Espen (*Zegerus Bernardus van*) *refutatur* 827 d e
Etho *seu* Adda *episcopus Argentoratensis ecclesiæ* 1057 f *et* 1073 b
† Eucharius *episcopus Grandensis, in Leucis frater S. Eliphii* 804 c d, 812 e *et* 815 d
† Eunicius *episcopus Noviomensis* 972 f *et* 973 a c
† Euphemia *Virgo et Martyr inter Prætermissos relata* 792 c
† Eustasius, *abbas Luxoviensis, natione Gallus* 869 f *et* 895 a ; *post S. Columbanum anno* DCXXVII *moritur* 879 e f, 880 a b *et* 893 d. *Magister fuit SS. Mummolini, Bertini et Ebertramni* 957 b, *non vero S. Bercharii Dervensis abbatis* 987 c, 1012 b *et* 1013 b
Evodius *episcopus Uzalensis in Africa, inter Prætermissos* 793 a b c
Evulus *comes de Rocceio* 1132 f

F

Fabianus *male videtur associatus martyrio S. Bassiani* 796 c
† Faro *episcopus Meldensis* 965 b f
Favrel *vicarius generalis diœcesis Lingonensis Operis nostri studiosus* 816 f
† Felix *cephalophorus* 819 d
Ferrutius *Martyr Moguntinus* 1068 d e. *Ejus corpus a S. Lullo translatum* 1051 b
† Filibertus *fundator monasterii Herensis* 1095 b c ; *ejus reliquiæ* 1095 e f
† Fingar *cephalophorus* 819 d
† Fintanus *abbas monasterii in Cluain-ed-neach, in Hibernia* 862 e f *et* 863 a
† Fintanus Munnu 951 b-d
† Firminus *episcopus martyr Ambianensis, colitur* XXVII *Septembris* 792 d
† Florentinus *episcopus Trevirensis inter Prætermissos* 794 e f
Forte (*de Vico*) *vir nobilis, fundator monasterii Scalæ-Dei* 1143 c f
Franciscus (*Thomassinus*) *Ordinis Minorum Historii in Apulia, inter Prætermissos* 793 d
Frelo *seu* Froco *fundator Casæ-Dei Præmonstratensis Ordinis, in diœcesi Ausciensi* 1148 c
† Fredemundus *cephalophorus* 819 d
Fridiburga *filia Gunzonis ducis et sponsa Sigiberti regis, sanatur a S. Gallo* 794 a, 875 e f, 876 a b, 890 *et* 891 a b c. *Nubit Sigiberto regi Theodorici filio* 877 b f *et* 878
Froco. (*Vide* Frelo)
† Frodobertus *abbas Cellæ Bobini die,* VIII *Januarii cultus* 1022 d *et* 1023 e
† Frontasius *cephalorus* 819 *d*
Frotmundus *episcopus Trecensis dat privilegium Dervensibus* 1004 e f
Frumoldus *puitus propter furtum in S. Gallum commissum* 904 d
Fulcoaldus *optimas Franciæ* 995 e *et* 1017 c
† Fulradus *abbas monasterii S. Dionysii juxta Parisios* 1059 b, 1092 f *et* 1093 a b
† Fuscianus *cephalophorus* 819 d

G

† Gabriel *Archangelus inter Prætermissos relatus* 792 b
Galterius *S. Anastasii monachi et eremitæ biographus* 1125 c d e *et* 1126 a b
Galterus. (*Vide* Valcherius)
Garmundus *restituit S. Petro Lexatensi ecclesias SS. Beati et Vincentii* 1158 f *et* 1159 a
Gaubertus *frater Bosonis comitis Marchiæ ipsius privilegio subscripsit* 823 d
Gaudentius *episcopus Constantiensis* 875 e *et* 889 e ; *vivente adhuc S. Columbano obit* 892 a
Gaufredus *vicecomes Bituricensis* 1032 b c
Gaufridus *dux Pictavensis, infestus patribus concicilii Pictavensis* 1157 f
Gauzbertus *episcopus Carnotensis* 965 b f
† Gauzlinus *episcopus Tullensis die* VI *Septembris colitur* 989 b, 1021 f *et* 1023 e
Gebuinus *episcopus Catalaunensis* 1008 b *et* 1027 b
Gedeon *filius S. Reoli* 994 a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geilo *abbas Herensis* 1095 c d
Geisericus (*Vide* Gensericus)
Gelasius II *Papa* 1159 b
Gensericus *rex Wandalorum* 834 a b
Georgius (*ab Erballio*) *Aretinus inter Prætermissos relatus* 793 d
Geraldus II *episcopus Cadurcensis* 1035 d
Geraldus *episcopus Tarbensis* 1162 f
Geraldus *vicecomes, pater Hildegarii episcopi Lemovicensis* 822 f
† Gerardus *episcopus Tullensis* 989 c, 1022 d *et* 1023 f. *Donat Reliquias S. Eliphii S. Brunoni Coloniensi* 805 d *et* 807 c
Gerardus II *episcopus Cameracensis* 1104 b
Gerardus *episcopus Catalaunensis* 1105 f
Gerardus *abbas Clarævallensis VI inter Prætermissos relatus* 795 c f *et* 796 a
Gerardus *abbas S. Albini Andegavis* 1129 f
Gerbertus *archiepiscopus Remensis, postea* Silvester II *Papa* 1022 d *et* 1023 f
† Gereonis *Reliquiæ in Montefalconis* 922 d
† Gerinus *Pictavensis comes, frater S. Leodegarii Augustodunensis episcopi, Martyr* 939 e
† Germana *cephalophora* 819 d
† Germanus *cephalophorus* 819 d
† Germanus *episcopus Autisiodorensis Patronus est ecclesiæ Montisfalconis* 915 d. *Ejus Reliliquiæ in eadem ecclesia* 918 f *et* 922 d
Ghesquiere (*Joseph*) *Hagiographus, scripsit Commentarium in S. Mummolinum* 953 b c
Giraldus *Cardinalis episcopus Ostiensis* 1132 b e
Gislebertus *abbas Westmonasteriensis* 1129 f
† Godeberta *Virgo Noviomensis* 955 c *et* 973 a-d. *Ejus Reliquiarum recognitio* 975 b *et* seqq.
Godefridus *comes palatii Henrici cognomento Aucupis* 927 c d *et* 928 d
Godefridus *dominus Mureti* 1145 b
† Godehardus *episcopus Hildesiensis* 1068 b
† Gontruda *soror, ut fertur, S. Eliphii* 804 d
Goswinus *episcopus Tornacensis* 1105 f
Gozbertus *abbas Herfeldensis* 1069 c
Gozbertus *diaconus et monachus Sangallensis* 860 e f; *scripsit miracula S. Galli* 899 d *et* 901 f
Grailbardus *episcopus Tolosanus* 1162 f
† Gregorius I *Papa, quandoque Reliquias de corpore Sanctorum dono mittebat* 935 d e
† Gregorius II *Papa non videtur aliquod privilegium Fuldensibus dedisse* 1066 c-e
† Gregorius VII *Papa Romanam liturgiam inducere tentat in Hispaniam* 1131 c-f, 1132 f *et* 1133 a b e. *Non videtur litteras confirmatorias reformationis clericis S. Stephani Tolosæ dedisse* 1151 e f, 1152 f *et* 1153 a
† Gregorius *Ultrajectinus* 1056 c *et* 1078 d
Guifredus *comes Cerdaniæ, fundator Canigonensis monasterii* 1114 e
† Guignerus *cephalophorus* 819 d
Gulielmus I *archiepiscopus Ausciensis* 1146 e f, 1149 d e, 1153 c d, 1156 e *et* 1175 c. *S. Bertrandum consecrat* 1174 d
Gulielmus II *archiepiscopus Ausciensis prius Lactorensis episcopus* 1142 e f, 1147 c-f *et* 1148 a b
Gulielmus III *archiepiscopus Ausciensis, nepos S. Bertrandi* 1141 c e, 1142 e f, 1149 d e, 1152 a, 1156 e *et* 1161 c. *Multa de sancto præsule ab ipso dedicit Vitalis ejus biographus* 1175 b c
Gulielmus *episcopus Bigorritanus* 1159 c
Gulielmus *episcopus Convenensis* 1150 d e
Gulielmus *episcopus Lactorensis* 1159 c
Gulielmus (*Conquæstor*) *non videtur labe simoniaca infectus fuisse* 1127 e f, 1128 a *et* 1130 e f
Gulielmus II *rex Neapolitanus, Normannus* 1186 c d
Gulielmus VII *comes Pictavensis infensus fuit patribus concilii Pictavensis* 1157 f *et* 1158 c
Gulielmus (*Bernardi*) *frater S. Bertrandi Convenarum episcopi* 1145 d e f *et* 1146 a
Gulielmus (*Scindens-ferrum*) *comes Tolosæ, avus maternus S. Bertrandi* 1144 f, 1173 c *et* 1175 d
Gundisalvus (*de Lagos*) *inter Prætermissos* 795 a b
Gundovaldus *seu* Gondoaldus *frater Guntramni regis* 1154 d-f *et* 1155 c
† Guntbertus *fundator monasterii S. Petri Inferioris* 917 b
Guntramnus *rex Burgundionum* 837 b d, 1154 c *et* 1155 d, *associat sibi Childebertum ex fratre nepotem* 867 b c *et* 866 f
Gunzo *dux Alemanniæ* 875 e, 886 d *et* 888 d; *cellam S. Gallo ædificat* 876 b; *Fridiburgam filiam miraculose sanatam desponsat regi Sigiberto, Theodorici filio* 877 *et* seq.
Gutberchtus *abbas monasteriorum Wiremuthensis et Gerwiensis* 1053 c d *et* 1077 e

H

Haberilla XXX *Januarii culta abbatissa cellæ Augiæ Albæ* 873 d *et* 874 a
Hadulfus *episcopus Noviomensis* 973 b
Haistolfus *archiepiscopus Moguntinus* 1068 e
Heimo *episcopus Virdunensis* 926 f
† Heiricus *scriptor miraculorum S. Germani Autisiodorensis* 854 d
Hereca *probabiliter abbas Malmesburiensis monasterii* 1053 f *et* 1054 a e f
Heribertus II (*cognomento* Vetulus) *comes Tricassinus* 1022 c, 1024 a c *et* 1025 f
† Heriburgis *virgo inter Prætermissos* 792 f
Hermannus (*ab Hassia*) *archiepiscopus Coloniensis sæculo decimo quinto aperit arcam Reliquiarum S. Eliphii* 807 a d *et* 808 a-e
Hermannus *abbas S. Godehardi Hildesiæ* 1082 e
Hermarus *abbas* 997 b
† Hermemberta. (*Vide* † Eremberta.)
Hiberni *curiosi in conservandis genealogiis* 863 e
† Hilarius *Pictavensis scripsit ad Sallustium Galliarum præfectum* 803 e f
Hildegarius *seu* Aldegerius *episcopus Lemovicensis fundat Agentense monasterium* 822 f, 823 a, 824 f
Hilduinus *abbas* 997 b
Hilduinus. (*Vide* Alduinus.)
Hilteboldus *diaconus, comes S. Galli in quærenda eremo* 875 *et* 888 e f
Hnabus. (*Vide* Nebus.)
† Hugo *abbas* VI *Cluniacensis* 1125 e f, 1130 c-f, 1131 b, 1137 c *et* 1151 d, *detegit corpus S. Amandi* 838 c *et* 840 a-d
Hugo (*cognomento* Candidus) *Cardinalis legatus in Hispaniam* 1131 f *et* 1133 a-c
Hugo (*de Cabilone*) *episcopus Autisiodorensis* 987 a
Hugo (*Matisconensis*) *episcopus Autisiodorensis beneficus in Præmonstratenses* 855 d
Hungari *Galliam vastant* 1007 c d
Hymnichildis *S. Sigiberti II regis Austrasiæ vidua* 999 b c
† Hyspadius *cephalophorus* 819 d

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I

† Ildephonsus *episcopus Toletanus an usum salutationis Angelicæ introduxerit* 1108 f *et* 1109 a
Ingundis *filia Sigeberti I e Brunichildi regina* 912 f
Innocentius II *Papa confirmat reformationem canonicorum S. Stephani Tolosæ* 1153 a
Iperius (*Joannes*) *chronologus Sam-Bertinianus quanti faciendus* 956 d e f
Isarnus *episcopus Tolosanus* 1150 b, 1151 e *et* seq.
† Israel *primus præpositus regularis ecclesiæ S. Juniani* 844 c
† Ivo *episcopus Carnotensis subscribit concilio Pictavensi* 1157 e

J

Jacobus *episcopus abbas Gamundiensis* 1073 c
† Joannes *episcopus Cameracensis* 1104 e
Joannes XXII *Papa indulgentias impertit recitantibus salutationem Angelicam hora ignitegii* 1109 c d. *Erigit sedem Mirapicensem* 1114 d
Joannes *discipulus S. Galli eligitur episcopus Constantiensis* 875 f, 876, 892 e f *et* 894 f. *Tempus quo obiit* 880 d e f *et* 881 a. *S. Gallum sepelivit* 881 d e f *et* 895 c-f
Joannes *abbas Sangallensis* 856 f; *post episcopus Constantiensis, secundus nomine* 901 b *et* 903 d
Joannes *episcopus Pictavensis* 939 d
Joannes *abbas Ebolitanus* 1186 c
Jonas *biographus S. Columbani, Segusinus* 867 c
† Jonius *cephalophorus* 819 d
Jordanes *episcopus Coseranus in Gallia* 1159 c
† Jovinus *eremita in agro Pictavensi* 925 a *et* 926 c
† Julianus *socius S. Luciani Bellovacensis* 792 a
† Julianus *Martyr Brivate cultus* 1120 f
Julianus *imperator apostata* 802 d e f *et* 803 a-d. *Attuarios debellat* 802 b; *in Germaniam proficiscitur* 802 c. *Fuit ordinatus lector* 812 d *et* 815 a b. *Non videtur persecutionem in Christianos movisse manens in Gallia* 818 c d. *Varia ejus anno* CCCLVI *itinera* 818 c d e
† Junianus *Nobiliacensis, distinguendus ab ejus homonymo Commodoliacensi* 841 e f *et* 842 a
† Justinianus *cephalophorus* 819 d
† Justinus *cephalophorus* 819 d
† Justus *Autisiodorensis cephalophorus* 819 c d
† Juthwara *cephalophora* 819 d

K

Kanebada *abbatissa in Anglia* 1053 f *et* 1078 c
† Kenelmus *cephalophorus* 819 d
† Kiara *abbatissa in Momonia, in Hibernia* 950 e
† Kiara *Raithensis* 950 c
Konigsegg (*Carolus Aloysius*) *episcopus Myrinensis, alias Sebastopolitanus, suffraganeus Coloniensis, consecrat altaria ecclesiæ S. Martini Majoris Coloniæ* 811 d c

L

† Lambertus *cephalophorus* 819 d
Lambertus *episcopus Atrebatensis* 1101 c; *concilio Pictavensi anni* MC *subscribit* 1157 e
Landericus *comes Autisiodorensis* 987 a
Lando *episcopus Remensis testamentum condit* 917 e
Landufus *Cardinalis diaconus S. Angeli* 1162 f
Lantbertus *munificus in oratorium S. Galli* 857 a
Lastrade (*Joannes*) *biographus S. Bertrandi* 1141 a
† Laurianus *episcopus et martyr inter cephalophoros* 819 d
† Leo IX, *summus Pontifex ante* Bruno *dictus Tullensis episcopus* 800 f *et* 1023 b
Leo X *Papa unit monasterium Hersfeldense Fuldensi* 1068 b c
† Leodegarius *abbas S. Maxentii et archidiaconus Pictavensis, postea episcopus Augustodunensis* 939 c d e; *subscribit privilegio Dervensi* 995 b, 997 b, 998 b-f, 999 a, 1001 a *et* 1016 f
Leudobaudus *presbyter Andegavensis, proptev invidiam divinitus punitus* 941 f
† Libaria *Virgo Martyr* 800 d, 804 d, 812 e, 815 e *et* 817 e f; *cephalophora* 819 d
† Licinius *episcopus Andegavensis* 929 b, 931 b, 932 a b f *et* 941 c; *obiisse circa annum* DCVI *videtur* 936 b-e
Lientrudis *mater, ut traditur, S. Eliphii* 805 b
† Lioba *Angla a S. Bonifacio in Germaniam evocata* 1057 a b, 1085 f *et* seqq.
† Liudgerus. (*Vide* † Ludgerus.)
Liudulfus *episcopus Noviomensis* 955 c *et* 973 e
† Livinus *cephalophorus* 819 d
Lobineau (*Guido Alexius*) *e Congregatione S. Mauri scripsit Historiam Britanniæ Minoris et Vitas Sanctorum Armoricæ* 1189 b c
† Lonegesilus *sacerdos et monachus testamentum condit* 938 d-f, 939 a
† Longinus *centurio martyr, qui colitur die* XV *Martii, inter Prætermissos* 792 a
Lotharius III *rex Romanorum* 801 b
† Lucianus *Martyr Bellovacensis colitur* VIII *Januarii* 792 a
† Lucianus *cephalophorus* 819 d
† Ludegerus *S. Gregorii Ultrajectini discipulus et biographus non fuit infensus S. Lullo Magguntino archiepiscopo* 1050 b-f *et* 1051 a b
Ludovicus (*Cæcus*) *rex Burgundiæ* 1006 f *et* 1007 a
Ludovicus (*Pius*) *rex Aquitaniæ* 1043 b c
Ludovicus II, (*cognomento* Balbus,) *rex Franciæ* 1007 b, 1020 a *et* 1021 d
Ludovicus XV *rex Galliæ statuit diœcesim Tullensem dividendam in tres episcopatus* 806 e
Ludovicus XVI *rex Galliæ, statutam ab avo suo divisionem diœcesis Tullensis in tres episcopatus ratam habet* 806 e
Luido *episcopus Spirensis* 1057 f
† Lupianus *baptizatus a S. Hilario Pictavensi episcopo* 1091 f

M

† Macniscius *episcopus Hibernus* 852 c *et* 853 d
† Magnobodus *episcopus Andegavensis* 954 e

Magno-

Magnobonus *episcopus subscribit testamento S. Lonegesili* 938 e
† Magnus *seu* Magnoaldus *clericus et socius S. Galli* 874 f *et* 875 a. *Non erat Scotus* 891 e. *Videtur circa annum* DCLXV *obiisse* 883 c d
† Mamertinus 854 c d
Manasses, *episcopus Trecensis* 1022 *et* 1023
† Mansuetus *episcopus Tullensis* 1022 d *et* 1023 f
Marbodus *archidiaconus Andegavensis, post episcopus Rhedonensis, scriptor alterius Vitæ S. Magnobodi* 929 e f *et* 930 a b c ; *subscribit concilio Pictavensi* 1157 e
Marchal *parochus in Heillecourt hodiernæ diœcesis Nancensis aliqua nobis transmisit documenta de S. Eliphii cultu* 806 e f
Marcus *vicarius S. Lulli archiepiscopi in monasterio Fuldensi* 1064 a *et* 1088 b
Margarita *uxor Sergii ducis, inter Prætermissos relata* 794 f
† Martialis *episcopus Lemovicensis* 847 d
Martianus *episcopus Constantiensis post Joannem, discipulum S. Galli* 880 d e f
† Martinus I *Papa* 960 c
† Martinus *Vertanensis* 1096 b
Martinus V *Papa, antea Otho de Columna* 819 f
†† Martyres VI *cephalophori* 819 d
Matha (*Ludovicus de la Mer de*) *abbas commendatarius S. Ambrosii Bituricis* 1045 f *et* 1046 a
Maugis (*Jacobus*) *abbas commendatarius S. Ambrosii Bituricis* 1046 a
Mauri *Vandalis amici sub Genserico* 834 e
† Mauritii *martyris Reliquiæ* 889 a *et* 891 f
† Maurontus *Duacum translatus* 1105 d-f
† Maurus *abbas, cujus Reliquiæ in Burgundiam transferuntur* 1020 d
† Maxentia *cephalophora* 819 d
† Maxianus *seu* Maximianus *socius S. Luciani Bellovacensis* 792 a
† Medanus *episcopus in Scotia* 1189 c
† Medardus *episcopus Noviomensis, cujus Reliquiæ recognitæ* 975 b, 976 a *et* seqq.
Medegesilus *episcopus Turonensis* 938 d
Meginfredus *monachus Fuldensis non scripsit Vitam metricam S. Lulli* 1051 d e
† Megingaudus *sive* Megingozus *episcopus Herbipolensis* 1051 b, 1053 b, 1069 d *et* 1070 e
Menget *vicarius capitularis Tullensis jubet recognosci Reliquias S. Eliphii* 805 f
† Menna *martyr* 800 d f, 801 a, 804 d *et* 812 e ; *ejus corpus Porsas tranfertur* 815 e
† Michaelis *Archangeli apparitio* 792 e
Milo *præpositus Falcomontanus* 927 b *et* 928 b
† Mitrius *cephalophorus* 819 e
Momillus *episcopus Girpitanus in provincia Proconsulari Africæ* 797 d
†† Monachi XL *Hiberni, cephalophori* 819 d
Montgommery (*Gabriel*) *Calvinista Bituricas occupat* 1045 f
Morvannus *episcopus Venetensis* 1157
† Mummolinus *episcopus Noviomensis subscribit privilegio Dervensi* 995 b, 997 b, 998 b *et* 1016 f
Mummolus *a S. Magnobodo sanatus* 943 d

N

Nannenus *mentis compos fit, orante S. Magnobodo episcopo* 944 b c
† Nazarius *Martyr patronus ecclesiæ Laureshamensis* 1069 e
Nebus *seu* Hnabus *beneficus in Sangallenses monachus* 899 f *et* 902 e
† Nicasius *Rotomagensis, cephalophorus* 819 c d
Nicolaus *Cardinalis episcopus Ostiensis* 1162 f
† Nivardus *seu* Nivo *archiepiscopus Remensis* 917 c d e, 987 c, 990 f, 991 a e f, 992 a b, 997 c d e, 1011 c-f, 1013 c-f, 1015 e f *et* 1017 c; *colitur die* I *Septembris* 1012 f
Niulphus *abbas S. Albini Andegavis, a podagra ope S. Magnobodi liberatus* 945 f *et* 947 b
† Notkerus (*cognomento* Balbulus) *auctor Martyrologii* 857 d. *Vitam metricam S. Galli scripsit, opus nunc perditum* 861 c d
† Nubilitana *Martyr inter Prætermissos* 794 e

O

Obladem (*Henricus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a
† Oda *soror, ut fertur, S. Eliphii* 804 d
† Oda *vidua inter Prætermissos* 795 b
Odalsinda *uxor Ebonis, benefica in Sangallenses monachos* 857 a
† Odo *abbas Cluniacensis* 1021 f *et* 1023 d
Odo *seu* Hautho *alias* Autho *abbas Stabulensis monasterii* 1019 d, 1020 f *et* 1021 a b c
Odo *abbas Tornodorensis* 1096 a
† Œlbertus *cephalophorus* 819 d
Ohoven (*Felix*) *abbas S. Martini Coloniæ* 810 a
† Oliricus *cephalophorus* 819 b
† Onesimus *vario tempore Suessionibus Duacum translatus* 1104 f *et* 1105 a f
Orcet (*Gilbertus Paulus Aragonès d'*) *episcopus Lingonensis approbat Reliquias S. Bercharii martyris* 1009 d e f *et* 1010 a
† Orientius *cultus præcipue in Occitania* 1159 e f
Osgeofu *regina Northumbriæ* 1077 d
† Ositha *cephalophora* 819 b
Osmond (*Eustachius d'*) *ultimus episcopus Convenensis* 1157 a
Oswitha *sanctimonialis corripitur a S. Lullo episcopo Moguntino* 1074 d
Otgerus *episcopus Convenensis* 1150 c f *et* 1151 c
Otgerus *Danorum dux monasterium S. Martini Majoris Coloniæ restaurat* 809 f
Othbraht *diaconus Ecclesiæ Moguntinæ* 1087 b
† Othmarus *abbas* 899 b f, 900 a *et* 901 a
Otto *idem videtur ac Otwinus* 884 a
Ottradus *canonicus Montisfalconis corpus S. Balderici servat* 924 d
Otwinus *dux impius cellam et sepulchrum S. Galli diripit* 882 a-d, 883 e f, 884 a *et* 896 c
Oudinus (*Casimirus*) *castigatur* 1037 *et* seqq.

P

† Palmius *Martyr inter Prætermissos* 794 d e
Parisis (*Petrus Ludovicus*) *episcopus Lingonensis usum Breviarii Romani in sua diœcesi reducit* 816 f. *Benevolum se nostris laboribus exhibet* 818 b. *Visitat Reliquias S. Bercharii martyris* 1010 b c *et* 1030 f
Parra (*Sancius*) *ope S. Bertrandi episcopi a captivitate liberatur* 1183 b c f *et* 1184 a
Paschalis I *Papa* 1035 e

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paschalis II *Papa confirmat reformationem canonicorum S. Stephani Tolosæ* 1153 a
Patot *presbyter oppiduli dicti Joinvilla sanatur ope S. Boloniæ virginis* 819 f
† Patritius *Hibernorum Apostolus monasticum institutum e Gallis in Hiberniam traducit* 864 c d
Paulus IV *Papa festum Cathedræ Romanæ S. Petri restituit* 1046 d
Pellevé (*Nicolaus de*) *Cardinalis archiepiscopus Senonensis* 987 e
Petit *alias* Senot (*Remigius*) *S. Eliphii intercessione suam filiolæque suæ sanitatem impetrat* 805 c
Petrus *episcopus Lactorensis* 1157 e
Petrus III *episcopus Magalonensis* 1162 f
Petrus (*Monoculus*) *abbas* VIII *Claræ-vallis* 795 f
Petrus *comes Autisiodorensis et Tornodorensis ecclesiæ S. Salvii dat perilegium* 855 e
Petrus *comes Bigorritanus* 1143 c
Philippina (*Chalonia*), *principissa Arausiensis, inter Prætermissos* 792 e
Philippus *episcopus Trecensis* 1157 e
† Piatus, *sive* Piato *cephalophorus* 819 c d
Pippinus (*cognomento* Heristallius) *Alemanniam vastat* 897 a *et* 898 e
Pirhtilo *vir præcelsus, testis miraculi a S. Gallo patrati* 897 e *et* 899 c
Pius VI *Papa dividit diœcesim Tullensem in tres episcopatus* 806 e
Pius VII *Papa, ineunte hoc sæculo, novos diœceseon Franciæ Terminos statuit* 1101 c
Porcelet de Maillan (*Joannes*) *episcopus Tullensis interdicit Sant-Eliphiensibus sacra ob injuriam sibi illatam* 805 e
† Præjectus *episcopus Arvernensis* 1001 b
Prezzoldus *inter abbas Fuldenses* 1064 a
† Principinus *cephalophorus* 819 d
† Priscus *Martyr, colitur* XXVI *Maii* 792 b
Procula *sanctimonialis sanatur a S. Magnobodo episcopo* 945 b c
† Proculus *cephalophorus* 819 d
Ptolomæus *persecutor, ut fertur, S. Boloniæ virginis* 818 c *et* 820 f

Q

† Quiteria *virgo martyr die* XXII *Maii culta, inter cephalaphoros* 819 d

R

† Rabanus *archiepiscopus Moguntinus Martyrologus* 1050 c, 1051 b *et* 1068 e
Radulfus *archiepiscopus Turonensis* 1157 e
Radulfus *episcopus Atrebatensis* 1105 f
Radulfus *abbas S. Michaelis monasterii in Normannia* 1128 b
Ragafredus *seu* Ragunfredus *major-domus contra Carolum Martellum dimicat* 1019 b *et* 1020 f
Raganarius *juxta quosdam S. Juniani pater, occisus a Clodovæo cognato suo* 842 c d
† Raimundus *abbas Fiteriensis Ordinis Cisterciensis, fundator militiæ Calatravæ, nascitur in oppido S. Gaudentii* 1180 d
Ramnulphus *canonicus condit templum S. Juniani eremitæ* 839 f, 840 a e *et* 848 a
Ranulfus *abbas S. Michaelis in Normannia* 1128 b
Ratpertus *monachus Sangallensis sæculo* IX *cantilena teutonica Vitam S. Galli cecinit* 861 d
Raymundus *diaconus cardinalis S. Mariæ Novæ* 1162 f
Raymundus *archiepiscopus Ausciensis* 1157 e
Raymundus II (*dictus* Pauchelli) *episcopus Cadurcensis* 1046 a b
Redgerus *perperam dicitur episcopus Moguntinus post S. Bonifacium* 1058 e
† Regula *cephalophora* 819 d
† Regulus *cephalophorus* 819 d
Reinerius (*Magnus*) *fundator abbatiæ Ninoviensis, inter Prætermissos* 793 f
† Remaclus *episcopus Trajectensis Stabulensis monasterii fundator* 1005 a, 1019 d *et* 1021 d
Remaclus *procurator regii scrinii, Clotario II regnante, diversus ab homonymo suo S. Remaclo Trajectensi episcopo* 992 e f, 993 a, 1011 f *et* 1012 f
† Remigius *Remensis episcopus* 848 c *et* 850 c; *ejus festum in Germania celebratum* 895 b
† Reolus *comes, postea in episcopum Remensem electus* 994 a *et* 1015 e
Richardus *dux Burgundiæ* 1007 c *et* 1020 b
Richolfus *archiepiscopus Moguntinus* 1068 e, 1078 f
Ridoltus. (*Vide* Rudolfus II).
Rihpertus *monachus Sangallensis non videtur auctor Vitæ metricæ S. Galli* 861 a b c
† Robertus *abbas Casæ-Dei in Arvernia* 1123 b
Robertus *rex Franciæ* 823 e *et* 1008 b
Robertus *comes Ebulitanus* 1189 b
Robertus (*de Tumbalenia*) *socius S. Anastasii episcopi* 1128 e f *et* 1129 a-e
† Roduicus *seu* Rodingus, *seu* Chraudingus, *fundator Bellilocensis* 925 b *et* 926 e
Rodulfus *nepos Adalberonis episcopi Virdunensis* 919 e
Rogerius II *comes Fuxensis* 1139 f
Romualdus II *archiepiscopus Salernitanus* 1186 c f
Romulfus *episcopus Remensis, beneficus in monastererium S. Petri superius* 911 e. *Testamentum condit* 917 e
Romulus *archidiaconus, ope S. Magnobodi episcopi sanatus* 946 a
Rosell (*Adam*) *abbas monasterii S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a. *Renovat anno* MDCCLXXXIX *ecclesiam suam* 811 b c d
Rosne (*Ludovicus de*) *canonicus Falcomontanus declarat nesciri locum in quo corpus S. Balderici delitescit* 921 c d
Rotgerus *biographus cœvus S. Brunonis Coloniensis episcopi* 807 e
† Rudesindus *episcopus in Gallecia beatificatus fuit a Cardinali legato* 1161 d e f
† Rudolfus *Camaldulensis* 848 a
Rudolfus II *seu* Ridoltus *episcopus Constantiensis in Alemannia* 1057 f
Rudolfus *dux Burgundiæ, postea in regem Franciæ electus* 1007 a-e *et* 1020 b-d
Ruodhardus *comes infestus Sangallensibus monachis* 901 a 903 c
Rutpertus *abbas Tuitiensis scriptor Passionis S. Eliphii* 800 d e *et* 801 b c
† Ruricius I (*dictus senior*) *episcopus Lemovicensis* 836 b, 838 f, 839 d, 843 e, 847 c *et* seqq.
† Ruricius II (*dictus junior*) *episcopus Lemovicensis, erga S. Junianum memor beneficii ab eo accepti devotus* 842 e, 843 b-f, 849 d e f *et* 851 b d
† Rusticus *socius S. Dionysii Martyris, colitur* IX *Octobris* 792 e
Rusticus *episcopus Cadurcensis* 937 c

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S

Sabatati *hæreticorum genus* 1188 f *et* 1189 a
† Sabinianus *cephalophorus* 819 d
Sabinianus *male videtur associatus martyrio S. Bassiani* 796 c
Sallet (*Simon*) *thesaurarius generalis Lotharingiæ dono dat novum feretrum pro Reliquiis S. Eliphii* 805 f
Sallustius *præfectus Galliarum S. Eliphium non videtur occidisse* 803 e f
† Salvius *episcopus Albigensis diversus est a S. Salvio Autisiodorensi* 854 e f *et* 855 a
† Samson *Dolensis episcopus, cujus corpus olim Trenorchii* 1095 f
Samson *abbas S. Petri Senonensis* 1007 e
Sangelasius (*Urbanus*) *episcopus Convenensis* 1164 b
† Saturnina *cephalophora* 819 d
† Saturninus *Martyr episcopus Tolosanus* 947 e
Savalus *abbas Genuliacensis* 836 e
Saxones *Christianis infesti* 1067 d
Schmitz (*Sebastianus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a
Scoti *consueti peregrinare* 908 c
Senocus *episcopus Elosanensis* 937 b
† Serenedus *Martyr* 855 b
† Serenicus *Martyr* 855 b
Sergius *dux inter Prætermissos* 794 f
† Severianus *cephalophorus* 819 d
† Severinus *cephalophorus* 819 d
Severinus *Papa* 959 b
† Severus *patriarcha Antiochenus* 1108 b-e
Sicherus I *fundator monasterii Aquiscinctini* 1103 a
Sicherus II *transfert corpus S. Gurdanii eremitæ Duacum* 1103
Sigibertus I *rex Austrasiæ jam obierat, quando S. Columbanus in Galliam appulit* 866 b-f, 867 a-d, 885 b *et* 886 f. *Pater est SS. Balderici et Bovæ* 912 c-f *et* 913 a-d
Sigibertus *filius Theodorici desponsavit sibi Fridiburgam Gunzoni filiam* 877 d e f *et* 878 a-e
Sigibertus *rex Anglorum Orientalium non fuit sponsus Fridiburgæ* 877 d
Sigibertus *filius Dagoberti I non fuit sponsus Fridiburgæ* 877 c
Sigibertus *Gemblacensis non est auctor Vitæ S. Lulli archiepiscopi* 1051 f *et* 1052 a
Siginus *episcopus Bituricensis* 1032 c
Sigismundus *comes Gleichensis* 1069 b
† Silanus *cephalophorus* 819 d
† Silvanus *Confessor Leprosii in agro Bituricensi patronus* 824 e
† Simon *Apostolus, patronus Hersfeldensis* 1089 d
† Simon *comes Crispejensis, reclusus* XXX *Septembris colitur* 1131 a *et* 1139 e
Sonnatius *episcopus Remensis* 911 e *et* 917 e. *Celebrat Remis concilium* 937 b c
† Sorus *Confessor Genuliaci* 836 e f *et* 837 a-e
Spix (*Franciscus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a; *consecrat altare in honorem S. Eliphii martyris* 811 c
† Stephani *reliquiæ olim Trenorchii* 1095 f
Stephanus II *Papa, antea diaconus S. Angeli in foro Piscario versatus in Gallia* 1035 b c
Stephanus III *Papa* 1072 e f
† Sturmius *abbas Fuldensis* 1050 c f, 1051 c, 1063 a f, 1064, 1072 f, 1087 f *et* 1088 c; *circa sepulturam S. Bonifacii sollicitus* 1062 c
Sulmus *dat S. Petro Lezatensi ecclesias SS. Beati et Vincentii* 1158 e
† Sulpitius (*Pius*) *episcopus Bituricensis* 937 c d
Suppo *abbas S. Michaelis in periculo maris, videtur fuisse simoniacus* 1126 e f *et* 1127 a-e
† Susanna *soror, ut fertur, S. Eliphii martyris, martyr et ipsa* 804 d, 812 e *et* 815 e
† Susis *idem videtur qui Sosius diaconus ecclesiæ Misenatis, cultus* XIX *Septembris* 792 c d
Syberti (*Melchior*) *abbas S. Martini Coloniæ* 810 a
† Symphoriani *Martyris Augustodunensis, Passio substernitur Actis S. Silvani* 823 f *et* 824 a b
Synaulius *abbas Dervensis* 1004 c

T

Talto *Dagoberti regis camerarius, beneficus in Sangallenses* 880 c *et* 902 b d
Tamayus *errat circa SS. Saturninum et socios Afros* 798 a b
Tello *episcopus Curiensis* 901 d *et* 903 d
† Thaddæus *Apostolus, patronus Hersfeldensis ecclesiæ* 1089 d
Theodebertus *Childeberti filius, rexque Austrasiorum* 885 c *et* 887 c
Theodoricus *abbas Gemmeticensis* 1127 b
Theodoricus *Childeberti filius, rexque Burgundionum* 885 d *et* 887 b
Theodoricus *rex Gothorum in Italia non dominabatur Alemannis* 870 e f
Theodoricus III *rex Neustriæ* 1001 b
Theodorus *clericus et socius S. Galli* 874 f *et* 875 a. *Non erat Scotus* 891 e
† Theodosia *Virgo et Martyr in Gallias a S. Berchario translata* 1000 a b c
Theodolfus *episcopus abbas Lobiensis* 1073 c
† Theonestus *cephalophorus* 819 d
Theophylacias *diaconus Ecclesiæ Romanæ* 1057 b c
Theudegesilus *a S. Magnobodo sanatus* 943 c
Thiard (*de Bissy*) *episcopus Tullensis designatus recognoscit Reliquias S. Eliphii martyris, anno* MDCLXXVIII 805 f
† Thomas *archiepiscopus Cantuariensis, Martyrinsignis* 1183 a
Tilpinus *archiepiscopus Remensis* 1072 b
† Timotheus *Martyr, patronus Disiaci* 1015 f
Transmarus *episcopus Noviomensis* 973 d

U

Udalricus *Rhætiæ et Brigantii comes monialibus monachos substituit in Augia Alba* 873 e
Urbanus II *Papa separat diœcesim Atrebatensem a Cameracensi* 1101 c; *non videtur præscripsisse ut pulsaretur ad* Angelus 1110 c d
† Ursus *cephalophorus* 819 d

V

Valcherius *seu* Galterus *abbas Morimundensis ab anno* MCXXVII *ad* MCXXXI 1143 e f
Valck (*Adrianus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a

† Valeria *cephalophora* 819 d
† Valerianus *patronus monasterii Trenorchiensis, ubi requiescebat ipsius corpus* 1095 e f
Vandali *occidunt S. Silvanum* 824 c d
† Vedasti *corpus Bellovacum translatum* 1105 b
† Victor *cephalophorus* 819 d
† Victor *alter cephalophorus* 819 d
Victor (*cognomento* Illustris) *comes Rhetiæ Curiensis* 889 f, 900 c, 902 e, *et* 903 c
† Victoricus *cephalophorus* 819 d
Victorii *cyclus paschalis* 1006 a b
† Victorius *Martyr inter Prætermissos* 794 e
† Victuria *Martyr inter Prætermissos* 794 e
Vidricus *scriptor Vitæ S. Geraldi episcopi Tullensis* 809 a
Vigilius *episcopus Autisiodorensis* 966 a
Vignery (*Jacobus*) *S. J. olim transmisit Vitam S. Bolonіæ* 817 a b
Vincentius *Confessor inter Prætermissos* 794 f *et* 795 a; *ejus cultus Nivernis* 855 a
†† Vitales *non numeratis martyribus, Confessores varii homonymi* 1092 e f *et* 1093 a-d
† Vitalis, *Confessor Eslingæ* 1092 f
Vitalis *protonotarius apostolicus, biographus primarius S. Bertrandi* 1141 b-f, 1142 *et* 1143 a b
† Vitonus *episcopus Virodunensis* 925 c *et* 926 d
† Vivianus. (*Vide* † Bibianus).

W

Wago *abbas Tornodorensis* 1096 a
Waifarius *dux impius Aquitaniæ, vastator ecclesiarum* 1042 e f
Waimerus *persecutor S. Leodegarii non ivit Hierosolyman cum S. Bercharo* 1000 d-f *et* 1001 a
Walafridus (*Strabo*) *auctor secundæ Vitæ S. Galli* 856 b c d e. *Promittit et incipit eamdem Vitam metrice* 860 c d e *et* 861 a b
† Walaricus *instaurare incipit monasterium Luxoviense post expulsionem S. Columbani* 879 f
Walbertus *episcopus Noviomensis* 973 d
† Waldebertus *abbas Luxoviensis, magister S. Bercharii* 987 c
Waldrada *uxor Waltrammi* 902 c d
Waldricus *episcopus Passaviensis* 1069 d
Walthildis *matrona S. Bercharii in fundatione monasterii Puellaris adjutrix* 995 a, 996 a, 1005 d *et* 1016 e f; *Waimeri conjux dicitur* 1000 d
Waltrammus *filius Walperti beneficus in Sangallenses monachos* 899 f *et* 902 b-d
Wandolenus *e sociis S. Columbani abbatis, natione Gallus* 869 f
† Wandregisilus *abbas Fontanellensis fuit discipulus S. Balderici* 915 d e f, 916 *et* 917
Warinus *archiepiscopus Coloniensis sæculo decimo includit arcæ Reliquias S. Eliphii martyris* 807 b. *Monasterium S. Martini Majoris Coloniæ instaurat* 808 e f *et* 809 f
Warinus *comes Thurgoviæ, infestus Sangallensibus monachis* 901 a *et* 903 c
Warmundus *abbas Dolensis* 1130 f
Wedego *abbas Clusinus in Germania* 1082 a b
Wetinus *monachus Augiensis non est auctor antiquioris Vitæ S. Galli* 859 f *et* 860 a b
Wicfridus *archiepiscopus Coloniensis* 927 d *et* 928 d
† Wigbertus *abbas Hersfeldensis monasterii* 1051 c, 1060 a, 1081 e f *et* 1089 d-f; *apparet S. Albuino Fristislariensi præsuli* 1068 b
Wiggo *episcopus Augustanus in Alemannia* 1057 f
Wilhelmus (*Gemeticensis*) *auctor Historiæ Normannorum sublestæ fidei auctor* 1007 d
Wilibertus *archiepiscopus Coloniensis* 924 f *et* 926 c
Wilicarius *episcopus Viennensis in Gallia sedi suæ renuntiat* 1036 e
† Willehadus *episcopus Bremensis an consecratus a S. Lullo* 1079 d e f *et* 1080 a-e
Willelmus *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 801 c
† Willibaldus *episcopus Eichstadiensis* 1060 b *et* 1061 d; *a monasterio incepit episcopatum suum Eichstadiensem* 1073 d
† Willibrordus *episcopus Ultrajectinus* 1060 a b f
Willicharius *archiepiscopus Senonensis Romano concilio anni* DCCLXIX *adfuit* 1072 f *et* 1073 a
Willigisus *primus elector Moguntinus* 1068 b
Williharius *episcopus abbas Agaunensis* 1073 c
Willimarus *presbyter Arbonensis, beneficus in S. Gallum et socios* 872 b, 874 f, 875, 876, 886 a *et* 894 a. *Circa Sancti sepulturam sollicitus* 895 f
Winitharius *monachus et decanus Sangellensis monasterii quibusdam videtur auctor antiquioris Vitæ S. Galli* 860 b c
† Wiomadus *archiepiscopus Trevirensis* 1069 e, 1070 d f *et* 1072 d; *recusat facere consecrationem basilicæ san-Gorianæ* 1070 e *et* 1071 b
Witburga *fœmina clarissima, inter Prætermissos relata* 794 c d
† Wittanus. (*Vide* † Albuinus.)
Wlfaudus *optimas Franciæ S. Bercharii martyris fautor* 995 b e, 1016 f *et* 1017 c

Z

Zacharias *Papa sæpius ad S. Bonifacium scribit* 1058 *et* seqq. *Non videtur exemptionem Fuldensibus dedisse* 1064 f, 1065 e f *et* 1066 a-e
Zonsbeeck (*Henricus*) *Ordinis S. Benedicti ad S. Martini Majoris Coloniæ, calligraphus nitidus, laudatur* 812 a b

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX

TOPOGRAPHICUS.

A

Acitodunum *seu* Acedunum, *hodie* Agedunum, (*vernacule* Ahun). oppidulum Galliæ 822 d e; *ibi fundatur monasterium* 822 e f *et* 823 a-e
Agentense monasterium (*vernacule* Eymoutiers, dépt Haute-Vienne), *male ab aliquibus confusum cum Agedunensi* 823 a b
Agnio (*gallice* l'Aa) fluvius in tractatu Sant-Audomarensi 960 d e *et* 985 f
Airiacum *sive* Aireyas villa (*vernacule* Airy *seu* Arcy sur-Cure, dépt Yonne) in pago Autisiodorensi 987 a, 1008 b c *et* 1029 c
Albarium (*vulgo* Alvier dépt Haute-Loire) juxta-Brivatem 1120 b *et* 1122 d
Albolæ (*vulgo* Cien Arboles *id est* Centum Arbores) prope Narbonam 1113 f
Alemanniæ *seu* Altimanniæ *situs et antiqui limites* 871 c d, 885 e *et* 887 c d
Aletum, civitas episcopalis in Armorica, *nunc destructa* 1098 e *et* 1100 d e
Alpes Hispaniæ, montes Pyrenæi 1183 b
Alsatia pagus ad Austrasiam pertinebat 857 c
Altumvillare monasterium (*vernacule* Hautvilliers) *a S. Berchario fundatum in episcopatu Remensi* 987 e, 993 f, 994, 1014 e, 1015 e f
† Amandi de Coli monasterium 837 a
Ambracia. (*Vide* Placentia.)
† Ambrosii vicus, *olim* Ernotrum (*vernacule* St Ambroix-sur-Arnon, dépt Cher, arrond. de Bourges) 1044 f
† Ambrosii monasterium Bituricis 1045 c d e
Anagrates monasterium *a S. Columbano fundatum* 868 d *et* 887 a
Andegavum (*vulgo* Angers) urbs Galliæ 928 c
Anzême (dépt Creuse, arrond. de Guéret) 825 d
Apriscola mons in Pyrenæis 1138 a *et* 1140 d
Aquiscinctium monasterium in diœcesi olim Atrebatensi *nunc destructum* 1101 b c *et* 1106 d
Aquitania *describitur* 990 b c; *a Normannis vexata sæculo* IX 1045 b c
Aram vallis (*vulgo* vallée d'Aran) in Agro Convenensi 1181 f *et* 1183 d
Arbona *seu* Arbor Felix, oppidum et pagus olim in Thurgovia 857 a, 872 b, 886 a *et* 888 a. *Diripitur* 881 a b
Argentoratum civitas episcopalis, olim sub Moguntina, hodie sub Vesuntionensi metropoli, *habebat sacellum suburbanum S. Galli* 858 d
Argonæ pars sub diœcesi Virdunensi 920 d
Armuntio *aut* Urmuntio (*vernacule* l'Armançon ou l'Armorice) fluviolus in Incaunam (*vulgo* l'Yonne) incurrens 1029 d *et* 1031 a d
Astilia insula (*forsitan hodierna* Stampalia in archipelago sita 1023 a f *et* 1024 a
Aturum *seu* Adurris (*vulgo* Aire, dépt Landes) urbs episcopalis Galliæ 1144 f
† Audoeni ecclesia Rothomagi *dedicatur* 794 b
Audomaropolis (*vernacule* St Omer, dépt Pas-de-Calais 961 a
Augia Alba *seu* Augia Major (*vernacule* Weissenau, Mehrerau) monasterium Ordinis S. Benedicti ad lacum Constantiensem 873 d
Augustodunum *quandoque pro* Augusta Rauracorum *usurpatur* 787 a b c
Auzun, vallis in diœcesi Tarbensi (dépt Hautes-Pyrénées) 1170 a

B

Baldulficorte, *forsan* Blécourt, viculus prope Dervum 1028 c *et* 1031 a
Barbazan vicus (dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Barcino civitas Catalauniæ *colit S. Bertrandum Convenensem* 1170 b c
Bassiniacensis tractus continetur hodie præfectura Matronæ Superioris (dépt de la Haute-Marne 816 c
† Beati oppidum (*vulgo* St Béat, dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1158 e f
Benchor monasterium Hiberniæ, *quo anno fundatum* 862 e f *et* 863 a b. *Ejus situs* 865 b c
Bicianum villa (*annon* Bizanet? dépt Aude, arrondissement de Narbonne) 1113 f
Bleidenstadt olim Castellum juxta Moguntiam civitatem 1068 f
Blesa fluviolus (*vulgo* la Blaise) 1029 e *et* 1031 d
Bodamicus lacus in Turgovia 902 d
Bobium civitas episcopalis, sub metropoli Genuensi 1013 a
Bolonia (*vernacule* Bologne, dépt de la Haute-Marne, arrond. de Chaumont) vicus diœcesis Lingonensis, *Reliquiis S. Bologniæ martyris et virginis insignis* 816 c, 820 c e *et* 821 c d
†† Bonifacii et Willibrordi collegium Hollandicum Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ S. Eliphii Martyris* 811 d

Bragum

Bragum (*hodie* Bray-Saint-Christophe, dépt Aisne, arrond. St Quentin) 970 b
Brancourt vicus in præfectura Vosagi (dépt des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 b
Brema civitas episcopalis in Germania, *ubi S. Willehadus episcopus* 1079 e f *et* 1080 a
Brigantium (*vernacule* Bregenz) in provincia Autriaca Tyroli, olim ad Alemanniam pertinebat *Istic prædicant SS. Columbanus et Gallus* 872 b-f, 886 a *et* 888 b. Ibi *monasterium prius monialium, post monachorum* 873 d e f *et* 874 a b
Britoniensis, (*nunc* Mindoniensis,) ecclesia *dedicatur* 793 f
Brivas (dépt Haute-Loire) 1120 f *et* 1121 a b
Brivatensis ditio *olim ad canonicos S. Juliani spectabat* 1122 d
Brotomagus *seu* Brocomagus, *Valesio* Brumath oppidum Alsatiæ in agro Argentinensi (dépt du Bas-Rhin) 818 d *et* 821 d
Bunna (*hodie* Bonna) oppidum ad Rhenum flumen sita 924 e *et* 925 b
Burdigalensis ecclesia *indulgentiis ditata a Clemente V* 1164 b-e
Burgum Oxomæ (*vulgo* el Burgo de Osma) in Hispania 1185 d
Burgundiæ regni limites 1007 a
Burgundiæ ducatus limites 1007 a
Buriburgum locus *nunc destructus* juxta Frislarium in Hassia 1089 c *et* 1091 a
Burichingæ pagus antiquus ad sinistram Danubii fluvii 858 d
Buronia, *ignota, imo incerta* civitas Mauritanæ in Africa 831 f, 832 a *et* 835 a d
Buxiacum monasterium in Cenomanis 938 d

C

Cabariacum, Cabarium *seu* Caprarium, vicus et episcopatus Andegavensis 944 c *et* 945 b
Calmaria (*vernacule* la Chaume, dépt Loire Inférieure) 1092 c
Campanum castrum (*hodie* Campan, dépt Hautes-Pyrénées, arrond. de Bagnères) vicus ad fluvium Aturum 1181 b *et* 1183 d
Canigon (*vulgo* le Canigou, dépt Pyrénées Orientales) monasterium, *in quo olim Reliquiæ S. Gauderici* 1107 a, 1114 e f *et* 1115
Capra Picta desertum Mauritaniæ 831 f *et* 832 a
Captuniacum palatium publicum 971 e
Caput-Aturris (*vulgo* Capadeur, dépt Hautes-Pyrénées, arrond. de Bagnères) 1143 b-f
Carisiacum palatium regium in Belgica secunda situm 986 c
Casa-Dei monasterium in Arvernia 1123 b
Casa-Dei monasterium Ordinis Præmonstratensis in diœcesi Ausciensi 1143 f, 1144 a *et* 1148 c
Castel (dépt Pyrénées Orientales, arrond. de Prades) 1117 d
Castellum Ictium, *hodie* Insula-Jordanis (*vernacule* l'Ile Jourdain, dépt Gers, arrond. de Lombez), *locus natalis S. Bertrandi episcopi* 1144 c-e, 1145 d *et* 1173 c. *Ejusdem Reliquiis ditatur* 1168 e f *et* 1169
Castrum-Villanum (*vulgo* Château-Villain, dépt Haute-Marne, arrond. de Chaumont) 1006 e
Cella Bobini (*hodie* Monstier-la-Celle) in suburbio Tricassino 1022 a *et* 1023 e
Cellensis basilicæ *consecratio* 792 f
Cerdania pars Ruscinonis 1116 d
Château-hors-Chervix *seu* Château-Chervix (dépt Haute-Vienne, arrond. St Yrieix) vicus *sub patrocinio S. Silvani* 825 d
Clanis fluvius in agro Pictavensi 990 d
Clareium (*vulgo* Clerey *vel* Clairey) *duplex hujus nominis* vicus in agro Tullensi: Clairey-la-Côte (arrond. de Neufchâteau); *et* Clairey-sur-Madon (arrond. de Lunéville) 806 b
Chrosmas (dépt Haute-Vienne, arrond. de Ballac) *patronum habet S. Silvanum* 825 d
Chrysopolis, *alias* Vesuntio 1023 b *et* 1024 a
Cirrius mons juxta monasterium S. Galli 858 b
Colonetum (*probabiliter hodie* Chalonne) monasterium *committitur S. Magnobodo* 932 f *et* 942 f
Commodoliacus vicus (*hodie* St Junien, départemt Haute-Vienne) 837 d, 845 f, 848 c *et* 850 d e
Communicensis comitatus (*vulgo* le Comté de Comminges) 1158 e
Compendium palatium regium (*vulgo* Compiègne) ad Neustriam pertinebat 998 f
Conaldum (*vulgo* Cunauld, dépt Maine-et-Loire, arrond. de Saumur) vicus 1095 b
Conchense monasterium *Figiacensi monasterio unitum* 1035 c e f
Confluentanus ager (*vulgo* le Conflent) medius inter agrum Perpinianensem et Cerdaniam jacens 1116 d
Convenæ (*vernacule* St Bertrand, dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) *S. Bertrandus episcopus* 1153 d *et* seqq., 1174 c *et* 1175 e f
Corcella (*gallice* Courcelles, dépt Aisne, Arrond. de Soissons) vicus 1103 e
Corisopitum (*gallice* Quimper-Corentin) civitas episcopalis in Britannia Armorica, caput præfecturæ Finisterræ 1098 e *et* 1100 d
Corisopitum ad fluviolus Ellam (*vernacule* Quimperlé) 1098 e *et* 1110 d
Corneilla-du-Conflent (dépt Pyrénées-Orientales, arrond. de Prades.) 1117 d
Corniliacum (*hodie* Corneillé) vicus in districtu Balgiensi 946 e *et* 947 c
Cornu-Galliæ (*vulgo* Cornouailles, département Finistère) 1007 d
Coxanense monasterium S. Michaëlis *vulgo* S. Michel-de-Cuzan) 1115 f *et* 1116 b
Crispiacus villa in confinio Dervensi. *S. Bercharius abbas* 1026 c *et* 1027 f
† Cypriani fanum (*vulgo* S. Cyprien, dépt Corrèze, arrond. de Brives) 836 f

D

Dal-Aradia, regio in Hibernia 851 f *et* 852 a
Darthe *seu* Darthé vicus, *cui nunc* Bolonia *vernacule* Bologne *nomen est* 821 d
Deas monasterium in Armorica (*hodie* Grandlieu, dépt Loire-Inférieure) 1095 a b
Dervensis saltus 993 f *et* 1016 e
Dervum monasterium *a S. Berchario fundatum* (*vernacule* Montier-en-Der, dépt Haute-Marne, arrond. de Wassy), 987 c, 994 f *et* 995. *Series abbatum* 1021 e *et* 1023 c. *Reliquiæ S. Bercharii* 1008 *et* seqq.
Dervense monasterium puellare ad Trecensem diœcesim pertinebat 1004 d e f
Deva (*vernacule* Dieuve) vicus in agro Virdunensi 925 d *et* 927 a

Devotæ (*vulgo* St Martin Doydes, dép^t Arriége, arrondissement de Pamiers) 1125 c d *et* 1135 d
Deus-Louvart, *alias* D'Eilauvarth, in pago Scarponensi 926 f
Diablentic. (*Vide* Aletum.)
Diensis ecclesia cathedralis *dedicatur* 794 d
† Dionysii clivus (*vulgo* Tureau St-Denis) *in quo cella S. Salvii condita erat* 855 f
Diseias (*probabiliter* Dissays, dép^t Vienne, arrond. de Civray) 990 c d, 1011 b *et* 1012 f
Disiacum juxta Altumvillare 1015 f
Ditkircha oppidum ad Loganum fluvium 921 f
Doccomium *seu* Dockinga, *palæstra martyrii S. Bonifacii Moguntini* 1086 e *et* 1087 d
† Dodæ cella *Simorrensi monasterio donata* 1151 a
Domnofrons locus in Gallia 996 d
Dreia (*hodie* Droyes) parochia ruralis juxta Dervum 1022 c *et* 1023 e
Duacum oppidum olim Atrebatensis, nunc Cameracensis diœcesis 1101 b c

E

Ebolum (*italice* Evoli *seu* Eboli) oppidum regni Neapolitani in Principatu Citeriori. *S. Bernerius eremita* 1185 d, 1186 e f *et* 1188 d
Elaveris fluvius (*vulgo* l'Allier) 1120 f
† Eliphii (*vernacule* St Elophe) vicus *cum ecclesia succursali* (dép^t des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 b-e, 805 a, 814 b *et* 816 b.
Elna *olim* cathedra episcopalis *Perpinianum dein translata* 1106 f *et* 1107 a
Elnonense monasterium (*vulgo* St Amand, dép^t Nord) *consecratum* 971 a b
Elosana civitas episcopalis, *cujus sedes postea Augustam Ausciorum translata* 937 b
Ernotrum. (*Vide* † Ambrosii vicus.)

F

Fécocourt vicus *habens ecclesiam sub invocatione S. Eliphii* (Dép^t de la Meurthe, arrond. de Toul) 806 b
Figiacensis monasterii *consecratio, præsente Stephano II papa, examinatur* 1034 f
Florentia *habebat ecclesiam S. Gallo sacram* 858 e
Forum Julii (*vulgo* Fréjus, dép^t Var, arrond. Draguignan) 832 f
Frislarium civitas Germaniæ in electoratu Hasso-Casselano 1089 e, 1091 a
Frumentosa (*annon* Fruse? Frument?) locus conterminus vico S. Eliphii 814 f *et* 816 d
Fruse vicus in præfectura Vosagi (dép^t des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 b. *Num idem locus ac* Frumentosa? 814 f *et* 816 e
Fulda urbs Germaniæ *habet forsitan aliquas Reliquias S. Galli* 884 c
Fuldense monasterium *fundatur* 1060 d e

G

† Gaudentii oppidum (*vulgo* St Gaudens, département Haute-Garonne) 1179 e *et* 1180 d
Gaudiacum (*vernacule* Jouy) *plures vici hujus nominis exstant in Gallia* 925 b *et* 926 d
Gaugiacus, *alias* Episcopi-villa 1001 b c *et* 1005 c d
Genuliacum (*vulgo* Genouillac) vicus in diœcesi Petrocoricensi *notatur* 836 a-e
Gerciacus (*hodie* Jarcé) vicus in districtu Balgiensi 946 e *et* 947 c
Gerlani mons (*vernacule* Gillamont) vicus in Lotharingui 925 c, 926 e f *et* 927 b
† Germani in Ambronio vicus (*vernacule* St Germain Lambron, dép^t Puy-de-Dôme, arrond. d'Issoire) 1123 c d
† Germani in Eremo (*vernacule* St Germain-l'Herm, dép^t Puy-de-Dôme, arrond. d'Ambert) oppidum, *ubi prioratus conventualis* 1123 b c
Gerwiense monasterium in Anglia (*vernacule* Jarrow) 1053 c
Gladbacense monasterium in tractu Molensi, *non confundendum cum Montefalconis* 918 f *et* 919 a
Glindonum vicus, *ut videtur*, in diœcesi Noviomensi 970 b
† Goaris cella 1070 d e f *et* 1071 a
Graffigny, vicus hodie ad præfecturam Matronæ Superioris pertinens, olim in tractu Tullensi (dép^t de la Haute-Marne, arrond. de Chaumont), *cujus ecclesia sub invocatione S. Eliphii dedicata est* 806 b
Grandis (*vulgo* Grand, dép^t des Vosges, arrond. et canton de Neufchâteau) olim urbs, nunc viculus 802 a 812 d *et* 815 c. *Ornata dicitur a Juliano imperatore* 818 d *et* 820 f
Grandis-Silva (*vulgo* Grandselve, dép^t Haute-Garonne, arrond. de Castel-Sarrasin) monasterium Ordinis S. Benedicti 1144 d e
Grapfeld pagus Germaniæ 1064 b
Graux vicus, *cujus ecclesia sub invocatione S. Eliphii dedicata est* 806 b

H

Hassiæ *et* Hassorum *nomen jam sæculo* VII *usurpatum* 1085 c *et* 1087 c
Heli (*hodie* Ely O'Carrol), *post* Tech-Telle *appellatum*, monasterium in Hibernia 951 d e f
Herbadilicus pagus in Armorica 1092 a *et* 1095 b
Hersfeldia monasterium *a S. Lullo episcopo fundatum* 1067 c-f, 1068 a-d, 1089 a b *et* 1090 f
Hetsilinga, *hodie* Eslinga, oppidum ad Neccarum, in Germania 1092 f *et* 1093 a
Hilenheim curtis regia in Germania, *forte* Ingelheim 1086 c *et* 1087 c
Himilinberg, *olim* Mons Cœlius *seu* Cœlestis (*hodie* Monzeln) 889 c *et* 891 f
Hochst, *olim* Hohstedi, oppidulum ad Mogonum fluvium 1090 b *et* 1091 d
Hollandicum collegium. (*Vide* †† Bonifacii et Willibrordi collegium.)

I

Iburninga (*hodie* Ueberlingen) oppidum in ducatu Badensi 889 e *et* 892 a
Iciodorum (*vulgo* Issoire, dép^t Puy-de-Dôme) oppidum Arverniæ 1123 b
Insula Germanica *ignotæ originis nomen* in suburbio Tricassino 1022 a *et* 1023 e
Insula Jordanis. (*Vide* Castellum Ictium.)
Insulis Flandrorum *consecratur templum Societatis Jesu anno* MDCXI 792 f

J

† Justi ecclesia juxta Convenas ex parte Vallis Caprariæ 1176 f *et* 1180 b

K

Kerahes (*vernacule* Carhaix, dépt Finistère, arrond. de Châteaulin) 1098 e *et* 1100 d
Killchrea, vicus in comitatu Corcagiensi in Hibernia 950 e f
Killruadd *olim* Hiberniæ civitas episcopalis. *S. Colmanus episcopus* 852 a b d *et* 853 d

L

Labroquère vicus (dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Laureshamum monasterium 1069 d-f *et* 1070 a-c
Lenna (*vernacule* Leynes, dépt Saône-et-Loire, arrond. de Mâcon) vicus *patronum habet S. Vitalem* 1096 b c
Leocha *idem videtur ac* Tullum Leucorum *olim* sedes episcopalis Lotharingiæ 812 f *et* 815 f
Leptis Magna *et* Parva, *hæc* Byzacenæ, *illa* Tripolitanæ provinciæ civitas, in Africa 797 c d
Liberdunum (*vernacule* Liverdun, dépt de la Meurthe, arrond. de Toul) *locus sepulturæ S. Eucharii* 812 e *et* 815 d
Lindimacus (*vulgo* die Limmat, die Linth) fluviolus Helvetiæ 871 e, 885 f *et* 887 d
Loch-Laodh lacus Hiberniæ 852 b
Los (dépt Nord, arrond. de Lille) vicus 1103 e
Lutosæ (*hodie* Louze, dépt Haute-Marne arrond. de Vassy) viculus 995 b, 1016 f *et* 1018 c
Luxovium monasterium (*vulgo* Luxeuil, dépt Doubs, arrond. de Lure) *fundatum a S. Columbano* 867, 868, 869 a-d, 885 *et* 887 a

M

Magnens fluviolus 996 e
Malmesburiense monasterium in Wiltonia provincia Angliæ situm 1054 a c-f
Mangisvillare vicus prope Dervum *a Walthilde S. Berchario venditus* 995 a *et* 1016 e
† Mariani monasterium Præmonstratensis Ordinis 855 d e
† Martini Majoris monasterium Coloniæ 807 a-d, 808 e-f *et* 809 e f. *Ejus ecclesia renovatur* 811 c d. *Supprimitur* 812 a
Mervilla monasterium (*vulgo* Merville, dépt Nord, arrond. d'Hazebrouck) 1104 e
Mesciacum, locus in territorio Pictavensi 1095 c
Metense monasterium puellarum in honore S. Petri 878 e *et* 891 c
Metis civitas Lotharingiæ; *ecclesia cathedralis sub vocabulo S. Stephani* 891 a b
† Michaelis in periculo maris monasterium (*vulgo* Mont St-Michel, dépt Manche, arrond. d'Avranches) 1126 e *et* 1127 a
Mindonii (*vulgo* Mondoñedo) in Gallæcia Hispaniæ *dedicatur ecclesia cathedralis* 793 f
Mirapicium (*vulgo* Mirepoix) civitas olim episcopalis, *habebat Reliquias S. Gauderici* 1114 c
Moguntia, Germaniæ civitas *habet sacellum sub vocabulo S. Galli* 858 d
Monasteriolum (*vernacule* Montreuil, départemt Haute-Marne) viculus 1016 f *et* 1018 c d
Monsfalconis monasterium in agro Remensi 909 c, 915 c d *et* 925 e. *Ad canonicos transit* 918 d e. *Conceditur episcopis Virdunensibus* 919 b c
Mons regius vicus (*vulgo* Montrejeau dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Montiniacum (*vulgo* Montigny, dépt Aisne, arrond. de St Quentin) vicus 1103 e
Morinensis pagus 981 e, 984 e f *et* 985 a b
Mosacium in diœcesi Aquileiensi, monasterium S. Mariæ et S. Galli 858 f
† Mummolini clivus (*vulgo* Motte de St Mommolin) juxta Audomaropolim 960 d
Muscragia *duplex: altera* Muscraighe Thire (*hodie* Lower-Ormond) in Tipperaria; *altera* Muscraighe Mitine (*hodie* Muskerry) in comitatu Corcagiensi 951 d

N

Nancea (*vulgo* Nancy) caput præfecturæ Murthæ (dépt de la Meurthe) 804. *Fit civitas episcopalis* 806 e
Neapolis in Africa civitas *distinguenda a* Lepti Magna 797 c d
Neo-castrum (*vulgo* Neufchâteau) oppidum Lotharingiæ (dépt des Vosges) 804 b *et* 806 a
Nesta fluviolus in tractu Convenensi (*vulgo* Neste d'Aure et Neste de Louron) 1178 c *et* 1180 d
† Nicolai templum Neocastrense *ditatur Reliquiis S. Eliphii* 806 a
Nigraha (*hodie* Schwarz-wasser) rivus urbem S. Galli interfluens 858 b, 889 d *et* 891 f
Nigrum monasterium (*vulgo* Noirmoutier), *olim* Herio insula, in hodierna diœcesi Lucionensi (dépt Vendée.) 1091 c *et* 1094 f
Novempopulonia, pars Aquitaniæ 990 c

O

Oltia (*forsan* Osse, dépt Basses-Pyrénées, arrond. d'Oléron) 1183 b *et* 1184 b
Oltus *seu* Oldus (*vernacule* le Lot) fluvius Aquitaniæ 1047 d, 1048 f, *et* 1049 a
Ordorff in Thuringia 1069 a b
Othonium *sive* Othomum, vicus episcopatus Andegavensis 943 c *et* 945 a

P

Perpinianum civitas episcopalis ad Pyrenæos montes *possidet Reliquias S. Gauderici confessoris* 1117 f *et* 1118 a
† Perseverandæ (*hodie* Ste Pazanne, dépt Loire-Inférieure, arrond. de Paimbœuf) vicus Britanniæ Armoricæ 1098 c *et* 1100 b
Pertensis pagus 1026 d *et* 1027 f

† Petri

† Petri Lezatensis monasterium (*vulgo* Lézat, dépt Arriège, arrond. de Pamiers) 1158 e f
† Petri monasterium Inferius Remis *post S. Nivardum constructum* 912 b *et* 917 a
† Petri monasterium Superius Remis *S. Bova abbatissa* 911 c f, 912 a b, 914 d-f *et* 917 a-c
Petrosa. (*Vide* Seinaha).
Piscuaria (*vulgo* Pecquencourt, dépt Nord, arrond. de Douay) vicus 1103 e
Placentiæ in Hispania *dedicatur ecclesia cathedralis* 793 e
Ploasmel castrum, *hodie* Ploërmel (dépt Morbihan) oppidum 1098 a *et* 1100 b
Polignanum vicus (dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
† Portiani abbatia in Arvernia 1095 d
Portus-Herculis *aliter* mons S. Michaelis in periculo maris 1137 b *et* 1139 b
Portus Saliocan, (*vernacule* Morlaix, dépt Finistère) 1098 e *et* 1100 d
Portus suavis, Porces (*vulgo* Poussay, dépt des Vosges, arrond. de Mirecourt), insigne capitulum nobilium fœminarum, *in cujus ecclesia corpus erat S. Mennæ* 812 e *et* 815 e
Praga urbs caput Bohemiæ *servat Reliquias S. Galli* 858 e *et* 884 d
Pratum amœnum Vera fluvio separatur a vico Solimarico (*vulgo* Soulosse) 814 e *et* 816 b
Princé saltus in pago Ratensi 1097 c *et* 1099 f
Puteolus (*hodie* Puysie) 995 e, 996 b f *et* 1016 f

Q

Quaradaves (*hodie* Grabs) oppidum in pago Sangallensi 889 f *et* 892 a
Quaterniacus, Cartiniacus, in diœcesi Andegavensi, *forsitan* Chartrenay *vel* Chartréné in districtu Balgiensi 943 a, 944 f *et* 945 a
Quintinopolis (*vulgo* S. Quentin dépt Aisne) 970 c

R

Rampillon vicus *cum ecclesia tituli S. Eliphii* (dépt de Seine-et-Marne, arrond. de Provins) 806 b
Ratiatensis *seu* Ratensis pagus in Armorica (dépt de la Loire-Inférieure) 1091 c *et* 1092 a b
Raudinleim *seu* Rotinleim (*hodie* Rœteln) vicus in superiore Brisgovia 857 a
Ribodimons (*vernacule* Ribemont, dépt Aisne, arrond. de St Quentin) monasterium in diœcesi olim Laudunensi 1103 d
Richiani comitatus in Lotharingia 926 f
Rocurtum (*vulgo* Roocourt-la-Côte, dépt de la Haute-Marne, arrond. de Chaumont) 817 f
Rosenberg, *olim* Waltramsberg, *possessio monasterii Sangallensis* 902 c
Rotundavilla, *hodie* Rothwil, olim urbs imperialis, nunc in regno Wurtembergico 897 f *et* 899 c
Rupes Amatoris (*vernacule* Roc-Amadour, dépt du Lot) 1183 b
Ruppes vicus *cum ecclesia hodie succursali, in quam quotannis inferebatur Reliquiæ S. Eliphii martyris* (dépt des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 805 c d
Ruscinonis pagus (*vernacule* le Roussillon) ad Pyrenæos montes 1116 d

S

Salengolinum *seu* Sarancolinum monasterium in diœcesi Ausciensi 1150 f *et* 1151 a
Salex, *forsan hodie* Saucy, juxta Barrum super Albam (*vulgo* Bar-sur-Aube) 1026 c *et* 1027 f
† Salvatoris monasterii *nomen mate detorquetur ad* cellam S. Salvii 854 b
† Salvii vicus (*vulgo* St Sauge, dépt Nièvre, arrond. de Nevers) 855 a b
San-Deodatum *fit civitas episcopalis* 806 e
Sarancolinum. (*Vide* Salengolinum.)
Saulge, vicus in diœcesi Cenomanensi (dépt Mayenne, arrond. de Laval) 855 b
Scala-Dei monasterium Ordinis Cisterciensis apud Bigerros 1143, 1144 a b *et* 1176 f
Scharponensis pagus (*vulgo* Sarponne *vel* Charpeigne) in episcopatu Virdunensi 926 f
Scobrith (*hodie* St Viaud) mons in pago Ratiatensi situs 1096 f, 1097 d *et* 1099 d
Scotia *olim commune nomen Hiberniæ et Britanniæ septemtrionali* 861 e
Selertiagum, vicus *ut videtur*, in episcopatu Noviomensi 970 b
Sennia Silva (*vulgo* Sennwald) in pago Sangallensi 889 f *et* 892 a
Senonis *non videtur anno* DCLVIII *celebratum concilium* 966 b c d
Serisium (Seris, *hodie* Marats, dépt Cher, arrond. de Bourges) 1044 c f
Setes nemus in Occitania 1144 e
Simorra, monasterium in diœcesi Ausciensi in Gallia 1150 f *et* 1151 a b
Sithivense monasterium 960 b-e *et* 971 c d; *Possidet Reliquias S. Mummolini* 974 b-f
Solimaricum (*vulgo* Soulosse) hodie vicus in præfectura Vosagi (dépt des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 c f *et* 805 a b
Spanulfi villa (*vulgo* Epinonville) 924 c *et* 925 e
Sparnacus (*vulgo* Epernay, dépt Marne) 1015 b c
Squitum rupes in valle Aspensi 1183 d *et* 1184 d
Steinaha *aliter dictus* Petrosa (*hodie* Steinach) fluviolus juxta monasterium et urbem Sangallensia 858 b, 875 c, 889 d *et* 891 e
Sufflana (*vulgo* la Soulaine) fluviolus haud procul a Dervo fluens 1024 e *et* 1025 f
† Sulpitii ecclesia *forte* in parochia *vulgo* Louvemont 995 c, 1017 a *et* 1018 d
Summavera (*vulgo* Sommevoire, dépt Haute-Marne) vicus 1029 f, 1031 d

T

Tabraca oppidum Numidiæ *duo habebat monasteria* 830 d e
Terracinum (*vernacule* Terrasson, dépt Dordogne, arrond. de Sarlat) monasterium *a S. Soro fundatum* 836 f
† Theuderici (*vulgo* St Chef *vel* St Theudère) vicus olim Viennensis diœcesis (dépt Isère) 1006 f
Tiliolus (*vernacule* Thilleux) vicus ad Vigeram fluviolum 1018 d *et* 1025 c
Tornodorum (*vulgo* Tournus, dépt Saône et Loire, arrond. de Mâcon) 1095 d
Trajectum ad Rhenum *seu* Ultrajectum *ferebatur possidere caput S. Eliphii* 811 e

Triniacum *seu* Tuniacum vicus, *nunc* S. Germani in Eremo 1124 e f
Tripolis in Africa, *non civitatis, sed provinciæ nomen* 797 c
Tucconia (*vernacule* Tuggen) vicus hodie in Helvetia 871 e f, 872 a, 885 f *et* 887 e
Tullum (*vulgo* Toul, dépt de la Meurthe) olim episcopalis civitas, *nunc diœcesi Nancensi unitum* 802 a. *Olim late extensa diœcesis in tres episcopatus dividitur* 806 d e
Tumbalenia insula ad septemtrionem Montis S. Michaelis 1128 e f, 1137 c *et* 1139 d
Tuninium villa, *hodie forsan* Tugny (dépt Aisne, arrond, de St Quentin) 970 b
Turegum castellum (*vernacule* Zurich) urbs Helvetiæ 885 f *et* 887 e

U

Urmuntio. (*Vide* Armuntio.)
Uzerchia (*vulgo* Uzerche, dépt Corrèze) monasterium 823 d e

V

Vallis Aspa (*vulgo* vallée d'Aspe, dépt Basses-Pyrénées, arrondissement d'Oleron, canton d'Accous) 1183 d *et* 1184 b d
Vallis Capraria vicus (*vulgo* Valcabrère, dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Vallis Gratiæ monasterium Parisiis *servabat os S. Gauderici* 1118 a
Vallis Pillonis (*vulgo* Vaupillon) vicus *cum ecclesia tituli S. Eliphii* (dépt Eure-et-Loire, arrond. de Nogent-le-Rotrou) 806 c
Vassiacus (*hodie* Wassy, dépt Haute-Marne) oppidum Campaniæ caput olim pagi Vallensis, juxta Dervum 995 e, 996 c, 1017 c *et* 1018 f
Vausune vicuspagi Constantini (*vernacule* le Coutantin) 970 b f
Vedretum (*vulgo* Vred, dépt Nord, arrond. de Douay) vicus 1103 f
Venetia (*gallice* Vannes) civitas episcopalis in Britannia minori 1098 a *et* 1100 d
Venetiis in Italia *erat oratorium sub invocatione S. Galli* 858 f
Vera fluviolus (*vulgo* le Vair) 802 a *et* 804 b
Verciacum *sive* Verchiacum, vicus in episcopatu Andegavensi, *forsan* Verchés *aut* Saint-Just-des-Verchés (dépt Maine-et-Loire, arrond. de Saumur, canton de Doué) 948 c *et* 949 e
Vermentum, Vermemitum *seu* Vernantum (*hodie* Vernantes) in districtu Balgiensi 944 b *et* 945 a
Vernet vicus (dépt Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) 1117 d
Veter Murus parthenon Ordinis S. Benedicti (*vernacule* Vielmur, dépt Tarn, arrond. de Castres) 1159 f
Vetus monasterium juxta Audomaropolim *a S. Mummolini ædificatum* 959 b c f, 973 f *et* 974 a
Viéville, *hodie* S. Gauderic (dépt Aude, arrond. de Castelnaudary) 1113 b *et* 119 f
Vigera (*vernacule* la Voire) fluviolus Dervum alluens 995 c, 1017 a *et* 1018 d
Vignorix (*valgo* Vignory, dépt Haute-Marne, arrond. de Chaumont) vicus 821 c
Villafranca (dépt Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) 1117 d
Villalonga (*annon* Villelongue-des-Monts ? dépt Pyrénées Orient., arrond. de Ceret) 1116 c
Villanova in diœcesi Convenensi (*vulgo* Villeneuve-de-Lecussan, dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1178 a *et* 1180 c
Villanova S. Salvii (*vulgo* Villeneuve-St-Salve, dépt Yonne, arrond. d'Auxerre) vicus diœcesis Senonensis 822 f, 823 f, 824 b, 853 c *et* 854 b
Vinca (*vernacule* Vinça, Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) vicus 1115 d *et* 1116 e f
Vivier-le-Gras vicus, *cujus ecclesia est sub invocatione S. Eliphii* (dépt des Vosges, arrond. de Mirecourt) 806 b
Volensis villa, *forsan* Volandry in districtu et pago Balgiensi 948 b *et* 949 e
Vosagus (*vulgo* les Vosges) 887 a

W

Waltrammesberch mons juxta monasterium Sangallense 858 b. (*Vide* Rosenberg.)
Wangæ (*germanice* Wangen) locus juxta Tucconiam 872 a b. *Habet forsitan aliquas S. Galli Reliquias* 884 c
Waslicia (*germanice* Wesseling) in decanatu Arcuensi diœceseos Coloniensis 921 a *et* 924 e
Wasloium, *post* Belluslocus, monasterium sub titulo S. Mauritii 925 b *et* 926 e
Wertz, *olim* Stain, castellum prope Schaphusium 901 a *et* 903 c
Willimundincæ (*germanice* Welmedingen) *habet sacellum S. Galli* 858 d
Wiremuthense monasterium in Anglia 1053 c

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX

ONOMASTICUS

C

Calamistrum, *fistula potatoria* 1056 f *et* 1057 a
Cambutta *vel* Cambota, *baculus episcopi vel abbatis* 893 b *et* 895 a
Catasta, *equuleus, pegma ferale,* échafaud *gallice nuncupatum* 821 a e f
Cella, *ecclesiola* 854 c d e *et* 856 d
Civitas romana, *civitas catholica* 832 d e *et* 834 f
Climata, *varias regiones corporis humani videtur significare* 948 a *et* 949 e
Clinicus, *ægrotus* 948 b *et* 949 e
Cœnobialis, *cœnobita* 855 c

D

Defensio, *commeatus* 855 e
Didascalus, *discipulus* 877 a
Doxa, *gloria* 949 c

E

Episcopia, *episcopatus* 890 a
Episcopium, *sumptum pro temporali jurisdictione episcopi* 920 b c

F

Fanatici, *idololatræ* 869 b
Farus, *lucerna orbicularis* 907 b *et* 909 d
Forsulum, *vas aut calix?* 1187 f *et* 1188 e f
Fredum, *mulcta fisco debita* 996 e

H

Hida, *mensura agraria in Anglia* C *aut ad* XL *minimum jugerum* 1076 f

L

Luder, *lutra, gallice* loutres, *autem Flandrice* Otter 893 e *et* 895 b

M

Mathetes, *magister, præceptor* 877 a
Millenarius, *græce* χιλιάρχος, *belli dux millenis militibus præpositus* 833 c *et* 834 c
Morlanensis *solidus, moneta Benearnensis, valebat tres solidos et tres denarios Turonenses* 1162 c

N

Nocturna, *preces quæ media nocte recitantur, hodie Matutinum dictæ* 893 a *et* 895 a

O

Oblata, *panis tenuissimus* 1047 f *et* 1049 b c
Opinor, *celebror* 897 e *et* 899 b

P

Paratæ, *expensæ ad hospitum susceptionem* 996 e
Pharus. (*Vide* Farus.)

Q

Quadrigata, *vectura unius quadrigæ, gallice* une charretée 855 e

R

Rotaticum, *tributum pro damno quod curruum rotæ viis afferunt, gallice* rodage, rouage 996 e

S

Silicernium, *ætas senilis* 948 f *et* 949 f
Somata, *corpora* 949 a f
Stratorius *famulus, cui cura jumentorum committitur* 890 b *et* 892 c
Syntochium, *xenodochium* 947 e *et* 949 e

T

Tangere, *movere per teutonismum:* Rühren *etenim* tangere *olim* movere, *et* projicere *significabat* 886 d *et* 888 d

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
MORALIS

A

Altaria *quandoque ab abbatibus consecrata* 811 c
Amentia *ope S. Bertrandi depulsa* 1182 f
Anachoretæ *in solitudine plerumque non erant absque socio aliquo* 1138 a *et* 1140 d
Angelicæ *Salutationis origines* 1108-1113
Apparitiones *S. Eliphii* 810 f; *item S. Galli* 903 f
Arborem *sterilem fœcundam reddit S. Bertrandus episcopus* 1178 d e
Auribus *male affectis medetur patrocinium S. Gauderici* 1116 a
Austeritas *vitæ.* (*Vide* Mortificatio.)

Æ

Ægritudines *variæ curantur intercessione S. Galli* 895 f *et* passim in seqq.
Ægrotis (*de*) *singularis S. Magnobodi sollicitudo* 944 f; *idem* ægrotos *multos sanat* 943 *et* seqq.
Ætas *legitima pro ordinibus sacris* 865 e f, 866 a *et* 1055 e. Ætas *pro episcopatu erat in Gallia annus trigesimus completus* 931 f; *sæculo* VIII *annus quinquagesimus* 1061 d

B

Baculus *miraculosus a S. Bertrando datus mulieri contractæ* 1181 e f
De Baptismo *conferendo constans Ecclesiæ disciplina* 832 a b
Barbam *clerici Occidentalis Ecclesiæ a primis Ecclesiæ primordiis tondent* 1033 b c d
Basilica, *etiam ecclesia cathedralis* 932 c d
Beatificatio *S. Gauderici* 1113 c d e
Breviarium *Romanum, abolito Parisiensi, quod sub nomine Lingonensis circumferebatur, substituit hodiernus episcopus Lingonensis* 816 f *et* 817 a

C

Cæci *visum recipiunt per intercessionem S. Galli* 905 d e *et* 907 c d; *et plures per S. Magnobodum* 942 c d, 943 d e, 944 a, 946 b c d, 947 a d *et* 948 a-d. Cæci *curantur ad invocationem S. Bercharii* 1024 e f, 1026 c, 1028 d *et* 1030 a b; *et ad invocationem S. Bertrandi Convenarum episcopi* 1182 b c e
Canonizatio *S. Bertrandi Convenensis sub pontificatu Alexandri III* 1160 e f, 1161 *et* seqq.
Captivi *liberantur per S. Magnobodum* 942 b *et* 949 a b; *ac plures per S. Bertrandum Convenarum episcopum* 1180 e f, 1181 a b c *et* 1183 a b c
Caritas *S. Magnobodi* 944 d e f. (*Vide* Zelus.)
Carnis *comestio monachis interdicta* 906 a. Carnis *usus quatenus interdictus Benedictinis sæculo octavo* 1074 e f *et* 1075 a
Castitas *S. Bertrandi episcopi* 1174 b *et* 1175 a
Catena *ænea S. Gallus corpus domat* 896 b c
Cathedræ *S. Petri Romæ festum instaurat Paulus Papa IV* 1046 d
Christiani *lege imperiali Judæorum mancipia esse non poterant* 829 d e
Cilicium *S. Galli post mortem ejus inventum* 896 b c. Cilicio *carnem domat S. Magnobodus* 944 e; *item S. Mummolinus* 983 b
Claudus *nomine Girardus ope S. Bercharii abbatis martyris sanatur* 1025 f *et* 1026 a b c
Commendarum *usus sæculo* VIII 1088 a *et* 1090 e
Communio. (*Vide* Eucharistia.)
Conciliorum *olim vices supplebant non raro comitia regni* 1071 b c
Conciones *S. Galli confessoris quam fuerunt fructuosæ* 885 a b c, 892 f *et* 893 a
Contracti *plures opem S. Galli experiuntur* 895 f, 905 f, 906 d e, 907 f *et* 908 a. Contractus *sanatur ope S. Bercharii* 1019 e f; *et alter ope S. Vitalis* 1098 a b. Contractos *sanat S. Bertrandus episcopus* 1181 d e f *et* 1183 a b
Convertit *gentiles S. Eliphius* 813 b c; *SS. Martinianus et socii* 842 a b, 833 f *et* 834 a; *item S. Mummolinus* 983 c
Corpus *S. Galli miraculis in sepultura et postea sæpius illustratum* 895 e f, 896 *et* seqq. Corporis *S. Lulli elevatio et translationes* 1081 b-f. Corpus *S. Vitalis ad varia loca delatum* 1094 e f, 1095 *et* 1099 a b; *a Calvinianis combustum* 1095 f. Corporis *S. Gurdanii translationes* 1104 e f *et* 1105; *ejusdem destructio* 1106 a d. Corpus *S. Bertrandi elevatum a Clemente Papa V.* 1162 c-f. (*Vide* Incorruptio, Odor *et* Reliquiæ.)
Crucis *signo dolores dentium sedat S. Magnobodus episcopus* 944 b; *qui et alia per* crucem *edit miracula* 946 c, 947 a d *et* 948 a
Cultus *S. Gauderici apud Perpinianenses insignis* 1117 b-e. Cultus *S. Bertrandi specialis Barcinone* 1170 b c d. *Ejusdem* cultus *ecclesiasticus in Gallia.* 1170 d e f, 1171, 1172 *et* 1173 *a*

D

Dentium *dolores benedictione S. Magnobodi episcopi sedati* 944 a b

Diaboli *quæruntur destructa a S. Gallo idola* 886 c d. Diaboli *monachum apostatam invadere parantes cœlitus prohibentur* 1027 c d e. (*Vide* Energumeni.)
Dissensio *inter SS. Lullum episcopum et Sturmium abbatem explicatur* 1063 e f, 1064 *et* seqq.; *ac narratur* 1087 e f *et* 1088

E

Energumena *a dæmone expellit liberatur ope S. Galli* 889 e f *et* 890 a-d. *Alii plures* energumeni *ejusdem Sancti opem experiuntur* 904 f *et* 905 a. Energumenos, *liberat S. Magnobodus* 944 b c, 946 d e *et* 947 f. Energumeni *liberatio coram corpore S. Anastasii* 1138 f *et* 1139 a; *item per S. Bertrandum* 1176 e f, 1177 a b, 1181 f *et* 1182 a. Energumeni *pœnitentiis corporalibus afficiebantur* 906 b c
Episcopatus *olim ætatem quinquaginta annorum requirebat* 1061 d
Episcopi *virtutes accurate describuntur* 876 e, 937 e f *et* 938 a; *elucent in S. Magnobodo* 892 e *et* 982 a b; *in S. Mummolino* 983 c-f *et* 944 a-c; *in S. Lullo* 1086 a b c; *in S. Bertrando* 1174 c *et* 1175 a b. Episcoporum *electio fiebat sub Carolovingis de consensu regum* 1059 d e
Per SS. Eucharistiam *ægri sanatur a S. Magnobodo episcopo* 945 e *et* 946 b

F

Febres *pellit S. Magnobodus* 943 d, 945 e *et* 947 a. Febri *gravi correptus opem S. Bercharii experitur* 1024 a b c. Febrium *ardores sedat fons S. Anastasii* 1136 a
Festivitates *Sanctorum quandoque tribus Missis celebrabantur* 858 c
Festivo *die operi servili insistens punitur* 1028 a b
Fontem *mirabiliter elicit S. Vitalis* 1097 c. Fons *sub feretro S. Gauderici scaturit* 1113 e
Furta *ope S. Galli confessoris sæpe detecta et indicata* 904 b c, 905 f, 906 a d *et* 907 f

H

Habitum *monasticum assumere idem erat ac professio regularis* 1128 c d
Homicidis *sæpe olim pœnitentia circuli ferrei imponebatur* 906 f, 908 f *et* 909 a
Humilitas *S. Bertrandi* 1174 b *et* 1175 a
Hydropicus *ope S. Bertrandi sanatur* 1182 c d

I

Idola *destruit S. Gallus* 873 a b *et* 886 a b. Idolorum *eversio aliquando excusatur* 887 e
Ignis *non lædit sepulcrum S. Galli* 897 b c
Impuberum *nuptiæ quandoque licitæ ex urgentissima causa et quando dari potest verus matrimonio consensus* 877 e f *et* 878 a b
Impudicam *mulierem, a qua tentabatur ad frugem reducit S. Ambrosius Cadurcensis* 1047 a b c
Impudicitiæ *acerrimus hostis S. Bertrandus Convenarum episcopus* 1177 b-e *et* 1179 c d e
Incendiarii *divinitus puniti* 904 a
Incontinentia *clericorum reprehenditur et graviter a Deo punitur* 1177 c d e *et* 1179 c d e
Incorruptio *corporis S. Lulli anno a morte sexagesimo* 1090 c d
Indulgentiæ *S. Bertrandi Convenensis cultui propriæ* 1163 c-f, 1164 *et* seqq. Indulgentiarum *parci erant olim Papæ* 1164 f *et* 1165 a
Invidiæ *pœna* 941 f *et* 945 c d

J

Jejuniis *insigniter vacat S. Magnobodus* 944 e; *item S. Mummolinus* 983 b
Jubilæi *nomen pro centenaria aut quinquagenaria periodo indulgentiæ ante Clementem papam V notum non fuit* 1163 e
Justitia *S. Bertrandi in vita militari* 1174 a

L

Lampas *coram sepulcro S. Galli confessoris mire pendula manet* 907 b
Lectio *pia mensæ regularis condimentum* 847 e
Linguarum *romanæ et theotiscæ bipartitio in Belgio* 967 c-f *et* 968 a b. Linguæ *rusticanæ indoles sæculo septimo* 967 d e
Loquelæ *pueris consequendæ patronus est S. Mummolinus* 978 f *et* 979 a

M

Maledicentia *in S. Magnobodum episcopum prodigiose punita* 943 a
Maledictio *a Sanctis viris prolata quo sensu excusetur* 887 e f
Manus *aridæ S. Magnobodi episcopi intercessione sanatæ* 943 e f, 944 c d, 946 f *et* 947 a
Maria *Deipara apparet monacho apostatæ eumque ad meliorem frugem reducit* 1027 d e
Martyr *dicitur qui mortem subit propter actum virtutis supernaturalis* 1001 e f
Militum *Christianorum exemplar S. Bertrandus postea episcopus* 1173 c-f *et* 1174 a b
Miracula *S. Juniano adscripta* 844 d e, 848 f *et* 849. Miracula *S. Galli in vita* 889 a b, 890 a d *et* 893 c e; *ac post mortem* 895 f, 896 *et* seqq. Miracula *S. Balderici Falcomontani* 925 a-d, 927 b-f *et* 928 a. Miracula *S. Magnobodi* 939 b, 942 b-e, 943 *et* seqq.; *S. Bercharii* 1019 e f, 1024 *et* seqq.; *S. Vitalis* 1097 e f, 1098 a-d *et* 1099 b c d; *S. Gauderici* 1113 c e, 1115 c-f, 1116 *et* 1117 b f; *S. Bertrandi Convenarum episcopi in vita* 1176 e f, 1177 *et* seqq.; *ac post mortem* 1180 e f, 1181 *et* seqq.
Misericordia. (*Vide* Pauperes.)
Missam *quanta pietate celebraret S. Magnobodus* 944 d e. Missam *quotidie pie audit S. Gaudericus* 1119 b
Monachus *fugitivus a S. Gallo prodigiose punitus* 905 b c. Monachi *non sunt arcendi a sacro ministerio* 933 e f. Monachus *apostata mire ad frugem revocatus* 1027 a-e

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Monasteria *antiquitus non habebant semper fixam scriptamque regulam* 934 d e f. Monasteria *alia episcopalia, alia regia* 1064 e
Monasticam *vitam S. Augustinus in Africam invexit* 829 f *et* 830 a-d
Monialis *votum castitatis violans comparatur adulteræ* 827 d *et* 828 a-e
Monita *ante mortem data a S. Magnobodo* 948 f; *et a S. Mummolino* 984 b c. Monita *S. Bonifacii ad S. Lullum* 1085 c-f
Ad mortem *quomodo se paret S. Magnobodus* 948 f; *S. Mummolinus* 984 b c; *S. Bertrandus* 1174 e f
Mortificatio *S. Galli* 896 b c; *S. Magnobodi* 944 e; *S. Mummolini* 983 b c
Mortuum *puerum ad vitam revocat S. Magnobodus* 950 a d. Mortuum *suscitat S. Mummolinus* 974 b
Munuscula *olim ultro citroque missa a sanctis viris* 1077 c-f *et* 1078 a-d
Muti *loquelam recuperat ope S. Bertrandi* 1182 a b f

O

Obedientia *S. Galli insignis in subeunda pœna sibi a S. Columbano inflicta* 874 e
Odor *suavissimus e Reliquiis S. Gauderici* 1113 c
Oleo *benedicto a S. Magnobodo miracula patrantur* 943 e, 944 c, 946 d e, 947 f *et* 948 a b c
In Oratione *assiduus est S. Magnobodus* 944 d e
Ordines *religiosi, utiles etiam sunt reipublicæ civili* 1037 a b c

P

Pallii *obtinendi necessitas non fuit ante sæculum nonum* 1071 d e f *et* 1072 a b
Pane *benedicto a S. Magnobodo miracula patrantur* 942 d, 945 f *et* 946 a b
Paralytici *curantur ope S. Galli* 895 f *et* 908 b; *alii item per S. Magnobodum* 946 e f
Pascha *die quandoque diverso celebrabatur in Occidente ac in Oriente* 1005 e f *et* 1006 a b c
Pastores *animarum ad incursum lupi gregem invadentis non fugiunt* 1157 f
In Pauperes *erogat S. Gallus dona a viro principe accepta* 890 e. Pauperibus *et afflictis insigniter succurrit S. Magnobodus* 944 e f; *item S. Bertrandus* 1175 b
Pecunia *duplicata ad eleemosynam* 943 f
Peregrinationes *Hierosolymam et Romam facit S. Bercharius* 1000 a b c. Peregrinatio *Romana antiquissimis temporibus usitata* 1043 f
Perjuro *pœna cælitus illata* 904 c d
Pestis *sedata per Sanctorum intercessionem et Reliquiarum circumlationem* 1099 b-d *et* 1116 c e f
Phylacteria *superstitiosa proscribuntur a S. Eligio episcopo* 815 f.
Pluralitas *beneficiorum quandoque innocua* 1152 d e
Pluvia *intercessione S. Bercharii obtenta* 1030 b-e; *item sæpe intercessione S. Vitalis* 1097 c. *Ad* pluvias *obtinendas vel avertendas invocatur S. Gaudericus* 1115 f, 1116 a b e *et* 1117
Podagricus *a S. Magnobodo curatus* 945 f
Precariorum *varia species* 1034 a b
Purgatio *vulgaris, quod judicium Dei vocabant, ordinarie est tentatio Dei* 1177 e f, 1178 a *et* 1180 b c

R

Rebaptizationis *error videtur a Donatistis ad Arianos derivatus* 830 e f *et* 831 a b
Reliquiæ *S. Eliphii magno honore habitæ* 805 b-f *et* 806 a; *pleræque Coloniam Agrippinam translatæ* 807 *et* seqq. Reliquiis *S. Juniani exhibitus honos* 842 e f *et* 843. Reliquiæ *S. Galli variis in locis* 884 c d e. *SS.* Reliquiarum *violatores divinitus puniti* 896 e f. Reliquiarum *S. Balderici Falcomoniani fata* 921 *et* seqq. *SS. Reliquiarum distribuendarum usus sub S. Gregorio Magno* 935. Reliquiæ *S. Magnobodi* 940 c d. *De* Reliquiis *S. Mummolini referuntur plura memoratu digna* 972 *et* seqq. *SS.* Reliquias *conquirit S. Bercharius* 1000 a b. Reliquiarum *S. Bercharii translationes* 1006 d e f, 1007 *et* seqq., 1029. *SS.* Reliquiæ *circumlatæ terræ fœcunditatem procurant* 1008 d. Reliquiæ *S. Lulli translatæ* 1082 *et* 1083 a. Reliquiæ *S. Bertrandi episcopi summa veneratione variis in locis habitæ* 1167 c-f, 1168 *et* 1169
Renuntiationis *episcopatus causæ legitimæ* 1036 c
Rogationes *et vigilias per diœcesis suæ circulum instituit S. Aunarius Autisiodorensis episcopus ad avertendam luem* 853 f *et* 854 a

S

Sacrilegi *loca sacra et altaria violantes divinitus puniti* 882 a-e, 896 d-f, 897 a b *et* 1025 a-c
Sarraceni *medio ævo censebantur difficillime converti* 1134 f *et* 1135 a
Sepulturæ *suæ curam habuere varii Sancti utriusque fœderis* 814 a *et* 816 a. Sepultura *eremitarum frequens in cella in qua vixerant* 847 f *et* 848 a. Sepulturæ *Christianæ ritus antiquissimi iidemque in funere S. Galli observati* 881 d e f, 895 d e f *et* 898 a b c. Sepultura *olim intra civitatem non fiebat* 918 c, 973 d *et* 985 e
Sigilli *regii custodes sæpe erant clerici* 984 c d
Surdus *et mutus sanatus intercessione S. Galli* 905 d. Surdus *auditum ope S. Bertrandi episcopi recipit* 1182 b c

V

Veneficus *divinitus punitus* 945 c d
Vigiliæ. (*Vide* Rogationes.)
Virginum *in antiqua Ecclesia duplex ordo velatarum et non velatarium* 827 f *et* 828 a b
Virginitatis *Deo consecrandæ ritus* 891 b c
In visione *admonitus S. Anno Coloniensis archiepiscopus in honorem S. Eliphii martyris duabus turribus sanctuarium S. Martini Majoris Coloniæ ornat* 810 f *et* 811 a
Votum *non solvens a Deo punitur* 897 e

Z

Zelus *S. Galli* 872 b-f, 873 *et* 886 a b c; *item S. Mummolini* 983 d e *et* 948 a

CALVOMONTE, EX TYPIS CAROLI CAVANIOL.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sig: 10 IOM1040-55,2

<23+>0450C6VE5141440S555312

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P
06

ACTA SANCTORUM

Bd. 55,2

IOM
1040
-55,2